AUCTARIUM

CHARTULARII

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS UNIVERSITATIS PARISIENSIS

EDIDERUNT

HENRICUS DENIFLE, O. P.
ACADEMIARUM
VINDOBONENSIS BEROLINENSIS PRAGENSIS
GOETTINGENSIS SOCIUS

AEMILIUS CHATELAIN
IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS PARISIENSIS
CONSERVATOR ADJUNCTUS,
PALAEOGRAPHIAE LATINAE IN SORBONA MAGISTER

TOMUS II

LIBER PROCURATORUM NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)

AB ANNO MCCCCVI USQUE AD ANNUM MCCCCLXVI

PARISIIS

APUD FRATRES DELALAIN

VIA A SORBONE DICTA

ANNO M DCCC LXXXVII

AUCTARIUM CHARTULARII

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

AUCTARIUM

CHARTULARII

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS UNIVERSITATIS PARISIENSIS

EDIDERUNT

HENRICUS DENIFLE, O. P.
ACADEMIARUM
VINDOBONENSIS BEROLINENSIS PRAGENSIS
GOETTINGENSIS SOCIUS

AEMILIUS CHATELAIN
IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS PARISIENSIS
CONSERVATOR ADJUNCTUS,
PALAEOGRAPHIAE LATINAE IN SORBONA MAGISTER

TOMUS II

LIBER PROCURATORUM NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)

AB ANNO MCCCCVI USQUE AD ANNUM MCCCCLXVI

PARISIIS
APUD FRATRES DELALAIN
VIA A SORBONE DICTA

ANNO M DCCC LXXXXVII

LIBER
PROCURATORUM
NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)
IN
UNIVERSITATE PARISIENSI

EDIDERUNT

HENRICUS DENIFLE, O. P.
ACADEMIARUM
VINDOBONENSIS BEROLINENSIS PRAGENSIS
GOETTINGENSIS SOCIUS

AEMILIUS CHATELAIN
IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS PARISIENSIS
CONSERVATOR ADJUNCTUS,
PALAEOGRAPHIAE LATINAE IN SORBONA MAGISTER

TOMUS II
AB ANNO MCCCCVI USQUE AD ANNUM MCCCCLXVI

PARISIIS
APUD FRATRES DELALAIN
VIA A SORBONE DICTA

ANNO M DCCC LXXXXVII

INTRODUCTIO

Anglicanae nationis Memorabilia in Introductione primi voluminis exposuimus, ejusdem auream aetatem temporibus antiquis depingere conati. Cujus idem fere vigor in principio hujus voluminis cernitur, si excipias celebres magistros praeter Henricum de Gorchem tunc deesse, sed mox evanescet. Priore decennio adhuc in flore virium natio apparet, dum multa supposita e regionibus septentrionalibus, scil. ex Alemannia, Hollandia, Suecia, Hungaria, Anglia, Scotia, Parisiensem Universitatem ad studia peragenda eligunt. At ab an. 1418-19 res aliter cessit. Tunc Parisiacam urbem, magnis terroribus impletam, Franci ipsi, immo maxime alienigenae reliquerunt. Natio nostra magis ac magis vacuatur, cum veteres incolae in dies singulos abeant, novi raro adveniant. Tum determinantes ad infimum numerum redacti [1]; aliquibus annis non ultra duos [2], etiam unus [3] admissus.

Scoti omnes circa an. 1420 urbem deseruerunt, excepto uno Rogero de Edinburg, qui ipse an. 1429 ultimus Scotus defunctus est [4]. Cum Parisiis dominarentur Angli, qui Scotorum regem Jacobum usque ad an. 1424 captivum retinuerunt, Scoti signa Caroli delphini regno pulsi sequi maluerunt [5]. Sed ne Angli quidem numerum amissorum in natione studentium expleverunt.

Anno 1434, cum duobus tantum suppositis Anglicana natio constaret, ejus vocem in deliberationibus facultatis artium abolere tentaverunt Normanni [6]. Postremo propter mortalitatem natio Anglicana tota exstincta est, nisi bedellus Boemundus Theoderici de Lutrea, solus superstes, bona nationis immobilia et quicquid mobilium restabat sacco involutum conservavit. Haec desolatio a mense Julio an. 1438 usque ad an. 1439, April. 3, praevaluit; quo termino duo ad nationem reversi sunt, Jacobus Winthorst et Johannes Bonrode. Sed mox solus Winthorst invenitur, cui supervenit Albertus Scriptoris, et ambo de principatu inter se certant, librumque nationis objurgationibus mutuis implent. Ab anno 1443

1. Excepto an. 1427, quo determinantes 18 inveniuntur, fere omnes e dioec. Trajectensi vel Aboensi.

2. Ex. gr. an. 1422, 1425, 1431, 1433, 1436.

3. Ex. gr. an. 1423, 1434, 1435, 1438.

4. *Auct.*, II, p. 425, 34.

5. Vid. de Beaucourt, *Histoire de Charles VII*, t. I, p. 305 sqq.; 308, 320, 331, 335.

6. *Auct.*, II, p. 479, 2 et not. 1. Cf. infra docum. III, p. xiii.

determinantes rursus inveniuntur, sed rari nantes in gurgite vasto. Tunc enim in Francia viguit *Pragmatica sanctio*, qua solis Francigenis, non exteris, provideri potuit. Non amplius Universitatis rotuli ad papam missi sunt. Cum natio Alemaniae conata est rotulum, scil. an. 1448, mittere, multis difficultatibus objecta est[1]. Unde patet quo jure *pragmaticae sanctioni* ea natio adversata sit, sicut in hoc volumine saepius apparet. Hic rerum status, etiam post tranquillitatem recuperatam, minime studentes allicere poterat. Nihilominus ab an. 1445 determinantium crescit numerus, et simul licentiatorum et incipientium. Paulatim illam, quam ante an. 1418 habuerat faciem natio resumit.

Nulla in facultate artium natio ceciderat quantum Anglicana[2]. Cum ex peregrinis constaret, pauciores studentes numerabat quam Gallicana[3] in quam accurrebant Franci, praesertim urbi Paris. proximi. Quod autem nationi Anglicanae plane, immo vehementius quam magnum Schisma nocuit, tempus est dissensionum ac mortalitatum in Francia vigentium.

Desolationis hujus consequentia ne miratus sis. Quemadmodum in monasteriis aetatis illius, propter calamitates innumeras afflictis, vacuatis fere monachis, turbatio grassata est, divinum servitium deminutum, ita in Anglicana natione antiqua statuta de electione procuratoris vel receptoris, de scholis a magistris regentibus petendis, violabantur. Quoquo modo poterant vivebant. Idem procurator multos menses occurrit, vicesque cum receptore alternat. Annos invenias in quibus nullus magister scholas petiit; tunc scholas nationis vel natio Normannorum vel tabernarius occupavit. Receptor factus est aliquis vix magisterii compos. Determinaverunt in natione sive licentiati sunt scholares sub quocumque alienigenae regionis magistro.

Nihilominus volumen praesens priore utilius est, si minus ad supposita Anglicanae vel Alemannae nationis cognoscenda, at certe ad historiam facultatis artium ac totius Universitatis. Procuratores, jam tempore Schismatis, multo plura quam necesse erat in regesto suo scriptis mandare consueverunt. Sequentes iter ab antecessoribus monstratum secuti sunt. Quando desolata remansit omnino natio, pauca de natione referenda fuerunt, vice versa plurima de Universitate et saepe de Francia notaverunt. Sic liber procuratorum nationis Alemaniae factus est quasi chronicus de rebus Universitatis, non raro Franciae, et ea consuetudo, via semel inita, etiam observata est post relevatam nationem. Unde contigit quod in hoc volumine haud pauca maximi momenti quoad Universitatem invenimus, quorum frustra vestigia ex aliis fontibus quaesieris. Sic *Auctarium* non modo necessarium locum in historia Universitatis Paris. obtinet, sed etiam inter Chronica Franciae hujus temporis honeste collocatur.

1. Vid. infra p. 709, 20 sqq.; 710, 27; 711, 41 sqq.; 714, 19, sqq.; 733, 33.

2. Tunc etiam in Universitate Bononiensi natio Alemanniae valde deminuta suppositis erat, imprimis an. 1441-1447 (Vid. *Acta nationis germanicae in Univ. Bonon.* ed. Friedmann et Malagola, ad hos annos).

3. Sic natio Gallicana an. 1431, in rotulo ad Eugenium IV misso, non minus quam 144 supplicantes enumerat (Bulaeus, V, p. 408).

Hoc tempore nomen nationis mutatum est : ex Anglicana facta est natio Alemanniae vel Almaniae. Quo nomine ut quidam procuratores in tomo I citati[1] praeter consuetudinem jam usi erant, sic an. 1410 Johannes de Montfort et Albertus de Novimagio, an. 1412 Georgius de Noremberga utuntur[2]. At ab anno 1437 fere semper « natio Alemanie » vel « Almanie » vel « Almanorum » nuncupatur[3]. Postea pauci procuratores morem antiquum retinuerunt, sicut Albertus Scriptoris[4] an. 1441-42, fortasse ut nationem aliter ac rivalis Jacobus Winthorst nominaret; et Jacobus de Gouda[5], an. 1443, verisimiliter quia vetus in natione, procurator primum an. 1426, nomen antiquum scribere solebat. Anno 1446, Januar. 4, natio deliberavit « de mutando sigillo, eidem arma Imperatoris et nomen *Almanie* inscribendo[6] », sed huic proposito supersedendum esse duas ob causas conclusit, scilicet ne propter « treugas » inter reges Franciae et Angliae pax turbaretur, et ne privilegia papalia vel regalia nationi concessa cum nomine Anglicano jam vana fierent. Sic vetus sigillum diutissime post mutatum nationis nomen antiquam inscriptionem conservavit[7].

Pauca etiam dicenda de rusticitate linguae quam usurpabant procuratores. Jam in tomo I quam horride latinum sermonem quidam corrumperent, observavimus. Idem in hoc apparet, at in pejus etiam nonnulli descenderunt. Cujus depravationis mirum exemplum praebet Robertus de le Poele an. 1446, qui sententias construere nequit. Illum maxime attingit vituperatio pronuntiata a Guillelmo Fichet in epistola ad Robertum Gaguinum[8] : « desuefacta a latinitate schola Parisiensis, ad sermonis rusticitatem omnis pene deciderat ».

Saepe procuratores gesta nationis inscripturi genio indulgebant, sicut videre est aliquando in paginis vacuis relictis[9]. Exemplum optimum praebet Regestum Arch. Univ. n° 8, fol. 28^{b}-29^{a}. Paginae jocis replentur gallicis, latinis, germanicis vocibus et sententiis temere conjunctis; ecce specimen latini sermonis cum germanico mixti :

Qui plus vult *teren*[10]
Quam suum *plouch*[11] potest *eren*[12]
Tunc sequitur *stelen*[13]
Post hoc *hanghen bi der kelen*[14].

1. Vid. *Auct.*, I, p. XIV-XV.
2. *Auct.*, II, 66, 17 sqq.; 71, 15 sqq.; 130, 23; 159, 17, etc.
3. *Ibid.*, p. 495, 12.
4. *Ibid.*, p. 519, 14 sqq.; 522, 5.
5. *Ibid.*, p. 592, 35.
6. *Auct.*, II, p. 636, 25.
7. Vid. *Auct.*, I, p. XV.
8. Vid. *Épître à Robert Gaguin... sur l'introduction de l'imprimerie à Paris* (Reprod. héliographique de l'exemplaire unique... de Bâle, p. p. L. Delisle, 1889).
9. Notum est scriptores Medii aevi horrorem vacui habuisse et spatia vacua nugis saepe complevisse. Vid. W. Meyer, *Glossen zu einigen juristischen Handschriften in Goettingen* in *Nachrichten der K. Gesellschaft der Wissench. zu Goettingen*, Phil.-hist. Kl., 1894, n° 4, p. 343 sqq.
10. I. e. *zeren*, consumere.
11. Seu *phlnoc*, aratrum.
12. Scil. *ern*, arare.
13. I. e. furari.
14. I. e. post hoc suspendi in patibulo.

Ex iis qui in fine voluminis I vivebant unum usque versus finem hujus reperimus, videlicet Boemundum de Lutrea, bedellum jam anno 1392, defunctum in eodem munere an. 1453 inter festum S. Catherinae (Nov. 25) et S. Nicolai (Dec. 6)[1]. Is domos suas nationi Alemanniae legavit. Post eum bedellus major electus est Brechterus qui breviore fortuna usus est, jam an. 1461 mortuus[2].

Praeter res nationis Anglicanae aut Universitatis, multa non parvi pretii in hoc libro continentur. Antiquitatum Parisiacarum curiosis spicas colligere licebit. Notas uberiores[3] textui adjecimus quam ut longius hic lectorem traheremus; satis sit memorare, nonnulla de viis, domibus, aedificiis collegiorum afferri.

Tabernas Parisienses, in quibus prandia nationis fiebant vel procurator nove electus guttura popularium suorum irrigabat, in priore volumine[4] enumeravimus. In hoc nomen tabernae rarius datur, tamen in tractu sexaginta annorum sive procurator sive receptor nonnullas in librum suum retulit. Exempli gratia nominantur tabernae *prope Castelletum*, *in cervo*, *in cygno*, *in delphino*, *in epitogio*, *in salmone*, *in scuto argenteo*, *in scuto Britanniae*[5], quas jam vidimus.

At sequentes priori catalogo addendae[6] :

In angelis (900, 38) seu *in duobus angelis* (777, n. 2);

In aranea (782, n. 2);

In balista (737, n. 3; 897, 40);

In campana parsisca (956, 30, 33), quae videtur eadem fuisse ac taberna *in campana blavea* (901, 30) vel *in blavia campana* (897, 9);

In tribus candelabris (323, n. 2; 425, n. 1; 698, n. 3). Hujus tabernarius antiquas scholas magnas nationis Anglicanae conducebat, pro quibus duas libras quotannis solvebat. Saltem annis 1425-47 scholae praedictae tali usui servierunt;

Ad intersignium *Sanctae Catherinae*, in vico Citharae (433, 45);

In corona (806, n. 3; 897, 7; 900, 21; 956, 25);

In cuna vel *cunis* (917, 21, 23), quam quidam nominabant *in cunabulis* (897, 25, 33, 35; 898, 7, 19) sive *in cunabuli* (830, 40), *in cunabolo* (797, n. 1) vel *in cunabulo* (792, n. 4), secundum notitiam latinae linguae qua quisque pollebat;

In sancto Dionysio (906, 37);

In disco (900, 43; 906, 24; 909, 41); *in disco stanneo* (930, 29);

1. Vid. infra, p. 901, not. 7.
2. *Ibid.*, p. 933, 43.
3. Cum *Auctarii* tomum II ante *Chartularii* t. IV typis mandaverimus, aliquando evenit ut notae illae e *Chartul.* emendationem requirerent. Vid. *Addenda*.
4. *Introd.*, p. LVIII-LX.
5. Vid. p. 897, 21; 695, n. 1; 911, 45; 905, 17; 511, 26; 241, 16; 908, 36; 908, 4.
6. Nec mirum si, dominantibus Anglis, novae tabernae non inveniantur, cum earum numerum a 60 ad 34 redegerit Henricus VI an. 1430, Feb. 23. De quo vid. FRANCISQUE-MICHEL et Ed. FOURNIER, *Histoire des hôtelleries, cabarets*, etc., II, p. 5.

In sancto Ludovico (821, n. 1); vel *in ymagine sancti Ludovici*;
In intersignio *beati Michaelis* (927, 3);
In molendino, circa Sanctum Severinum (896, 23);
In mula (670, n. 8; 795, n. 1; 897, 17);
In pavone (667, n. 2; 760, n. 6; 782, n. 2);
In platella (795, n. 2);
Taberna *ad pomum de pino*[1], in Civitate, celebris « propter bonitatem vini » (49, 48);
A la trosse vace [i. e. *trousse-vache*][2] (612, n. 7).

Manuscripti libri procuratorum qui huic volumini edendo servierunt perincommode lacunis non paucis hiant. Ad eas quodammodo complendas, liber receptoris[3] multum profuit ab an. 1425, saltem ut nomina suppositorum ad examina admissorum suppleremus. Ab anno 1452 nihil nisi librum receptoris[4] habemus, unde extraximus quidquid ad nomina examinatorum, procuratorum, rectorum Universitatis, cognoscenda utile erat. Ab an. 1465 iterum libri procuratoris fragmento uti licuit. Praeterea e libro pergameno nationis (Bibl. nat., nouv. a. l. 535) statuta quaedam edidimus.

Liber procuratoris vel receptoris fons praecipuus fuit unde elenchum rectorum hujus temporis in *Chartulario*[5] corrigeremus. In libro procuratorum nationis Anglicanae, velut in libro simili nat. Gallicanae, electiones rectorum, saltem in decenniis ultimis, annotantur; quas quidem fidelius memoratas repperisse voluissemus; disputationes etiam occasione electionum ortae fuse describuntur; in libro receptorum de rectore agitur quando summa pecuniae rectori « pro cappa » solvitur, scilicet duo solidi pro quovis incipiente.

Gratias agimus Carolo Schrauf, Vindobonensi, ac Georgio Erler, Lipsiensi, qui de quibusdam nationis suppositis et de nonnullis eventibus in textu *Auctarii* narratis utilia cum nobis communicaverunt.

Quamvis *Auctarium* multis notis illustratum sit, tamen quaedam restant propter spatium omissa, quae huic praefationi subjicere volumus[6].

I. Statuta facta a scholaribus in *domo Scarensis ecclesiae* commorantibus, scilicet in vico Brunelli *ad imaginem Nostrae Dominae*[7]. Cum inter subscriptores inveniatur Ziggo Odonis

1. Eadem videtur taberna quam improprie « ad pomum spine » quidam nominabant. Vid. *Auct.*, I, 138, 15.
2. Cf. Jaillot, *Recherches*, etc., t. I, *Quartier S. Jacques de la Boucherie*, p. 73.
3. Arch. nat. Paris., H 2587.
4. *Ibid.*, H 2587 et 2588.
5. T. IV, *Introd.*, § vi.
6. Ea quae respiciunt vim nationis tempore Schismatis ab anno 1407 et in Concilio Constantiensi reservamus tomo quinto *Chartularii*. Postea debilior fuit natio quam ut legatos ad Concilia solemniter mitteret.
7. De qua domo cf. *Auct.*, I, p. lxv; II, p. 6, 1; 8, 43; 11, 22; 13, 44; 534, 15.

(Uddson), postea episcopus Scarensis, cui natio Anglicana an. 1407, Mart. 6, praedictam domum ea condicione concessit ut provinciae Almaniae se incorporaret, circa idem tempus condita esse statuta illa concludendum.

II. Universitas Paris. papae supplicat ut Johanni de Arnhem, doctori in theologia, jam pluribus legationibus functo, novissime ambassiatori in curia Romana, beneficium tanto viro dignum tribuatur. Cum magister ille a curia reversus esset[1] an. 1428, ante Aug. 16, ad illud tempus epistolam remittimus.

III. Periculum Anglicanae nationi imminens an. 1434, quo Normanni eam, utpote ad duo supposita reductam, ex Universitate excludere tentaverant, jam diximus. Itaque magni momenti judicandum instrumentum quo nationis Anglicanae procurator Albertus Vorden ac receptor Olavus Magni, soli superstites in natione, coram praeposito Paris. causam adversus Normannos an. 1434, Sept.-Oct. moverunt, praesertim cum neque Bulaeus neque Jourdain verbum de eo fecerint.

IV. Universitas Paris. capitulo et archiepiscopo Upsalens. commendat Laurentium Olavi, canonicum Upsalens., rectorem ecclesiae de Thuna, injuria vexatum quod in beneficio suo non resideret, Parisiis studia perfecturus. Qui quidem an. 1436 jam baccalareus in artibus ex Universitate Pragensi in nationem Anglicanam admissus est, mox licentiatus ac magister in artibus[2]. Cum Parisiis non ultra an. 1437 inveniatur, epistola supradicta an. 1436-37 reputanda est.

V. Universitas Paris. episcopo et capitulo Aboens. gratulatur quod Olavum Magni, archidiaconum Aboens., baccalareum in theologia, ad praeposituram nominaverint. Quia autem Olavus anno 1437, Januar. 22, singulos Anglicanae nationis magistros ad principium suum (i. e. primum cursum Bibliae) et prandium invitavit[3], jam praepositus, dum an. 1436, Sept. 24, procurator nationis electus, titulo tantum archidiaconi se designet[4], circa principium an. 1437 scripta fuit epistola commendatoria.

VI. Jacobus Winthorst de Hamborch, Bremensis dioecesis, procurator nationis Anglicanae, jam provectior aetate, ab Universitate commendatur Imperatori, ut archiepiscopus Bremensis Jacobum respiciat. Ab an. 1439, April. 27 usque ad an. 1444, April. 6 saepius procuratoriam exercuit Jacobus, at an. 1444, Febr. 9, primum se nominat baccalareum in theologia, quo titulo caret in epistola commendatoria. Itaque ea inter annos 1439-1443 composita est.

1. *Auct.*, II, 385, 41.
2. *Ibid.*, II, p. 491, 25; 494, 33, 40.
3. *Auct.*, II, 493, 15.
4. *Ibid.*, 489, 15.

I

Quoniam lex prodest ut appetitus noxius sub regula limitetur, per quam quilibet, ut honeste vivat, alterum non ledat, jus suum cuique tribuat, informatur, sane scholares in *domo Scharensis ecclesie « ad ymaginem Nostre* [*Domine*] » in vico Brunelli commorantes, statuunt infrascripta inter se fideliter observanda.

Primo statuunt, quod quicumque socio suo verba obprobriosa, injuriosa aut contumeliam intulerit, solvat burse unum francum et injurias passo satisfaciat secundum dicta sociorum; quod si noluerit, recedat a societate et a domo.

Item statuunt, quod quicumque socium suum invaserit et ipsum de facto verberaverit, solvat burse duos francos et secundum enormitatem facti juxta dicta sociorum, satisfaciat leso aut a societate recedat. Et si contingit aliquem aliquo istorum modorum jam dictorum penaliter exire non satisfaciendo burse aut parti lese, volunt quod solvat de anno pro famulo et domo, carebitque toto jure quod in utensilibus et provisionibus habuit pro tempore factis.

Statuunt tertio, quod quicumque ultra porcionem suam, sive in mensa sive extra, vinum habere voluerit, capiat supra dicam suam et societati secundum conscienciam suam computabit; cujus quidem dice una pars penes famulum, alia penes dominum remaneat, statimque recepto vino dicabitur receptum.

Item, quod quis recipit de bursa pro hospitibus suis solvat sicut burse constat.

Item, hora prandii si aliquis extraneus supervenerit, ipse cujus racione dinoscitur venire, si comederit, pro ipso satisfaciat. Si vero non plus racione unius quam alterius quis supervenerit, nulli computabitur.

Item, nullus meretrices infra domum introducat. Quod si fecerit, solvat burse unum francum, et carebit omni jure quod habuit vel habet in utensilibus et in provisionibus pro tempore factis, et a domo recedat, nichilominus pro domo et famulo de anno soluturus.

Item, nullus portam seu hostia nostra injuriose aut violenter infringat, sibi vinum vel alia usurpando; quicumque fecerit solvat burse unum francum, et reparet seu reparare faciat fracta, restituatque ablata; quicumque noluerit, a societate recedat, carendo omnibus, ut prius, pro domo et famulo nichilominus soluturus. Quicumque autem casualiter vel voluntarie fregerit vitra vel alia, restituat meliora vel saltem eque bona.

Item, nullus verberabit famulum nostrum nec sibi verba oprobriosa injuste obiciat. Quicumque fecerit, leso satisfaciat et burse secundum facti exigentiam et sociorum dicta. Qui famulus precipue serviat preposito; et nullus mittat extra famulum tempore quo cibaria habet preparare, nisi alter ad ea respexerit usque ad reditum suum. Item, si plures concurrunt in rogando ipsum sive mittendo, qui prior est tempore, potior est jure.

Item, nullus in aliquo loco infra portam nisi in latrinis mingat, vel in potto, ipsum postea ad latrinas deportando, propter malos fetores evitandos, nec alias immundicias quascumque ibidem ponat. Quicumque autem fecerit, juxta dicta sociorum emendabit.

Item, quicumque in ebdomada per aliquem diem se abstinuerit vel jejunaverit, tota societate non tamen jejunante, reddantur sibi pecunie pro isto die, et sibimet providebit.

Item, nullus se intromittat de lignis, singulariter ad suam cameram portando, aut alia quovis modo ad proprium usum applicando, sed maneant pro bono communi, videlicet preparando cibaria vel, omnibus simul existentibus et volentibus, in aula comburendo.

Item, singuli componant pro provisionibus faciendis in vino, lignis et aliis necessariis. Et si contingat aliquem sociorum recedere ante earum consumptionem, non delicti causa in domo commissa, si fuerit in vino et ante apercionem ejus, socii remanentes reddant sibi portionem suam in pecunia quanta sibi competere potest. Si autem post apercionem ejus recesserit, ut premittitur, et vinum notabiliter pejoratum sentitur, solvatur sibi minus, secundum judicium duorum in tali materia expertorum. Residue vero provisiones et utensilia, que ipsum contingere possunt, sibi restituantur.

Item, si durante ista societate jam contracta, Deus aliquem revocaverit ab hac vita, socii superviventes sibi subveniant honorifice, ejus corpus tradentes sepulture, assistentiam omnem quam valent eidem impendendo. Etiam quilibet de superviventibus tres vigilias, tot psalmos penitentiales pro anima defuncti legat, et tres missas celebrabit aut celebrari procuret infra lapsum trium ebdomadarum a die obitus computandarum. Illis ebdomadis tribus elapsis, quicumque hoc non fecerit, ab esu carnium, usque dum totaliter compleverit, abstinebit.

Et ego Siggo Odonis, predicte domus procurator, propria manu me subscribo, volens et sub bona fide promittens me omnia et singula suprascripta inviolabiliter observare.

Et ego Gunno Andree propria manu me subscribo, volens et sub bona fide promittens me omnia et singula suprascripta inviolabiliter observare.

Et ego Henninghus Roestede propria manu me subscripsi, volens et sub fide bona promittens me singula suprascripta inviolabiliter observare.

Et ego Henricus Everaerdi de Yselstein propria manu me subscribo, volens et sub bona fide promittens me singula supradicta inviolabiliter observare[1]. [Circa an. 1407

II

Pro magistro Johanne de Harnem ad dominum nostrum.

Non ignotam arbitramur vestre sanctitati, beatissime Pater, singularem et egregiam virtutem magistri Johannis de Harnem[2] dicti de Arnhen, theologie doctoris, quem novissime ad eandem vestram sanctitatem destinavimus, quique antea plurimas solemnes nostre Universitatis ambaxiatas exercuit. Necdum autem suis strenuis laboribus reddita sunt premia, necdum beneficia sue competentia dignitati assequi potuit, quinymo beneficiis per eum acceptatis, interventu quarundam declarationum, nuper ejectus est humil[l]ime. Supplicamus, Pater beatissime, ut percelebrem gradum ejus, scientiam,

1. Originale membranaceum in Arch. nat. Paris. M 73, n° 16.

2. *Minuta :* « Harnen », hic et supra, sed notum est Johannis nomen.

prudentiam susceptosque labores oculo misericordie intueri dignetur vestra beatitudo, atque beneficium aliquod, cum oportunitas dabitur, eidem liberaliter impartiri. Hoc enim nostre Universitati acceptissimum munus erit, gratissimumque, ut arbitrabimur, in ea re Deo prestabit obsequium eadem vestra beatitudo, cujus votis felicibus clementius aspirare dignetur Jhesus Christus[1].

[Circa an. 1428

III

A noble homme et saige monseigneur le prevost de Paris, conseiller du Roy nostre seigneur et commissaire dudit seigneur en ceste partie, Guillaume de Buymont, premier huissier de parlement, le tout vostre honneur, service et reverence avèques toute obeissance.

Mon tres chier et honoré seigneur, plaise vous savoir moy avoir eu et receu certaines lettres royaulx à vous et moy adreçans, contenans fourme de complainte en cas de saisine et de nouvelleté, données en date le XXe jour d'Octobre[2] l'an de grace mil CCCC et trente quatre, signées R. Joudrier, obtenues et impetrées de la partie de venerables et discrètes personnes messeigneurs les procureur, maistres et escoliers et suppostz de la nacion d'Angleterre en l'Université de Paris, complaignans et consors en ceste partie, demandeurs, d'une part, à l'encontre de venerables et discrettes personnes maistre Jehan Candel, nagaires procureur de la nacion de Normandie, maistres Robert Cibole, Pierre Gerland, Robert Juliane, Jehan Aubin, Bertran de Landelles, Michiel François et autres de ladite nacion de Normandie et aucuns autres, pour les causes plus à plain contenues et declairées esdites lettres royaulx, ausquèles ceste moye presente relacion est attachée en marge soubz mon seel. Par vertu desquèles lettres et à la requeste de honnorable homme et saige maistre Albert de Vorden, maistre ès ars, procureur, come il disoit, de la dite nacion d'Angleterre, nommé esdites lettres, Je, le mardi V^e jour d'Octobre l'an mil CCCC trente quatre, pour mettre à execucion deue le contenu esdites lettres, me transportay ou priouré de Saint Julien le Povre situé à Paris assez près du carrefour Saint Severin, ouquel lieu je trouvay là assemblez messeigneurs les recteur et pluseurs maistres escoliers et autres suppostz de l'Université de Paris de plusieurs nacions en grant nombre. Entre lesquèles nacions estoient partie de ceulx de ladite nacion d'Angleterre et aussi partie de ladite nacion de Normandie, dont et desquèles deux nacions d'Angleterre et de Normandie lesdites lettres royaulx font plus à plain mencion; entre lesquelx d'icelle nacion de Normandie je trouvay illecques lesdiz maistres Jehan Candel nagaires procureur de ladite nacion de Normandie, Robert Cibole, Michiel François, Robert Juliane et Bertran de Landelles, aussi nommez esdictes lettres royaulx. Ouquel lieu et assemblée, en la presence dudit monseigneur le recteur et de tous les autres maistres, escoliers et autres suppostz de ladite Université lors estans assemblez audit lieu de Saint Julien le Povre, je fis ostencion et lecture desdites lettres de mot à mot à haulte voix. Et ce fait à la requeste et instance dudit maistre Albert de Vorden procureur de la dicte nacion d'Angleterre, je adjournay et assignay jour ausdiz maistres Jehan Candel nagaires procureur, come dit est, de laditte nacion de

1. *Minuta* chartacea in Arch. nat. Paris., M 65^a, n° 26.

2. Sic Originale, at error patet. Potius legendum « Septembre ». Cf. infra p. 478, 44.

Normandie. Michiel François, Robert Cibole, Robert Juliane et Bertran de Landelles à leurs personnes, à l'encontre dudit procureur de ladite nacion d'Angleterre ou nom qu'il procèdes à estre et comparoir au landemain ensuiant par devant moy en l'église de Saint Cosme à Paris, à heure de trois heures après disner, pour tous lieux et choses contentieuses, dont et desquèles lesdictes lettres font mencion, pour par moy illec veoir executer lesdictes lettres royaulx et aussi pour veoir ramener à fait le contenu en icelles par ledit procureur de ladicte nacion d'Angleterre ou par son conseil ou nom qu'il procède. Tous lesquelx dessuz nommez ainsi par moy adjornez, come dit est, me requistrent copie desdictes lettres, laquèle je leur octroye, baillier au plus tost que je auroie executé, fait et acompli le contenu en icelles.

Et oultre, ledit mardi V^e^ jour dudit moys d'Octobre l'an dessuzdit, apres disner environ vespres chantées d'icellui jour, à la requeste dudit procureur de ladicte nacion d'Angleterre, pource que maistre Pierre Gerlant et maistre Jehan Aubin aussi nommez èsdictes lettres, qui sont de ladicte nacion de Normandie n'estoient ne furent point ledit V^e^ jour d'Octobre à ladicte assemblée dudit monseigneur le recteur audit lieu de Saint Julien le Povre, et que par lesdictes lettres royaulx ilz sont nommez parties adverses desdiz complaignans, je, ledit jour, me transportay ou collège de maistre Gervaise Chrestien à Paris pardevers et à la personne dudit Gerlant, et d'illec ou collège de Justice situé à Paris par devers la personne dudit maistre Jehan Aubin, ausquelx à leurs dictes personnes je exhibay lesdictes lettres royaulx l'un après l'autre èsdiz collèges dessuzdiz, et leur deis et notiffiay les adjournemens et explois que fait avoie dessuz ce dit jour avant disner audit lieu de Saint Julien aux dessuz nommez par moy adjornez, come dit est. Et apres incontinent je les adjornay, donnay et assignay jour, à la requeste que dessuz, à leurs dictes personnes, à estre et comparoir ledit landemain ensuiant à ladicte heure de trois heures après disner par devant moy audit lieu de Saint Cosme à Paris, pareillement que je avoie fait cy dessuz les autres dessuz nommez par moy adjornez, pour par moy veoir, comme dit est, executer lesdictes lettres royaulx, et aussi pour veoir ramener à fait pardevant moy l'effect et contenu en icelles par ledit procureur desdiz complaignans ou par leur dit conseil pour eulx, à l'encontre de ceulx de la dicte nacion de Normandie, et par especial contre tous lesdiz adjournez. Lesquelx Gerlant et Aubin me requistrent copie desdictes lettres, laquèle je leur accorday, baillier mondit exploit fait et accompli.

Et depuis, ledit landemain ensuiant, qui fut le VIe jour dudit moys d'Octobre l'an dessuzdit, acompaignié dudit maistre Albert de Vorden, maistre ès ars dessuz nommé et soy disant et portant procureur, maistre Olave Magni, maistre ès ars, soy portant receveur de ladicte nacion d'Angleterre, et aussi de honorable homme et saige maistre Germain Rapine advocat et maistre Jehan Fosse procureur, conseillers en ceste partie ou Chastellet de Paris desdiz complaignans, me transportay audit lieu de Saint Cosme à ladicte heure de trois heures apres disner, tous d'une part; et aussi d'autre part vindrent et comparurent ausdiz lieu, jour et heure en leurs personnes lesdiz maistres Jehan Candel, Pierre Gerlant, Bertran de Landelles et Michiel François, tous de ladicte nation de Normandie, lesquelx je y avoie adjornez, et autres, comme dit est dessuz. Et ce fait, ledit procureur desdiz complaignans à grant diligence me requist l'enterinement desdictes lettres, en moy requerant que d'icelles je feisse lecture en la presence desdiz maistres Jehan Candel, Pierre Gerlant, Bertran de Landelles et Michiel François dessuz nommez, laquèle lecture desdictes lettres je fis lors à haulte voix de mot à mot. Et après ce, je demanday ausdictes parties tant à l'une partie que à l'autre, se ilz estoient fondez souffisaument de procuracion pour demener leurs dictes causes dont et desquèles icelles lettres font plus à plain mencion. Et lors de la partie desdiz demandeurs et complaignans par la bouche dudit

maistre Albert me fu dit et respondu qu'il estoit procureur desdiz complaignans et de leur nacion d'Angleterre bien et souffisaument fondé, et que de ce il en feroit et fera bien et deuement apparoir pardevant vous, mondit seigneur le prevost, ou vostre lieutenant, quant mestier sera ; et disoit que ceulx de la dicte nacion de Normandie et mesmement les dessuz nommez adjornez ne le povoient ou devoient ignorer.

Et aussi je demanday aux dessuz nommez de ladicte nacion de Normandie, se ilz estoient aussi deuement fondez pour leur dicte nacion, lesquelx me respondirent que leur intencion n'estoit point de moy exhiber leur procuracion ne de eulx aucunement fonder procureurs en ceste besongne pardevant moy, ne aussi de aler plaidier ne proceder aucunement pardevant vous, mondit seigneur le prevost, ou vostre lieutenant, pour les cas, faiz et choses dont lesdictes lettres royaulx font mencion. Après laquèle response ainsi par eulx à moy faicte, ledit procureur d'iceulx complaignans de rechief me requist que je meisse à execucion lesdictes lettres selon leur fourme et teneur. Et par executant icelles lettres, à la requeste que dessuz, je appellay à haulte voys, come en telz cas est acoustumé, tous les dessuz nommez adjournez, tous lesquelx respondirent et comparurent pardevant moy, comme dit est, excepté lesdiz maistres Robert Cibole, Jehan Aubin et Robert Juliane, lesquelx ne comparurent point pardevant moy audit lieu de Saint Cosme à la dicte heure de trois heures dessus dicte, nonobstant que je les eusse paravant adjornez. Et lors après ce que je et tous les dessuz nommez eusmes attendu grant temps pour savoir se ilz vendroient audit lieu et heure, icellui procureur d'iceulx complaignans par la bouche du dit maistre Germain Rappine, leur advocat et conseiller, me requist par pluseurs fois que je leur donnasse deffault contre lesdiz deffaillans, lequel default je leur octroye et donnay, en tant que faire le povoie ; et leur reservay de le plus amplement leur octroyer et donner ledit deffault et tel prouffit que au cas appartiendra par vous, mondit seigneur le prevost, ou vostre dit lieutenant, lesdictes parties comparans par devant vous ou grant auditoire dudit Chastellet de Paris. Et après ce fait, je ostay verbaument de par le Roy nostre dit seigneur tous les troubles, empeschemens, nouvelletez et autres choses faiz, mis et donnez en ceste partie par lesdiz deputez de ladicte nacion de Normandie et par especial par tous lesdiz adjournez dessuz nommez d'icelle nacion de Normandie au contraire et ou prejudice desdiz complaingnans et de leurs diz droiz, francises, libertez et autres choses plus à plain declairées esdictes lettres royaulx, les circonstances et dependences d'icelles. Et oultre je maintins et garday de par le Roy nostre dit seigneur lesdiz complaingnans, en la personne de leur dit procureur dessuz nommé, en la presence des dessuz nommez adjornez comparans lors en leurs personnes en ma presence, en toutes les possessions et saisines, drois, libertez, franchises et autres choses dont et desquèles lesdictes lettres de complainte font mencion. Et neantmoins les dessuzdiz adjornez ne autres de par ladicte nacion de Normandie ne se opposèrent point lors ne depuis aucunement qui soit venu à ma congnoissance, ne aussi à la congnoissance dudit procureur d'icelle nacion d'Angleterre. Et encores lors, à la requeste que dessuz, et aux personnes d'iceulx adjournez dessuzdiz je fis de par le Roy nostre dit seigneur commandement à tous iceulx deputez de ladicte nacion de Normandie que depuis cy en avant eulx et chascun d'eulx laissassent et souffrissent joir et user entierement iceulx complaignans ou leur dit procureur pour eulx de toutes leurs dictes possessions, saisines, franchises, drois, libertez et autres choses dont et desquèles icelles lettres royaulx font mencion, et tout par la fourme et manière que le Roy nostredit seigneur l'a voulu et octroyé ausdiz complaignans par icelles lettres ; et que tout ce ilz et chascun d'eulx deissent, notifiassent et feissent savoir à iceulx deputez de ladicte nacion de Normandie et à chascun particulier d'icelle si tost que on feroit assemblée particulière en icelle nation de Normandie, afin que aucun

d'icelle nacion n'en peust pretendre juste ignorance. Et oultre ce fait, aux personnes des dessuz-nommez adjornez lors comparans par devant moy audit lieu de Saint Cosme ledit VIe jour dudit moys d'octobre l'an dessuz dit, je fis inhibicion et defense de par le Roy nostredit seigneur ausdiz deputez de ladicte nacion de Normandie en general, et particulierement et par especial à tous les dessuzdiz ainsi par moy adjournez, come dit est dessuz, sur et en peine de cinq cens marcs d'argent à appliquer au Roy nostredit seigneur, à iceulx avoir et prendre sur leurs biens et temporelz, que doresenavant ilz ou aucun d'eulx ne troublassent ou empeschassent, ou feissent troubler ou empeschier en aucune manière, en tout ce que dit est dessuz et ou contenu esdictes lettres royaulx, iceulx complaingnans ou leur procureur pour eulx par quelxconques voies ou manières que ce soit ou peust estre, ou prejudice d'iceulx complaingnans ou de leurs dictes possessions, libertez, drois, franchises et autres choses plus à plain declairées esdictes lettres royaulx.

Et ce fait, le lundi XIe jour dudit moys d'Octobre l'an mil CCCC et XXXIIII dessuzdit, je adjournay lesdiz maistres Robert Cibole, Robert Juliane et Jehan Aubin deffaillans dessuz nommez à leurs personnes à estre et comparoir pardevant vous, mondit seigneur le prevost, ou vostre dit lieutenant, au XXe jour d'Octobre prouchain venant en vostre siège et auditoire ou Chastellet de Paris pour par vous ou vostredit lieutenant baillier et octroier audit procureur d'iceulx complaingnans ledit deffault ja par moy à lui octroié contre lesdiz deffaillans dessuz nommez au prouffit desdiz complaignans, et aussi pour plus à plain veoir par vous ou vostredit lieutenant maintenir et garder realment et de fait iceulx complaignans ou leur dit procureur pour eulx, en leurs dictes saisines, libertez, drois, franchises et autres choses plus à plain contenuees et declairées esdictes lettres royaulx, les circonstances et dependences d'icelles ; et aussi, se mestier est, pour respondre, dire et declairer les causes de leurs refuz et delay, et pour proceder, faire et aler avant sur tout ce que dit est et le contenu esdictes lettres comme il appartendra à faire par raison. Lesquelx me requistrent copie comme dessuz, et je leur octroye comme dessuz. Et tout ce, mon tres chier et honnouré seigneur, vous certiffie je estre vray et avoir fait tout selon la teneur desdictes lettres par ceste moye presente relacion, seellée et signée de mes seel et seing manuel desquelx je use et ay acoustumé user en faisant l'exercite de mondit office, faite l'an et jours dessuzdiz. — G. de Buymont [1].

[1434, Octobris 5-11

IV

Caritatem, viri clarissimi, non fictam, que deserat in adversitate, sed veram et perfectam, que in Christi fide per dilectionem operatur, vestris sinceritatibus inesse credimus. Hec enim vera germana est, perfecta et excellentior via, sine qua ambulare non possunt homines, sed errare ; hec est per quam saluti fratrum consulimus ; hec est per quam eorum pericula cogitamus ; hec tandem per quam eisdem, sicud nobis subveniri optamus, ita subvenimus. Quippe per vestras discretiones preclaras, virtutis hujus presidio, que omnium bonorum radix censetur, fratri vestro et concanonico subveniri

1. Originale membran. in Arch. Univ. Paris., theca XIV (Pap. de la nat. de Normandie) ; restat taeniolum membran. Bulaeus et Jourdain de illo tacuerunt.

non ambigimus, nostro videlicet supposito et scolari multipliciter jam oppresso, domino Laurentio Olavi, presbitero, rectori ecclesie parrochialis T[h]wna, pro cujus nostrique juris tuenda justitia, eodem zelo caritatis inducti, scribimus reverendissimo in Christo patri domino archiepiscopo Upsalensi in modum et formam que sequntur.

« Quam dignum, reverendissime pater, Christi ecclesie fructum afferat universorumque saluti percelebris virorum cetus studiosorum, vestra bene novit reverendissima paternitas. Hos etenim virtutum viros petierunt pro munere magno loca insignia atque preclare urbes, ubi quodam veluti mistico corpore in unum collecti, ad litterarum excercitia prodiere constituentes qua decuit approbatione famosissima studia seu potius *generales studiorum Universitates.* Illuc etiam undiquaque fluentes favor cunctorum benignissime complexus est, precipua vero suppremorum auctoritas, ceterorum regulis ademptis, preclaris insignivit libertatum dotibus, quibus privatis veluti legibus in studii quietem ducerentur; quarum nonnulle, sacris patrum et principum sanctionibus et edictis intercluse, in juris dudum communis vigorem notorium emerserunt. Porro longe ceteras antecellit pretactas Universitates tum vetuste auctoritatis fama fideli, tumque luce chorusca sui sparsim per orbem rutilantis fulgoris ac ceteris meritorum viribus immensis melius subticendis nostra hec Parisiensis Universitas; quam, et preter principum secularium amplos et justos favores, sedis apostolice favor supremus prerogativis et libertatibus liberali gratia affluenter dotavit. Quas inter libertates preclaras etiam jure ipso communi presignitas una hec est, ut nedum nostre communitatis studio insistentes, suis beneficiis abesse et eisdem, ut moris est, per commissos facere deserviri, etiam licentia suis a prelatis non obtenta, verius et integros fructus absentes valeant percipere eorundem. Que siquidem, antiquitate matura digesta, non sine studentium fructu comperto decore quieteque pensatis, stetit in edictum ducta perpetuum usuque diuturno longevissimi temporis approbata. Verum nobis retulit suppositum nostrum vestre diochesis, dominus Laurentius Olavi, presbiter canonicus Upsalensis et rector parrochialis ecclesie Twna, quod Domino disponente quamquam proposuisset et propositum adimplesset ad aliquod studium generale sed potius ad nostram hanc studii Universitatem accedere et in ejus fontibus exhaurire sapientie decus et fructum, prout Dominus ordinaret, petita etiam prius ac legitime intimata licentia speciali a vestre reverentie vicario vestras in remoto agente, nec non venerabili capitulo ecclesie vestre, cujus vicarii litteras quas vidimus sigillo curie vestre munitas sagaciter reportavit, eidem supposito nostro, hic moram apud nos agenti, nichilominus super innotuit (prout dicit) de mandato reverencie vestre adversus eum citationem emanasse seu processum talem qualem fuisse deductum, se eo penitus ignorante; quinymo ad usque quandam sententiam non absque sui injuria stetisse processum in ejus absentia contra juris seriem penitus atque formam, ob id solum (prout asserit) quia residentiam in suis beneficiis non agit personalem. Miramur siquidem, reverendissime pater, si sic res geratur, unde in nos juraque et supposita nostra tanta invaluit aut affectio aut simulatio equitatis, ut non attentis studii fructu glorioso nostrisque libertatibus preexpressis, et potius auctoritate apostolice sedis, processus hujusmodi valuerit suscitari. Profecto talem non intuemur processum equitate posse fulciri. Fertur enim fuisse citatus ad [h]allium pretoris aut ecclesiarum valvas vestre diochesis qui hic aput nos residebat, cujus persona, domicilium et loci tutissimus accessus cunctis patebant. Ad cujus siquidem notitiam (velut asserit, et verisimile perhibetur) citatio non deducta est. Discernant idcirco singuli, videant universi, qualis super hoc fundari valuerit processus, ubi citatio se invalida ad notitiam citati nulla parte venit; profecto quidquid inde secutum nullitatem tenere liquidissimum est. Tacemus citationis artum terminum pro locorum distantia eidem nostro supposito (ut fatur) indictum; preterimus sententiam talem qualem, quam intelleximus haud congruis temporis

intervallis, lite non contestata sed precipitio, ubi tamen de statu hominis agebatur, minus digeste stetisse secutam. Et si de contumacia nostri suppositi fiat verbum, ecce contumax non est qui citationem nec impedivit neque scivit. Ac si ulterius loqui congruat, contumaciam bene purgat pro causa non residentie, qui nostrum apud Studium notorie trahebat incolatum. Tandem cunctis mature digestis, in nostras cadere non valet estimationes, hujusmodi processus inepti vestram quoquomodo consciam fore reverendissimam paternitatem. Eapropter unanimes paternitatem eandem, quam justitie zelatricem credimus, duximus exorandam eamque voto supplici et affectu exoramus in Domino et hortamur, quatinus nostri contemplatione fructusque studii aput ecclesiam vestram favore divino futuri, ejusdem sollertia suppositi nostri, prefatos processus, monitiones, citationes, sententiam et alia inde secuta seipsis nulla casibus premissis, ut prefertur, nullius roboris existere declaretis aut saltim effectus eorum cessare prorsus et penitus faciatis, suorum beneficiorum fructus liberos, veluti antea percipiebat, ad sui studii continuationem eidem ad plenum expediri valido cum effectu precipientes, in hiis (arbitrio nostro) suppremorum Domino obsequium prestituri, justitieque et equitati cessuri, obtemperantes (ut fiducialiter speramus) auctoritati prefate jurium sacrorum et sanctissime apostolice sedis in dictis privilegiis nostris. Et nos pro ejusdem reverencie beneplacitis adimplendis reddemur parationes et affecti. Aliter autem in casu premisso pro nostris juribus, libertatibusque tuendis, cogeremur obices adesse, et conclusimus unanimiter suppositum nostrum protegere, eidem adherere et adjungi, ubicumque fuerit oportunum. Paternitatem vestram reverendissimam supremus omnium opifex ad sue ecclesie regimen longeve prosperare dignetur. Scriptum, etc. »

Et quoniam, egregii viri, rei hujus gr[avis] aput vos series innotiscitur, per ejus viscera caritatis immense, qui verum dilectionis enigma probatur, suis deserens ymitatoribus opus pariter et preceptum, vestras obtestamur, exoramus et hortamur in eodem caritates, ut equitatis lingua et opitulantis laboris effectu ad fratris vestri et suppositi nostri jac[turam] et oppressionem levandas, vires et operas taliter impendatis, ut previa justitia processus ille pretactus cum suis penitus adnulletur sequelis, quoniam et sic studiosa quiete frater ipse vester potitus, sapientie thesaurum absconsum ad vestre decus ecclesie atque fructum valebit reportare. Nos autem in eisdem et letos et vestris affectos beneplacitis valebitis reputare. Vestrarum autem discretionum clarissimas probitates Deus omnipotens conservare dignetur. Scriptum Parisius in nostra congregatione generali aput Sanctum Bernardum solemniter celebrata die xviij mensis Septembris.

Vestri rector et Universitas studii Parisiensis[1]. [1436-1437, Sept. 18

V

1° *Ad episcopum Aboensem*[2].

Si refamulari[3] oportet ei qui gratiam fecit, reverende pater, justa inducimur honestate paternitati vestre gratitudinis impense erga dilectum nostrum suppositum, magistrum Olavum Magni, pro viribus

1. *Minuta* chartac. in Arch. nat. Paris., M 65ᵃ, nº 39. Vid. infra, p. 491, 26, 40.

2. *Minuta* « Abonenoen ».

3. *Min.* « refalmulari ».

gratiarum rependere vices. Cum enim dileetionis fervor, quam ad viros studiosos geritis, speeiali beneficentia in eum dudum exeereisset, in tantum quod suorum meritorum (ut credimus) intuitu personam illius ad arehidiaeonatum magna earitate vos promovisse eognoverimus, et deinceps crescentibus in eo virtutum titulis, quibus apud nos in dies scientia et morum honestate non modicum eommandatur, ad altiora dignatus estis in nostre Universitatis (ut eerto eoneepimus) eontemplationem sublimare prepposituram, ad quam eum in ecclesia vestra venerabili preficere gratia speciali curastis, velud nostro eorpori magnum inpensum benefieium cum act[i]one su[s]eipimus gratiarum, reputantes nobis faetum exstitisse quod dileetissimo nostro supposito benignissime fecistis, cujus laudabilia studia per incrementa bonorum proficere conspieimus et ad laudem Dei et ecclesie sanete sue pariter et totius patrie vestre honorem peramplius profeetura speramus. Hunc autem vestre paternitatis alumpnum et nostre Universitatis venerandum suppositum, qui ad suorum meritorum cumulum in alma theologiea facultate baehalari[at]us eonseendit honorem, et quem suis excigentibus meritis in nostrum oratorem ad sacrum Basilie Consilium pro Alemanie veneranda naeione nuper deerevimus destinandum, benefieientie vestre deposeimus semper haberi commandatum, quatinus opportunis (ut optamus) temporibus valeat hie in nostro eetu vestre venerabilis eeelesie decora gerere et ad eepti studii fructus eolligendos ope vestra singulari virtuose eursum prosequi ae felieiter eonsummare, eoncedente Domino, qui vestram reverendam paternitatem gregi suo preesse eoncedat ad salutem. [Ineunte an. 1437

2° *Ad capitulum Aboense.*

Virtutis offieium esse putamus, venerandi domini, gratias ad illos habere, qui viros moratos et graves dignis attollunt benefieiis et secundum eorum merita eongruis proseeuntur honoribus. Aeeepimus itaque, pereelebres viri, a dilecto nostro supposito, magistro OLAVO MAGNI, in saera theologia baeealario, vos preter eas, quas dudum sibi eurialitates previas exhibuistis, nuper ob nostre Universitatis eontemplationem ae suorum meritorum exigentiam, ipsum concordi eleetione et unanimi eonsensu in vestre venerabilis eeelesie prepositum sublimasse. Quare de impenso co[min]us tanto benefieio pariter et honore, vobis et vestrum singulis, quantum plus ipsi valemus, gratiarum referimus aetiones. Arbitramur nempe [1], et indubie speramus, quod morum honestas ae eminentis ejus seientie elaritudo, quibus eum non modieum eommendabilem atestamur, eo magis aput vos per inerementa virtutum fulgebit quo majori inter vos prepoluerit dignitate. Merito [2] quidem (ut putamus) tenebit ve[r]bum illud Ecclesiastici [3] : « reetorem te posuerunt, esto in illis quasi unus ex ipsis et euram illorum habe », ut in dignitate sibi eommissa non minus eeelesie vestre ae totius patrie commoditatibus consulat quam honori. Nos autem ad vestra beneplaeita eetum nostrum offerimus, obsecrantes in Domino, ut, quemadmodum eepistis in eum bonam gerere voluntatem, ita et amplius perseverare euretis ad honorem Dei, qui det vobis de bonis operibus vestris fruetum eonsequi salutarem [4].

[Ineunte an. 1437

1. *Min.* « nampe ».
2. *Min.* « merite ».
3. *Eccli.*, XXXII, 1.
4. *Minuta* chartac. in Arch. nat. Paris., M 65ª, nº 119 (olim notata in Arch. Universitatis Paris. A. 33. uu).

VI

Inducit nos imperialis celsitudinis clementia, potentissime princeps et semper auguste, ut singulari confidentia viros litteris ac virtutum copia prefulgentes, vestre imperiose majestati commendabiles per nostras litteras designemus, quorum doctrinis et exemplis christiana religio et plebs numerosa fidelium in salutis portum valeat pervenire. Habemus quippe apud nos, princeps illustrissime, virum etate et morum compositione gravem, videlicet magistrum Jacobum Winthorst, in artibus magistrum, caput et procuratorem venerabilis nacionis Anglicane vel Alemanie in nostra Universitate, quem sua virtuosa conversatio et generosus instinctus ad omne bonum inclinatissimus[1] sic nobis dederunt gratissimum, ut pro ejus promotione vigili cura libenter insistamus. Hunc enim alumnum nostrum Saxonie inclita regio mundo edidit, et in [Bre]mensi diocesi, sacro fontis baptismalis latice regeneratus, fidem Jhesu Christi et gratiam operante Altissimo consecutus est. Qui tamen, provectior etate, nulla gaudet in Dei ecclesia provisione, nulloque potitur titulo quo suffragante ad sacros ordines promoveri valeat. Preces igitur fundimus humiles, invictissime princeps, quatinus dextra vestre clementie eidem auxilietur et... reverendissimo domino Bremensi archiepiscopo vestrum imperiale decus eundem recommendare dignetur; nedum recommendare, verum etiam placeat... reverendissimum patrem ad nostri venerabilis suppositi promotionem exhortari. In hoc enim imperiali diademati insignis concessa gloria, et in medio celestis Jherusalem solium excelsum ac [s]ceptrum indeficiens Supernus rex vobis pr[estabi]t. Qui in tantis mundi fluctibus ad exaltationem fidei militantisque ecclesie protectionem, vestram inclitam conservet majestatem, quam feliciter postmodum regnare faciat cum celorum agminibus jubilo laudeque perhenni[2]. [Circa an. 1439-1443]

1. Haec epistola sane scripta est invito Alberto Scriptoris, qui Jacobum Winthorst tam parvi aestimabat.

2. *Minuta* chartac. in fine partim evanida, in Arch. nat. Paris., M 65^{b}, n° 69 (olim in Arch. Univ. A. 3. xx).

Castellione juxta Balneolum, 27 Sept. 1897.

LIBER PROCURATORUM

NATIONIS ANGLICANAE

(ALEMANNIAE)

1407

(*Fol. 6 b*)[1] Acta in procuratoria mag. Henrici de Herwen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1407 secundum usum Romane ecclesie die XIIIº mensis Januarii hora nona super tribus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem novum, secundus erat ad audiendum compotum receptoris nacionis, tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem nacionis magister Henricus de Herwen nemine contradicente. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni differre compotum domini receptoris nacionis propter ejus absenciam. Quantum ad tercium supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus, cujus supplicacio concessa fuit ab omnibus.

Celebrata congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die prima mensis Februarii, scilicet in vigilia Purificacionis beatissime Dei genitricis Domine nostre, immediate post vesperas, in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, super duobus articulis. Quorum primus erat ad intimandum magistris nacionis ut, si quis vellet inrotulari in rotulo Universitatis Parisiensis ad collacionem prelatorum ecclesię gallicane propter substractionem beneficiorum factam a Petro de Luna, quem Gallici diu pro papa Benedicto nuncupato coluerunt, quod quilibet volens inrotulari dare haberet suum nomen magistro Gherardo Domheer[2], baccallario formato in sacra theologia. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni quod quicumque magister nacionis vellet inscribi et inrotulari, quod in nomine Domini inscriberetur, sed non per modum nacionis. Quantum ad secundum articulum nichil, quia nullus supplicavit.

1407

Continuatio procuratoris antiqui, scilicet magistri Henrici de Herwen.

Habita congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die Xª mensis Februarii hora VIIIª, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus ad disponendum de examinatoribus baccallariorum non in cameris. Tercius ad audiendum compotum receptoris vel ad differendum. Quartus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus est antiquus procurator, scilicet magister Henricus de Herwen concorditer a tota nacione nemine reclamante. Quantum ad secundum articulum ordinati sunt secundum antiquam consuetudinem dominus receptor nacionis, scilicet magister Wilhelmus Bloc, et senior magister non regens, scilicet magister Coenrardus [de Hagenoya], et duo seniores regentes, scilicet magister Henricus de Herwen et magister Hermannus de Ummen in temptatores vel examinatores baccallariorum. Quantum ad tercium articulum placuit nacioni differre compotum receptoris. Quantum ad quartum articulum supplicavit procurator ut haberetur gratus et avoatus in omnibus per eum actis in officio nacionis, scilicet

1. *Arch. Univers. Paris., Reg. de l'Université*, nº 7.
2. *Secundum instrumentum servatum in* Arch. nat. Paris.; M 65ª nº 60, *an.* 1409 *in theol. licent. erat. Deest tamen in* Catal. licent. in theol. Paris.

procuratorie; cujus supplicacio a tota nacione concorditer fuit concessa et ab omnibus magistris ejusdem. Item supplicavit quidam scolaris[1] ut nacioni placeret, quod receptori nacionis ipse daret piguera et vadia ad tempus pro bursis suis solvendis in nacione, cujus supplicatio fuit concessa ab omnibus.

(*Fol.* 7) Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini 1407 secundum usum Romane ecclesie, die XIIII^a mensis Februarii hora VIII^a super duobus articulis. Primus erat ad consulendum procuratori, utrum licite posset admittere scolarem vel scolares ad gradum baccallariatus, qui Parisius nec in aliquo studio privilegiato non steterint per duos annos, vel qui non steterint Parisius per unum annum. Secundus articulus erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum *deliberavit*[2] *nacio quod nullomodo scolares essent admittendi, qui Parisius vel alibi non steterint per duas hyemes in studio privilegiato, ubi ad minus essent sex magistri regentes, et sic non admisit nacio scolares ad gradum baccallariatus, qui Parisius steterint nisi per unum annum, licet eciam omnes suos libros requisitos ad talem gradum Parisius audiverint, si in alio studio privilegiato eciam non steterint.*

Quantum ad secundum articulum supplicavit quidam scolaris de Swecia[3] ut nacio daret sibi compotum et possessionem domus *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Brunelli situate, quam inhabitat Bomondus bedellus nacionis. Deliberacionem ad supplicacionem illam placuit nacioni differre, ut super ipsam supplicacionem nacio solemnius congregaretur et bene mature deliberaret, scilicet in congregacione Universitatis, in nacione ubi communiter multi magistri convenire soliti sunt. Item supplicavit quidam scolaris, scilicet Andreas Henrici, ut nacio secum dispensaret, ut non eum disputare oporteret in vico pro gradu baccalariatus propter legitimam causam, qua impeditus fuit, scilicet propter oportunitatem ambulandi ad partes. Cujus supplicacio sic fuit concessa quod placuit nacioni eum ambulare ad partes suas et non admitti ad gradum baccalariatus, nisi post omnes actus suos completos, solitos fieri ad talem gradum, et sic placuit nacioni quod in alio anno disputaret in vico secundum modum consuetum et laudabilem, et post tales disputaciones primo esset baccallarius, et non ante disputaciones. Item supplicavit quidam scolaris, scilicet Ulricus Dolcz de Růdlingen ut nacio admitteret eum ad jurandam paupertatem, vel si non placeret sibi jurare paupertatem, ut placeret nacioni quod pro sua pecunia solvenda pro suis bursis sibi liceret ponere vadia domino receptori nacionis; cujus supplicacio fuit concessa.

(*Fol.* 7^b) Sequuntur nomina determinancium anni Domini 1407 secundum usum Romane ecclesie.

Primo determinavit dominus Arnoldus Poleman de Sondis sub mag. Johanne de Daventria, cujus bursa IX s.

Item Johannes Schelepape determinavit sub mag. Johanne de Daventria, cujus bursa III s.

Item Arnoldus Haen determinavit sub mag. Henrico de Herwen, cujus bursa IIII albi.

Item Hermannus de Saxonia de Wismaria determinavit sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa V s.

Item Albertus Nyenborch determinavit sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa VIII s.

Item Everardus Baers de Velaer determinavit sub mag. Hermanno de Ummen, cujus bursa V s.

Item Everardus de Bingherden determinavit sub mag. Hermanno de Ummen, cujus bursa quinque s.

Item Albertus de Novimagio determinavit sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa V s.

Item Hermannus Oesterholt de Vreden determinavit sub mag. Johanne de Daventria, cujus bursa V s.

Item Henricus de Saxonia[4] de Soltwedel sub mag. Henrico de Herwen, cujus bursa IIII albi.

Item Godefridus de Malsen determinavit sub mag. Wilhelmo Creyt, cujus bursa VI s.

Item Johannes de Montfordia determinavit sub mag. Wilhelmo Creyt, cujus bursa VIII s.

Item Andreas Henrici determinavit sub mag..., cujus bursa V sol., qui promisit se disputaturum

1. *Postea spatium.*

2. *Sequentia in ms^to sublineata sunt.*

3. *In ms^to postea spatium. Ejus nomen est* Ziggo, *seu potius* Siggo Oddonis (Uddson), *studens etiam in decretis, de quo pluries infra* (*vid. etiam* ANNERSTEDT, Upsala Universitets Historia, p. 7, *not.* 6 *et* p. 9, *not.*). *Ipse primus nomen suum apposuit* Statutis scolarium domus Scharensis ecclesiae *Parisiis, in* Arch. nat. Paris., M 73, n° 16, *quae vid. supra in* Introductione. *An.* 1424, *Jun.* 5, *cum esset archidiaconus Scarens.*, *factus est episcopus Skarens.* (Reg.Mart. V, Lateran., *an.* 7, *Provis.*, *fol.* 138).

4. *Certe est idem organista, de quo infra an.* 1413, *Nov.* 16, *qui etiam an.* 1415 *in Nostra Domina* « receptus est in organizatorem (organistam) ...et tenebitur ludere in XXIII festis sibi declaratis » *etc. Arch. nat. Paris.* LL. 112, fol. 52^b L. GAUTIER, *Œuvres poëtiques d'Adam de Saint-Victor*, 3e éd., p. 306, *not.* 1. *Ad haec vid. infra ad an.* 1417, *Nov.* 13, *et an.* 1418, *Aug.* 23.

in alio futuro anno in Quadragesima, et tunc primo erit baccallarius et non de presenti anno, et nacio sibi concessit talem dilacionem.

Item Johannes Jackellini determinavit sub mag..., cujus bursa IIII albi.

Item Johannes de Alen determinavit sub mag..., cujus bursa V s.

Item David de Narn determinavit sub mag..., cujus bursa V s.

Item Ulricus Dolcz de Růdlinghen determinavit sub mag..., cujus bursa IIII albi.

Item Matheus Glandunwijn determinavit sub mag. Wilh. Bloc, cujus bursa VII s.

Item Johannes Glen determinavit sub mag. Joh. Crannak, cujus bursa V s.

non fuerunt admissi ad baccalariatum. { Item Johannes Senescalli[1] determinavit sub mag..., cujus bursa VII s.
Item Johannes Cruchter de Treveris[2] determinavit sub mag..., cujus bursa III s. }

Item Johannes de Franconia determinavit sub mag..., cujus bursa III s.

Item Mathias Reyneri de Luczenbourg determinavit sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item Rotardus ex Campo determinavit sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa V s.

Item Wilhelmus Croyser[3] determinavit sub mag. Johanne Crannach, cujus bursa quinque s.

Nomina subdeterminancium.

Primo subdeterminavit Hunoldus de Lippia sub Everardo Baers[4], cujus bursa IIII albi.

Item Wilhelmus de Wijc sub Rotart, cujus bursa IIII albi.

Item Wernerus de Zutphania sub Everardo de Bingherden, cujus bursa nichil.

Item Thomas de Angus sub Johanne Gleng, cujus bursa [nichil].

Item Laurencius de Prucia sub Hermanno de Vreden, cujus bursa nichil.

(*Fol. 8*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Matulinum hora octava diei sexte mensis Marcii anno Domini 1407 super tribus articulis. Primus erat ad respondendum Ziggoni[5] canonico Scharensi de Swecia super supplicacione alias ab eo in nacione porrecta, scilicet ut nacio daret sibi proprietatem domus *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Brunelli situate, cujus unam partem inhabitat bedellus dicte nacionis. Item supplicavit quod nacio daret sibi compotum de locagio illius domus de tempore, quo nacio se de dicta domo intromisit. Item supplicavit quod nacio sibi monstraret utensilia, que alias in eadem domo remanserant. Item supplicavit in nacione decanus Lincopensis ut nacio eum expediret de collegio Dacie et utrum se vellet intromittere de illo collegio.

Secundus articulus erat ad faciendum scribi tres libros nacionis cantuales multum in nacione necessarios propter discordanciam librorum nacionis in notis, etc., quorum quilibet liber scribendus contineret totum cantum vesperorum et missarum nacionis, et missam *Requiem* pro defunctis, et missam communem de Domina nostra, scilicet *Salve sancta parens*, et omnes psalmos omnium feriarum de vesperis et omnes psalmos completorii una cum omnibus ympnis ad diversos vesperos et completorium nacionis requisitis.

Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum respondit nacio quod ille canonicus de Scharensi [ecclesia] de Swecia primo *se incorporaret provincie Almanie*, ex quo provisor ejusdem provincie alias habita congregacione Universitatis in Sancto Bernardo supplicavit in nacione, ut nacio vellet dicte provincie assistere in non expediendo dictum canonicum super domo *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Brunelli, nisi prius se incorporasset provincie antedicte. Cujus provisoris concorditer a tota nacione supplicacio et ab omnibus fuit concessa. Et consequenter facta incorporacione ejusdem canonici ad sepedictam provinciam, nacio respondit se velle dare bonum responsum super facto suo, de quo merito debebit contentari. Quantum ad decanum Lincopensem super collegio Dacie, respondit nacio quod habito et ostenso per eum procuratorio sufficienti nacio sibi daret bonum responsum, quo merito erit contentandus.

1. *Fuit consanguineus* Roberti, ducis Albaniae gubernatoris Scotiae. *et an.* 1818, *Dec. adhuc ex parte Benedicti* XIII, *et bac. legum* (Reg. suppl. Ben. XIII, n° 88, *fol.* 320).
2. Joh. Cruchter *an.* 1426 *fuit decan. S. Paulini extra muros Treveren. et mag. art.* (Reg. Mart. V, Lateran., *in an.* 5to *De div. form.*, *fol.* 166 b).
3. *Juxta Suppl.* Martini V, n° 107 *ad an.* 1418 *iste clarus fuit canonicus Dunkeldens.*, *et archidiac. de Teviotdale* (*ibid.*, n° 108, *fol.* 244, 246; n° 119, *fol.* 32). *Juxta* J. FORDUN, Scotichronicon, *lib.* 15, c. 22, Wilhelm Crosier *ab an.* 1411 *fuit professor philosophiae in* Universitate S. Andrews. *De ipso etiam an.* 1419 *in* Reg. Suppl. Mart. V, n° 116, *fol.* 187; *an. eod. dicitur canon. eccl. Dunkeldens.* (Ibid., n° 122, *fol.* 149). *Cf. praeterea* THEINER, Mon. Hibern. et Scot., p. 373 *sqq.*; Concilia Scotiae (Edinburgi, 1866), I, p. lxxxiij *sqq.*
4. *I. e. sub isto et sequentibus determinatoribus.*
5. *Seu* Siggoni, *de quo supra* p. 3, *not.* 3.

Quantum ad secundum articulum placuit nacioni ut scriberentur tres libri cantuales ejusdem note et concordantes in omnibus, preter quod unus liber ponendus in medio chori in ecclesia grossioris erit scripture et majoris forme quoad folia ceteris duobus libris, qui duo libri erunt ejusdem forme inter se quoad scripturam et ad folia, ponendi ad duo latera chori ad finem quod magistri in duobus lateribus chori sedentes et in medio chori stantes concorditer se habeant tam in cantando quam in legendo, et in prompto habeant psalmos, etc.

Quantum ad tercium articulum supplicaverunt duo scolares, scil. Wernerus de Zutphania et Laurentius de Prusia, ut possent fieri subdeterminantes et jurare paupertatem. Horum supplicatio a tota nacione concessa fuit, et juraverunt in nacione paupertatem. Item supplicaverunt alii scolares ut fieri possent subdeterminantes sine juramento paupertatis, scilicet Thomas de Angus de Scotia, Hunoldus de Lippia. Horum supplicacio fuit concessa a nacione et etiam pro omnibus tempus suum habentibus, volentibus fieri subdeterminantes solvendo bursas, etc.

1407

(*Fol. 8*^{b}) Sequuntur acta in procuratoria magistri Gherardi Doemherre, latine canonici, de Lucemburgo.

Facta fuit congregacio nacionis Anglie anno Domini Mi^{mo} CCCC^{mo} VII° secundum usum ecclesie Romane apud Sanctum Maturinum die decima mensis Marcii hora VIII^{a} super 4^{or} articulis, quorum primus fuit ad eligendum procuratorem novum; secundus ad audiendum compotum receptoris; tercius ad distribuendum menses pro examinatoribus bachalariorum in Sancta Genovefa; quartus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis magister Gherardus canonicus, vulgariter Doemherre de Lucemburgo, nemine contradicente. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni differre compotum receptoris propter ejus absenciam. Quantum ad tercium dati sunt omnes menses magistro Nycholao Koneken de Saxonia, qui dedit nacioni XVII solidos, qui consumpti fuerunt in taberna. Quantum ad quartum supplicavit primo magister Henricus de Lunnebourch pro littera testimoniali de gradu; 2° supplicavit Hunoldus de Lippia subdeterminans ut posset ponere pignora sufficiencia pro bursis; quorum supplicaciones concesse fuerunt. Item supplicavit magister Henricus de Herwen procurator precedens ut haberetur gratus, recommendatus, etc., cujus supplicacio concessa fuit.

Gerardus de Gonda juravit in die XI^{a} mensis Marcii pro subdeterminancia sub Arnoldo Wtwiic [1], et sic fuit subdeterminans, cujus bursa IIII albi.

Facta fuit congregacio nacionis Anglie anno quo supra apud Sanctum Maturinum die xiij^{a} mensis Martii hora tercia post prandium super tribus articulis. Primus fuit super facto trium domorum nacionis, scilicet de domo nuncupata *ad cornu cervi*, de qua dominus decanus ecclesie Lincopensis in die immediate precedenti in ecclesia sancte Genovefe coram magistris Petro Chauchon [2] arbitro et deputatis nacionis, scilicet Johanne de Galencoep, Henrico de Herwen et Johanne de Daventria et Johanne Goberstat notario petivit se investiri. Coram quibus lectum fuit instrumentum, sed dicti deputati tunc deliberaverunt quod super hoc fieret congregacio nacionis predicte, in qua quidem congregacione visum fuit prefatum instrumentum et cedula arbitraria, et placuit nacioni quod deputati nacionis haberent hoc expedire et investire prefatum decanum de dicta domo absque ampliori relacione ad nacionem. Quod et factum fuit in crastino in ecclesia predicta coram prefatis Petro Chanchon et Oliverio de Imperio [3] arbitris et deputatis nacionis, scilicet magistris Arnoldo de Wtwiic, Johanne de Galencoep, Joh. de Daventria, Jacobo de Haerlem et Joh. Goberstat notario secundum formam instrumenti, et sic expeditum fuit de illa domo.

Alia domus nuncupatur *collegium Dacie*, quam prefatus dominus decanus petivit sibi tradi, et scire an nacio vellet eum expedire vel impedire, sed dicta nacio tunc deliberavit et conclusit quod dictus decanus ostenderet sufficiens instrumentum procuratorie de dicta domo, et tunc nacio faceret sibi justicie complementum. Sed pro tunc noluit sibi tradere eandem.

Alia domus nuncupatur *ad ymaginem Nostre Domine*, quam dominus Ziggo canonicus ecclesie Skarensis petivit sibi tradi, supplicans seu requirens quod vellemus nos referre ad prefatos arbitros. Et hoc factum fuerat in die precedenti in Sancta Genovefa coram prefatis magistris. Et placuit nacioni se

1. *Ms.* Wistoc.
2. *I. e.* Petro Cauchon, *de quo saepius infra et in tom.* I^{o}.
3. *De quo jam in tom.* I, *et in* Chartul., III. *Fuit librarius Universitatis. De ipso adhuc infra ad an.* 1418.

referre ad eosdem arbitros, quod et factum est in crastino in loco predicto coram prenominatis, sub pena centum francorum ex utraque parte secundum formam instrumenti.

Secundus articulus fuit ad videndum de solutione XXI solidorum parisiens. qui expositi fuerunt in taberna in die electionis procuratoris, de qua deliberavit et conclusit nacio quod ipsa nacio solveret predictos XXI solidos, quos concesserat magister Johannes de Daventria. Item ibidem dixit dominus receptor quod ipse cum deputatis exposuit 4or solidos in taberna, requirens quod illos eciam solveret nacio, quod conclusum fuit.

Tercius articulus fuit super supplicacionibus etc., et quantum ad hoc supplicavit magister Conradus [de] Lubec, ut domicellus suus dominus Gobertus de Altari et ipse exonerarentur de domo collegii Dacie solvendo pro rata temporis quo manserunt in eadem, quia volebant recedere ad partes. Et quoad hoc deliberavit et conclusit nacio quod dictus magister Conradus poneret pecuniam per ipsum et dictum dominum Gobertum debitam in manibus domini receptoris nacionis, et quod sic essent exonerati de dicta domo. Item supplicavit prefatus magister Conradus pro domino Johanne Carnificis de Arluno pro littera testimoniali de gradu bachalariatus, cujus supplicacio concessa fuit.

Incepit dominus Reynerus Claerbout die XVIIa mensis Marcii sub magistro Guilhelmo Creyt, cujus bursa II s.

Item die XVIIIa incepit dominus Thomas de Prucia sub magistro Johanne Spenlen, cujus bursa nichil.

Item eadem die dominus Guillelmus Lochem [1] incepit sub eodem, cujus bursa nichil.

(*Fol. 9*) Facta fuit congregacio nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XXIIIa mensis Marcii hora 8a super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum ea que facta fuerunt de duabus domibus nacionis, quarum una vocatur *ad cornu cervi* [2], de qua lecta fuerunt duo instrumenta confecta inter prefatam nacionem et dominum decanum ecclesie Lincopensis, que non placuerunt nacioni in forma qua facta fuerunt propter multos defectus; sed placuit nacioni quod corrigerentur illi defectus et postea sigillarentur. Alia domus vocatur *collegium Dacie*, de qua inter prefatum decanum et deputatos, scilicet procuratorem, Johannem de Gallencoep, Johannem Boutpour, Bernardum Vlueling [3] et Joh. Helvart facta fuit talis compositio, scilicet quod dictus dominus decanus ex nunc haberet dictam domum et peccuniam locagii hujus anni et sequentis sub tali pacto, quod idem decanus infra annum ostenderet procuratorium sufficiens dicte domus, scilicet quod ipse esset verus et legitimus procurator ejusdem; quod si non faceret, restitueret nacioni dictam peccuniam integram. Et de hoc dictus decanus dedit caucionem burgensium [4], scil... sic tamen quod dictus dominus decanus non posset alienare dictam domum sine consensu nacionis, ymmo nacio semper haberet suum interesse circa eandem domum. Et hec compositio narrata fuit in nacione, que eandem compositionem habuit gratam, ratam, recommendatam et avoatam. Secundus articulus fuit super supplicacionibus, etc., de quo nichil, quia nullus supplicavit, etc.

Subdeterminavit Johannes de Dunmelior sub Matheo de Glandonuyn, cujus bursa II s.

Licenciatus primus fuit dominus Tydemannus Langhe sub magistro Guillelmo Creyt, cujus bursa VII s., VIII d.

Licenciatus fuit dominus Conradus Herter, cujus bursa V s., VI d.

Licenciatus fuit dominus Sthephanus Bont, cujus bursa II s., VI d.

Licenciatus fuit dominus Reynerus de Pomerio, cujus bursa IX s.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Rogge, cujus bursa VIII s.

Incepit dominus Symon [5] de Stramiglok sub magistro Guillelmo d'Amsterdam, cujus bursa IIII s.

Item incepit dominus Thomas de Lyn sub magistro Guillelmo d'Amsterdam, cujus bursa II s.

Item incepit dominus Tidemannus Langhe sub mag. Guillelmo Creyt, cujus bursa VII s., VIII d.

Item incepit dominus Johannes Rogge sub magistro Johanne de Daventria, cujus bursa VIII s.

Item incepit dominus Conradus Herter sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa V s., VI d.

Item incepit dominus Stephanus Bont sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa II s., VI d.

1. *Duo erant; unus jam fuit magister, alter nunc incepit* (*vid. infra* Addenda). *Sed in sequentibus non distinguuntur. Vid. infra ad an.* 1414, *Septemb.* 24. *Junior, ut opinamur, ad Concil. Constantiense missus, vocatur Keempcamp.*

2. *Ms.* servi.

3. *I. e.* Flogheling.

4. *I. e.* cautionem a civibus Parisiens. factam. *Summa non indicatur.*

5. *Ante nomina* Symonis *et* Thomae, *qui sequitur, additum est in margine* : de alio anno. *Idem* Symon *an.* 1409, *Oct.* 12, *in fac. medic. Paris.* « probavit de tempore sue auditionis XXXVI menses sine anno presenti » (Comm. fac. med., I, p. 137).

1407

(*Fol. 9*[b]) Sequuntur acta in procuratoria magistri Nicolai Koneken de Magdeburg.

Facta fuit congregacio nacionis Anglie anno Domini M° CCCC° VII° apud Sanctum Maturinum die septima mensis Aprilis hora VIII[a] super tribus articulis, quorum primus fuit ad eligendum procuratorem novum, secundus ad audiendum compotum receptoris, tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Nicolaus Koneken canonicus ecclesie sancti Sebastiani Magdeburgensis[1]. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni differre compotum receptoris, quia legittime fuit impeditus. Quantum ad tercium supplicavit magister Gherardus Doemherre procurator precedens ut haberetur gratus, recommendatus, etc., cujus supplicacio concessa fuit ab omnibus. Secundo supplicavit dominus Ziggo de Suecia canonicus ecclesie Scharensis, ut nacio daret sibi litteram Boemundi, quam habuit a nacione. Conclusum fuit quod deberet sibi tradi copia littere Boemundi et littera deberet poni in archa nacionis. Antenominatus Ziggo fuit bene sic contentus de conclusione nacionis et de supplicacione sua.

Sequuntur nomina istorum qui fuerunt licenciati in eadem procuratoria.

Primo licenciatus fuit dominus Wilhelmus Otterburn[2], cujus bursa VI sol.

Item licenciatus fuit dominus Joh. Gruesbeck, cujus bursa VI sol.

Item licenciatus fuit dominus Spaen dictus Friso, cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Beest de Bomel, cujus bursa IIII alb.

Item licenciatus fuit dominus Godfridus de Malsen sub magistro Hinrico de Herwen, cujus bursa VI s.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Donmelior sub magistro Joh. Crannak, cujus bursa II s.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus de Assendelf sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa XVI d.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Scaey sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit dominus Henemannus de Brylon sub magistro Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Item licenciatus fuit dominus Joh. Cauwe sub mag. Wilhelmo Creyt cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit dominus Godfridus de Gheer sub magistro Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Item licenciatus fuit dominus Joh. Boyen sub mag. Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

(*Fol. 10*) Sequuntur nomina incipiencium in predicta procuratoria.

Incepit dominus Reynerus de Pomerio sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa IX sol.

Incepit dominus Wilhelmus Otterburn sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VI sol.

Incepit dominus Spaen alias Friso sub magistro Wilhelmo Creyt, cujus bursa V sol.

Incepit dominus Johannes Beest de Bomel sub magistro Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Incepit dominus Petrus Scaey sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa V sol.

Incepit dominus Nicolaus de Assendelf sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa XVI d.

Incepit dominus Johannes de Donmelior sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa II sol.

Incepit dominus Godfridus de Malsen sub magistro Henrico de Herwen, cujus bursa VI sol.

Incepit dominus Henemannus de Brylon sub mag. Hinrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Incepit dominus Joh. Cauwe sub mag. Wilhelmo Creyt, cujus bursa V sol.

Incepit dominus Godfridus de Gheer sub mag. Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Incepit dominus Johannes Boyen sub mag. Henrico de Herwen, cujus bursa XVI d.

Nota. Decima sexta die mensis Aprilis in congregacione Universitatis apud Maturinum supplicavit magister Arnoldus Wtwiic in nacione, recommendando se nacioni quatinus nacio intercederet pro ipso ad dominum Deum, etc.; 2° quod nacio assisteret sibi in licencia[3] in casu quo non reveniret ante

1. *Tunc idem medicinae studuit; an.* 1410 *baccal., an.* 1412 *Jun.* 27 *incepit* (Comm. fac. med., I, p. 152 et 170). *Jam an.* 1412 Erfordiae *ut doctor in med. et mag. Paris. intit.* (Weissenborn, Acten, I, 96.) *An.* 1423 *bacc. in theol. et parochus eccl. Bernow, Brandeburgens. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 161, *fol.* 210b *et* 163, *fol.* 248).

2. *Glasguens. dioec. Quidam* Nicolaus de Oturburne, *ejusd. dioec., an.* 1418 *a quatuor annis in St Andrews studuit* (Suppl. Ben. XIII, n° 88, *f.* 319b).

3. *I. e. in licentia ad theologiam, quam an.* 1409 *obtinuit. An.* 1409, *Febr., jam vocatur* licent. in theol. *Vid.* p. 46, 42.

licenciam Parisius; tercio quod nacio vellet laborare erga rectorem ut residuam partem pecuniarum de pecuniis sibi assignatis per Universitatem habeat persolutam in equali tempore, sicuti consortes sui, de quorum numero ipse est[1], et quod illa scriberentur in libro nacionis. Omnia ista fuerunt sibi concessa per nacionem, vel saltem nullus pro tunc oretenus contradixit.

1407

Continuacio ejusdem magistri Nicolai Koneken de Magdeborch, alias de Saxonia.

Facta fuit congregacio nacionis Anglie anno quo supra apud Sanctum Maturinum die quinta mensis Maii hora VII^a^ super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem novum. Secundus ad audiendum compotum receptoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit magister Nicolaus Koneken, alias de Saxonia, concorditer nemine reclamante, precedens procurator. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni differre compotum domini receptoris propter causam legittimam, quam allegabat dominus receptor, dummodo tamen propinaret. Et quia nacio ex tunc consumpsit XXV solidos et II denarios *in cervo*, ex istis predictis solidis dominus procurator obtulit solvere XII solidos, et dominus receptor residuam partem ex parte nacionis deberet solvere, et sic fuit positum in deliberacione in taberna. Et omnes consentiebant in hoc, ex quo quod procurator alias propinavit unum francum, et sic conclusi. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus procurator N. Koneken ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus, cujus supplicacio concessa fuit nemine reclamante de hiis que facta erant per eundem.

(*Fol. 10*^b^) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora octava die XIIII^a^ mensis Maii anno quo supra, etc. super duobus articulis. Primus fuit ad examinandum aliqua instrumenta confecta per magistrum Jacobum de Harlem ex parte nacionis inter nacionem et dominum Ziggonem canonicum Scharensis ecclesie super concordia facta inter nacionem et ipsum de domo *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Brunelli, et eciam ad satisfaciendum magistro Jacobo pro labore suo. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum fuerunt dati deputati ad examinandum instrumenta prenominata, et omnes magistri concorditer concesserunt magistro Jacobo pro labore suo III schuta, dummodo tamen informaret reformanda, si deputati defectus aut defectum in instrumentis perciperent. De secundo articulo nichil quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra XIX^a^ die mensis Maii, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum compotavit dominus receptor implena (*sic*) congregacione nacionis quod summa tocius recepte cum vadiis est ducentarum librarum, septuaginta duarum librarum et V sol. Contra summa expositorum pro hyeme totalis est centum librarum et quadraginta duarum librarum, tredecim solidorum, octo denariorum. Modo tam de receptis quam de expositis per eundem dominum receptorem pro nacione remanserunt nacioni in vadiis quinquaginta due libre, duodecim solidi, IIII denarii, et impecuniis (*sic*) remanserunt septuaginta septem libre, et remanserunt nacioni ex parte locagii domus *ad cornu cervi* expositis defalcatis triginta due libre, quatuor solidi, VIII denarii. Et sic summa omnium predictorum est centum sexaginta et una libr., decem et septem solidi, que remansit nacioni. De quo compoto facto nacio habuit dominum receptorem gratum, avoatum et recommendatum, et regraciabatur sibi, dummodo tamen reformaret reformanda, si que essent. Ad hoc eciam dominus receptor obtulit se.

De secundo nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXVII^a^ die mensis Maii, super tribus articulis. Primus fuit ad videndum de modo recipiendi nuncios domini nostri Gregorii[2] et per quem modum nacio reciperet eos, et eciam ad dandum unum proponentem coram ipsis,

1. Arnoldus Uitwiic *baccalarcus in theol. formatus, inter legatos invenitur, quos rex ad ambos papas,* Benedictum XIII, *tunc Massiliae morantem, et* Gregorium XII, *Romam misit. Nomina legatorum vid. in* Chron. du rel. de St-Denys, III, 512, 514. Insignis legacio divisim et successivis diebus ad iter Massiliense accingitur (Chron. du rel. de St-Denys, III, 529), *et quidem* Dominice Resurrectionis sollempnitate peracta (*i. e. post Martii* 27). *Certe* Arnoldus Uitwiic *ex ultimis fuit, qui Parisios reliquerunt. Aprilis* 30 *omnes simul convenerant* (*ibid.* p. 562). Bulaeus *de illa legatione loquitur* V, 141 *ad an.* 1406; *legationem vero Universitatis ad nationem Anglicanam anni* 1406, *exeunte Decemb., de qua* Auctar. I, 933 *sq., refert ad an.* 1407, *Dec.* (V, 146)!

2. *Gregorius* XII *Massiliam ad Benedictum* XIII *nuntios nepotem suum* Antonium Corrario, *episcopum Motonens.*, Guillelmum Dallavigna, *episc. Tudertinens., et* Antonium de Butrio,

qui facere haberet unam proposicionem, in qua recommendaret supposita nacionis ipsis nunciis, et indigenciam suppositorum nacionis ambasiatoribus denud[ar]et ad plenum.

Secundus articulus fuit ad comparandum duas cappas in ecclesia nostra ad honorem nacionis, viso quod cappe antique nichil vel modicum valebant, *et nacio erat satis pecuniosa pro tunc*[1]. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum placuit magistris, quod nacio in bono numero iret eis obviam per duas aut tres leucas ante illos de Universitate, et quod reciperentur a nacione cum maxima reverencia; etiam supplicare voluit nacio domicello de Clivis, ut associaret magistros de nacione. Et datus fuit magister Gherardus Doemberre ad proponendum coram ambasiatoribus domini nostri Gregorii.

Quantum ad secundum articulum fuerunt dati deputati ad emendum duas cappas pro nacione honestas. Datus fuit dominus receptor, dominus procurator, magister Joh. Bonenrode, magister Henricus de Herwen, magister Joh. de Daventria, magister Hermannus de Unmen, magister Jacobus de Harlem.

De tercio nichil, quia nullus supplicavit.

1407

(*Fol. 11*) Continuacio magistri Nicolai Kůneken, alias de Saxonia.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, prima die mensis Junii, hora octava super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator magister Nicolaus Kůneken alias de Saxonia. Quantum ad secundum supplicaverunt bedelli nacionis, scilicet Bomondus et Mathias, ut nacio subveniret eis in aliqua certa summa, viso quod modicum habuerunt a nacione a festo Nativitatis vel citra, ut dicebant. Quorum supplicacio fuit concessa isto modo, puta quod tantum deberent habere sicuti alio anno habebant, et unum francum ultra cuilibet, ad finem quod non traherent ad consequentiam vel ad consuetudinem. Et in anno preterito habuit Bomondus X francos et Mathias sex francos. Item supplicavit dominus Ziggo, canonicus Scharensis ecclesie, ut nacio solveret Bomondo XI francos, in quibus nacio fuit sibi obligata ex parte domus *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Brunelli, aut quod predicti franci darentur sibi cum V solidis et 6 denariis. Concessa fuit. Item supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus. Concessa fuit ab omnibus.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, X^a^ die mensis Junii hora tercia, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum unam litteram missam nacioni per quendam magistrum de Hollandia, qui vocatur dominus Martinus Delf Gij-berti, in qua quidem littera continebatur, quod quidam decedens et in ultima voluntate sua predicto magistro supplicando commisit, ut nacioni nostre mitteret octo coronatos et unum antiquum francum; quare autem sic decedens voluit fieri, magister Martinus Delf Gijsberti de Hollandia non scripsit. De secundo nichil. Super primo articulo deliberavit nacio quod [pro] defuncto fieret missa solempnis pro salute anime sue, et quod daretur una recognicio illi magistro, qui pecuniam predictam misit nacioni, sub magno sigillo nacionis. Eciam voluerunt magistri nacionis quod scolaris ille qui pecuniam istam portavit et litteram dicti magistri nacioni presentavit, haberet istum francum antiquum pro pena sua, et magis propter Deum, viso quod pauper erat.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra XVII^a^ die mensis Junii super tribus articulis. Primus fuit ad ordinandum de modo recipiendi legatos domini nostri Gregorii a nacione, ex quo altera die[2] debebant intrare villam Parisiensem. Secundus fuit ad audiendum unam recognicionem de octo coronatis et unius antiqui franci, quam nacio tradidit illi magistro Martino Delf Gijsberti in Hollanda et quitavit eundem de pecuniis predictis. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuit ordinatum per magistros quod quilibet equitans obviam legatis nostris[3] Romanis haberet duos solidos a

professorem Bononiens. misit (*vid.* Theodorici de Nyem de Schismate, *ed.* Erler, p. 227). *Dum Antonius Corrario finita legatione ad Gregorium XII reverteretur, duo alii Parisios ad regem profecti sunt* (ibid. p. 228) *De nota temporis vid. infra. Errat* Chron. du rel. de St-Denys, III, 638, *Antonium Corrario inter legatos Parisios petentes numerando qui mense Julio jam Romae cum suo avunculo morabatur, cum tamen legati non ante Julii* 11 *Parisios reliquerint. Vid. infra* p. 17, 35.

1. *Primo in* Lib. procur. *ab an.* 1333 *scribitur,* nationem fuisse satis pecuniosam.

2. *I. c.* 18 *Junii. Errant igitur* Chron. du rel. de St-Denys, III, 638, *et sequaces, dicentes, legatos* « die decima Junii » *Parisios ingressos esse. Auctor Chronici tunc absens, cum legatis fuisse videtur.*

3. Nostris, *quia natio Anglicana pro majore sua parte Gregorio XII adharrebat.*

nacione, et unusquisque deberet facere diligenciam suam pro habendo unum equum, et beydelli (*sic*) deberent antecedere nacionem cum baculis argenteis. Quoad secundum articulum lecta fuit recognicio illa et placuit omnibus magistris. De tercio nichil.

Facta co[n]gregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XVIII^a die mensis Junii, super duobus articulis. Primus fuit, an aliqui deberent adire marchionem de Baden [1] ex parte nacionis, et quod esset unus magister, qui recommendaret sibi factum ecclesie et eciam nacionem. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni, quod aliqui magistri ex parte nacionis adirent istum dominum prenominatum, et magister Joh. de Austria [2] haberet proponere coram ipso. Quoad secundum articulum supplicavit dominus procurator pro magistro Johanne de Hallis [3], ut magister proponens haberet ipsum recommendatum ex parte nacionis, quia dictus magister in propria persona non erat presens. Supplicacio fuit ab omnibus concessa.

(*Fol. 11^b*) Facta fuit co[n]gregacio nacionis Anglie anno quo supra, IX^a die mensis Julii, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad associandum nunctios et ambasiatores [4] domini nostri Gregorii XII. Secundus fuit, quando nacio vellet quod fieret missa illa pro anima ejus, qui alias translegavit nacioni octo scuta et I antiquum francum. Quoad primum placuit nacioni, quod nacio solennius associaret predictos dominos quam ipsa eos recepit, si possibile esset. Quoad secundum placuit eciam nacioni quod fieret missa in uno die opportuno. De tercio nichil quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglie anno quo supra, XI^a die mensis Julii, apud Sanctum Maturinum hora VI^a super tribus articulis. Primus fuit an deberet fieri propina aliqua nunciis domini nostri Gregorii. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum non placuit nacioni aliquid ambasiatoribus propinare, nisi in casu quo vellent potare et unum digentaculum parvum facere, hoc posset fieri ex parte nacionis, alias nichil in loco quo vellent pernoctunare. Circa hoc placuit nacioni quod quilibet haberet II solidos de equitatoribus ex parte nacionis, et quod nacio exponeret III aut IIII francos in via quando associemus prenominatos ambasiatores pro illis, qui associabunt eos. De tercio nichil. Quoad secundum placuit nacioni quod esset unus magister qui faceret mencionem de isto, quod non habemus aliquem doctorem in theologia de obediencia nostra [5], et excusaret ipsam nacionem in hoc apud ambasiatores.

Nota quod omnes magistri nacionis Anglie habuerunt magistrum Gherardum Doemheren gratum, avoatum et recommendatum de propositione sua, quam fecit coram dominis ambasiatoribus sanctissimi in Christo domini, domini Gregorii pape duodecimi ex parte nacionis. Item eadem die nacio predicta bis fuit in taberna ex deliberacione magistrorum omnium presencium.

1407

Acta in procuratoria magistri Hermanni de Ummen.

Anno Domini M°CCCC° VII°, facta congregacione nacionis Anglicane die XXVII^a mensis Augusti hora quasi octava apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Hermannus de Ummen concorditer, nemine reclamante. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, quatinus haberetur gratus, recommendatus et avñatus, cujus supplicatio fuit concorditer concessa nemine reclamante. Insuper quoad primum articulum nacio intravit tabernam et solvit predictus magister Hermannus dimidium francum, et deliberaverunt magistri omnes concorditer, quod residuum expositi solveret dominus receptor ex parte nacionis, scilicet unum scutum, et ita fuit factum.

1. Bernhardum I. *Sed nullibi notatur, qua ex causa tunc Parisiis moratus sit, immo nemo hucusque hujus itineris mentionem fecit, ut etiam apparet e* Regesten der Markgrafen von Baden u. Hachberg, p. 252.

2. *I. e.* Joh. Mullechner de Austria, *mag. in theol.*

3. *Ex quo apparet, istum* Joh. de Hallis, *de quo jam in* Auctar. I, *oriundum fuisse* Hallis, *Constantiens. dioec.* (*hodie Wuertemberg., de quo in* Freiburg. Diöcesan-Archiv, I, 6).

4. *Qui tunc Parisios relinquere et ad dominum suum reverti voluerunt. Sicut natio obviamveniendo Junii* 18 *eos recepit, sic, immo solemnius, eos in regressu comitari voluit.*

5. *Nationis Anglicanae tunc unus solus magister theol. Parisiis praesens fuit, scil.* Joh. Mullechner de Austria. *Sed obedientiam Romani pontificis non acceptavit, cum an.* 1403 *in rotulo ad Benedictum* XIII *inveniatur. Vid.* Auctar. I, p. 863, *not.* 1, *et* Chartul. IV. Johannes de Moravia *vero,* Olomucens. dioec. (*vid. infra* Addenda), *qui etiam ex parte Benedicti* XIII *ejusque familiaris fuit* (*cf.* Auctar. I, 712 *sq.*), *an.* 1407, *Febr.* 16, *jam supremum diem clauserat, et sub hac temporis nota Guillelmus Filastre leg. doct. et Petrus de Cantella, mag. theol. ejus canonicatus Bajoc. et Paris. recipiunt* (Suppl. Ben. XIII, n° 98, *fol.* 197b). *Minime tamen reticendum, in* Arch. Vat., Divers. Cam. n° 3, *fol* 10b, *ad an.* 1415, *quemdam mag.* Joh. de Moravia *ut collectorem in provincia Pragensi afferri.*

Anno Domini millesimo CCCC° VII° facta congregacione nacionis Anglicane die XVIIIa mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat de vestibus antiquis nacionis vendendis. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum ordinavit quod vestes antique venderentur et exponerentur in alios pios usus, scilicet quod scriberentur libri nacionis, etc. Quoad secundum articulum supplicavit Bommudus, quod nacio vellet pro eo supplicare in Universitate pro officio librariatus, cujus supplicacio erat concessa. Et ita factum fuit.

Anno Domini quo supra facta congregacione nacionis Anglicane super tribus articulis, scilicet super distribucione scholarum pro regentibus anno eodem. Secundus super electione receptoris et ad audiendum compotum receptoris anni presentis. Tertius super supplicacionibus et injuriis. Placuit magistris omnibus deferre congregacionem usque in crastinum propter congregacionem Universitatis, que debebat esse in eodem loco, ubi fuit congregacio nacionis.

Anno Domini M° CCCC° VII° facta congregacione nacionis Anglicane super tribus articulis. Primus super distribucione scholarum, secundus ad eligendum receptorem, tercius ad audiendum compotum receptoris. Quoad primum concesse fuerunt regentibus schole secundum antiquitatem regencie, secundum quod consuetum fuit a longo tempore fieri, dummodo ponerent fidejussores. Super secundo electus fuit a majori parte nacionis in receptorem magister Gerardus Delf. Super 3° auditus fuit compotus receptoris antiqui, scilicet mag. Wilhelmi Bloc, et placuit compotus et fuit habitus gratus, recommendatus et avuatus, et omnibus hinc inde computatis et defalcatis remanserunt tam in pecuniis quam in pigneribus LXXXIX libre parisiens. et XI denarii.

1407

(*Fol. 12*) Acta in procuratoria magistri Jacobi de Harlem.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, die XXIIIa mensis Septembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Jacobus de Haerlem concorditer, nemine reclamante, qui renuit acceptare certis ex causis quantum poterat; tamen ob reverenciam nacionis, ne maneret sine procuratore, acceptavit, de quo magistri sibi valde regraciabantur. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus, et nacio annuit supplicacioni sue. Insuper in eodem loco predicto deliberatum fuit concorditer, nemine reclamante, quod nacio intraret tabernam expensis nacionis multis ex causis tunc allegatis per magistros.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, quarta Octobris super tribus articulis. Primus erat quid agendum cum quodam notario qui citari fecerat nacionem ad curiam Parisiensem pro quodam instrumento, quod confecerat ad requestam nacionis, ut dicebat. Secundus articulus erat super facto scolarum et ad recipiendum fidejussores a magistris regere volentibus secundum modum consuetum. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit nacio quod defenderemus nos vel componeremus cum eo, si racionabiliter condescendere vellet. Quantum ad secundum placuit nacioni recipere fidejussores a regentibus secundum modum consuetum. Quoad tercium articulum nichil.

Sequuntur nomina regencium anni millesimi quadringentesimi septimi.

Magister Guillelmus Bloc, fidejussor magister Hermannus Ummen.

Magister Hermannus Ummen, fidejussor magister Guillelmus Bloc.

Magister Johannes Spellinc, fidejussor magister Johannes de Halis.

Magister Henricus Veltkerken, fidejussor magister Thomas de Ungaria.

Magister Johannes de Halis, fidejussor magister Johannes Spellinc.

Magister Johannes Crannack, fidejussor magister Johannes Barberii[1].

1407

Acta in procuratoria magistri Johannis Barberii Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanc-

1. *De quo in tom. I. Fuit Roberti ducis Albaniae, gubernatoris Scotiae, consanguineus, an. 1407 Nov. in dioec. Aberdonens., et supplicavit pro canonicatu Rossen.* (Suppl. Bened. XIII, n° 98, *fol.* 257.)

tum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, die veneris die XXI^{a} mensis Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Johannes Barberii concorditer, nemine reclamante. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in factis dicte sue procuratorie, et nacio annuit supplicacioni sue.

1407

Continuacio magistri Johannis Barberii Scoti, canonici Aberdonensis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die veneris, 18^{a} die mensis Novembris anno ut supra, super tribus articulis. Primus articulus fuit ad elegendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit ad dandum provisores qui habeant providere de solempni prandio in festo nacionis, scilicet sancti Edmundi regis et martiris. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit magister Johannes Barberii, canonicus Aberdonens., nemine contradicente. Quoad secundum dati fuerant provisores, scilicet magister Jacobus Harlan, magister Johannes Laverok[1] Scotus et magister Henricus Burgh ad providendum de magno convivio nacioni[s] in die dominica immediate sequente, quo die celebrabitur festum dicti sancti Edmundi et eciam deliberatum fuit per nacionem totalem quod procurator faciat diligenciam pro deliberacione magistri...(*sic*)detenti in carceribus domini officialis Parisiensis. De tercio nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane in vigilia Sancti Edmundi regis et martiris post vesperas in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani super duobus articulis. Primus erat ad vocandum curatum dicte ecclesie ad convivium nacionis in dicto festo sancti Edmundi, et nemine contradicente, dempto uno, fuit deliberatum quod dictus curatus invitaretur ad festum. De secundo, scilicet de supplicacionibus et injuriis, nichil.

1407

(*Fol. 12^{b}*) Incipit procuratoria Johannis de Galencoep.

Facta congregacione aput Sanctum Julianum pauperem anno quo supra, XVI^{a} mensis Decembris, super duobus articulis, quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, secundus autem super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Joh. de Galencoep. Quantum autem ad secundum articulum supplicavit procurator precedens ut haberetur gratus ac recommendatus, et fuit ejus supplicacio concessa. Item supplicavit quidam magister Godefridus Gheer pro litteris recommendatoriis ad decanum et scolasticum ecclesie Sancti Salvatoris Trajectensis, cujus eciam fuit supplicacio concessa.

1408

Acta in procuratoria magistri Johannis Gray, Scoti.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, XIII^{a} die Januarii, anno Domini millesimo CCCC^{mo} octavo, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus est in procuratorem Johannes Gray[2]. Quantum ad secundum articulum non fuerunt supplicantes nisi procurator precedens, ut haberetur gratus et recommendatus, et concessa fuit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXII^{a} die Januarii anno quo supra super duobus articulis. Primus ad advisandum aliqua in facto prepositi et utrum requirendus esset rector supra congregacione deputatorum facultatis artium, et consequenter supra congregacione ejusdem facultatis fienda. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum [ad] primum placuit nacioni requirere rectorem, ut tactum est, et omnia fuerunt executa. Quantum ad secundum nulli fuerunt supplicantes.

1408

Continuatio ejusdem Johannis Gray.

Anno supradicto, X^{a} die mensis Februarii, facta

1. *Vid.* p. 23, *not.* 4.
2. *De quo saepius in* Auctar. I. *Postea examinator fuit pluries in fac. medic. Paris., saltem an.* 1409-1415 (Comment. fac. med., I, p. 136-196), *et tandem Jacobi regis Scotorum consiliarius et physicus* (Suppl. Eugen. IV, nº 279, *fol.* 28).

fuit congregacio nacionis supra duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus supra supplicacionibus et injuriis. Quantam ad primum continuatus est procurator antiquus. Ad secundum non fuerunt supplicantes nisi procurator qui fuit ratus, gratus et advoatus per nacionem.

Item eodem mense, XX^a die, facta fuit congregacio ejusdem nacionis supra duobus articulis. Primus ad eligendum temptatores bacalariorum nacionis, et secundus supra supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni eligere temptatores, et, ut moris est, iverunt extra nacionem duo magistri antiquiores presentes et regentes, et unus antiquior non regens ad eligendum (*Fol. 13*) temptatores, et eligerunt se ipsos, et placuit nacioni, sic quod nacio superadjunxit[1]... dominum receptorem. Et deliberavit nacio quod quilibet illorum solveret nacioni IIII solidos parisiens. Duo antiquiores regentes fuerunt mag. Guillelmus Blok et magister Henricus Veltkerken, et antiquior non regens mag. Conraldus[2]. Quoad secundum supplicavit magister Johannes de Halis[3] pro omnibus mensibus in camera in examine Sancte Genovefe, et concessum est sibi, et ipse dedit nacioni ad potandum XXVI solidos; et ultra nacio concessit sibi in casu quod eo anno non esset examen, nacio restitueret sibi peccunias suas.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum VI^a die Martii anno quo supra, et pro tunc fuerunt in nacione facte due supplicaciones. Prima fuit facta per magistrum Johannem Laverok[4] quatenus scilicet haberetur procurator excusatus, qui recessit certis de causis, non facta substitucione in nacione, quia talia supervenerunt quod non habuit tempus faciendi congregacionem. Secundo supplicavit nacioni magister Henricus Veltkerken quatenus nacio vellet ipsum reputare regentem, qui recessurus erat ad partes, viso quod per eum non stetit quod non legit per majorem partem ordinarii, sed propter cessaciones impeditus et in casu quo reveniret ante ordinarium et fieret rotulus Universitatis vel nacionis, quod in eo poneretur inter regentes. Quantum ad primam nacio deliberavit quod vellet exspectare eventum ipsius procuratoris et tunc nacio audiret eum et secundum hoc deliberaret. Et recepit nacio magistrum Johannem Laverok pro substituto cum juramento loco ipsius procuratoris. Secundam supplicacionem nacio concessit concorditer.

1408

Acta in procuratoria magistri Jacobi de Haerlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum IX^a Martii anni millesimi quadringentesimi octavi, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus erat concorditer in procuratorem nacionis Jacobus de Harlem. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Johannes Laverok substitutus magistri Johannis Gray procuratoris, uti ipse et procurator predictus haberentur grati, avoati et recommendati. Cujus supplicacio quoad primam partem, scilicet quoad personam predicti substituti, concorditer admissa fuit; quantum vero ad ejus secundam partem, scilicet quoad supplicacionem domini procuratoris absentis, deliberavit nacio exspectare ejus adventum, et tunc audita ejus excusacione maturius deliberare.

1408

Continuacio Jacobi de Haerlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum[5] sexta Aprilis, anni quadringentesimi octavi, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est procurator antiquus. Quantum ad secundum supplicavit procurator antiquus ut haberetur gratus, avoatus etc. in actis per eum, et annuit nacio supplicacioni sue.

(*Fol. 13^b*) Facta congregacione nacionis anno quo supra septima Aprilis, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum computum domini receptoris. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni computus domini receptoris. Quantum ad secundum supplicavit magister Wilhelmus Bloc super injuriis sibi, ut asserebat, tribus vicibus dictis per magistrum Gherardum Doemheer in congregacionibus nacionis et pro-

1. *Ms. potius* superadiuctit.
2. Conradus de Hagenoia.
3. *Ms.* Hongaria *manu pr.*
4. *An.* 1425 *fuit etiam licent. cum rigore examinis Parisiis in decretis, et* in generali studio S. Andreae in art. actu regens, *et petivit dispensari de defectu natalium* (Suppl. Mart. V, n° 181). *Vid. tom. I.*
5. *Suprascriptum* Bernardum.

vincie Almannie, scilicet quod videbatur predictus magister Gherardus pretendere ex suis verbis aut ex passione aut alia causa prolatis contra magistrum Guillelmum Bloc, quod magister Guillelmus esset filius sacerdotis illegitimus. Ideo improperabat sibi in nacione, quod non attingeret gradum theologie Parisius, quia illegitimus. Cujus oppositum docuit magister Guillelmus predictus sufficienter in nacione per testes fide dignos, qui de ejus nativitate legitima fidele testimonium perhibuerunt. Ex parte vero adversa respondit magister Gherardus, quod non intendebat umquam talia dicere, qualia sibi imponebantur per magistrum Guillelmum, licet verba sua sinistre intellecta aliquo modo poterant ad hoc applicari, et se per hoc excusabat. Nacio volens servare concordiam magistrorum, ordinavit quod quilibet eorum eligeret duos arbitros, quorum arbitrio se quoad rixam memoratam submitterent, quod et factum est ipsis consencientibus et arbitros eligentibus. Qui nacionem exiverunt hora satis magna, et pro bono concordie predictorum magistrorum dictaverunt, quod magister Gherardus haberet in nacione dicere magistro Guillelmo et supplicare, quod propter verba per eum dicta non vellet male contentari, quia licet viderentur derogari fame sue, ut nacioni videbatur, numquam tamen intencionis sue erat in aliquo ledere famam magistri Guillelmi, sed pocius vellet nunc et in futurum eam verbo et facto augmentare, cum nichil sciret quod cederet in ejus fame denigracionem. Item quod ex adverso supplicaret magister Guillelmus magistro Gherardo, ut sibi indulgeret, si quid mali contra eum egisset. Et sic factum est in plena nacione. Quo facto tangendo manus adinvicem facti sunt amici.

Item supplicavit receptor nacionis, ut nacio provideret super potationibus que fiunt communiter in electionibus procuratorum. Quare ordinavit nacio quod modus antiquus servaretur, videlicet quod receptor in qualibet electione procuratoris, utrum computaret vel non, solveret duas quartas de meliori. Excepit tamen duos, in quibus voluit magis solempniter magistros nacionis gaudere cum majori gravamine nacionis.

1408

Continuacio Jacobi de Haerlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno CCCCVIII°, quarta May, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit procurator antiquus. Quantum ad secundum habuit nacio procuratorem continuatum gratum, avoatum et recommendatum in actis per eum.

(*Fol. 14*) Incepit in artibus dominus Johannes de Gruesbeeck sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VIII s.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum penultima Maij ad requestam aliquorum determinancium qui supplicabant pro dilacione bursarum debitarum nacioni ratione bachalariatus eorum, quibus supplicacionibus annuit nacio per hunc modum ut videlicet dominus Johannes Wolz de Spira, et dominus Johannes Plusz de Besiken satisfacerent nacioni infra hinc et festum Assumpsionis Beate Virginis, et in casu defectus fidejubebat pro eis magister Johannes Boeburch faciendo proprium debitum de predictis pecuniis in casu, in quo predicti determinantes negligentes fuerint in solvendo.

Sequuntur nomina determinancium hujus anni, videlicet millesimi CCCCVIII°.

Primo determinavit dominus Theotricus Theotrici de Delf sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Johannes de ts'Gravenzande sub magistro Johanne de Halis, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Johannes Wolz de Spira sub magistro Johanne Spenlinc, cujus bursa V s.

Item determinavit dominus Johannes Plusz de Besiken sub magistro Johanne Crannack, cujus bursa VI s.

Item determinavit dominus Conrardus Farczch de Pottensteyn sub magistro Johanne Spenlinc, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Lambertus Goyer sub magistro Henrico de Novimagio, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Johannes de Leydis sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa V s. VI d.

Item determinavit dominus Gherardus Lam sub eodem, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Johannes Wlhose [1],

1. *Hoc nomen hic et infra inter lineas scriptum est.*

alias de Assindia sub magistro Johanne de Daventria, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Johannes Nycolay de Haerlem sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa V s.

Item determinavit dominus Johannes de Wermer [1] sub magistro Wilhelmo de Monte Sancti Gheertrudis, cujus bursa II s.

Item determinavit dominus Reynerus de Onderkerke [2] sub magistro Johanne de Halis, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Johannes de Castro sub eodem, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Henricus Vake [3] sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa V s.

Item determinavit dominus Henricus Collaert [4] sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Folkerus de Lichtenberch sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s. VI d.

Item determinavit dominus Johannes Carketil, Scotus, sub magistro Thoma de Hungaria cujus bursa V s.

Item determinavit dominus Johannes Calven sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s. VI d.

Item determinavit dominus Johannes Gingen sub magistro Johanne Spenlinc, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Judocus Fusci sub magistro Johanne Spenlinc, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Hilbrandus de Hoven sub eodem, cujus bursa XX d.

Item determinavit dominus Johannes Dalgles, Scotus, sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VI s. IIII d.

Item determinavit dominus Johannes de Bron, Scotus, sub magistro Johanne Crannack, cujus bursa V s. VI d.

Item determinavit dominus Thomas Erskyn, Scotus, sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VI s. IIII d.

(*Fol. 14*[b]) Item determinavit dominus Andreas de Geddes sub magistro Johanne Crannack, cujus bursa V s.

Item determinavit dominus Nycolaus Tredeber de Hassia [5] sub magistro Johanne Spenlinc, cujus bursa XX d.

Item determinavit dominus Theotricus Sittert sub magistro Henrico de Novimagio, cujus bursa II s. et IIII d.

Item determinavit dominus Nycolaus de Aeistania [6] sub magistro Henrico Veltkerken, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Arnoldus de Brocke alias Zokarst sub magistro Paulo, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Robertus Clerici [7], Scotus, sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s.

Item admissus fuit ad gradum bachalariatus dominus Petrus de Maguncia [8], bachalarius Erfordensis, cujus bursa XX d.

1408

Continuacio Jacobi de Harlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum prima Junii anno millesimo CCCC VIII°, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus et habuit nacio eum gratum, avoatum et recommendatum. Quantum ad secundum conquerebatur magister Hugo de Narbona de magistro Conrardo, dicens se fore per eum injuriatum, narrando qualiter intencionis sue erat disputare in vico, et habuit bachalarios ad respondendum paratos, et dum bedellus ex parte sui suam disputacionem pronunciaret, mandavit sibi magister Conrardus antedictus, ut ex parte sui disputaciones proclamaret in *scolis septem artium* super terram. Adveniente vero hora disputacionis intravit loco sui magister Johannes de Halis, quod magister Hugo prefatus valde dicebat cedere in prejudicium sui, cum senior eo erat, et non solum in prejudicium sui, sed tocius nacionis, cum ex hoc plura jurgia in nacione sequi possent. Nacio vero deliberabat magistrum Conrardum me-

1. *Infra ad an.* 1415, *Nov.* 15, *vocatus* Wrumer.
2. *Infra ad an.* 1416 de Antiqua ecclesia.
3. *Seu* Vaeck, *can. S. Petri Sitterden., Leodien. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 153, *fol.* 199 b).
4. *Fuit* Coloniens. dioec., *ut apparet e* Suppl. Martini V, n° 103, *fol.* 78b, *ad an.* 1417. *An.* 1423 *can. Aquens. Leodiens. dioec., et supplicavit ut haberet canonicatum S. Victoris Xancten. Colon. dioec.* (ibid., n° 162, *fol.* 17). *Pluries in* Suppl.
5. *Fuit postea canonicus eccl. B. Mariae Erfordens.* Suppl. Martini V, n° 103, *fol.* 273; n° 170, *fol.* 284b.
6. *I. e.* Eichstaedt. *Infra etiam* Eustania, Eystania.
7. *Brechinens. dioec.* (Suppl. Mart., n° 136, *f.* 176).
8. *Videtur fuisse* Petrus Knapp de Maguncia, *qui an.* 1401 *Erfordiae intitulatus est. Vid.* Weissenborn, Acten d. Erf. Univ. I, 62 b. *In* Suppl. Martini V, n° 104, *fol.* 78, *vocatur* Petrus Rodmuller, alias dictus Knapp, mag. in art. et licent. in med.

moratum ad nacionem fore vocandum ad audiendum suas excusaciones, si quas haberet, et pecunias suas sibi racione examinis bachalariorum provenientes fore arrestandas, quousque nacio super predicta injuria ordinasset de remedio oportuno.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XI[a] Junii, super duobus articulis. Primus erat super facto magistri Conrardi et magistri Hugonis, qui articulus ad requestam magistri Conrardi et propter paucitatem magistrorum dilatus fuit ad proximam congregacionem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad istum articulum supplicaverunt pro dilacione bursarum Arnoldus Brocke usque ad festum Bartholomei, Johannes de Castro et Reynerus de Ouderkerke usque ad festum Jacobi, et concesse erant eorum supplicaciones, dum ponerent vadia secundum nacionis statuta.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, XX[a] Julii, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus super facto magistri Conrardi et magistri Hugonis de Narbona. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum auditus fuit compotus et placuit. Quantum ad secundum voluit nacio quod magister Conrardus veniret ad nacionem et confiteretur se deliquisse, sicut fecit, et quod tunc Boemundus traderet sibi pecunias suas per nacionem arrestatas. Quantum ad tercium supplicavit magister Gherardus de Delf[1], receptor nacionis, ut nacio sibi vellet subvenire in aliqua summa pecuniarum pro principio suo in medicinis faciendo per modum doni vel mutui. Supplicaverunt eciam bedelli, ut nacio more solito subveniret eis de una quota, visa anni sterilitate. Que supplicaciones pro tunc erant impedite, et dati erant deputati ad avisandum bonum modum subveniendi magistro Gherardo sine gravamine nacionis et eciam bedellis.

(*Fol. 15*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, sexta Augusti, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum ea que avisata erant per deputatos datos. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum avisaverant deputati, ut nacio subveniret magistro Gherardo in XXIIII libris parisiens. pro inceptione sua, *visa potencia nacionis*, et non solum sibi sed aliis in similibus casibus, dummodo ponerent causionem sufficientem, vel per vadia vel per fidejussores sufficientes, et quod infra certum tempus satisfaciant vel quod eorum vadia, que erunt in proporcione dupla vel sexquialtera, vendantur, vel quod eorum fidejussores conveniantur; eciamsi nacio propter aliquem casum fortuitum indigeret pecuniis, quod ante terminos assignandos posset se de vadiis vel fidejussoribus juvare. De facto bedellorum avisaverunt deputati quod visa anni sterilitate Boemondo traderentur X scuta, et Mathie proporcionabiliter. Et istud avisamentum placuit concorditer nacioni. Quantum ad secundum supplicaverunt magister Gherardus et bedelli pro pretactis, et supplicaciones concesse fuerunt.

1408

Acta in procuratoria magistri Johannis de Hallis.

Anno Domini CCCC VIII°, die XXVII[a] mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer nemine reclamante Johannes de Hallis magister in artibus. Quoad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione anno ut supra, die decima octava mensis Septembris, nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat de aggressu cardinalis Burdugalensis[2] a nacione. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum conclusum fuit co[n]corditer per nacionem ut non adiretur a nacione, sed nacio staret contenta de hoc quod una cum rectore Universitatis visitaverit eum. Quoad secundum nullus supplicavit.

(*Fol. 15* [b]) Facta congregacione anno ut supra, XXI[a] die mensis Septembris, die Mathei apostoli, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem; secundus erat super commendacione receptoris precedentis in hiis que fecit, tercius erat ad distribuendum scolas. Quantum ad primum fuit electus magister Jacobus de Herlem in receptorem. Quantum ad secundum habuit nacio magistrum Ger-

1. *Qui etiam vocatur* Gerardus Ysebrandi. *Vid. tom.* I, p. 970[2]. *In* Comm. fac. med. (I, p. 124) Gerardus Isbrandi *lic. fuit in medic. an.* 1408, *mense Junio, et* principiavit *ejusdem anni Sept.* 18 (ibid., p. 126). *Alius est* Gerardus Brant, *qui jam an.* 1400 *Heidelbergam adivit* (*vid. tom.* I, p. 759, *not.* 2), *et an.* 1409, *Dec.* 20 *fuit rector Univ. Heidelbergensis* (Toepke, Matrikel, I, 112); *qui mortuus est an.* 1437, *Mai.* 21 (ibid., II, 597, not.).

2. Francisci Uguccione, *qui occasione* Concilii Parisiis *hoc anno, Aug.* 11 *usque Novemb.* 5 *celebrati Parisiis morabatur.*

hardum de Davantria gratum et recommendatum in hiis que fecit in receptoria sua, illo adjecto quod ipse in pecunia sibi concessa a nacione, scilicet XXIIII libris, satisfaceret juxta vota que fecit, scilicet pinguoribus subrogatis seu traditis, sive civibus Parisiensibus sufficienter caucionem pro ipso facientibus, ac eciam pro residua pecunia derelicta, quam reddere tenetur de receptoria sua. Fuit eciam novus receptor, scilicet magister Jacobus de Herlem, requisitus per juramentum quod pecuniam nacionis poneret in archam nacionis. Quantum ad tercium articulum distribute fuerunt scole magistris regentibus juxta antiquitates ipsorum, et si quis non regeret per majorem partem ordinarii, solveret locagium scolarum. Item scole que non ocupantur a magistris nacionis, concessit nacio nacioni Piccardie ad requestam magistri Wulhelmi Block.

Sequuntur ergo regentes cum fidejussoribus ipsorum.

Magister Wilhelmus Block, fidejussor magister Jacobus de Harlem.

Magister Gisbertus Schaey, fidejussor magister Joh. Galencop.

Magister Joh. Goberstat, fidejussor Thomas de Ungaria.

Magister Thomas de Ungaria, fidejussor magister Joh. Goberstat.

Magister Joh. Crannack, fidejussor magister Joh. Laverock.

1408

(*Fol. 16*) Acta in procuratoria magistri Ghiisberti Scay.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Bernaerdum anno Domini M CCCC VIII°, XXIIIIª mensis Septembris, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat ad audiendum compotum receptoris antiqui. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Ghiisbertus Scay in procuratorem, nemine contradicente. Quantum ad secundum nichil factum est, quia eadem hora erat congregacio Universitatis, cui interesse oportebat in eodem loco. Quantum ad tercium supplicavit procurator antiquus, ut haberetur gratus et recommendatus, quod concessum est sibi.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXVª ejusdem mensis hora VIIIª super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum receptoris antiqui et acceptandum vadia pro XXIIII libris sibi concessis per nacionem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum audita est computacio receptoris, qui recognovit se ultra pecunias sibi concessas, videlicet XXIIII libras, debere nacioni IIII libras, VI denarios, de quibus dedit novo receptori unam libram et III francos, quos quidem III francos idem receptor novus exposuit in taberna ex deliberacione nacionis, nemine contradicente, in electione sua, et sic restant de predictis IIII libris VI denariis : XII solidi, VI denarii per eum solvendi. Item idem receptor antiquus recognovit se debere nacioni ultra predicta II francos ex parte mag. Jacobi de Delf, pro quibus posuit vadium librum unum, quem sibi asseruit valde necessarium. Item idem posuit in manibus receptoris novi pro XXIIII libris sibi concessis vadia, tres scilicet libros. Primus est decretum incipiens in 2° folio in prima riga *Plebiscita sunt*.et penultimo folio in prima riga sic, *unde et Galienus*. Secundus est lectura domini Bonaventuri super secundum Sententiarum, incipiens in 2° folio in prima riga *semper querit et mendicat*, et in penultimo folio prima riga *servitus introducta fuit per peccatum ebrietatis*. Tercius liber est in pergameno scriptus in rotunda littera qui sic incipit in 2° folio in prima riga : *[ef]fectus sequentur secundum imperium voluntatis*, et in penultimo similiter prima riga : *materie, multo ergo magis*. Item idem resignavit receptori novo vadia pro XI libris, XVIII solidis, quas nacio concessit provincie Almannie, duos libros videlicet Problemata Aristotelis, et dicta domini Aelberti [Magni] super libros naturales, qui duo libri cathenati sunt cathenis ferreis.

Quantum ad secundum articulum supplicavit nacioni receptor antiquus, quatenus nacio velit sibi restituere librum quem dedit in pignus pro duobus francis, et assignare sibi terminum solucionis tocius summe pecuniarum, quas debet nacioni, annum videlicet a festo Dyonisii proxime venturo usque ad festum Dyonisii post hoc proxime futurum; et concessa est sibi supplicacio, sub hac condicione quod medietatem predicte summe solveret in festo Pasche proximo, et alteram medietatem in festo Dyonisii proxime sequente, salvis tamen prius super hoc per nacionem deliberatis.

Facta est congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum VIIª mensis Octobris hora 3ª post prandium super supplicacione magistri nostri magistri

Wilhelmi de Xanctis [1]. Ostendit enim magister noster nacioni quod erat quidam studens nacionis Anglicane de Ordine Augustinencium, qui uno anno vel circiter studuit Parisius, et a patribus conventus amicabiliter receptus est secundum extraneorum studentium statuta, de post eciam generali Ordinis consensiente. Demum iste generalis eundem studentem a conventu voluit expellere nulla racionabili precedente causa, ut asseruit, licet bonorum fuerit morum, laudabilis vite et bone conversacionis, veridicorum testimonio probante. Supplicavit ergo magister noster prefatus quatenus nacio sibi assisteret, et pro ipso Universitati supplicaret. Quod concessum est sibi, quia procurator nomine nacionis supplicavit pro eo in congregacione Universitatis in Sancto Maturino.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXI^a mensis ejusdem, hora IX^a, super decisione litigii inter magistros Johannem de Halis et Aelbertum de Misen. Conquestus enim est magister Joh. de Halis quod magister Aelbertus de Misen ingesserat se in officio magistro Johanni per nacionem commisso, scilicet examinacione bachalariorum in Sancta Genofefa, et in presencia facultatis juravit sine scitu et consensu magistri Johannis, eciam sine speciali mandato nacionis. Et respondit mag. Aelbertus se hoc fecisse ob honorem nacionis, quoniam mag. Johannes pro tunc non erat presens, nec aliquis cui ipse commiserat, nacione sciente. Comperto autem per nacionem, quemlibet ipsorum defecisse, magistrum Johannem scilicet, quia ipse non fuit presens et tamen sibi fuerat intimatum (quemadmodum in presencia nacionis Mathias subbedellus deposuit) et insuper interesse poterat; magistrum Aelbertum vero eo, quod ingesserat se officio sibi non commisso nacione inconsulta : quare deliberavit nacio quod mag. Aelbertus examinaret pro primo mense eo quod ipse juraverat, nec mag. Johannes jurare poterat nisi in presencia facultatis, ut super hoc statutum continet, sed in emendam daret nacioni III solidos, in quibus nacio mag. Johanni esset graciosa, reliquis tamen mensibus pro magistro Johanne prefato reservatis. Item deliberavit nacio quod quilibet magistrorum predictorum veniam peteret, unus alteri, super injuriis sibi mutuo verbotenus illatis et uterque juraret in presencia nacionis se non in posterum sibi mutuo injuriam illaturos, nec in dicto, nec in facto, nec per se, nec per alios, nec in absencia, nec in presencia, pro posse eorum; quod si oppositum contigerit, nacio graviter vindicabit.

1408

(*Fol. 16*^{b}) Acta in procuratoria magistri Thome de Ungaria.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum vicesima prima die mensis Octobris anni M^{mi} CCCC^{mi} VIII, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in hora nona magister Thomas de Ungaria in procuratorem novum cum consensu omnium magistrorum nemine contradicente. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et recommendatus, et unanimiter fuit sibi concessum. Insuper supplicavit idem procurator novus, scilicet magister Thomas de Ungaria, ut magistri facta congregacione ipsum ad tabernam associare vellent, qui supplicacionem suam admittentes secum ad tabernam iverunt, quibus ibidem idem magister Thomas procurator novus bono corde et liberaliter viginti solidos parisiens. et unum album dedit ad perpotandum, etc.

Sequuntur nomina licenciatorum in eadem procuratoria anno predicto.

Primo licenciatus fuit dominus David de Narn [2], cujus bursa V s.

Item 2° licenciatus fuit dom. Albertus de Novimagio, cujus bursa V s.

Item 3° licenciatus fuit dom. Thomas Erskyn, cujus bursa VI s. IIII d.

Item 4° licenciatus fuit dom. Nicolaus de Eystania, cujus bursa II s.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum V^a die mensis Novembris anni predicti super expedicione domini Nicolai de Eystania pro licencia in artibus. Idem Nicolaus supplicavit in nacione, attento quod pro tunc non habebat expedire bursas domino receptori, quatenus nacio vellet capere fidejussorem usque ad certum terminum cum vadiis sufficientibus. Finaliter magister Nicolaus de Saxonia promisit coram nacione satisfacere domino receptori de illis bursis predicti

1. *Fuit Ord. Erem. S. August. Vid. tom.* I, p. 936, *not.* 3.
2. *Scotus, petit de defectu natal.* (Suppl. Mart. V, n° 181, *fol.* 181), *et fit an.* 1432 *can. Glasguens.* (Reg. Eugen. IV, Lateran., *an.* 2 de div. form. *lib.* 25, *fol.* 23b).

domini Nicolai, sub ista tamen condicione quod idem Nicolaus de Eystania predicto magistro Nicolavo ab illo tunc usque ad festum Nativitatis Domini satisfaceret, vel quod sufficiens pignus daret, quod prefatus dominus Nicolaus coram nacione facere juravit.

Item quinto licenciatus fuit dominus Johannes de tsr Gravenzande, cujus bursa II s.

Item sexto...

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum tercia decima die mensis Novembris anni predicti super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de festo nacionis predicte. Secundus erat super supplicacionibus etc. Quantum ad primum articulum dabat nacio tres magistros ad providendum de festo predicto, scilicet magistrum Johannem Speling pro *altis Alamanis*, et magistrum Nicolaum de Saxonia pro *bassis Alamanis*, et 3° magistrum Johannem Gray [pro] *Scotis* [1]. Et voluit tunc nacio, quod isti tres una cum domino receptore nacionis predicte haberent facere provisionem de festo. Et deliberatum fuit pro tunc quod, quia nacio non habebat pecunias secundum quod annis precedentibus consueverat habere, quod nulli invitarentur ad festum preter curatum et suum capellanum.

Quantum ad secundum articulum supplicaverunt dominus Nicolaus de Eystania et dominus Johannes de tsr Gravenzande quatenus nacio assignaret eis terminum pro solutione pecuniarum debitarum nacioni pro inceptione in artibus. Et nacio concessit eis in forma communi usque ad brandones.

Nomina incipientium in eadem procuratoria anno ut supra.

Primo incepit dominus David de Narn sub magistro Guillelmo Plok, cujus bursa V s.

Secundo incepit dom. Albertus de Novimagio sub eodem, cujus bursa V s.

Tercio incepit dom. Thomas Erskyn sub magistro Johanne Crannac, cujus bursa VI s. IIII d.

Item incepit dominus Johannes de tsr Gravenzande sub magistro Sisberto [2] [cujus] bursa II s.

1408

(*Fol. 17*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Gruesbeeck.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XIXª die mensis Novembris [3], anno M° CCCC° VIII° super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel antiquum continuandum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Johannes de Gruesbeeck. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicatio ab omnibus fuit concessa.

Sequuntur nomina licenciatorum in eadem procuratoria.

Primo lic. fuit dominus Arnoldus de Osnaburgis, cujus bursa XVI d.

Item secundo lic. fuit dom. Johannes de Allen, cujus bursa V s.

Item tercio lic. fuit dom. Matheus Glendonwin, Scotus, cujus bursa VII s.

Item quarto lic. fuit dom. Wernerus de Zutfania, cujus bursa XVI d.

Item quinto lic. fuit dom. Robertus Clerici, cujus bursa VII s.

Item lic. fuit dom. Johannes Cruchter de Treveris cujus bursa XVI d.

Item dominus Johannes Glen, Scotus, cujus bursa V s.

Item dom. Johannes Nicholai de Harlem, cujus bursa V s.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XXVIIIª die mensis Novembris anno quo supra, supplicavit in nacione dominus Johannes Cruchter de Treveris pro dilatione bursarum, attento quod pro tunc non habebat pecunias, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa, dummodo poneret sufficientia vadia. Et datus est sibi terminus usque ad [festum] Purificacionis.

Item sequenti die facta congregacione nacionis in eodem loco quo supra, supplicavit dominus Wernerus de Zutfania pro dilatione bursarum, cujus supplicacio fuit concessa, et datus fuit sibi terminus usque ad festum Purificacionis, dummodo poneret vadia sufficientia.

Item facta congregacione Universitatis IIª die mensis Decembris in Sancto Maturino supplicavit dominus Johannes de Osnaburgis pro dilatione bursarum, cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa,

1. *Sic confirmantur, quae in tom.* I, p. XVII, *de divisione natione nat. Anglicanae in* Alemanniam superiorem, Alemanniam inferiorem, *et in* Scotiam *narravimus. Vid. pluries infra.*

2. *I. e.* Giisberto.

3. *Ms.* octobris.

dummodo poneret sufficientia vadia, et datus fuit sibi terminus usque ad medium Quadragesime.

Sequuntur nomina incipiencium in eadem procuratoria.

Et primo incepit dominus Johannes Cruchter de Treveris, cujus bursa XVI d.

Item dominus David Hamilton[1] Scotus, cujus bursa VII s.

Item incepit dominus Robertus Clerici sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII s.

Item incepit dom. Johannes Glem sub eodem, cujus bursa V s.

Item incepit dom. Johannes de Osnaburgis sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa XVI d.

Item incepit dom. Johannes Nicolai de Harlem sub eodem, cujus bursa V s.

(*Fol. 17* [b]) Item licentiatus fuit dom. Johannes de Montfordia sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIII s.

Item lic. fuit dom. Petrus de Maguncia sub magistro..., cujus bursa XX d.

Item incepit dominus Johannes de Montfordia sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIII s.

Item incepit dominus Petrus de Maguntia sub eodem, cujus bursa XX d.

1408

Acta in procuratoria magistri Alberti Wedebech seu de Misena.

Facta congregacione nacionis Anglicane hora consweta apud Sanctum Maturinum XVII[a] die mensis Decembris anno Domini M° CCCC° VIII°, super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer nullo reclamante magister Albertus Wedebech seu de Misena. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicatio fuit concessa ab omnibus.

Secuntur nomina licenciatorum in eadem procuratoria.

Primo licenciatus fuit dominus Johannes Wermer, cujus bursa II sol.

Secundo lic. fuit dom. Johannes Carketil et ejus [bursa] IIII sol.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XXI[a] die Decembris supplicavit magister Thomas Ethiopis, alias de Ungaria, viso quod ipse missus erat pro eundo ad Ungariam, e : parte Universitatis, quod haberetur pro regente, non obstante quod ipse non compleverat cursum regencie juxta ordinaciones et statuta prevate (*sic*) regencie. Cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit magister Albertus Wedebech pro tunc procurator nacionis Universitati quatenus Universitas vellet dare audienciam magistro Petro de Austria[2], et ipso audito se vellet jungere predicto magistro; cujus requesta fuit concessa, et statim Universitas se junxit predicto magistro Petro.

1409

(*Fol. 18*) Continuacio ejusdem magistri Alberti Wedebech seu de Misena.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XIIII[a] die Januarii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et tunc nullo reclamante continuatus fuit magister Albertus Wedebech seu de Misena. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum articulum magister Albertus Wedebech seu de Misena, pro tunc procurator, supplicavit, ut haberetur gratus et recommendatus; cujus supplicacio ab omnibus concorditer fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane eadem die et anno Domini ut supra, hora secunda post prandium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super detencione quorumdam scolarium detentorum in domo cujusdam magistri nomine Kadart[3]. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum articulum venerabilis vir magister

1. *An.* 1422 *scribit, se etiam bacc. Paris. in decr. esse, et per sex annos in theol. studuisse, ducis Albaniae et comitis Joh. de Bughan, constabularii Franciae, consanguineum. Fuit cler. Glasguens. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 155, *fol.* 246), *an.* 1427 *archidiac. eccl. Candidae Casae* (*ibid.*, n° 201, *fol.* 101), *an.* 1429 *decan. eccl. Glasguens., in theol. et decr. baccal.* (n° 240, *f.* 108).

2. *De hoc infra* p. 41, 41.

3. Johannes Cadart, *nat.* Picard., *in medicina* incepit *an.* 1412, Mai. 11 (Comment. fac. med. I, p. 170) *et* magister regens *Paris. ab anni ejusdem mense Nov. usque ad Nov.* 1415 *remansit. Praeterea fuit physicus Johannis et Caroli delphini. Vid. de ipso* BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. VI, p. 396.

Hermannus Ruybe exposuit nacioni quendam casum, racione cujus quinque scolares in artium facultate studentes per antedictum magistrum Johannem Kadart in domo sua fuerunt detenti. Et fuit casus talis : In die sancti Firmini [1], in qua celebratum fuit festum Piccardorum, antedictis scolaribus domum sepedicti magistri Johannis Kadart inhabitantibus hee injurie fuerunt illate. Ipsis enim sedentibus in camera sua juxta ignem quiete et sine strepitu, venerunt ad eos primo magister Egidius submonitor in antedicta domo et cocus ejusdem domus, inquirentes ab ipsis et dicentes : « Suntne hic gentes armorum, fures et latrones? » Breviter responso ipsis dato, quod non, predicti duo recesserunt et iverunt ad collegium cardinalis Monachi et allibi congregantes multos homines cum instrumentis bellicis, quibus congregatis venerunt ad domum sepedicti magistri et consequenter accesserunt cameram predictorum scolarium cum strepitu ac clamore hostiumque camere scolarium fregerunt et sepedictos scolares valde horribiliter aggressi fuerunt, sic quod quilibet ipsorum timorem amissionis vite susceperat vehementem, ymo quod plus est, unus ipsorum timore motus cecidit per fenestram, et nisi Deus gloriosus ipsum in sua salvagardia habuisset, utique collum suum aut aliud membrum fregisset. Quo facto, ducti fuerunt per retro ad collegium cardinalis Monachi, in quo collegio racione cujusdam ludi eadem hora ibidem celebrandi congregate fuerunt multe gentes, in quarum presencia predictis scolaribus multe injurie fuerunt illate; clamaverunt enim contra ipsos dicentes : *Alamani latrones, latrones*, et sic puritatem bone fame predictorum scolarium multum denigraverunt, ymo quod plus est, ipsos manibus percusserunt et unum ipsorum usque ad effusionem sanguinis leserunt. Quo facto, reducti (*Fol. 18*[b]) fuerunt ad domum predicti magistri Johannis Cadart et ibidem iteratis vicibus predicti scolares multipliciter fuerunt blasphemati, legatis enim manibus et pedibus crudeliter positi fuerunt supra nudam terram veluti porci et alia bruta animalia ad mactandum. Denique diligenti inquisicione de quibusdam rebus, quas perditas fore dicebant, habita, predictos scolares per integram noctem in vinculis detinebant. Altero vero die ex precepto predicti magistri Johannis Cadart continuata fuit scolarium captivitas usque ad no[c]tem. Verum est quod predictus magister Johannes Cadart duxerat unum commissarium regium ad domum suam, qui predictorum scolarium audiret confessionem. Et breviter sic factum fuit.

Et isto casu audito, deliberavit concorditer nacio quod dominus procurator associatus quibusdam magistris, videlicet magistro Hermanno et magistro Johanne Gallenkop, magistro Nicholao Kunekin alias de Sachsonia, necnon multis aliis magistris nacionis, iret ad domum predicti magistri Johannis Cadart et ab ipso peteret, qua de causa ipse predictos detinuit scolares. Et hec fuit deliberacio super primo articulo. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis, et quoad istum articulum, nemo supplicavit.

Et finita congregacione ad demandandum execucioni deliberacionem magistrorum, dominus procurator necnon magistri ad hoc per nacionem specialiter deputati iverunt ad domum predicti magistri Johannis Cadart, ipsisque ibidem existentibus magister Albertus de Missena, pro tunc procurator nacionis, cepit verbum dicens : « Magister Johannes, intellexi a magistris meis, necnon ab aliquibus scolaribus, quomodo vos scolares nacionis Anglicane, matris mee, per integram noctem in vinculis ac captivitate vestra detinuistis, et adhuc pro presenti ipsos detinetis, et ideo ex consilio magistrorum meorum ad vos cum magistris meis veni ad sciendum, quare hoc fecistis ». Responsio magistri Johannis Cadart fuit hec : « Domine procurator, ego habui predictos scolares suspectos, ideo hoc feci ». Et ultra dixit : « Commissarius regius est penes ipsos, et audit confessionem ipsorum, et confessione facta ipse vobis faciet relacionem ». Et tunc immediate supervenit commissarius et fecit domino procuratori ac ceteris magistris ibidem existentibus reverenciam et econtra. Et tunc dominus procurator direxit verbum commissario dicens : « Domine my, estis vos hic ex parte regis? » Respondit quod sic. Et consequenter dominus procurator peciit ab eo utrum audiverat confessionem predictorum scolarium. Iterum respondit quod sic. Tunc dixit dominus procurator : « Ego requiro vos per juramentum quod fecistis regi, quod dicatis confessionem predictorum scolarium et nudam veritatem ». Tunc ipse dixit : « vere, magister hic existens eos (*Fol. 19*) habet suspectos, et nichil reperi in ipsis nisi quod ipsos magister habet suspectos ». Et tunc procurator traxit magistros suos ad partem, petens ab eis quid agendum. Videbatur magistris, quod requirendus esset commissarius quod ipse procederet juxta con-

1. *Januarii* 13.

fessionem scolarium, videlicet si essent reperti inmunes, quod dimitterentur; si autem culpabiles, quod redderentur ordinario suo, et si non esset facta sufficiens informacio de inmunitate ipsorum, quod tunc magister Johannes Cadart poneretur cum eis ad carceres et doceret causam suam. Quo facto statim respondit magister Johannes Cadart dicens, quod ipse non vellet ipsos plus tenere, sed bene vellet, quod ipsi facerent facta sua, quia nichil haberet plus cum ipsis agere, et sic eos dimisit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XVIII[a] die mensis Januarii, anno Domini ut supra, super tribus articulis. Primus erat super injuria scolarium. Secundus erat super computo domini receptoris. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum junxit se nacio scolaribus injuriatis, nullo reclamante, et protestabatur nacio se velle prosequi injuriam scolaribus illatam. Quoad secundum articulum placuit nacioni differre computum ad alium diem. Quantum ad tercium articulum supplicavit magister Petrus de Austria nacioni quatenus nacio vellet sibi dare consilium et auxilium in facto suo quod habuit contra quendam militem, cujus nomen erat dominus Johannes de Novo Castro, qui eum cepit in Burgundia, ipsumque bonis suis spoliavit et ipsum cum duobus scolaribus in carcere suo et in compedibus ferreis per integras VII septimanas detinuit. Consequenter dixit predictus magister Petrus in nacione, quod ipse predictum militem vidisset et eum in curia domini Burgundie allocutus fuisset, supplicando sibi quod ipse vellet sibi reddere bona ablata amore Dei. Qui eum respexit, dicens : « Tu es perjurus et infamis, et nisi subito recedas, ego faciam te proici per fenestram ». Quo audito, deliberavit nacio quod bonum esset quod miles arrestaretur. Quare immediate post congregacionem magister Albertus Wedebech alias de Misena, pro tunc procurator nacionis, indutus habitu, associatus quibusdam magistris una cum bedello nacionis, qui virgam argenteam ante ipsum ferebat, accessit ad Castaletum, petens commissarium regium; et datus fuit sibi commissarius. Quo dato unanimiter accesserunt ad hospicium predicti militis, ipsumque arrestaverunt et ad Castaletum duci fecerunt, et tunc accusatus (*Fol. 19* b) fuit predictus miles de spolio commisso per ipsum. Accusacione facta incepit miles se excusare et factum suum justificare. Quo facto dominus procurator nacionis requisivit ut predictus miles detineretur, et ita detentus fuit usque ad X[mam] horam versus medium noctis. Et tunc ad predictum Castaletum venerunt octo milites ex parte ducis Burgundie et instanter militem requisiverunt. Quo audito procurator nacionis se expedicioni predicti militis opposuit. Tandem ad hoc devenerunt, ut predictus miles bonam caucionem burgensem [1] faceret pro X milibus francorum. Quo facto petiverunt milites a procuratore nacionis, an ipse vellet cum ipsis pro pace tractare. Qui respondit quod sic. Consequenter dixerunt milites quod ipsi ex parte militis comparere vellent libenter, et tunc procurator nacionis dixit eis, quod si placeret eis, quod in sequenti die IX[a] hora in pauco numero ad pallacium ad tractandum pro pace venirent. Qui dixerunt se velle libenter facere. Altera vero die venerunt pro parte militis quinque milites, et pro alia parte venit dominus procurator cum magistro Petro de Austria una cum quibusdam aliis magistris, et post longum tractatum concordaverunt predicti utriusque partis in hoc quod predictus miles pro spolio facto daret spoliatis centum scuta auria cum quinque libris parisiens. Quod quidem [2] apuntuamentum ab utraque parte fuit approbatum, et sic predicti utriusque partis amici facti sunt.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra super tribus articulis. Primus erat super facto scolarium injuriatorum. Secundus erat super computo domini receptoris. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum concordia fuit quod dominus procurator haberet adire aliquos de Castaleto et ibidem se informare de modo procedendi, et modum repertum in nacione deberet referre. Quoad secundum articulum placuit nacioni compotus domini receptoris. Quoad tercium articulum nullus supplicavit.

Sequuntur nomina incipiencium in eadem procuratoria.

Primo incepit dominus Wernerus de Zutfania, cujus bursa quatuor albi.

1409

(*Fol. 20*) Acta in procuratoria magistri Tidemanni Langhe [3].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud

1. *I. e.* burgensium *seu* civium. *Vid. supra* p. 10, *not.* 4.
2. *Ms.* quidam.
3. *An.* 1410 *in fac. medic. Paris. studuit* (Comm. fac. med., I, p. 155).

Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, die decima mensis Februarii, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus super auditione computus domini receptoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Tidemannus Langhe, nemine reclamante postremo, qui largiflue dedit duos francos in propina. Quantum ad secundum placuit nacioni differre computum domini receptoris. Quantum ad tercium supplicavit procurator antiquus, ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus in hiis que egit in procuratoria sua, cujus supplicacio concorditer fuit concessa. Item et supplicavit magister Jacobus de Harlem receptor ejusdem nacionis super injuriis illatis nacioni et sibi ex officio receptorie per magistrum Thomam de Prucia ex eo, quod predictus magister monitus per eundem et primo per bedellum ad solvendum bursas debitas nacioni, respondit sibi contumeliose, ut dixit. Qui predictus magister Thomas cum nisus est se excusare, deliberavit nacio predictam supplicacionem ad proximam congregacionem differre.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, die XXIIIa mensis Februarii, per juramentum super septem articulis. Primus ad eligendum examinatores bacellariorum et ad eligendum distributores mensium. 2us articulus ad avisandum modum procedendi in facto alias injuriatorum magistri Werneri de Zutfania et scolarium de nacione et in ponendo finem in facto eorum, quia detenti alias fuerant in domo magistri Johannis Cadart, vel quod nacio omnino se non interponeret amplius. Tercius articulus ad avisandum in facto provisionum. Quartus articulus ad reperiendum modum recipiendi exquisite taxam bursarum determinantium examinatorum ad majus commodum nacionis sine fraude et sine dolo. Quintus articulus de modo recipiendi juramentum paupertatis et ad procedendum contra rebelles predicto juramento, si qui sint de facto, fuissent vel essent. Sextus articulus ad audiendum supplicacionem domini curati parrochialis ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani pro subsidio sibi fiendo ad opus ecclesie de quodam ingressu ibi disposito in fieri. Septimus articulus super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum electi sunt examinatores secundum antiquam observanciam, et exiverunt nacionem dominus receptor ejusdem nacionis, magister Jacobus de Harlem, et senior magister non regens magister Conrardus de Haghennouwen, et duo seniores regentes magister Gwilhelmus Bloc et magister Ghiisbertus Scay, et elegerunt seipsos, et placuit nacioni ipsos jurare ut moris est. Non obstante tamen quod per majorem partem nacionis procurator fuisset adjunctus, sicut dicetur in quarto articulo, tamen [1] uno deliberante et dicente, si procurator assit, merito deberet et assistere in temptamine de rigore (*Fol. 20b*) et participare emolumenta secundum quod alii examinatores, et ideo videtur quod non de necessitate ibi requiratur propter murmur quod statim fieret; item quia receptor de consilio aliorum examinatorum sociorum suorum poterit ibi taxare bursas scolarium et per cedulam signatam manuali suo significare procuratori de quantitate burse : et cum omnes reclamando unanimi concordia coinciderunt in hunc modum, verumtamen aliqui de prius presentibus tres vel quatuor recesserunt antequam ista fierent. Tunc procurator, ut consultius ageret, posuit in deliberacione magistrorum, ut de novo deliberarent, an procurator ipse haberet concludere conclusionem habitam a majori parte, vel illam in quam de novo aquieverunt. Et deliberatum fuit concorditer, quod procurator concluderet secundam conclusionem, et ita factum est, scilicet quod receptor per cedulam etc. Item predicti examinatores optulerunt solvere pro potacionibus 8 solidos; sed nacio non contenta remisit ad proximam congregacionem.

Quantum ad secundam partem istius articuli supplicavit magister Jacobus [de Lindesay] [2] Scotus pro omnibus mensibus in cameris in examine Sancte Genovefe [3], et nacio annuit supplicacioni sue, dummodo daret unum francum ad potandum in proxima congregacione nacionis.

Quantum ad secundum articulum dedit nacio deputatos dominum procuratorem et alios magistros quos crederet sibi propicios et necessarios in illo facto pro adeundo magistrum Jacobum de Flandria et exponendo sibi casum, quia honor nacionis lesus est per ipsum, quia percussit unum scolarem de suppositis ad maxillam, etc., sicut scribitur in alia procuratoria [4], et ideo supplicaret nacio, et vellet quod ipse propter bonum pacis provideret de emenda, et si non pecuniaria, tamen ad reintegracionem bone fame

1. *Ms.* tandem.
2. *Vid. de ipso infra ad an.* 1409.
3. *In margine scribitur ad hoc :* Item nota quod nacio potest ponere unum examinatorem pro omnibus mensibus in Sancta Genovefa.
4. *Sed nullibi hujus facti mentio fit.*

ipsius scolaris condigna; alias nacio non sustinens predictam injuriam procederet ubi est oportunum. Et simili modo pro adeundo magistrum Johannem Cadart; de responso autem informaret nacionem, que super hoc deliberaret; immo nacio voluit eis assistere sicut alias deliberavit expensis eorum, sicut consuetum est in Universitate. Et ad id supplicavit magister Wernerus injuriatus, cujus supplicacio concorditer fuit concessa.

Quantum ad tercium articulum. Cum dominus rector [1] esset in domo domini patriarche [2] ad exequendum deliberata Universitatis super reformatione prerogativarum alme matris Universitatis Parysiensis et preclare facultatis artium in quatuor articulis, quod scilicet Universitas predicta quoad omnes facultates, nationes et magistros, precederet omnes Universitates et omnia supposita, et cum certa modificacione supplicavit procurator nacionis Francie absente procuratore nacionis [Anglicane] in facto nacionis, ut dominus patriarcha vellet se onerare de reformando supposita *nacionis Alemannie*, quia essent forte quindecim, sicut oneravit se de nacione Francie et alii prelati oneraverunt se de nacionibus suis. Et statim dominus patriarcha respondit benigne quod faceret et quod in crastinum darentur sibi supplicaciones male collocatorum. Circa istud deliberavit nacio concorditer, licet non tetigit nisi pauca supposita neutralia vel quasi circa deliberata alias per ipsam et facultatem artium et Universitatem, quod voluit prosequi istam reformacionem juxta antiquas consuetudines, vel quod non acceptaretur rotulus, cum hoc regraciando domino patriarche de benivola oblacione sua, supplicans quod demanderetur effectui. Et circa hoc procurator haberet facere diligenciam, sic quod magistri scirent collocationes suas, et tunc avisarent de reformacione. Item in (*Fol. 21*) Sancto Maturino nacione adhuc presente demandavit penitus idem dominus patriarcha.....

Quantum ad quartum articulum deliberatum est quod receptor una cum aliis examinatoribus in consciencia sua habeat fideliter inquirere de quantitate burse examinandorum, quam idem receptor teneretur significare procuratori per cedulam signatam manuali suo, ut nacio non decipiatur in taxa bursarum, licet prius per majorem partem nacionis sit deliberatum, quod procurator assisteret in examine, et reciperet juramentum ab examinatis de quantitate bursarum fideliter, et quod actum est ulterius patet in primo articulo.

Quantum ad quintum articulum placuit nacioni quod non admitteretur scolaris jurare paupertatem, nisi adducat secum duos magistros vel scolares vel mixtim et fide dignos, qui jurent quod credunt eum bene jurare, dummodo tantam noticiam et credenciam habuerit Parysius; quod si non, admittatur solus ad juramentum nisi constiterit oppositum manifeste. Item et placuit nacioni concorditer, quod fieret processus contra rebelles juramento paupertatis; et quoad presentes quod requirerentur per juramentum et sub pena perjurii, quod solverent nacioni, alias privati essent emolumentis et distribucionibus et rejecti a consortio nacionis; et quoad absentes propinquos voluit nacio quod procurator et receptor haberent petere citatoriam et secundum quod consuetum est procedere ulterius; et quoad absentes remotos placuit nacioni scribere illis, quod solvant sub pena perjurii, alias procederet via juris in dyochesibus suis. Et quia tunc nominati fuerunt aliqui, placuit nacioni non tantum procedere erga illos, sed contra omnes possibiles reperiri, et voluit quod procurator et receptor cum aliquibus deputatis haberent visitare librum nacionis a viginti annis citra vel ultra si quos reperiant. Item quod moneretur magister Thomas de Prucia, quia audit nacio quod bonum haberet.

Quantum ad sextum articulum interempta erat supplicacio pro nunc, visa indigencia nacionis et quod non erat pecuniosa.

Quantum ad septimum articulum supplicavit magister Albertus de Misena, ut ex parte nacionis haberet promotionem apud Universitatem et dominum rectorem, ut assignaretur aliqua quota sibi, quia iturus erat ad partes Alemannie deportans litteras Universitatis. Et supplicacio sua fuit concorditer concessa et impositum est procuratori onus, dummodo tamen fieret sine ajota nacionis. Item supplicavit procurator ex parte magistri Arnoldi de Wtwic, licenciati in theologia, quod nacio haberet eum recommendatum et gratum. Et ipse obtulit se ad quecumque grata et accepta, recommittendo se oracionibus

1. Johannes Warini, *nat. Gallic., bacc. in medic., rector ab an.* 1408, *Dec.* 16 *usque ad an.* 1409, *Martii* 24.

2. Simonis de Cramaudo. *Domus ejusdem*, Hôtel Cramault, *situata erat in* rue Hautefeuille. *Vid.* Berty-Tisserand, Topographie hist. du vieux Paris. Région occident. de l'Université, p. 450 *sqq. Supra agitur de* provisione beneficiorum, *quae Concilio Parisiensi Aug.* 1-*Novemb.* 6 *anni* 1408 *tradita erat, de qua in* Chartul. IV. *Exstat in* Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 14643, *fol.* 14b (Bul., V, 179). *In instrumento de hoc confecto declaratur, pro quolibet studio duos vel tres praelatos electos fuisse quantum ad inrotulationem et inrotulandorum collocationem* (*ms. fol.* 16; Bul. p. 183 *sq.*).

suis[1] et similiter de magistro nostro magistro Petro Pleou[2], et annuit nacio concorditer supplicacionibus prescriptis.

Nota ex declaracione nacionis concorditer circa quintum articulum, quod amplius non taxetur bursa alicujus ad quatuor albos, nisi illius vel illorum, qui dinoscuntur jurare paupertatem.

Sequuntur nomina determinancium istius anni, videlicet millesimi CCCC VIIII.

Primo determinavit dominus Richwinus de Erlen, provisor provincie Alemanie sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VIII sol.[3].

Secundo[4] det. dom. Johannes Pot sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIII sol.

Item det. dom. Nycolaus de Leyden sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa III sol.

Item det. dom. Wouterus Grawart sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIII sol.

Item det. dom. Johannes Sloyer sub magistro Johanne Scay, cujus bursa VIII sol.

Item det. dom. Johannes Ruusch sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa V sol.

(*Fol. 21*[b]) Item det. dom. Johannes de Gouda sub magistro Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VII sol.

Item det. dom. Hugo Johannis de Harlem, sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa V sol.

Item det. dom. Theodricus Johannis de Harlem sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa V sol.

Item det. dom. Johannes Nortwiich[5] sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VII sol.

Item det. dom. Theodricus Vopponis de Leydis sub mag. Johanne Cranach, cujus bursa IIII sol.

Item det. dom. Hermannus de Campis sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa XX d.

Item det. dom. Canutus Nicolay de Dacia sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VIII sol.

Item det. dom. Johannes Dorlo sub mag. Ghiisberto Scay, cujus bursa V sol.

Item det. dom. Henricus Muehle sub mag. Joh. Cranack, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Nicolaus de Saxonia sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa II sol. VI d.

Item det. dom. Henricus de Udem sub mag. Hermanno de Ummen, cujus bursa II sol.

Item det. dom. Johannes Gulich sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa III sol.

Item det. dom. Nicolaus Pav sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa IIII sol.

Item det. dom. Johannes Legati[6] sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Garlacus de Wirringia sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa II sol.

Item det. dom. Ruchael de Rodenberch sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa II sol.

Item det. dom. Johannes de Daventria sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Petrus Arnoldi sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa III sol.

Item det. dom. Johannes Borken sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa III sol.

1. *Quia ut nuntius ex parte nationis Anglicanae cum aliis legatis Universitatis ad* Concilium Pisanum *destinatus erat. Natio Anglicana (Alemaniae) tunc parum sibi constans fuit secumque ipsa pugnavit.* Gregorium XII *ut verum papam jure consideravit, et nihilominus ad Concilium Pisanum, non ejus auctoritate, immo contra ipsum convocatum, nuntium misit, ubi non solum Benedictus, sed et Gregorius depositus fuit et Alexander V electus, cui ejusque successori Johanni XXIII natio Anglicana postea adhaesit. Horum tamen electio non minus legibus contraria erat, quam electio Clementis VII et Benedicti XIII, quos natio Anglicana respuebat.*

Quaelibet facultas et natio suos nuntios elegit. Nomina in mss[tis] *adulterata* (*v. g.* Arch. Vat., conc. Pisan., *fol.* 73), *erroribus mixta etiam ap.* D'Achery, Spicil., 2 *ed.*, 1, 857; Mansi, Concil., XXVI, p. 1247. *Vera nomina conservata sunt in* Arch. Univers. Paris., A A. h. (*theca* I); *vid.* Bul. V, 192. Dominicus Parvi *et* Petrus Plaoul *pro fac. theol.*; Robertus de Quesneyo *et* Petrus de Pruvino *pro fac. decret.*; Henricus Doigny *pro fac. medicinae* (*alias affertur* Johannes Petri, *qui jam an.* 1398 *regens in fac. medicinae fuit*); Pontius Simoneti, *pro nat. Gallic.* (*alias vocatur* lic. in theol.; *sed e* Catal. licent. *solum an.* 1409 *post Natale*); Eustachius Fauquembergue (*sic ipse in* Arch. nat. Paris., J 517 n° 150 *scribit*), *pro nat. Picard., lic. in decret.*; Guillelmus Carpentarii, *pro nat. Normann., bacc. formatus in theol.* (*lic.* 1413-1414); Arnoldus Uitwiic, *pro nat. Angl.* (*lic. in theol. an.* 1409 *e* Cat. licent.). *Alias etiam affertur* Johannes Francisci *seu* Bourrilleti (Bruillot), *mag. art., lic. decr. Ceterum* Johannes de Segovia *e* Libro de gestis Concilii Pisani *affert, in* Concilio Pisano *fuisse praesentes* « doctores in theol. de studio Paris. XXVI, licentiatos quinque » (Monumenta Conciliorum gen. saec. XV, *ed. Academia Vindobon.*, II, 369). *Nomina doctorum in jure non potuerunt computari, qui fuerunt* IIIJ[c]. *Certe illi doctores in theol. praeter jam nominatos non ambassiatores Universitatis erant, sed vel aliorum, vel proprio marte Pisis commorati sunt, ut etiam postea in Concilio Constantiensi. — Concilium eodem anno, Martii 25, apertum est. Vid.* Hefele, Conciliengesch., VI, 855. *Parisienses advenerunt April.* 13 (Mansi, XXVII, p. 341, *ubi nomina adulterata*).

2. *I. e.* Plaoul. *Non mag. nat. Anglic. erat, nominatur tamen* noster, *quia mag. actu regens in superiori facultate.*

3. *Haec rubrica postea tantum addita est, postquam scil. natio declarasset, Richwinum determinare, non subdeterminare, de quo infra.*

4. *Antea scriptum erat* Primo, *quia praecedens determinans posterius inscriptus est.*

5. *Traject. dioec. an.* 1417 Coloniae *intit.* (Keussen, Matrikel, I, p. 156).

6. *Certe ille, qui an.* 1425 *et* 1426 *supplicavit ut canonicatum Brechineas. reciperet, et cler. S. Andreae dioec. fuit* (Suppl. Mart. V, n° 186, *fol.* 193, *et* n° 193).

Nomina subdeterminancium.

Item determinavit dom. Gwilhelmus de Treveris sub principali determinatore..., cujus bursa V sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra die XXVII^a mensis Frebuarii (*sic*) ad requestam aliquorum determinancium qui supplicabant pro dilacione bursarum debitarum nacioni racione bacellariatus eorum, quibus supplicacionibus nacio annuit per hunc modum, ut ponerent vadia juxta juramenta consueta, et oneratus fuit dominus receptor ad prefigendum eis terminum ad utilitatem nacionis et ipsorum. Item alius articulus ad deliberandum, an tunc fieret potacio examinatorum et distributorum mensium secundum quod deliberatum fuit in ultima congregacione, placuit magistris concorditer exspectare usque in crastinum, qui erat dies festus translacionis beati Augustini; item quia procurator habuit impedimentum interessendi propter reformaciones fiendas magistrorum inrotulatorum a domino patriarcha.

Item tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Tunc supplicavit magister (*Fol. 22*) Albertus de Misena ut nacio assisteret sibi apud dominum rectorem ut ipse dominus rector haberet laborare ut fieret aliqua provisio magistro Alberto, eo quod quasi rigorosum videbatur et conclusum in Universitate a majori parte, ut haberet aliquam quotam, quia ipse optulit se iturum ad partes suas ad portandum litteras Universitatis. Placuit nacioni quod honesto modo fieret, et dedit sibi deputatos. Item supplicavit idem magister Albertus pro uno scolari qui non erat ibi presens, ut nacio sibi concederet dilacionem bursarum, et annuit pro ipso et omnibus aliis, qui requirerent sive absentes, dummodo illa die que erat octava Cinerum, possent determinare.

Acta in procuratoria eadem circa potaciones et soluciones examinatorum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora post sermonem Universitatis anno Domini quo supra, die XXVIII^a mensis Frebruarii (*sic*), super duobus articulis. Primus ad avisandum horam quatenus nacio vellet intrare tabernam super potacionibus heri conclusis, fiendis hodie. Placuit nacioni quod in XI^a hora nacio intraret tabernam *ad pomum de pino* in civitate propter bonitatem vini. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Albertus de Misena ut supra, et annuit nacio supplicacioni sue. Item nota quod quilibet examinatorum solvit quatuor solidos, et distributor mensium solvit unum francum, et licet multis placuisset quod nacio solvisset residuum, viso quod nacio solempniter fuit ibi congregata, tamen non retractando deliberata nacionis quilibet solvit pro quota sua unum solidum.

Acta in procuratoria eadem circa dispensacionem determinancium.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra, die quarta mensis Marcii hora nona, super tribus articulis. Primus ad audiendum diligencias factas in facto magistri Werneri et scolarium alias detentorum in domo magistri Johannis Cadart. Secundus ad requestam domini Richwini de Erlen, provisoris provincie Alemannie, ad dispensandum secum ad incipiendum determinare in artibus. Tercius articulus super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum vocavit procurator aliquos magistros, et de consilio eorum magister Hermannus Ruyebe [1] et magister Jacobus de Harlem receptor nacionis fuerunt deputati pro adeundo magistrum Johannem Cadart et dicendo, quomodo nacio audivit querimoniam magistri Werneri et scolarium ut supra, et vellet nacio quod si sic esset, quod fieret emenda ipsis ad reintegracionem fame eorum. Et retulerunt predicti deputati in nacione quod magister JohannesCadart se excusavit multum apparenter dicens quod in hora mortis sue non diceret aliud, et fortissimis juramentis confirmatis quod omnino displiceret sibi injuria illata, et quod semper habuit magistros de nacione socios quos laudavit et bonam fidelitatem reperit, cum quibuscumque de nacione fuisset conversatus (et dicebat hoc propter aliquos rumores qui de ipso ventilaverant in nacione), et crederet se immunem ab injuria eorum, nec credit se in aliquo deliquisse contra nacionem nec consequenter contra detentos in domo sua, quia tempore captivitatis eorum ipse non fuit in domo sua, sed hoc fecit submonitor suus qui et percussus [2] fuit ab istis, et statim postquam venit ipse denunciavit preposito Parysiensi quid fiendum in tali casu, cui placuit quod teneret eos in domo sua quousque esset bona informacio facta per commissarium regis, quia istud potest facere quilibet laycus in domo sua, et ipse non

1. *I. e.* Roeve.

2. *Ms.* procussus.

est deterioris condicionis. Igitur credidit quod in isto non deliquit, et dicit ipse : « procedatis contra illos quos scitis vobis injurias fecisse, quia ego non potui minus facere, ex quo erat ita factum se habens in domo mea, parte altera istud requirente; veruntamen ego volo *(Fol. 22b)* satisfacere nacioni et parti injuriate, si reperiar culpabilis, quod non credo, secundum dictamen arbitrorum ex utraque parte ». Placuit nacioni quod magister Wernerus et socii sui haberent eligere arbitros de nacione, si vellent, et de ulteriori prosecucione facti nichil aliud deliberare, attento quod non haberent informaciones et probaciones contra partem injuriantium nec possent facere expensas de suis cum esset opus. Et attentis excusacionibus magistri Johannis Cadart, videbatur quod melius esset quod factum maneret indiscussum per arbitros vel alio modo ad tempus, quo Deus aliter provideret, quam quod factum terminaretur et magister Johannes prescriptus purgaret se apparenter et ipsorum fama non restitueretur, immo magis destitueretur.

Quoad secundum articulum nacio admisit dominum provisorem provincie Alemannie ad subdeterminandum et alios pro quibus supplicatum est per magistrum Albertum de Misena, dummodo jurarent quod fecerunt declaracionem sine fraude et sine dolo, et dispensavit nacio cum ipsis de primo juramento et ultimo, que concernunt illos qui jurant paupertatem, et solverent bursas suas secundum alia juramenta consueta. Voluit tamen nacio propter honorem provisoris provincie quod ipse haberet determinare cotidie usque medium Quadragesime; qui tamen non incepit infra octavas Cinerum, et ideo non potuit fieri determinans, sed de speciali gracia subdeterminaret et disputaret sicut determinatores, ne videretur subdeterminans. Nota tamen quod subdeterminatores ex declaracione nacionis completo cursu suo sunt veri bacellarii[1]. Item voluit et nacio propter honorem domini Richwini de Erlen, canonici Treverensis et provisoris, ut scriptum, quod procurator haberet eum inscribere cum determinantibus propter honorem provincie Alemannie[2]. Item et dispensa[v]it cum ipso de libris non auditis, dummodo juraret in brevi audire sicut statuit juramentum.

Quoad tercium articulum supplicavit magister Thomas Scotus quod, ex quo ut patet in ultima congregacione prescripta quilibet examinatorum solvit quatuor solidos, magister Coenrardus nimis cito recessit non solutis nisi duobus, ut fieret sibi justicia. Placuit nacioni quod in casu quo non vellet solvere, ex tunc prout ex nunc et econtra magister Thomas esset in officio examinatoris subdeterminancium, et dominus receptor daret magistro Thome distributiones magistri Coenrardi in festo nostre Domine proximo, scilicet Annunciacionis, et in casu quo absentaret se, privatus esset emolumentis nacionis, quo[u]sque magister Thomas plene solutus esset.

1409

Acta in procuratoria magistri Johannis de Montfoerdia anno Domini 1409.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, die undecima mensis Marcii super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris seu pro continuacione ejusdem. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum erat de primo articulo, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Montfoerdia in nacione predicta sine aliqua difficultate aliquorum magistrorum; postmodum vero largiflue propinatus est pro honore impenso triginta tres solidos, et hoc de primo. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus quatinus haberetur gratus, recommendatus et av[o]atus a predicta nacione in hiis que egit in procuratoria sua, et quantum ad hoc supplicacio sua erat concorditer ab omnibus concessa. Item supplicavit idem procurator antiquus pro continuacione officii procuratorie, cujus supplicacio quantum ad hoc erat interempta a majori parte, sicut satis probatum erat ex conclusione habita in predicta nacione. Et hec conclusa erant illo tunc in predicta nacione.

Item nomina incipiencium anno quo supra ejusdem procuratorie.

Item incepit dominus Nycolaus de Eustania sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa II sol.

Item inc. dom. Johannes Wermer sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa II sol.

(Fol. 23) Item nomina subdeterminancium anno quo supra ejusdem procuratorie.

Item subdeterminavit dominus Johannes de Wael sub principali determinatore, cujus bursa V albos.

1. *Vid. tom.* I, p. XXIX, *not.* 1.

2. *Quod et factum est. Vid. supra* p. 47, 12 *et not.*

Item subdeterm. dom. Nicolaus de Arfordia sub principali [determinatore], cujus bursa II sol.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum ultima Marcii anni Domini ut supra super unico articulo, videlicet ad substituendum aliquem in loco procuratoris, quoniam eundem necessitate compulsum oportuit visitare partes, ut pretendebat, presentavit magistrum Spaen dictum Friso, cui presentacioni dicta nacio Anglicana concorditer annuebat.

1409

Acta in procuratoria Tidemanni Langhe.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, die octava mensis Aprilis super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni concorditer eligere Tydemannum Langhe, magistrum in artibus, in procuratorem. Quantum ad secundum articulum supplicavit solummodo substitutus magister Spaen in locum procuratoris antiqui, ut in actis in substitucione sua haberetur gratus, recommendatus et avoatus, cui nacio concorditer consensum prebuit et assensum.

Nomina incipiencium in eadem procuratoria de anno preterito.

(*Fol.* 23b) Item incepit dominus Johannes Karketil sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa V s.

1409

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra, die sexta mensis Maii, super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui, et super supplicacionibus et injuriis, placuit nacioni concorditer antiquum continuari, et habuit eum gratum, avoatum et recommendatum in actis per eumdem, unde regraciatus eidem propinavit decem et novem solidos, et fuit nacio *in bonis ediis*.

Facta congregacione nacionis Anglicane loco et anno Domini ut supra, die duodecima Maii, ad requestam magistri Johannes Spenlinc recessuri de Parysius, supplicavit pro littera testimoniali graduum habenda de nacione in forma communi. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa, ipsa prius lecta et visa in nacione pro tunc.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Primo licenciatus fuit dominus Johannes Plus sub magistro Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VI solidi.

Item lic. fuit dom. Johannes Ruoes sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa V solidi.

Item lic. fuit dom. Johannes Dorlo sub mag. Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VI solidi.

Sequuntur nomina incipiencium.

Primo incepit dominus Johannes Plus sub magistro Gwilhelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item inc. dom. Johannes Roes sub eodem, cujus bursa V s.

Item inc. dom. Johannes Dorlo sub eodem, cujus bursa VI s.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Item licenciatus fuit dominus Judocus Urwin sub magistro Gwilhelmo Bloc, cujus bursa IIII s.

Item lic. fuit dom. Folkerus de Lichtenberch sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIIII s.

(*Fol.* 24) Sequuntur nomina incipiencium.

Item incepit dominus Judocus Urwin sub eodem, cujus bursa IIII s.

Item inc. dom. Folkerus de Lichtenberch sub eodem, cujus bursa IX s.

1409

Acta in procuratoria magistri Petri Scay.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, die tercia mensis Junii, super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer nemine reclamante electus fuit in procuratorem novum predicte nacionis magister Petrus Scay. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut in actis per ipsum haberetur gratus, recommendatus et avoatus, cui supplicacioni nemine reclamante nacio annuit.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit dominus Henricus Vaec sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus Stoer sub eodem, cujus bursa VI s.

Item lic. fuit dom. Johannes Legati sub eodem, cujus bursa VI s.

Item lic. fuit dom. Johannes Pot sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VIII s.

Item lic. fuit dom. Guillelmus Croyser sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item lic. fuit dom. Johannes Wlhose alias de Assindia sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa II s.

Sequuntur nomina incipiencium.

Item incepit dominus Johannes Pot sub magistro Ghriseberto Scay, cujus bursa VIII s.

Item inc. dom. Henricus Vaec sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s.

Item inc. dom. Johannes Wlhose alias de Assindia sub eodem, cujus bursa II s.

Item inc. dom. Jacobus Stoer sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VIII s.

Nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit dominus Johannes Dalgles sub magistro Joh. Crannak, cujus bursa VII s.

Item lic. fuit dom. Mathias Reyneri de Lutchembourg sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item lic. fuit dom. Johannes de Treveris sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item lic. fuit dom. Hilbrandus de Hoven sub eodem, cujus bursa III s. et VI d.

Item lic. fuit dom. Johannes [de] Leydis[1] sub mag. Guillelmo Bloc, cujus bursa VII s.

Item lic. fuit dom. Lambertus Goyer sub mag. Ghiisberto Scay, cujus bursa II s.

Sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Guillelmus Croysier sub magistro Guillelmo Bloc; cujus bursa VI s.

Incepit dom. Johannes Legati sub eodem, cujus bursa VI s.

Item incepit dom. Johannes [de] Leydis sub eodem, cujus bursa VII s.

Item incepit dom. Lambertus Goyer sub mag. Ghiisberto Scay, cujus bursa II s.

(*Fol. 24 b*) Sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Mathias Reyneri de Luccemborg sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VI s.

Item inc. dom. Johannes de Treveris sub eodem, cujus bursa VI s.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 22ª die mensis Junii, supplicavit dominus Lambertus Goyer pro dilacione bursarum et pecuniarum, quas debebat nacioni racione sue incepcionis, cujus supplicacioni nemine reclamante nacio annuit, prefigendo sibi terminum ad Pascha, dummodo poneret vadia bona et sufficientia.

Sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Hilbrandus de Hoven sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa III s. et VI d.

Nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit dominus Andreas Geddes sub magistro Johanne Chranak, cujus bursa VI s.

Nomina incipiencium.

Incepit dominus Andreas Geddes sub magistro Johanne Chranak, cujus bursa VI s.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit dominus Henricus Collart sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VIII s.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus Hertgeri[2] sub eodem, cujus bursa III s.

Item lic. fuit dom. Theodricus Sittart sub eodem, cujus bursa IIII s.

Item lic. fuit dom. Theodricus Vopponis sub eodem, cujus bursa IIII s.

Item lic. fuit dom. Gherardus Lam sub eodem, cujus bursa VIII s.

Item lic. fuit dom. Theodricus Theodrici Vlasman sub eodem, cujus bursa VIII s.

1. *Non confundendus cum* Johanne Johannis de Leidis.

2. *Qui supra* Nicolaus de Leidis.

Sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Henricus Collart sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa VIII s.

Item inc. dom. Gherardus Lam sub eodem, cujus bursa VIII s.

Item inc. dom. Theodricus Theodrici Vlasman de Delf sub eodem, cujus bursa VIII s.

Item Theodricus Vopponis sub eodem, cujus bursa IIII s.

Item incepit Theodricus Sittart sub eodem, cujus bursa IIII s.

Item incepit dominus Nicolaus Hertgeri sub eodem, cujus bursa III s.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit dominus Johannes Bron sub magistro Ghiisberto Scay, cujus bursa VI s.

Sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Rodulfus de Aernem sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa II s.

(*Fol. 25*) Facta congregacione apud Sanctum Maturinum die prima mensis Augusti super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris, et secundus super supplicacionibus et injuriis. Ad primum placuit nacioni concorditer compotus domini receptoris. Quantum ad secundum supplicaverunt domini bedelli ut eis fieret aliqua succursio seu provisio a nacione pro servicio facto nacioni; et quoad istum articulum concessit nacio concorditer summam septem scutorum pro domino Bomondo magno bedello nacionis, et domino Mathie summam quinque scutorum racione suorum officiorum. Et pro tunc in eadem congregacione dati erant deputati qui haberent visitare archam nacionis et eciam ordinare de loco quo deberet situari, et similiter ad visitandum fabricam nacionis Piccardie supra scolas nacionis nostre, qui haberent videre utrum nacio Piccardie edificasset in gravamen seu prejudicium predicte nacionis nostre.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Bernardum anno quo supra, die XX^a^ Augusti, super duobus articulis. Primus super eligendo inrotulatores magistrorum inrotulandorum et super ordinacione pecuniarum pro nuncio mittendo cum eodem rotulo [1]. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum punctum primi articuli electi fuerunt magister Hermannus Ven, magister Guillelmus Bloc et magister Jacobus Scotus. Quantum ad secundum punctum primi articuli dati fuerunt deputati. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra die XXIIII Augusti super 4^or^ articulis. Primus super audiendo juramenta magistrorum qui deberent inrotulare volentes inrotulari et ad dispensandum si opus esset. Secundus super quotando summam quam solverent inrotulandi tam pro nuncio quam pro inrotulatoribus, et si ex illa taxa non sufficeret ad complementum summe centum scutorum ordinate pro nuncio, ad ordinandum de modo complendi. Tercius ad eligendum nuncium iturum cum rotulo. Quartus super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo placuit nacioni audire juramenta magistrorum inrotulatorum. Et quia magister Guillelmus Bloc eligebatur in nuncium, placuit nacioni quod magister Joh. Galencoep esset inrotulator loco sui. Super secundo puncto primi articuli videbatur nacioni quod dispensacio non indigeretur. Super secundo articulo placuit nacioni quod quilibet magistrorum presencium solveret pro nuncio unam libram, et quilibet absencium duplum, et pro inrotulatoribus IIII albos, et quilibet absencium duplum. Et si aliquid ultra istam summam finaliter restaret ad complementum summe predicte, scilicet centum scutorum, placuit nacioni quod nacio solveret residuum, dummodo non excederet summam XX librarum. Et ulterius placuit nacioni quoad illos *qui pro tunc non fuerunt determinati ad obedienciam domini nostri Alexandri* [2], quod si contingeret ipsos determinari et in posterum mittere rotulum, quod eciam nacio pro tunc pro[ut] ex nunc vellet quod eis fieret gratia subvencionis proporcionabiliter ad graciam pro tunc factam. Et ulterius placuit nacioni quod fieret supplicacio in Universitate pro illo quod Universitas velit permittere quod fieret in fine rotuli una clausula pro non determinatis exortativa

1. *Eodem anno, Junii* 26, *in Concilio Pisano electus est in papam* Petrus de Candia, *O. Min., olim in Universitate Paris. studens* (*vid.* Chartul. III), *sub nomine* Alexandri V, *Julii* 7 *coronatus. Parisios nuntius electionis Julii* 8 *venit* (*vid.* Chron. de Monstrelet, *ed.* DOUET-D'ARCQ, II, 10, Journal de Nicolas de Baye, *ed.* TUETEY, I, p. 276), *et Aug.* 17 « facta fuit congregatio Universitatis in S. Bernardo super facto rotuli. Et ibi conclusus fuit rotulus concorditer *per omnes nationes* et facultates mittendus dom. nostro pape » (BUL., V, 194, *e* libro proc. nat. Gallic.). *Aug.* 20 *natio Gallicana summam pro nuntio deferente rotulum taxavit* (ibid.). *Sed non ante finem Decembris vel mensem Januarii ad curiam portatus est. Vid. infra ad Decemb.* 15.

2. *V. g.* Scoti, *et fortasse aliqui alii.*

domini nostri pape, ut si contingeret ipsos in posterum determinari, quod dominus noster vellet eis eandem datam seu graciam reservare, quam placeret pro nunc sanctitati sue suppositis nostris concedere. Super tercio articulo placuit quod magister Guillelmus Bloc esset iturus cum rotulo nacionis. Quantum ad quartum supplicavit magister Guillelmus Bloc predictus ut placeret nacioni eum eligere, etc.; cujus supplicacioni annuit nacio concorditer nemine reclamante. Et eciam supplicavit magister Joh. de Aernhem pro quodam bachillario alterius studii, ut hic admitteretur, cujus supplicacioni eciam annuit. Et super istis omnibus cepit procurator instrumentum.

1409

(*Fol.* 25[b]) Acta in procuratoria magistri Johannis de Crannach.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, XXVI die mensis Augusti, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum supplicavit magister Joh. de Crannach pro dicto officio, qui nemine contradicente in predictum officium fuit electus, et in continenti ad tabernam ductus exposuit XX sol. parisiens. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, quod haberetur gratus, cui concessa est supplicacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad requestam magistri Bernardi et magistri Nicholaii de Sacsonia anno quo supra, secunda die mensis Septembris, super duobus articulis. Primus erat ut refieret nova ymago sancti Edmundi, quia illa que prefuerat omnino fuit antiquata [1]. Et hoc ab omnibus concessum est et receptori preceptum, ut faceret novam refieri ymaginem in ecclesia Cosme et Damiani.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Bernardo ex eo quod pro tunc fuit congregacio Universitatis ibi, anno ut supra, XII[a] die ejusdem mensis, super duobus articulis. Primo fuit ad eligendum examinatores bachalariorum et ad dispensandum si opus fuisset. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, secundum laudabilem consuetudinem predicte nacionis, electi fuerunt quatuor, scilicet duo antiquiores regentes, receptor et antiquior non regens. Nichil dispensatum quia non fuit opus. Nichil de secundo articulo.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno et mense quibus supra, in die sancti Mathei apostoli, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum receptorem. Secundus ad capiendum resignacionem scolarum a regentibus de anno preterito et ad providendum pro anno futuro. Tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, quia non repugnabat statutis nacionis antiquum receptorem continuare, saltim semel, et bene se habuit, et ex parte, ideo a majori parte continuatus et ita mansit. Quantum ad tercium articulum supplicavit ipse, ut nacio haberet eum gratum, et ita concorditer eum habuit. Supplicavit secundo procurator ab aliquibus magistris sue nacionis requisitus quod nacio poneret remedium in hoc, scilicet quod aliqui magistri non regentes faciebant determinantes, quod est contra statuta facultatis artium, nacionis et maxime in prejudicium et dampnum regencium. Secundo supplicabat quod si inveniretur non regens, quod puniretur, si pro tali puniri deberet. Tercio quod determinantes sub ipso essent non determinantes, nisi ex gracia nacio eos specialiter admiserit. Respondit magister Johannes de Halis (quia factum plus tetigit ipsum), quod erat regens, quia licet in principio ordinarii non inceperit, per majorem tamen partem magni cursus rexit, et hoc dixit sufficere ut regens diceretur, et in illo tres vel quatuor secum conveniebant, qui pro parte similem habebant causam. Et breviter quia statutum est facultatis, si quis debet dici regens vel non, ideo nacio remisit facultati et ipsos probaturos quod per majorem partem magni cursus rexerint, si hoc sufficere, a facultate determinaretur, etiam ipsos declaraturos quod in principio magni ordinarii fuerint legittime impediti, quod tunc regere non inceperunt. Quantum ad secundum resignaverunt regentes scolas eorum ut consuetum est, et iterum pro anno futuro supplicaverunt illi et multi alii pro suis de anno preterito vel melioribus. Et eis concessa est supplicacio, scilicet secundum antiquitatem regencium, ut nacio prius determinavit, illa tamen condicione posita, quod quilibet fidejussorem inveniret. Et ita factum est. Et in tercio articulo supplicacionum supplicavit magister Guillelmus Blok quod quia impeditus esset pro anno futuro in factis nacionis,

1. *Ex dictis an.* 1411, *Novemb.* 20, *liquet imaginem S. Edmundi in pariete ecclesiae fuisse, verisimiliter in columbario.*

quod regens haberetur et scole sue sibi manerent, et ita concessum est.

Facultas artium decrevit magistrum Johannem de Halis fuisse regentem anno preterito.

(*Fol. 26*) Nomina regencium et eorum fidejussorum anno quo supra.

Magister Guillelmus Blok,
Mag. Gisbertus de Trajecto,
Mag. Henricus de Ghorrichen; } omnium fidejussor mag. Jacobus Herlem.

Mag. Guillelmus Lochem; fidejussor.....

Mag. Johannes de Crannach; fidejussor mag. Jacobus Lyndesay [1].

Mag. Johannes de Halis; fidejussor mag. Henricus.

Mag. Thomas de Prusia; fidejussor mag. Bernhardus Flögelin.

Mag. Johannes Rovis, mag. Johannes Dorle; mutuo sunt fidejussores.

Mag. Albertus; fidejussor mag. Henricus Wak.

Mag. Thomas Erskyn [2] [postquam cepit scolas, iterum resignavit in Jacobitis et regentes contenti fuerunt]; mag. Jacobus Stoer; fidejussores mutuo.

Mag. Johannes Wlhose alias de Assindia; fidejussor mag. Hermannus Roeve.

Mag. Jacobus Stoer [3]; fidejussor mag. Thomas de Erskin.

1409

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane, XXIII^a die mensis Septembris, anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Circa secundum supplicavit antiquus ut haberetur gratus in hiis que in sua procuratoria fecit, que ab omnibus concorditer fuit concessa. Supplicavit eciam, ut in officio procuratorie continuaretur, quod ab omnibus conceditur, et ita continuatus est, et ad tabernam ductus, ubi nacio exposuit quatuor sol., et procurator X sol. et II den., et quilibet temptatorum bachalariorum quatuor ex communi consensu omnium.

Determinantes tempore ejusdem magistri.

Gisbertus Allot determinavit sub mag. Guillelmo Blok, cujus bursa IX sol. par.

Willelmus de Herle [4] det. sub mag. Johanne de Halis, cujus bursa V alb.

Nicholaus Dorre de Herle, alias de Aquis, det. sub eodem, cujus bursa VI sol. par.

Willelmus [de] Treveris Wythlich det. sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa VI sol. par.

Johannes Goede de Savtbomel det. sub mag. Gisberto, cujus bursa IIII sol. par.

Johannes Doncker de Zavtbomel det. sub eodem, cujus bursa IIII sol. par.

Johannes Johannis [5] det. sub mag. Joh. de Crannach, cujus bursa VIII sol. par.

Johannes Philipi det. sub eodem, cujus bursa tantum.

Johannes Willelmi det. sub mag. Willelmo Blok, cujus bursa VIII sol. par.

Isebrandus Thedrisi det. sub mag. Joh. de Halis, cujus bursa V sol. par.

Thedricus Hermanni de Aemsterdam det. sub mag. Willelmo Blok, cujus bursa VIII sol. par.

Nicholaus de Wiic det. sub mag. Gisberto, cujus bursa II sol. par.

Jacobus Bertholomei det. sub mag. Joh. de Crannach, cujus bursa VIII sol. par.

Johannes Kyrchen det. sub eodem, cujus bursa VIII sol. par.

Gisbertus de Bomel det. sub mag. Gisberto, cujus bursa IIII sol. par.

Johannes de Eternaco det. sub mag. Joh. de Halis, cujus bursa II sol. par.

(*Fol. 26^b*) Dominus Nicholaus Tunnok [6] det. sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa VIII [sol.] par.

The[d]ricus de Hovilbirghi det. sub eodem, cujus bursa IIII albi.

Burkardus Bluom det. sub mag. Willelmo Blok, cujus bursa VI sol. par.

Hugo Dodonis Delft det. sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa V sol. par.

1. *Presb. S. Andreae dioec., de quo jam in tom.* I. *De comitum genere procreatus, an.* 1419 *etiam bacc. in decretis erat, et de defectu natal. conquerebatur* (Suppl. Mart. V, n° 123, *fol.* 144). *In* Suppl. Benedicti, n° 88, *ad an.* 1413, *consanguineus Alexandri de Lindesay, comitis de Crawforde.*

2. *Hoc et sequens nomen deleta sunt.*

3. *Haec rubrica posterius scripta est.*

4. *Seu* Guillelmus Sutoris de Herle, *presb. Leod. dioec., an.* 1419 *supplicat, ut canonicatum B. Mariae Hoyen. ejusd. dioec. recipiat* (Suppl. Mart. V, n° 121, *fol.* 253).

5. *Postea etiam mag. in medicina fuit, ut ad an.* 1429 *videbimus, et an.* 1425 *supplicat ut capellaniam in eccl. de Alcmaria Traject. dioec., per comitem Hollandiae fundatam, recipiat* (ibid., n° 183, *fol.* 103).

6. *Fuit presb. S. Andreae dioec., et an.* 1419 *ad cantoriam eccl. Aberdonens. aspiravit* (ibid., n° 121, *fol.* 41; 117), *an.* 1421 *archidiac. Cathanens.* (n° 144, *fol.* 183); *an.* 1426 *decanatum Aberdonens. postulavit* (n° 193).

Johannes Phulman de Landauve det. sub mag. Thoma de Prusia, cujus bursa V sol. par.

Nicholaus de Miissnia det. sub mag. Gisberto, cujus bursa nichil.

Johannes de Borcholte det. sub mag. Gisberto, cujus bursa II sol. par.

Alexander Lyndesay [1] det. sub mag. Joh. de Crannach, cujus bursa VII sol. par.

Robertus Strabrok [2] det. sub eodem, cujus bursa VIII sol. par.

Erasmus de Beke de Prusia det. sub mag. Thoma de Prusia, cujus bursa VI sol. par.

Jacobus Bardenar det. sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa V sol. par. [3].

1409

(*Fol.* 27) Acta in procuratoria magistri Johannis de Hallis anno Domini 1490 (*sic*) [4].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1409 [5], vicesima prima die Octobris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum suplicavit magister Johannes de Hallis pro predicto officio, qui concorditer nemine contradicente electus fuit in dictum officium, et incontinenti ad tabernam ductus exposuit XII sol. par.

Item concorditer conclusum fuit per nacionem quod dominus marchio de Baden [6] visitaretur per nacionem faciendo sibi honorem et recommendando sibi magistrum Johannem de Hallis. Quantum ad secundum articulum suplicavit antiquus procurator quod haberetur gratus, cui concessa fuit suplicacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino undecima die Novembris super duobus articulis. Primus erat ad visitandum articulos inscribendos in rotulo Universitatis... [7] et quid de festo nacionis. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni quod darentur deputati, qui una cum deputatis rectoris visitarent diligenter prefatos articulos, et quod convocarentur per juramentum ipsorum. Item de festo nacionis fuerunt dati deputati, scilicet receptor et magister Nicolaus de Saxonia. Quantum ad secundum articulum suplicavit primo magister Wilhelmus Blok, ut si deficeret summa centum scutorum quam debebat habere pro legacione sua, quam facere debebat pro nacione ad papam, quia forte non tot fuerint inrotulandi, quod nacio vellet adinplere residuum pecunie. Concessa fuit sibi suplicacio et nemo interemit. Secundo suplicaverunt quidam magistri pro tunc quod solverent ut presentes pro rotulo. Suplicacio ipsorum fuit interempta.

Item de primo articulo lecti fuerunt inrotulati et loca nominacionum.

1409

[Continuacio ejusdem.]

(*Fol.* 27 b) Decima octava die Novembris.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, item pro scolis [8] nacionis, que franguntur per scolares in vico. Secundus super suplicacionibus et injurii[s]. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus concorditer procurator per omnes nullo contradicente. Item de scolis conclusum fuit quod fierent duo hostia ad claudendum scolas [9] nostras. Quantum ad secundum suplicavit primo magister Hermannus antiquus, quod, quia respondit pro magistro Thoma de Brusia de scolis quas accepit a nacione pro regencia sua, quas dimisit, quia ulterius non rexit, quod nacio vellet providere de pecunia solvenda nacioni pro scolis [10]. Conclusum fuit concorditer, nisi ipse magister Thomas satisfaceret nacioni, quod ipse esset privatus a nacione actu. Item suplicavit magister Johannes Gallenkopf quod fieret congregacio nacionis specialis pro expedicione rotuli nacionis, et si aliqui vellent suplicare in nacione, ut solverent sicut presentes, quod facerent, et ita conclusum fuit

1. *An.* 1431, *Mart.* 20, *ut mag. art. et licent. in decret., can. Aberdonens., supplicat ut canon. et praeb. de Kynnor in eccl. Moraviens. obtineat* (Suppl. Eugen. IV, n° 260, *fol.* 93 b). *De nobili genere, sed illegit. natal.* (n° 276, *f.* 22).

2. *Vid. infra.*

3. *Postea spatium plus dimidiae paginae.*

4. *Ut hic procurator jocose pro* 1409 *scripsit* 1490, *sic postea* 1049.

5. *Ms.* 1049.

6. Bernhardus I, *qui cum episc. Argentinensi et cum Ludovico de Lichtenberg tunc Parisiis morabatur* (*vid.* Regesten der Markgrafen v. Baden u. Hachberg, p. 270). *Hucusque unicus auctor pro isto itinere afferebatur, quod ante Novemb.* 25 *incidisse, solummodo sciebant.*

7. *In ms. postea spatium unius vocis vel duarum.*

8. *Ms.* scalis.

9. *Ms.* scalas.

10. *Ms.* scalis.

quod in eadem die post prandium hora tercia fieret congregacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane decima octava die Novembris post prandium aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super suplicacionibus pro expedicione rotuli nacionis. Secundus super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum fuit, quod quilibet volens inrotulari expediret se sine ulteriori dilacione usque in crastinum. Quantum ad secundum articulum suplicavit procurator, ut nacio recommendaret eum cardinali [1]. Item magister Gerhardus Doemher, ut nacio recommendaret cuidam comiti. Ambe concesse fuerunt. Item suplicavit magister Albertus Bars ut solveret pro rotulo ut presentes. Concessa fuit sibi [supplicatio], dummodo non traheretur in consequenciam.

(*Fol. 28*) Facta congregacione nacionis Anglicane decima nona die Nove[m]bris post vesperas [2] nacionis in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani [3] super duobus articulis. Primus erat ad invitandum illos per nacionem qui deberent esse in festo nacionis. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuerunt omnes doctores in theol[og]ia et licenciati in theol[og]ia nacionis invitati. Item conclusum fuit quod haberentur cantores qui cantarent in missa pro certo precio, et non essent in festo nacionis. Item fuit quidam legatus a[r]chiepiscopi Coloniensis qui iturus erat ad papam invitatus per nacionem. Quantum ad secundum articulum suplicaciones fuerunt delate usque ad aliam congregacionem.

1409

Acta in procuratoria magistri Spaen dicti Friso.

Facta congregacione apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis, anno quo supra, die XVa mensis Decembris. Primus articulus fuit super electione novi procuratoris vel continuacione ejusdem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Spaen dictus Friso concorditer. Quantum ad secundum supplicavit predecessor suus ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacioni tota nacio concorditer annuit. Etiam supplicaverunt baccalarii [4] in artibus nacionis Anglicane pro sigillacione rotuli eorum deferendi ad summum pontificem Alexandrum V, quam supplicacionem etiam nacio concessit concorditer.

1410

(*Fol. 28b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Montfoerdia anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, tercia decima mensis Januarii.

Facta congregacione *nacionis Almannie* apud Sanctum Maturinum die quo supra super duobus articulis. Primus articulus erat super electione procuratoris vel continuacione ejusdem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem nacionis magister Johannes de Montfoerdia concorditer. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus, quatinus haberetur gratus et recommendatus, que supplicacio eciam concorditer erat concessa.

Habita fuit congregacio *nacionis Almannie* apud Sanctum Maturinum decima quinta die anni et mensis quo supra super duobus articulis. Primus erat super aliquo tangente honorem nacionis et expedicione ambaciatorum mittendorum in Scotia, et hoc quantum spectabat ad nacionem. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum supplicavit quidam reverendus magister nostre nacionis, ad cujus requestam dicta congregacio erat habita, ex quo met erat iturus ad Scotiam una cum aliis ambaciatoribus regis et Universitatis [5], et dictus magister erat iturus ex parte domini nostri pape Alexandri quinti, et idcirco supplicavit pro subbedello dicte nacionis, que supplicacio unanimiter erat concessa nemine contradicente, tum ob

1. Petro de Tureyo, *qui ut legatus apostolicus* (*Alexandri V*) *in Francia Novemb. 7 tantum curiam reliquit* (Arch. Vat., Oblig. n° 56, f. 17), *et Nov.* 18 *Parisiis morabatur* (*vid.* Chron. de Monstrelet, *ed.* Douet-d'Arcq, II, 60, *qui perperam* Turin *pro* Tureio *scribit. Recte* Bul. V, 202). *De isto cardinali vid.* Baluze, Vit. Pap. Aven., I, 1348 *sqq.*

2. *Ms.* vestras.

3. *Quia erat vigilia festi S. Edmundi.*

4. *Ex quo apparet baccalareos etiam rotulum distinctum a rotulo Universitatis ad papam misisse. Rotuli non ante Decemb.* 23 *ad curiam Romanum portati sunt* (*vid.* Bul. V, 195). *et fortasse solum mense Januario an.* 1410. *Saltem rotulus regis Franciae suorumque solummodo mense Januario per Hugonem Grimaut, decanum Noviomens. ad curiam Romanam missus est* (*vid.* Journal de Nicolas de Baye, *ed.* Tuetey, I, 323).

5. *De ista legatione regis Franciae et Universitatis in Scotiam nihil invenimus. Cum Scoti ex parte Benedicti XIII starent, Alexander V eos ad suam partem trahere conabatur, et infra ad an.* 1412, *April.* 30, *scribitur mag.* Thomam *missum fuisse* pro unione obtinenda. *Sed etiam de internis rebus regni Scotiae agebatur, cujus rex Jacobus ab Anglis detinebatur, Scotia interim a Roberto duce Albuniae gubernata.*

reverenciam domini nostri pape, tum propter honorem nacionis, tum propter profectum et utilitatem subbedelli, scilicet Mathie. Quantum ad secundum articulum supplicavit idem magister pro virga argentea ejusdem bedelli, que supplicacio eciam erat concessa, dummodo poneret sufficientem caucionem vel burgencium vel alio modo. Eciam conclusum erat quod mitterentur littere aliquibus prelatis illius patrie, scilicet Scotie, existentibus de gremio Universitatis et nacionis.

Facta congregacione *nacionis Almannie* apud Sanctum Maturinum decima nona die mensis Januarii anni quo supra, super duobus articulis. Primus articulus erat bimembris. Primum membrum erat ad avisandum modum execucionis conclusionis dicte nacionis. Secundum membrum erat ad legendum minutam mittendam ad Scotiam. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum et ad primum membrum rector Universitatis[1] istius erat recessurus Aureolanis ad accipiendum gradum doctoratus in legibus, et petivit licenciam ab Universitate. Postea adhuc petivit licenciam a facultate. Et erat unum factum de sigillo rectoris in eadem congregacione facultatis, et conclusum erat ibidem per tres naciones de sigillo eodem, quod sigillum rectoris maneret penes procuratores; sed rector, quomodocunque esset, voluit deferre sigillum secum[2], et ergo ex quo vidi quod conclusio nacionis non deduceretur ad effectum, feci congregacionem super hoc, et conclusum erat unanimiter per omnes magistros quod ego dicerem rectori, vel quod dimitteret sigillum apud procuratores, vel quod haberemus ipsum requirere, quod non exiret villam istam inconsulta facultate artium, scilicet quod faceret congregacionem facultatis super hoc, quod ita factum erat. Et hoc de primo membro.

Quantum ad secundum membrum nichil factum est de illo, quia minuta nundum erat composita, sed quoad hoc et quoad cautionem accipiendam pro virga argentea, ne tota nacio continue molestaretur, conclusum erat quod ego caperem deputatos pro lectura minute et pro cautione accipienda pro virga, quod et ita factum est. Postremo quoad litteram littera erat sigillata per consensum deputatorum, sed quantum est de virga, ego una cum Bomundo, quia non poteram habere plures magistros, et magister Thomas[3] erat cito recessurus, accepimus cautionem burgensem, quia quidam Lumberdus[4] promisit satisfacere, et accepimus super hoc litteram in Castelleto, quam habet Bomundus. Et hoc de secundo membro primi articuli.

Quantum est de secundo articulo nichil factum est de illo, et ideo nichil plus, etc.

(*Fol. 29*) Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum penultima die mensis Januarii super duobus articulis. Primus articulus habuit duo puncta. Primum punctum erat ad eligendum examinatores baculariandorum. Secundum punctum erat super distribucionibus mensium pro examinandis in cameris. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et quoad primum punctum primi articuli secundum quod modus erat, exiverunt duo antiquiores regentes, qui pro tunc erant in congregacione predicta, licet non erant antiquiores simpliciter, et etiam exiverunt antiquior magister et receptor, qui eligerunt se ipsos. Et hoc de primo puncto. Sed quoad secundum punctum, magister Johannes Dorlo habuit omnes menses, qui multum solempniter propinavit, quia dedit summam XXVI solidorum. Et hoc de secundo puncto. Et ne preteriam silencio, predicti quatuor magistri, quilibet eorum dedit IIII sol. De secundo articulo nichil erat factum, quia nullus supplicavit, nec prout tactum est in primo articulo, etc.

Incipiunt nomina determinancium anno quo supra.

Item primo determinavit dominus Arnoldus de Hokerken sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa IX sol.

Item det. dom. Johannes Prenthaghen sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa IIII sol.

Item det. dom. Mathias Morscher de Treveris sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa II sol.

Item det. dom. Johannes de Arluno sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa quinque albi.

Item det. dom. Johannes de Monasterio sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa quinque albi.

Item det dom. Gregorius de Kutenberch sub

1. Hugo Fabri, *Gallic. an.* 1394 *Aurelianis ut scol. legum.* FOURNIER, Stat. et privil., III, 482 n° 4. *Ita etiam* BUL., V, 920.

2. *Ex quo apparet, Hugonem rectorem mansisse, quamquam ad Universitatem Aurelianens. recessurum; illa Universitas enim quasi facultas Universitatis Paris. considerabatur. Vid. Auct., tom.* I, p. XXXVI.

3. Erskyn, *qui fuit nuntius in Scotiam. Infra ad an.* 1412, *April.* 30, *scribitur, Thomam ivisse una cum* abbate de Pontiniaco, *scil.* Johanne Pacis, *qui fuit monachus monast. de Villanova, an.* 1386 (1387) *lic. in theol., an.* 1389, *Octob.* 13, *abbas de Pontiniaco* (Reg. Av. Clem. VII, n° 52. *fol.* 264).

4. *I. e. quidam mercator e Lombardia.*

mag. Johanne de Hallis, cujus bursa quinque albi.

Item det. dom. Johannes de Halis[1] sub mag. Johanne Crenach, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Wilhelmus de Fern sub mag. Johanne Crenach, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Nycolaus Leyden, sub mag. Johanne Crenach, cujus bursa V sol.

1410

Acta in continuacione ejusdem magistri Johannis de Montfoerdia.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Bernardum anno quo supra, decima die mensis Februarii, super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuando eundem. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Redeundo ad primum articulum continuatus erat concorditer procurator antiquus. Quantum ad secundum articulum supplicavit primo procurator antiquus, ut haberetur gratus, recommendatus et av[o]atus, que supplicacio erat ab omnibus nemine contradicente concessa. Secundo supplicavit quidam reverendus magister pro uno scolari, qui tempore determinacionis sue disputavit in vico Straminum usque ad medium Quadragesime, postea recessit ad partes, supplicavit pro dispensacione relique partis, quia juravit disputare per totam Quadragesimam, nec habeat subdeterminantem; que supplicacio, si et in quantum spectabat ad nacionem dispensare cum illo, erat concessa, si non poterat dispensare in talibus, remisit se ad facultatem. Tercio supplicavit quidam alius reverendus magister, scilicet magister Jacobus de Harlem, pro tunc receptor *nacionis Almanie*, pro quodam scolari qui erat bacularius in alio studio previlegiato, videlicet Pragensi. Supplicavit pro admissione pro illo gradu in nacione, que supplicacio erat concessa solutis solvendis, alias non. Quarto supplicavit in propria persona quidam scolaris pro eadem supplicacione in forma, sicud tercius supplicavit, que supplicacio eodem modo solutis solvendis erat concessa[2]. Quinto supplicavit quidem scolaris, quia receptor *nacionis Almanie* noluit eum admittere pro IX solidis pro bursis in gradu baculariatus, quia dictus receptor novit statum istius scolaris, scivit eciam quod plura exposuit septimanatim, et eciam timebat redargui a nacione, et propterea dictus scolaris supplicavit ut nacio vellet contentari de illis IX solidis pro bursis suis, que supplicacio erat concessa. Et ista sunt que erant facta in predicta congregacione, et nichil plus, etc.

(*Fol. 29*[b]) Sequuntur nomina subdeterminancium anni quo supra.

Item subdeterminavit dominus Hugo David sub principali determinatore, cujus bursa nichil.

Item subdeterminavit dominus Hermannus de Colonia sub principali determinatore, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum quinta die mensis Marcii anni ut supra super duobus articulis. Primus articulus erat incidentalis cum secundo articulo, et sic erat unus articulus supplicacionum. Et supplicaverunt magistri et scolares ducatuum Ghelrie et Juliaci pro missagio sive nuncio communi ex parte ipsorum pro portandis pecuniis et aliis bonis eorumdem[3]; quorum supplicacioni nacio annuit concorditer. Item fuit tactum quod isti deberent satisfacere receptori, qui admissi erant pro gradu bacalariatus de aliis studiis previlegiatis infra hinc in festum Pasche, quod et conclusum erat concorditer. Et ista erant facta per nacionem predictam in predicta congregacione, etc.

1410

Facta in procuratoria magistri Jacobi Lyndesay[4], Scoti, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, duodecima die mensis Marcii.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die quo supra, [super] duobus articulis. Primus articulus erat supra electione procuratoris vel continuacione ejusdem. Secundus erat supra supplicacionibus et injuriis. [Quantum] ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem nacionis magister Jacobus Lyndesay, Sco-

1. *Presb. S. Andreae dioec. in Scotia* (Suppl. Mart. V, n° 134, *fol.* 178).

2. *De istis duobus baccalareis Universitatis Pragensis infra.*

3. *Ex quo liquet* Thurot, De l'organisation de l'enseignement, p. 25, *not.* 5, *et* Jourdain, p. 269, *not.*, *perperam asserere, solum an.* 1444 *horum nuntiorum pro scolaribus a nationibus electorum mentionem fieri. Supra occurrit nomen etiam, quo postea appellabantur*, missagii, *gallice* messagers.

4. *De quo jam in tom.* I Auctar, *et supra* p. 44, 34; *an.* 1417, *Aug., rect. par. eccl. S. Brioci, S. Andreae dioec.* (Suppl. Ben. XIII, n° 88, 167[b], 194, *et passim*), *et nobilis; an.* 1420 *bacc. decr.* (Supp. Mart., n° 140, *f.* 101).

tus. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator quatenus haberetur gratus et recommendatus, que supplicacio erat concorditer concessa.

Item incepit dominus Johannes de Allen sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa V sol. Solvit V francos, VIII sol.

1410

Acta in procuratoria magistri Alberti de Novimagio anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, septima die mensis Aprilis.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Julianum die quo supra super duobus articulis. Primus articulus erat super electione procuratoris vel continuacione ejusdem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem nacionis magister Albertus de Novimagio concorditer. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator quatinus haberetur gratus et recommendatus, que supplicacio non erat concorditer concessa quantum ad omnia acta in procuratoria sua, sed erat interempta quantum ad reddicionem deliberacionis factam die quo supra in congregacione facultatis apud Sanctum Julianum, ymmo ex illa reddicione deliberacionis nacionis minus bene facta et non secundum mentem nacionis expressa habebatur omnino ingratus et nullo modo recommendatus a nacione[1].

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum die quo supra, hora quarta post meridiem, super tribus articulis. Primus articulus erat bimembris. Primum membrum erat super reddicione deliberacionis nacionis minus bene facta die quo supra apud Sanctum Julianum in congregacione facultatis per magistrum Jacobum Scotum, sed expressa quibusdam additamentis turbantibus magistros nacionis pro majori parte, et non expressis concorditer per nacionem. Secundum membrum erat super injuriis illatis nacioni nostre in predicta congregacione facultatis per dominum rectorem[2], eo quod conclusit nacione Picardie et Anglicana reclamantibus. Secundus articulus super accedendo cum procuratore nacionis Picardie dominum rectorem ad requirendum eum, ut faceret congregacionem Universitatis, in qua possemus supplicare, ut nacio nostra posset reponi in pristinis titulis ad declarandum causas in congregacione facultatis, propter quas eramus moti die quo supra non acceptare magistrum Johannem Cranack in temptatorem presentatum per cancellarium Sancte Genovefe. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primos duos articulos nichil deliberatum erat quid agendum esset, sed deliberatum erat quod super eisdem congregacio nacionis fieret die sequente proxime ad maturius deliberandum super eis. Quantum ad tercium articulum nichil actum fuit, cum non erant supplicantes pro tunc.

(Fol. 30) Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum, die octava mensis Aprilis anni ut supra, super duobus primis articulis quibus supra. Quantum ad primum articulum et primum membrum ejus dictum fuit, quod dominus procurator antiquus male fecit, si ita reddidit ut dicit primum membrum primi articuli. Quantum ad secundum membrum deliberatum fuit quod rector male fecit concludendo duabus nacionibus reclamantibus. Quantum ad 2m articulum deliberatum fuit quod accederem procuratorem nacionis Picardie ad inquirendum, an staret in ista conclusione quod nacio Picardie distulisset acceptacionem presentati usque in diem crastinum, ut si *nacio Almanie* vellet aliqua dicere, diceret, cum ipsa maxime in predicto facto haberet suum interesse. Si vero non vellet aliqua dicere, placeret in crastino presentatus.

1410

Acta in continuacione magistri Alberti de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, quinta die mensis Maii, super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum[3] antiquum. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus erat concorditer procurator antiquus. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus ut haberetur gratus, recommendatus in hiis que acta erant in procuratoria sua et specialiter super una requesta quam fecerat

1. *Fere primus procurator, qui non habitus est recommendatus.*

2. *Qui a Martii 24 fuit* Johannes de Bellomonte. Bul., *in* Nomenclatura V, 920, *perperam* Andreas de Wesalia. *Recte* p. 205.

3. *Ms.* continuando.

domino rectori de reformacione facultatis artium concernente examen in propriis Sancte Genovefe, que supplicacio erat concorditer concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die octava mensis Maii anni ut supra super duobus articulis. Primus erat super renunciacione examinis in cameris facienda per magistrum Johannem Dorloe et super reacceptacione unius alterius. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum renunciavit magister Johannes Dorloe officio examinis in cameris, et posuit in manibus nacionis, et reacceptatus fuit magister Wilhelmus Lochem in predicto officio quantum ad primum mensem. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Johannes Dorloe, ut nacio avizaret modum refundendi sibi pecunias suas citius quo posset, quas exposuit per modum propine pro predicto officio, que supplicacio erat concorditer concessa.

Sequuntur nomina bachalariorum alterius studii admissorum per nacionem Anglicanam in isto anno.

Item admissus est dominus Leonardus de Hetzelstorfer, bacalarius Pragensis [1], cujus bursa VI sol.

Item admissus est dominus Johannes Tylebole de Saxonia [2] ad bacalariatum, cujus bursa II sol.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni 1410 [3].

Item primo licenciatus fuit dominus Alexander Lindezay [4] sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII sol.

2° Item licenciatus fuit dom. Johannes Senescalli sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa VI s.

3° Item licenciatus fuit dominus Johannes Tylebole de Saxonia sub magistro eodem, cujus bursa II sol.

4° Item licenciatus fuit dominus Leonardus Hetzelstorffer sub mag. Johanne Roes, cujus bursa VI sol.

(*Fol. 30*^{b}) 5° Item licenciatus fuit dominus Rynerus Wale sub Heinrico Gorchem, cujus bursa II s.

6° Item licenciatus fuit dominus Johannes Gulich sub eodem, cujus bursa III sol.

7° Item licenciatus fuit dominus Johannes de Curia sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VI sol.

8° Item licenciatus fuit dominus Riquinus Erlen sub Heinrico Gorchem, cujus bursa VIII sol.

9° Item licenciatus fuit dominus Henricus Udem sub eodem, cujus bursa III sol. et VI den.

Sequuntur nomina incipiencium in predicta procuratoria.

Item primo incepit dominus Alexander Lyndezay sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII s.

2° Item inc. dom. Leonardus Hetzelstorffer sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa VI sol.

3° Item inc. dom. Johannes Gulich sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa III sol.

Item incepit quarto dominus Johannes Tylebole de Saxonia, cujus bursa II sol.

Item inc. dom. Reynerus Wale sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa II sol.

Item inc. dom. Johannes de Curia sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VI sol.

Item inc. dom. Heynricus Udem sub mag. Heynrico Gorchem, cujus bursa III sol. et VI d.

Item incepit dominus Johannes Senescalli sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa VIII sol.

Sequuntur nomina licenciatorum

Item licenciatus fuit dominus Jacobus Bardenar sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa V sol.

Item incepit dominus Jacobus Bardenar sub eodem cujus bursa V sol.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Item licenciatus fuit dominus Robertus Strabrock [5] sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII s..

1. *Inter lineas* bac. Pragensis. *Hoc tempore non pauci baccalarei Pragenses Parisios venerunt. A mense Maii scil. an.* 1409 *Germani et Poloni Universitatem Pragens. reliquerunt, remanentibus ibidem Bohemis, directis per* Johannem Hus *et* Hieronymum de Praga (*de quo vid.* Tomek, Gesch. der Prager Universität, p. 66 *sqq.*; Höfler, Magister Johannes Hus u. der Abzug der deutschen Professoren aus Prag, p. 217 *sqq.*), *de quo pluries infra.* — Leonardus Hesselstorper *an.* 1407 *baccal. Pragae* (Munim. hist. Univers. Pragens., I, 1, p. 392).

2. Johannes Tylewel de Uslaria *Pragae an.* 1407 *baccalareus* (Munimenta, *etc.*, *l. c.*, p. 396); *an.* 1412 Erfordiae *ut magister intitul.* (Weissenborn, Acten, I, p. 95).

3. *Ms.* mille 400.10.

4. *Vid. supra* p. 63, *not.* 1.

5. *Fuit an.* 1419 *presb.*, *et quidem S. Andreae dioec.*, *et petit ut eccl. par. de Gogar ejusd. dioec. recipiat* (Suppl. Mart. V, n° 132, *fol.* 62).

Item lic. fuit dom. Wouterus Grawert sub mag. Heynrico Gorchem, c. b. VIII sol.

Item lic. fuit dom. Hermannus Vreden sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa V sol.

Item lic. fuit dom. Theodricus Johannis de Harlem sub mag. Heynrico Gorchem, cujus bursa V s.

Sequuntur nomina incipiencium.

Item incepit dominus Wouterus Grawert sub magistro Heynrico Gorchem, cujus bursa VIII sol.

Item inc. dom. Hermannus de Vreden sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa V sol.

Item incepit dom. Theodricus de Harlem sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa V sol.

1410

(*Fol. 31*) Facta in procuratoria magistri Wylhelmi de Lochem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die secunda mensis Junii anni M^mi^ CCCC^mi^ decimi super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris et secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Wylhelmus de Lochem, nemine reclamante. Quoad secundum articulum fuit primo supplicatum ex parte magistri Johannis Dorle, ut nacio sibi refunderet viginti sex solidos [1], quos ipse secundum consuetudinem pravam pro cameris habendis sive examine Sancte Genovefe magistris dicte nacionis propinavit, que supplicacio concorditer fuit concessa. Secundo supplicavit magister Wilhelmus predictus, ut loco ejus in examine predicto alter substitueretur, substitutus autem est concorditer magister Albertus de Novimagio, qui [2] etiam nemine reclamante habebatur gratus in factis procuratorie presentis per eum, etc.

Judocus [3] de Monte Declivi [4], receptus fuit ad bacalariatum quia fuit bacularius Pragensis, cujus bursa duo solidi.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Primo licenciatus est dominus Burkardus Bluom [5] sub magistro Johanne Ruoes, cujus bursa VI sol.

Item lic. est dom. Johannes de Bienen de Castro [6] sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa III sol.

Item lic. est dom. Johannes Theoderici de Gouda sub eodem, cujus bursa 8 sol.

Item lic. est dom. Nicolaus de Hassia sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa II sol.

Item lic. est dom. Hugo Johannis de Harlem sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa V sol.

Item lic. est dom. Hunoldus de Lippia sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa III sol.

Item lic. est dom. Johannes Sloyer sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VIII sol.

Item lic. est dom. Hugo de Delft Dodenis sub mag. Jacobo Stoer, cujus bursa III sol.

Item lic. est dom. Jodocus Kudorffer [7] de Monte Declivi sub mag. Henrico Gorckam, cujus bursa II sol.

Item lic. est dom. Johannes Giengen sub mag. Jacobo Stoer, cujus bursa II sol.

Item lic. est dom. Nycholaus Tunnok sub mag. Johanne Cranak, cujus bursa VIII sol.

Item lic. est dom. Michael de Rotenborch sub mag. Wylhelmo de Lochem, cujus bursa duo solidi.

Item lic. est dom. Johannes Noertwiic sub mag. Henrico Gorckam, cujus bursa VIII sol.

Item lic. est dom. Hermannus Leonis de Campis sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa V albi.

Sequuntur nomina incipiencium tempore predicti procuratoris.

Item incepit dominus Riquinus Erlen sub magistro Henrico Gorkam, cujus bursa VIII sol. [8].

Item inc. dom. Burkardus Bluom sub mag. Joh. Ruoes, cujus bursa VI sol.

Item inc. dom. Hugo Johannis de Harlem sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa V sol.

Item inc. dom. Johannes Byenen de Castro sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa III sol.

Item inc. dom. Johannes Theoderici de Gouda sub eodem, cujus bursa VIII sol.

1. *In margine* : In taberna propinavit viginti solidos.
2. *Sequentia addita sunt.*
3. *Haec rubrica addita est.*
4. *In* Munim. Univers. Pragens., I, 390, *et infra vocatur* Judocus Küdorffer, *bacc. Pragae an.* 1406.
5. *In margine quinque primi aliter ordinantur ; quintus est primus, quartus secundus.*
6. *An.* 1432 *can. B. Mariae Traject. sup. et litt. apost. abbrev.* (Suppl. Eug. IV, n° 270, *f.* 122).
7. Kudorffer *inter lineas.*
8. *Postea primo scriptum erat nomen* Roberti Strabrok, *sed deleta rubrica supra scribebatur* : retardavit cum incepcione sua usque ad locum posteriorem. *Vid. infra* p. 77, 12.

Item inc. dom. Nicolaus Tredeberich de Hassia sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa II sol.

Item inc. dom. Hunoldus de Lippia alias Broetheneren sub eodem, cujus bursa III sol.

Item inc. dom. Johannes Sloier sub eodem, cujus bursa VIII sol.

Item inc. dom. Hugo de Delft Dodenis sub eodem, cujus bursa III sol.

Item inc. dom. Jodocus Kudorffer de Monte Declivi sub mag. Henrico Gorckam, cujus bursa duo solidi.

Item inc. dom. Robertus Strabrok, Scotus, sub mag. Joh. Cramak (*sic*), cujus bursa VII sol.

Item inc. dom. Nicolaus Tunnok, Scotus, sub eodem, cujus bursa VIII sol.

Item inc. dom. Johannes Noertwiic, sub mag. Gorckam, cujus bursa VIII sol.

Item inc. dom. Michael de Rotenborch sub mag. Wilhelmo de Lochem, cujus bursa duo solidi [1].

Item inc. dom. Hermannus Leonis de Campis sub mag. [2] cujus bursa quinque albi.

(*Fol. 31*[b]) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, in mense Junii die VIII[a] super quatuor punctis. Primus super facto rotuli reformandi. Secundus super expensis solvendis factis in exsequiis Allexandri pape quinti [3]. Tercius super cameris distribuendis, et quartus super supplicacionibus, etc. Super primo placuit nacioni dare deputatos, scilicet procuratorem, magistrum Hermannum Rove, magistrum Jacobum Harlem, magistrum Albertum de Trajecto, quibus dedit plenam autoritatem ordinandi factum rotuli [4] et providendi super argento habendo; et placuit nacioni legato nostro in curia existenti [5] concedere quinquaginta scuta [6], super quibus habendis isti deputati haberent avisare et ordinare, et voluit ut quilibet inrotulandus nomen suum inrotulatoribus infra duos dies diceret, ut deputati audita multitudine inrotulandorum possent facilius imponere cuilibet summam debitam. Electi autem sunt in inrotulatores magister Hermannus Rove et magister Jacobus Harlem. Super secundo articulo voluit referre se ad predictos deputatos. Super tercio articulo electi sunt examinatores camere, magister Tydemannus Langhe et magister Wernerus de Sutphania, magister Johannes Ruoes pro toto anno. Quoad quartum nichil, quia nullus erat supplicans.

Facta congregacione predicte nacionis anno Domini quo supra in mense dicto, die 13[a], super duobus articulis. Primus super facto rotuli et ad audiendum litteram missam a magistro Wylhelmo Bloc; 2[us] super supplicacionibus. Quoad primum electus fuit in inrotulatorem magister Hermannus Roven, quia noluit acceptare cum solummodo ut alias in priori congregacione erat deliberatum [7]; et conclusum est, ut omnes inrotulari volentes sua nomina procuratori portent ante finem du[or]um dierum sub pena privacionis a rotulo. Supplicabat quidam magister pro littera testimoniali in forma communi, et est sibi concessa.

Facta congregacione nacionis predicte mense quo supra die 15[a] super supplicacionibus quorundam. Supplicabat ibi dominus Hunoldus de Lippia et Nicolaus de Hassia, ut nacio reciperet pingnera pro argento debito nacioni, quorum supplicacionibus nacio annuit secundum formam communem, ut jurarent more solito, etc.

Facta congregacione nacionis predicte mense predicto, die XXIII[a], deputatorum conclusio pro summa inrotulandorum nacioni intimabatur, videlicet ut quilibet absens pro nunc, in alio tamen rotulo presens alias ducto Allexandro [8], solvat XX solidos, novi vero magistri XXIIII, absentes simpliciter XL, presentes autem et alias inrotulati X, presentes vero non inrotulati XX.

Facta congregacione mense Julii anno quo supra, die prima, super facto rotuli et factis domorum. Quia inrotulator dixit paucos novos magistros inrotulari velle propter nimiam summam eis impositam, ordinabatur ut ipsi tantum solverent libram unam. Super facto domorum, scilicet Dacie, *ad cornu cervi* et *ymaginis Nostre Domine*, dabantur deputati, scilicet receptor et magister Nicolaus de Saxonia, qui ruinas imminentes haberent visitare et cum inhabitantibus procedere ut jus dictaret et congruum videretur, et voluit nacio, ut magister Nicolaus de Saxonia una cum receptore expediret factum ymaginis [9].

Hic conclusum est epytogium pro procuratore na-

1. *Postea* Item incepit dominus, *sed nihil sequitur.*
2. *Nomen legi non potest.*
3. *Qui die dominica Maii 4 defunctus est Bononiae* (Arch. Vat., Oblig. n° 56, *fol.* 29[b]).
4. *Ut rotulus regis suorumque* (*vid.* Journal de Nicolas de Baye, *ed.* TUETEY, I, 324), *ita et rotulus Universitatis in curia Romana propter mortem papae non expeditus est.*
5. Guillelmo Bloc.
6. *Super* 100, *quae ipsi jam promissa erant. Ille etiam, qui rotulum curiae regis portavit, recepit* 100 *scuta,* « pour ce qu'avait receu pour son salaire ne suffisoit pas » (Journal, *l. c.*).
7. *Inrotulator unicus evasit.* Cf. 78, 34; 80, 19.
8. *Scil. papae* Alexandro V.
9. *I. e.* imaginis S. Edmundi, *de qua supra* p. 59, 36.

cionis et paratum est per diligenciam receptoris magistri Jacobi Harlem in festo sancte Marie Assumpcionis, scilicet anno M° CCCC° X°.

Computacio facta est.

Facta congregacione solempniter apud Sanctum Maturinum nacionis Anglicane super aliquibus punctis. Primus super facto domorum; secundus super facto rotuli, ut ordo inrotulatorum legeretur; tercius, ut requireretur rector [1] expedire facta facultatis; quartus, ut nacio haberet epitogium pro procuratore; quintus super facto arche nacionis; sextus super facto computi, anno quo supra, mensis Julii die vicesima. Super primo articulo recitabat procurator quomodo Nigellus [2] recesserat et substituit alium procuratorem domorum, cui commisit illa quinque scuta per nacionem arrestata pro reparacionibus, etiam substitutus se obligabat totum argentum locagii futuri ponere pro reparacionibus. Et facta per procuratorem habebantur grata in illo facto illarum dictarum domorum. (*Fol. 32*) Super facto rotuli, quia pauci adhuc erant inrotulati, non legebatur ordo rotuli. Super tercio voluit nacio, ut rector requireretur ista expedire, scilicet reformationem facultatis, emendam debitam rectori preterito, eciam emendam debitam magistro Johanni de Nova Domo. Super quarto placuit omnibus, uno solo dempto, ut provideretur de epitogio, ne procurator egeat amplius concedere [3] epitogium in festis nacionis et aliis temporibus, quibus ipse nacionem presentabit. Super quinto articulo, quia receptor non conswevit fidejussores ponere, ut nacio magis de suo thesauro certificaretur, voluit fieri archam fortem, et ut de loco securo provideretur, ubi poneretur, cui arche receptor presens thesaurum inponeret, sua receptoria finita. Voluit eciam, ut hec archa sufficienti fortitudine munita quatuor serris certis firmaretur, quarum unius clavem gereret procurator, secundam receptor, terciam portaret unus de senioribus non regentibus per nacionem electus, quartam portaret unus de senioribus regentibus per nacionem electus. Quoad sextum punctum vero, audivit nacio compotum, qui ei placuit, et tunc omnibus misiis solutis remanserunt nacioni ducente et duodecim libre, duo solidi, et decem denarii. Et placuit nacioni compoto facto intrare tabernam, in qua consumpsit quatuor libras vel circa [4]..... Placuit autem nacioni, ut receptor presens argentum conservaret, ut conswevit, ad utilitatem nacionis, quia ipse nacioni gratus habetur in omnibus per eum factis usque ad finem sue procuratorie; successor autem ejus recipiet in archa, ut prefatum est, thesaurum nacionis sepe dicte. Supplicabant bedelli ut eis nacio aliquid graciose tribueret, et tantum eis concessit graciose sicut in preterito.

Item in facto arche, et supplicavit provincia.

Facta congregacione nacionis predicte anno quo supra, quarta die mensis Augusti, super tribus punctis. Primus erat super facto rotuli, et quoad hoc lectus erat ordo rotuli et placuit ordinacio illa nacioni. Conquestus fuit inrotulator de quibus[dam] tardantibus exponere argentum, et quoad hoc voluit nacio, ut procurator caucionem ab illis reciperet et eos inrotulator expediret. Secundus punctus erat super supplicacione provincie Almanorum. Quoad hoc supplicavit provincia Almanorum per deputatos suos magistrum Johannem Coc et magistrum Hermannum Roven, ut nacio provincie filie sue vellet subvenire in facto reformacionis domus pauperum, ei certam quotam pecunie concedendo, et si egeret, vellet ei tringinta scuta concedere quia domus illa tempore illo ante et retro similiter et infra tota erat ruinosa. Cui supplicacioni nacio annuit graciose eam concedendo, dummodo tamen provincia sufficientem caucionem poneret nacioni. Tercius punctus fuit in facto arche, quia ad requestam quorundam magistrorum positum erat in deliberacione ut darentur aliqui qui hanc archam haberent diligenter et prudenter facere preparari, etc. utrum placeret eam poni in Balvaco [5], scilicet in ecclesia vel sacristia illius collegii, super quo concorditer fuit conclusum, ut prius fieret archa, et deinde provideretur locus. Deputati autem ad hujus exsecucionem fuerunt magister Albertus Baers, receptor et bedellus Bomundus, qui hanc archam facerent parari ante terminum quindecim dierum presentis mensis, etc.

1. *Qui tunc erat* Henricus Statter (Scatter), *an.* 1389 *Coloniae inscriptus.* Keussen, Matrikel, I, 38. *An* 1427 *occurrit ut can. et corepiscopus eccl. Traject., in art. et med. mag., consiliarius Phil. ducis Burgundiae* (Suppl. Mart. V, n° 206, *fol.* 258b). 1435 *Lovaniens. Universitatis rector* (Fasti academici stud. Lovan., 1650, p. 36). *Corepisc. ab an.* 1424.

2. *Scil.* Nicolaus de Saxonia.

3. *Intellige* sibi concedi, *i. e.* mutuari.

4. *Postea tres voces difficiles lectu. Fortasse* : ante convocationem vesperorum. *Dies fuit dominica.*

5. *I. e. in Collegio Belvacensi.*

Expedita per dominum receptorem.

Item expedivit dominus receptor factum novorum scampnorum apud Sanctum Maturinum, ne amplius, nacione sedente, per eam aliquis valeret discurrere; similiter hostia scolarum fecit parari et pulpitra poni et reformari, requisitus per nacionem ut faceret infra ebdomadam sub pena privacionis a suo sollario (*sic*) secundum quod conclusum fuit alias in procuratoria magistri Johannis de Hallis. Item voluit nacio, ut expediret ymaginem [S. Edmundi], et datus est sibi in socium hujus exsecucionis magister Nicolaus de Saxonia, licet nundum facta sit. Item expedivit epitogium una cum capucio. In festo Assumpcionis beate Virginis, omnia fuerunt hec ut premissum est completa.

De argento inrotulatorum.

Facta congregacione nacionis predicte die decima nona mensis predicti apud Sanctum Maturinum computavit magister Hermannus Roven inrotulator nacionis predicte, qui de argento recepto receptori tradidit 14 lib. par. et dimidiam.

1410

Continuatio ejusdem.

(*Fol. 32*ᵇ) Facta congregacione nacionis Anglicane XXVIª Augusti super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat supplicacionum. Et supplicabat antiquus ut haberetur gratus in hiis que egit, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa. Supplicavit eciam pro continuacione quia fecit se pronunciari disputa[tu]rum in primo loco anni, et ita factum est. Supplicavit eciam, ut propter disputaciones vellent differre intrare tabernam, ut et ipse possit societati interesse, et quoad hoc elegit major pars bonum presens[1], ideo ipse misit unum qui locum suum tenens exposuit dimidium francum, etc., etc.

[Magistri regentes hujus anni].

Mag. Wylhelmus Bloc[2], cujus fidejussor mag. Jacobus Harlem.

M. Henricus Gorckam, cujus fidejussor mag. Wylhelmus de Lochen.

M. Wylhelmus Lochen, cujus fidejussor mag. Henricus Gorckam.

M. Johannes de Hallis, cujus fidejussor mag. Johannes Arnem.

M. Joh. Cramack (*sic*), cujus fidejussor mag. David de Naeren.

M. Albertus de Novimagio, cujus fidejussor mag. Henricus Uden.

M. Jacobus Stoer, cujus fidejussor mag. Judocus Brun[3].

M. Judocus Brun, cujus fidejussor mag. Jacobus Stoer.

M. Leonardus Hetzelstoffer, cujus fidejussor mag. Joh. Cramack.

M. Joh. Gulich, cujus fidejussor mag. Riquinus Erlen.

M. Joh. Tielebole, cujus fidejussor mag. Joh. de Hallis.

Facta congregacione nacionis Anglicane vicesima prima Septembris apud Jacobitas super aliquibus articulis. Primus erat super electione novi receptoris, et electus fuit concorditer nemine reclamante magister Nicolaus Kunneken de Saxonia. Alii articuli fuerunt suspensi ad proximam congregacionem propter congregacionem Universitatis ibi celebratam serius, et lecta fuit littera missa per magistrum Wylhelmum Bloc de curia Romana.

1410

(*Fol. 33*) Acta in procuratoria magistri Henrici de Gorkam sequuntur in nomine Domini.

Die veneris, que fuit vicesima sexta Septembris, apud Sanctum Maturinum facta fuit congregacio Universitatis, hora octava ad deliberandum super aliquibus bonum regis et regni concernentibus ac eciam populi ex concursu hominum armorum pregraviter oppressi[4], insuper ad audiendum nonnulla

1. *I. e. major pars maluit statim tabernam intrare.*
2. *Sed fuit adhuc in curia.*
3. *Qui alias vocatur* Kürdorffer.
4. *Tunc temporis Gallia imprimis Parisiensis civitas civilibus odiis lacerabatur. Aurelianensi duce Ludovico trucidato* (*an.* 1407, *Nov.* 24) *auctor caedis, Johannes dux Burgundiae aliis validior evasit, qui libidinibus populi blandiebatur, unitis sibi rege Navarrae et duce Brabantiae. Tempore de quo supra agitur dux Burgundiae et dux Bituriae se mutuo oppugnabant. Civitas Paris. circumquaque per* 20 *miliaria sic copiis militaribus obsessa erat, ut in ipsam vel in vicinas urbes nihil inferri posset* (Chron. du rel. de St-Denys, IV, 362). *Gentes armorum tantam violentiam, crudelitatem et rapinam committebant, ut incolae ab hostibus Anglicis melius tractatum iri se existimarent* (*vid.* Journal d'un

in die mercurii proxima precedente in consilio regis peracta, ubi rector cum certis deputatis erat specialiter convocatus [1], ut super hiis omnibus quid sibi agendum appareret Universitas deliberaret.

Quippe prescripta superius die mercurii [2] rex Navarre pro se proque ducibus Burgundie et Brabancie ac aliis suis fautoribus assumens verbum coram domino nostro rege una cum ejus consilio ita exorsus fuit [3] : « Verisimile est discordiam dominorum regni nasci ex ambicione dominandi et emolumenta regni percipiendi. Volumus igitur nos, dum tamen dux Butirie et domini qui secum sunt similiter faciant, remeare ad domos nostras, contenti propriis redditibus, nisi nobis singulariter preceperit, ad domini nostri regis non revertendo presenciam. At vero eligantur in certo numero probi, prudentes et providi indifferentes, non suspecti; quibus regis tociusque regni tute committantur gubernacula. Et ne pactum modo ineundum per aliquem e nobis in posterum violetur, ex nunc decernatur ut contra talem tres status regni unanimiter veluti contra pacis perturbatorem procedere laborent ». Proinde quia occasione armaturarum dampnum communi populo illatum constat intolerabile, supplicabat idem domino nostro regi, quatenus in dampnorum relevamen aliquam speciem subsidii extraordinarii remittere dignaretur graciose, que omnia consilium regis dictabat concorditer fore justa sancta ac nature et rationi consentanea.

Itaque die veneris prememorata proponebat rector in deliberacione, quid super hiis Universitas agendum censeret, et iste principalis erat articulus, gratia quidem brevitatis temporis aliis articulis omissis. Super prescriptis modo subjecto nacio Anglie deliberabat : regraciabatur imprimis regi Navarre aliisque ducibus, eo quod saluti regis et sui regni invigilant. Volebat eciam laborare ut rex dignare[tur] aliquam speciem subsidii relaxare, sed illi vie pacis per dominum regem Navarre oblate [4] inherere atque eamdem prosequi ac predicare, attento quod materia ista ardua est, utriusque eciam partis respectiva, non acceptabat [5], nisi presciret illud fore de consensu ducis Butirie dominorumque sibi assistencium necnon ipsorum de benivolencia.

Die veneris que fuit tercia mensis Octobris apud Sanctum Maturinum facta fuit solempnis congregacio Universitatis ad audiendum aliquas litteras Universitati directas ex parte domini Buturicensis alio[rum]que dominorum consortium, et consequenter ad deliberandum super tenore earumdem [6]. Tenor vero hujusmodi littere in effectu continebat narracionem et supplicacionem. Quippe narrabatur qualiter jam pluribus diebus apud Castrum de Monheri castra metati fuerant, instantes pro accessu impetrando apud dominum regem, cupientes tamen loqui super bono persone sue, regni sui et ad favorem justicie; qui mirabatur quoque recusacionem sue peticionis, presertim quia extranei ad regem accessum faciliter possunt optinere, ipsi vero prohibiti sunt, qui corone et sanguini regali propinquissimi sunt post filios regales. Eapropter ad Universitatem, que saluti regis, regni atque sue justicie continuo consuevit insudare, [se dirigit] quatenus velit apud regem interpellare aut eis accessum cum audiencia impetrare [7]. Respondit Universitas matura deliberacione prehabita : « Primo, inquit, regraciamur dilecto duci Butirie aliisque dominis secum existentibus, quia nobis sua secreta communicare dignum duxerunt. Proinde quamvis omnibus bonum regis, corone et regni procurare, ampliare aut salvare cupientibus vellemus prebere auxilium et favorem, tamen specialiter laborare ad impetrandum audienciam vel in speciali descendere cum una parte vel cum alia [8] declinamus, pro posse nostro eligentes viam mediam, non favorizando pocius unam partem quam aliam [9]. »

bourgeois de Paris, *ed.* Tuetey, p. 7; Journal de Nicolas de Baye, I, 340).

1. Monstrelet *scribit* : vint devers lui le recteur de l'Université grandement accompaigné des maistres et suppos d'icelle, lequel lui dist et remonstra comment sa fille l'Université estoit disposée de partir de Paris par faulte de vivres, *etc.* (Chron. *ed.* Douet-d'Arcq, II, 92).

2. *Scil. Septemb.* 24.

3. *Orationem etiam refert* Chron. du rel. de St-Denys, IV, 372; *sed relatio optime per supra scripta corrigitur et suppletur. Omnia distincte enarrat* Monstrelet, *l. c.*, p. 92 *sq.*

4. *Scil. ut quilibet ducum redeat ad propria et* ut viri probi, prudentes et providi eligantur, quibus regni gubernacula committantur.

5. *Ex hoc refragatur assertio, istam viam primo ab Universitate regi propositam fuisse, ut non raro vacillans* Rel. de St-Denys, *l. c.* p. 372, *scribit, et* Bess, Zur Gesch. des Konstanzer Konzils, I, 60, *contendit.*

6. *Ex his et sequentibus corrigitur relatio apud* Chron. du rel. de St-Denys, IV, 370. *Scribit enim Universitatem ducem adiisse, eum admonendo; cui dux respondit se audientiam apud regem, extraneis datam, non habuisse. In ista relatione praeterea nihil de supplicatione ducis, ut Universitas sibi audientiam procuraret, nihil de responsione Universitatis.*

7. *Quae mutatio rerum! An.* 1394 *idem dux Bituricens. impedivit, ne Universitas pro viis ad abolendum Schisma proponendis apud eundem regem audientiam haberet* (*vid.* Chartul., III, n° 1682), *an.* 1410 *supplicat Universitati, ut sibi audientiam apud regem obtineat!*

8. *I. e. vel* cum parte ducis Bituricensis, *vel* cum parte ducis Burgundiae.

9. *Haec omnia hucusque ignota erant.*

(*Fol. 33*[b]) Die nona mensis Octobris fuit apud Sanctum Maturinum Universitas convocata super duobus articulis. Primus continebat aliquas clausulas, quarum prima erat ad audiendum relacionem duorum legatorum de curia redeuncium, unius theologi utpote nomine Nicolaus Canage[1], alterius vero medici. Referebat theologus proposicionem suam domino pape[2] factam, ubi recommendabat Universitatem Parisiensem. Subjunxit qualiter papa grate benevoleque respondit, promittens Universitati plura bona[3]. Tandem subjecit ut haberentur grati, avoati etc. Huic respondit Universitas, regraciando domino pape super benevolencia quam pretendit se habere erga Universitatem, et quia dignatus est eam recommendare super omnes alias Universitates. Habebantur insuper avoati preter a nacione nostra, *quia utique non bene ambulaverunt juxta formam instructionum suarum.*

Alia clausula ejusdem articuli mensionem fecit de apunctuamento habito de injuria rectori illata, specialiter quoad abbatem de Sancto Odomaro. Dicebat Universitas, quod vellet, ut injurians compareret coram Universitate et ibidem humiliaret se supplicando pro remissione et venia, sed de pecuniis volebat ut deputati haberent maturius cognoscere quibus usibus manciparentur.

Tercia clausula erat super aliquibus actis in consilio regis, ubi rector cum deputatis quibusdam erat convocatus, et ad audiendum relacionem illorum. Item super quodam privilegio nobis gratuite concesso, etc. ab ipsis secretariis. Hic regraciabatur domino regi et suo consilio de honore, beneficiis et aliis nobis impensis, precipue de littera illi *super intestatis*[4]. Regraciabatur similiter, quia voluit nos interesse in proposicione facta per dominum archiepiscopum Pisanum[5]. Volebat ulterius quod daretur solempnis proponens, qui exponeret calamitates populorum[6] et Universitatis, et quatenus vellent celeriter adhibere remedium circa ejusmodi. Preterea nolebat quod rector et deputati de cetero deliberarent nomine eciam privato super hiis que tangunt modum procedendi contra alterutram parcium. Rursus quod si rector illic existens non haberet locum, recederet, nisi ad honorem filie regis sibi locus deputaretur.

Secundus articulus erat super supplicacionibus. Dominus rector supplicabat, ut in hiis que egit haberetur gratus, etc. Ista concorditer concessa. Supplicabat quidam abbas, ut medio Universitatis salvare posset grana sua. Concessum est. Supplicavit alius religiosus doctor in theologia, elimosinarius[7], pro quadam littera absolucionis ad prelatum suum. Dati fuerunt deputati. Postremo privatus fuit quidam abusor privilegiorum de Sancto Dyonisio. Et de contencione cujusdam officii in notariatu nostro in Castileto dicebat Universitas, quod nichil immutaretur, nisi perante fieret specialis super hoc articulus et utraque parcium audiretur.

Undecima die mensis Octobris apud Sanctum Julianum Pauperem facta fuit congregacio facultatis arcium causa eligendi novum rectorem, et fuit antiquus concorditer avoatus et novus electus, magister videlicet Rolandus de Rameriis, cujus electio etsi secundum se grata fuit, tamen modus eleccionis nostre nacioni displicuit, quia, Gallico[8] et Normanno tantummodo convenientibus, aliis vero adhuc inter se et cum aliis contendentibus, Gallicus vocavit rectorem[9] sine consensu aliorum duorum aut alterius ipsorum. Cetera fiebant modo assolito. Dabantur insuper deputati circa unam supplicacionem ibidem factam.

Die duodecima facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum, congregacio Universitatis, occasione cujusdam littere misse a duce Butiricensi, que ibidem lecta dicebat summaliter supplicando, quatenus Universitas vellet aliquos solempnes deputatos ad ipsum dirigere, quibus aliqua secreta et bonum regis et regni concernencia exprimere valeret. Conclusit Universitas quod rector cum deputatis, pro eo quod a rege fuerat mandatus, iret ad consilium regis,

1. *Seu* Canacbe, *lic. in theol. an.* 1401.

2. *Qui tunc agnoscebatur* Johannes XXIII. *Maii* 17 *electus et* 25 *coronatus.*

3. *Revera Aug.* 5 *Universitati Paris.* Praerogativa *concessit, a* Bul. IV, 906, *perperam Benedicto XIII ascripta, de quibus infra ad an.* 1412, *Nov.* 8, *not.*, *et* 1423, *Octob.* 8.

4. *Hae litterae, Septemb. an.* 1410, *exstant in* Arch. nat. Paris., JJ. 165, *fol.* 196b, *et* Ordonn. des rois, IX, p. 643.

5. *Johannes XXIII* Alemannum Adimari *archiep. Pisanum suum referendarium, Nicolaum de Robertis et mag. Gaufridum de Perusio utriusque jur. doctorem ut nuntios in Franciam misit, ut de electione referrent et de intentione papae quam in facto ecclesiae habet* (Reg. Vat. n° 340, *fol.* 187, *ad* Jun. 9). Salvus conductus *est Jun.* 13 (ibid. *fol.* 188 *et* n° 342, *fol.* 3). *Papa Jul.* 10 *Francisco camerario injungit, ut archiepiscopo in Franciam ituro* III[c] *flor. auri solvat* (ibid. *fol.* 195b).

6. *I. e.* Universitatis.

7. *Fuit* Johannes Bovesgue *vel* Le Bouvègue *eleemosinarius monast. Fiscamnens. an.* 1403 *in theol. licent., an.* 1410 *Parisiis in fac. theol. regens* (Reg. Vat. Lat. Johann. XXIII, n° 148, *fol.* 43b), *in qua regebat adhuc an.* 1433, *Sept.* (Bibl. Nat. ms. lat. 5494, p. 148). *In* Arcb. nat. Paris., M65[a], n° 138 *Universitas supplicat summo pontifici, ut ille fiat* elemosinarius Fiscamnensis.

8. Intrante, *et sic intelligatur ad vocem* Normanno.

9. *I. c. pulsavit ad ostium, ut rector antiquus intraret, et in Rolandum de Rameriis* « descenderet ». *Vid. infra an.* 1414, *Mart.* 24.

et ibidem impetraret licenciam adeundi dominum Butirie. Nacio tamen nostra et nacio Francie voluerunt quod statim mitterent, sed rector secutus deliberacionem Universitatis accessit predictum dominum sequenti die.

Decimatercia die mensis Octobris facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem in die dominico, ad audiendum compotum antiqui receptoris. Compotus in parte placuit, in parte suspensus fuit propter pecunias quasdam concessas legato nostro magistro Guillelmo Bloc, quia summa inrotulatorum et modus recuperandi pecunias creditas et pro ipsis expositas requirebant pleniorem discussionem et prioris procuratoris, utpote magistri Guillelmi Lockem, presenciam. Volebat tamen nacio magistrum Jacobum Arlen salvare indempnem, qui jam miserat quinquaginta scuta legato prenominato.

(*Fol. 34*) Die vicesima prima mensis Octobris fuit apud Sanctum Maturinum congregacio Universitatis ad audiendum, que dominus Butirie exposuit rectori et deputatis. Summa relacionis erat quod dominus Butirie et alii domini qui secum sunt, habent affectionem sinceram ad bonum regis et regni, nec proponebant impedire ne Parisius adducerentur victualia, non eciam pretendebant spoliare villam Parisius, licet eis imputaretur. Talia similiaque nobis tamquam amicis suis volebat constare; hac vero de causa nobis significavit ut ad ipsum nostros festinaremus gressus dirigere. Deliberavit Universitas regraciando sibi, et consequenter voluit dare duos solempnes proponentes, qui haberent proponere, unus coram rege et suo consilio, alius coram duce Butirie et suo consilio, quatenus propter inconveniencia innumera que inferuntur communi populo, ipsi vellent breviter terminare discordiam et arripere modum bonum, quod gentes armorum recederent.

Vicesima quinta die mensis Octobris fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum ad audiendum quandam litteram missam a duce Butirie et ad audiendum aliqua, que ipse oretenus dixit uni deputato Universitatis, ad audiendum denique aliqua peracta in consilio regis. Unde summa premissorum fuit quod ipse dux Butirie post salutem anime sue nil tantum cordi habet sicut bonum regis et regni, et quod conclusio alias oblata erat ei acceptabilis tamquam via compendiosior, utpote quod isti domini regales[1] desisterent a regimine regis et regni, sed remeantes ad propria vivant ex propriis. Quippe pro regimine regis ac regni eligantur probi non suspecti. Deinde requisivit quatenus vellemus accedere ipsum et ipse nobis totum mentis conceptum aperiret. Hec de illo. Eadem fuerunt tacta in consilio regis et relata in Universitate. Universitas deliberavit regraciando domino regi et suo consilio, et similiter duci Butirie, similiter quoque dominis et consilio suo secum existentibus, quia dignantur nobis secreta sua communicare. Erat deinde mensio facta de legatis in curia Romana existentibus et lecta littera quedam nobis per eos destinata, ubi Universitas deliberavit scribere domino pape per unum equitatorem ad curiam Romanam pro meliore data. Et requisitus fuit dominus rector quatenus ipse accedat archiepiscopum Pisanum ad sciendum, que sunt que nobis habet exponere, prout alias nobis significavit. Item concessa fuit supplicacio nacionis Normanie pro isto anno suspendere lectiones in festo beati Romani[2] archiepiscopi Rothomagensis. Concessa fuit quedam littera archiepiscopo Viennensi[3] ad dominum papam in forma communi. In supplicacione Testardi pro pecuniis habendis stetit nacio nostra in alias deliberatis, nec erat concordia in Universitate de modo habendi.

1410

[Continuacio ejusdem.]

Vicesima sexta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum ad eligendum novum vel ad continuandum antiquum procuratorem, et procuratore habito grato et avoato, eligebatur iterato.

Et tunc tercio[4] die sequente fuit facta congregacio nacionis ad audiendum compotum receptoris et ad ordinandum quasdam pecunias nacionis; item circa modum concedendi pecunias provincie [Alemanie], et ad unam supplicacionem littere testimonialis super gradu magisterii. Unde pecunie erant ibi in triplici differencia, quia quedam erant jam recepte, quedam erant caucionate, quedam erant sine fidejussore credite; intendendum est de pecuniis inrotulatorum usui magistri Guillelmi Bloc applicandis. Volebat igitur nacio quod procurator cum receptoribus, novo et antiquo, facerent diligenciam requirendi pecunias caucionatas et quod scriberentur fidejussores et nomina illorum qui fidejusserunt, et conse-

1. *I. e. duces regales.*
2. *Patroni nationis Normannorum.*
3. Johanni de Nanton, *postea episc. Paris.*
4. *Octob.* 28.

quenter referretur quid actum esset; quantum ad ulterius quod excogitarent modum habendi pecunias pro magistro Guillelmo predicto expositas. De alio volebat nacio quod crederentur pecunie provincie Almanorum, dum tamen haberetur cancio per pignora. Supplicacio magistri fuit concessa.

Consequenter proxima die sequenti[1] facta fuit congregacio Universitatis ad audiendum relacionem ministri de Sancto Maturino[2], quam fecit fideliter. Narratum eciam fuit qualiter injurie et contumelie sibi verbis fuerant illate a cardinali[3]. Unde considerans Universitas quod ipsa in factis arduis constanter et nudam consuevit predicare veritatem, nec propter hoc soleant suis proponentibus obprobria infligi, voluit quod daretur unus solempnis proponens qui sequencia in consilio regis habeat proponere : primo scilicet regraciari domino nostro regi ac suo consilio, quia placuit dare nobis audienciam. 2° quod haberet supplicare (*Fol. 34* b) quatenus de cetero non permittat proponentem Universitatis coram ipso taliter et tam ignominiose contrectari sive conviciari, sicut minister fuerat alias affectus per cardinalem de Barro; Universitas namque ex debito tenetur aperte propalare veritatem, et ergo grande sibi generaretur prejudicium si organis suis talis confusio inferretur. 3° haberet supplicare quatenus verba domini ministri dignaretur interpretari in partem benigniorem, quia non pretendit cuiquam displicere[4] aut quemquam offendere, sed zelo et compassione populi compunctus more predicatoris locutus est, contra vicia, cupiens illa extenuare.

Deinde die secundo sequente[5] facta fuit congregacio, quia proponens assignatus noluit assumere onus, nec aliquem poterat reperire, et ideo facta erat congregacio ad inveniendum modum compellendi proponentem datum vel dabilem. Erat autem admissa excusacio proponentis dati, videlicet episcopi de domo Predicatorum[6], et assignat pro hac vice concorditer per suam facultatem magistrum Petrum de Nongento[7], et voluit Universitas quod privaretur ipse aut eciam alius de cetero, si sine causa legitima recusaret onus subire injunctum; item si facultas theologie foret negligens in providendo, quod de aliarum aliqua facultatum ydoneus deputaretur. Fuit etiam mensio de minutis ad curiam Romanam destinandis, nam illis ibidem lectis voluit Universitas, quod visitarentur et quod duo puncta ponerentur, videlicet quod *in bullis nostris tolleretur illa clausula* : « *si sciat bene legere, cantare et construere* », *nam nimis facultati arcium est irrisoria*[8]. Item quod sicut nec in regno Francie ad favorem Universitatis et suorum suppositorum nulli, nisi vere commensales pape, cardinalium et regum, preferuntur suppositis Universitatis et adhuc in numero nobis insinuato, ita nec extra regnum in prejudicium suppositorum Universitatis.

Die decima tercia mensis Novembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Bernardum ad audiendum legatos domini nostri summi pontificis, videlicet archiepiscopum Pisanum et episcopum Silvanectensem[9], qui fecerunt per modum collacionis legacionem suam, tangentes qualiter dominus noster papa nos salutavit misitque apostolicam benedictionem, deinde recommendaverunt personam et elec-

1. *Octob.* 29.

2. *Minister Maturinorum coram consilio regis praedicavit*, « ct monstra la erualité que ilz faisoient par deffaulte de bon eonseil, disant qu'il failloit qu'il y eust de traitres en ee royaulme » (Journal d'un bourgeois de Paris *ed.* Tuetey, p. 9). *Sed quisnam fuit ille minister ?* Tuetey *scribit in nota :* Renaud de la Marche, docteur en théologie. *Ast si fuit solum, ut opinamur, minister Maturinorum Parisiensium, tunc nominabatur* Stephanus de Mesnillo Fouehardi (*cf.* Chartul. III, *Index*), *quem Benedictus XIII an.* 1409, *Oct.* 21, *excommunicavit* (Reg. Vat. Aven. n° 58, fol. 635b; *in* Chart. III, p. xxiii, *perperam* 1410, *Jan.* 16), *et qui an.* 1410, *Maii* 28, *cuidam instrumento Universitatis ut* minister S. Maturini Paris. *subscripsit* (Bul., V, 207). *Sed si fuit* minister generalis Ord. S. Trinitatis, *tunc utique erat Reginaldus de Marchia, adhaerens etiam papae Romuno, qui an.* 1410, *Maii* 29, *ad supplicationem provinciarum Custellae, Aragoniae et Navarrae a Benedicto XIII depositus est, eique substitutus* Johannes de Burgos (Reg. Suppl. Benedicti XIII, n° 88, *fol.* 52b *sq.*). *Reginaldus tamen minime theologiae magister Parisiens. fuit.*

3. Ludovico de Barro, *filio Roberti I ducis Barri* (*vid.* Gall. ehrist. IV, 626), *ex clecto Lingonens. an.* 1397 *cardinali. An.* 1409, *Jul.* 13, *legatus missus in Franciam et Germaniam* (Areh. Vat., Oblig. n° 56, fol. 2), *an.* 1410, *Jul.* 11, *resignavit* (*ibid.*, arm. XII, 121, p. 33), *cui successit ut legatus archiepiscopus Pisanus, de quo supra. Fuit praesens in consilio regis, dum praedicavit minister Maturinorum, quem propter sententiam not. 2 relatam vocavit* « villain chien » (Journal *etc.*, *l. c.*).

4. *Ms.* disciplere.

5. *Octob.* 30.

6. *Verisimiliter* Martini Porée, *episcopi Atrebatens. a* 1407, *Novemb.* 24 (Reg. Av. Bened. XIII, *vol.* 54, *f.* 553), *nuntii et confessoris ducis Burgundiae, mag. theol.* (*sed minime Paris.*; Quétif-Echard, Script. O. Praed., I, 778 b, *parum intellexerunt bullam Alexandri V*). *De isto celebri episcopo vid. etiam* Chapotin, La guerre de cent ans, Jeanne d'Are *etc.*, p. 107 *sqq.*

7. *Licent. in theol. an.* 1408.

8. *Antequam quisquam beneficium eccles. aliquod reciperet, examen subeundum erat*, an seiat bene legere, cantare, eonstruere, latinizare, *etc.*, *et quidem jam ab antiquo.* Pitra, Analecta novissima Spieilegii Solesmens., alt. eontinuat., I, 604 *sq. et* Denifle *in* Specimina palaeograph. Reg. SS. Pontif., p. 30, *not.* 72, *e Reg. Urbani IV quaedam collegerunt ad illustrandum hunc usum. Artistis Parisiensibus clausula memorata, quae justa erat de clericis ignaris, non de magistris in artibus, risum movebat, immo honorem facultatis laedere videbatur. Sed quod prius non audebant, tempore Schismatis facere didicerunt, scil. ut summo pontifici praescriberent, antiquum stilum cancellariae apostolicae mutare.*

9. Petrum Plaoul, *de quo* Chartul. III.

tionem canonicam summi pontificis; tertio tangebant qualiter nos, scilicet alma Universitas Parisiensis, fuit potissima cooperatrix ad sacrosancte ecclesie unionem; quarto, quia adhuc, licet capud esset unum, tamen membra plura erant disjuncta, et quia papa totis viribus conabatur exstirpare duos hereticos et resarcire sponse Christi tunicam : ideo hortabantur nos quod sibi vellemus assistere, dando auxilium, consilium et favorem, attento presertim quod de proprio non haberet unde sufficeret omnia que actenus[1] superstant mandare execucioni. Demum archiepiscopus Pisanus petivit solemnes deputatos ex singulis facultatibus ac nacionibus, cum quibus posset loqui familiarius circa predicta; item circa bullam nobis allatam super facto mendicancium[2]. Hiis itaque peractis Universitas deliberavit concorditer regraciando primo domino nostro summo pontifici de spiritualibus suis donis, item de bona affectione quam pretendit se habere erga nos. Dabat insuper notabiles deputatos ad audiendum dumtaxat et ad referendum, que archiepiscopus nobis vellet aperire, etc.

Sexta decima die mensis Novembris facta fuit congregacio nacionis apud Predicatores post sermonem[3]. Primo ad ordinandum de festo nacionis, et fuerat generaliter conclusum festum fieri debere. Item quod haberemus cantores ad solempnizandum divina in ecclesia. Item quod magister Guillelmus de Saintis[4] celebraret nostram missam. Electi eciam fuerunt una cum receptore in provisores magister Jacobus de Harlem[5] et unus de provincia alte Almanie et unus de provincia Scocie, prout moris est[6]. Secundo referabatur quod actum fuit circa modum recuperandi pecunias expositas racione legati nostri ad curiam, videlicet magistri Guillelmi Bloc[7].

(*Fol. 35*ᵇ) Septima decima die mensis Novembris fuit primo facta congregacio facultatis super aliquibus presertim ipsam concernentibus. Unde cum data nobis assignata[8], prout pro tunc jacebat, non erat nobis alicujus utilitatis; item quia in bullis nostris ponitur illa clausula, ledens honorem facultatis arcium qua dicitur : « dummodo sciat legere, construere, cantare et congrue loqui[9] » : hiis ex causis fuit in deliberacione positum de modo habendi pecunias ad destinandum equitem, non magistrum neque beneficii capacem, qui celeriter curiam accederet et litteras nostras pro nobis presentaret. Fuerunt itaque diversi modi excogitati [de pecuniis habendis], aut scilicet quod reciperentur a contribucione, aut ab illis qui alias leserant rectorem, aut mutuo a nacione Francie, presupposita sufficienti caucione. Deinde nacio Picardie supplicavit pro assistencia occasione cujusdam discordie cum priore Sancti Juliani Pauperis, que fuit dilata, donec predictus prior fuerit auditus. Consequenter statim fuit facta congregacio Universitatis super predictis punctis. Item super quadam bulla nobis destinata circa factum mendicancium[10], que nullatenus placuit, tum primo quia alia bulla continebat multa puncta omnino contra racionem; tum secundo quia ista secunda bulla non interimit primam; tum [3°] quia nulla interponitur pena in secunda bulla contra publicantes primam bullam; tum quarto, quia dicitur in prima bulla quod ipsa processit de consilio fratrum, in secunda minime; tum quinto quia papa Alexander similiter et cardinales dicere solebant palam, quod numquam de mente domini pape aut fratrum suorum processit illa nequissima prima bulla, et ergo miratur Universitas quare papa difficultat illam bullam annulare et irritam declarare. Unde propter hec et similia motiva ambe bulle displicent[11]; unde ulterius dicebatur quatenus ambe bulle multiplicarentur per facultates et naciones ad finem quod profundius circa tenorem ipsarum valerent speculari. Insuper requisitus fuit rector publicandi multiplicandive instrumentum circa istam materiam nuper ab Anglia transmissum.

1410

[Continuacio ejusdem.]

Proxima die sequenti[12] erat congregacio nacionis ad electionem vel continuacionem procuratoris et

1. *Ms.* adtenus.
2. *Vid. infra.*
3. *Quia dominica fuit.*
4. *Ord. Eremit. S. Aug., de quo pluries.*
5. *De* « bassa » *Alemannia.*
6. *Vid.* Auctar. I, p. XVII.
7. *In fine folii legitur* continua folium cum sequenti, *nam procurator paginam rectam folii sequentis* (35) *vacuam reliquit in qua procurator sequens Tidemannus principium congregationis Decemb.* XVIII (*leg.* XVI) *scripsit.*
8. *In rotulo in curia signato.*
9. *Vid. supra* p. 90, 16.
10. *An.* 1409, *Octob.* 12, Alexander V *bullam edidit contra illos qui contendebant fratribus mendicantibus minime competere jus evangelium praedicandi, confessiones audiendi, sacramenta ministrandi* (Arch. Vat. Lateran. n° 136, *fol.* 182; Bul., V, 196). *Quae bulla Universitati Paris. maxime displicebat* (*vid. tom.* IV Chartul.). Johannes XXIII *an.* 1410, *Jun.* 27, *prohibuit ne quis in posterum uti praesumeret litteris Alexandri V* (Bul., V, 204). *Hae sunt duae bullae quarum supra fit mentio.*
11. *Ms.* disciplicent.
12. *Novemb.* 18.

habitus sum gratus et avoatus et continuatus; propinavi eciam nacioni 4 solid. conformans me nacioni.

Die vicesima secunda facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum ad requestam provisoris provinciarum (*sic*) Almanie, scilicet Johannis Baier [1], qui supplicavit nacioni quatenus ipsa vellet pro eo intercedere apud Universitatem pro littera recommendatoria ad dominum nostrum summum pontificem, cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam Bomondus pro ipso et socio quatenus a determinantibus possent recipere medium francum, cujus supplicacio fuit admissa, ita tamen quod si essent aliqui pauperes, cum illis misericorditer procederet.

Die vicesima tercia [2] fuit in Sancto Bernardo congregacio facta solempnissima, ubi lecta fuit littera Concilii gallicani sigillata sigillo regis [3], continens legem, ne amplius papa haberet auctoritative imponere decimas, aut annatas [4], aut vacancias, etc. [Unde] ibi rector requisivit quemlibet per fidelitatem qua tenetur regi, ut circa hoc deliberaret ad honorem et utilitatem regis et regni, non recedens ab edicto vel statuto regio, sub amissione temporalis si haberet, si non, sub pena carceris. Insuper narravit rector qualiter legati proxima die precedente in consilio regis tria requesiverunt, videlicet primo decimas, 2° annatas, 3° vacancias et spolia more suorum predecessorum [5]. Ibi rector tetigit quod hujusmodi peticiones obviant de directo contra legem et censuram regiam, et preterea quia esset in grande prejudicium libertatum ecclesie gallicane; et ergo istud non esse admittendum. Super hiis omnibus nacio nostra preteriit sub silencio primum articulum pro tanto, quia condere talem legem auctoritate sua eciam in perpetuum contra jura papalia, saltem ubi ecclesia universalis et papa pretendunt se habere possessionem juridicam, non audebat nacio talem legem auctentizare; et ideo *neutraliter* circa illum articulum se habebat. Dicebat tamen ultra quod non placeret sibi quod papa pro libito suo haberet imponere onera ecclesie gallicane; verumptamen in casu quo vellet prosequi prosperitatem ecclesie et laborare pro tempore et loco ad implecionem illorum que promisit, libenter vellet sibi providere de subsidio caritativo et cooperari ad dictos fines, *ita tamen quod pecunie colligende non saciarent manus curialium, sed distribuerentur per manus eligendorum de regno Francie correspondenter juxta necessitatem aut oportunitatem successive agendorum ad fines prefatos* [6]. Sane inter hec singulariter apposita fuit condicio, « dum observaret condicionem super congregacione Consilii generalis prout promiserat [7] ».

1410

(*Fol. 36*) Acta in procuratoria Tidemanni Langhe.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem anno decimo quo supra, die XVI^a Decembris, super duobus articulis in congregacione facultatis. Primus ad eligendum novum pro-

1. *Videtur fuisse ille* Johannes Beyer de Bopardia, *can. Treverens., bacc. in decr., de nob. genere, qui tunc temporis exspectabat praeposituram B. Mariae Rotundae Metens.* (Reg. Vat. Lateran. Joh. XXIII, *an.* 2, n° 151, *fol.* 284b, *ad an.* 1411 *Nov.* 12). *An.* 1438 (*sine gradu*) *inscriptus Coloniae* (Keussen, Matrikel, I, 307), *an.* 1443 *Heidelbergae* (Toepke, Matrikel, I, 239).
2. Monstrelet (Chron., II, 103), *scribit perperam* 24 *Novemb. Invitatio rectoris Rolandi Ramier Novemb.* 22 *fuit pro* cras de mane, hora 8^a (Journal de Nic. de Baye, I, 341).
3. *An.* 1406, *et confirmata litteris Caroli regis an.* 1410, *April.* 17.
4. *De* annatis, *quae a doctis quandoque cum vacantiis confunduntur, vid.* Kirsch, Die päpstlichen Kollektorien in Deutschland, p. xxiv *sqq.*
5. *Johannes* XXIII *an.* 1410, *Jun.* 14, *in omnibus provinciis ecclesiasticis Franciae decimas annuales imponebat* (Reg. Vat. n° 340, *fol.* 175b), *et in provincia Senonensi et Rotomag.* Guigonem de Albiaco, *can. Paris. ut collectorem instituit* (*ibid. fol.* 181b). *Sed jam Jun.* 11 *papa regi permisit impositionem gabellarum seu juvaminum super ecclesiasticos sui regni* (*Ibid.* n° 342, *fol.* 10b. *Episc. Paris., Noviomens. et Lemovicens. ut exsecutores statuuntur*).
6. *Observandum, hoc dictum esse a natione Anglicana, i. e. ab* Alemannis, *qui, ut e primo relatis liquet, caeteris moderatiores erant.* Monstrelet (*l. c.*, p. 104 *sq.*) *hanc conclusionem nationis Anglicanae toti Universitati ascribit; plura tamen alia refert, quae legi merentur. Novemb.* 24 *in parlamento Universitas Paris. contra exactionem papae locuta est, ut legitur in* Journal de Nicolas de Baye, I, 344 *sq.* Monstrelet (*l. c.*, p. 105) *adjungit, archiepiscopum Pisanum cum aliis legatis praesentem fuisse dicentem*, que ce qu'il demandoit estoit deu à la chambre apostolique, et que quiconques le denyoit à paier, il n'estoit pas chretien. *Quae verba Universitas molestissime tulit. Proindeque Novemb.* 29 *conclusit, a legato istam sententiam revocandam esse; quod si nollet, facultas theologica contra eam scriberet. Conclusum fuit praeterea*, que ladicte Université de Paris escriproit à toutes autres Universitez... qu'ilz se adjoingnissent à l'Université de Paris. *De hoc etiam aliae congregationes Universitatis factae sunt, ut ibidem legitur, Universitasque tandem enuntiavit, si papa insisteret sub poena censurarum*, ladicte Université appelleroit au Concile général de l'église (p. 106). *Ecce fructum Schismatis et semina ad saec.* XVI! *De his omnibus altum silentium apud* Rel. de St-Denys.
7. *Jam Alexander V in Consilio Pisano statuit Concilium celebrandum an.* 1412. Johannes XXIII *huic statuto obviare non recusans, revera Concilium generale Romae April.* 1412 *celebrandum an.* 1411, *April.* 29, *edixit* (Reg. Vat. n° 342, *fol.* 236b). — *In ms^to parte inferiori manu saec.* XVI-XVII *scriptum legitur :* Ecclesia gallicana contra papam.

curatorem vel ad continuandum antiquum. Et electus est in procuratorem concorditer Tidemannus Langhe, qui eciam propinavit. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit antiquus ut haberetur recommendatus, et concessum est in hiis que bene egit.

1411

Acta in continuacione ejusdem super reposicione pecuniarum ad archam nacionis, etc.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno undecimo, die decima tertia Januarii, more consueto super duobus articulis. Super electione novi vel continuacione antiqui procuratoris. Et placuit nacioni concorditer continuare antiquum. Et pro secundo articulo habebatur gratus, recommendatus et avoatus, et expressit procurator prenominatus secundum quod sibi incubuit ex officio, quomodo multi magistri male contentebantur de hoc quod magister Jacobus de Haerlem, receptor antiquus, recessit ad partes suas sine scitu et licencia nacionis, tum primo quia non poterat ignorare conclusionem nacionis in facto arche que habetur in procuratoria magistri Gwilhelmi Lochem, que erat ita sollempniter capta et concorditer per omnes magistros et in etate et providencia provectos, ita quod ita solempnis vel sollempnior et cum majori deliberacione bono modo et consueto non posset accipi, immo quasi transivit in vim statuti, quia unusquisque requisitus per juramentum suum deliberavit archam expedire fieri ad reponendum pecunias nacionis propter multa commoda, et ad evitandum valde magna inconveniencia pro tunc discussa. Et in tantum processum est, quod licet a principio reperiebantur quidam non de directo consensientes, non tamen contradicentes, tandem consenserunt astricto juramento et veritate rei cum suis motivis ipsos convincente et bene paucis non expresse consensientibus, quia forte non poterant omnino contentari et satisfieri propter causas concurrentes in materia pecuniaria, si tamen aliqui tales remanserint, quod non constat. In qua eciam conclusione cavetur expresse, quod receptor novus haberet recipere pecunias restantes et reponere ad archam, et tunc fieret provisio de loco et distribuendo claves, et eciam quod semper remaneret una bona quota apud receptorem pro cotidianis miseis fiendis, avisanda per nacionem. Dicebat idem procurator prescriptus iterum, quod magistri qui ipsum requisierant volebant informari, si talis conclusio ita faciliter rumperetur et quod nacio poneretur in magna divisione. Ad quam divisionem impediendam omnes tenemur juramento nostro, et primo et maxime procurator pro tempore suo.

Dicebant eciam prememorati magistri quod provincia conquerebatur, et hoc erit bene scandalosum pro nacione, quomodo nacio jam deliberavit concedere provincie Alemannie mutuo sicut habetur in duabus procuratoriis (*Fol. 36*[b]) precedentibus, et domus [Almanorum] patitur magna dampna et minatur ruinam circa pavimenta in superiori parte domus, quia aqua tempore pluviarum ita vehementer incidit in predictam domum, sicut si situlis infunderetur, unde magna querimonia exhorta est.

Item quia predictus magister Jacobus recessit non completo computu suo, qui remissus erat ad deputatos; unde multi commoti fuerunt, et quod sic recessit non significando recessum suum nacioni vel ad minus per se, sicut tenetur, ut dicebant, et quod facere tenebatur plenariam refusionem pecuniarum ante recessum suum, vel per alium. Item tangebat procurator prenominatus quomodo in congregacione nacionis celebrata in Jacobitis die sexta decima Novembris circa secundum articulum, ubi referebatur, quod actum est circa modum recuperandi pecunias missas magistro Gwilhelmo Bloc per magistrum Jacobum de Haerlem et sibi concessas per nacionem, quia procurator pro tunc non scripsit expresse deliberacionem nacionis, unde eciam surrexerunt apud multos controversie, quia multi notabiles dicunt, quod nacio concessit, id est dedit de thesauro suo, et recuperaret ab inrotulatis, sicut posset; alii et multi notabiles dicunt quod nacio concessit mutuo tantum, et dicunt quod nacio deliberavit servare indempnem magistrum Jacobum Haerlem tamquam in mutuo, immo dicunt quod si nacio non posset recuperare ab inrotulatis, magister Gwilhelmus Bloc teneretur restituere.

Item exposuit procurator prenominatus qualiter ipse emit in illa congregacione prescripta ornamenta antiqua et tradidit tredecim scuta auri similiter et sex solidos pro beneficio nacionis, unde et nacio sibi tradidit possessionem corporalem. Quare requisivit quod scriberetur in libro.

Super hiis deliberando voluit nacio concorditer incipiendo ab ultimo, quod procurator antiquus haberet predicta redigere in scriptis juxta tenorem juramenti procuratoris ad evitandum divisiones, et quod legeretur in nova electione vel continuatione. Item pro secundo voluit et dedit deputatos procuratorem pro nunc et magistrum Alexandrum Majo-

rem [1], Scotum, et receptorem. Item 3° voluit nacio quod penes magistrum Wilhelmum Bloc fieret diligencia, quod provincia haberet pecunias sibi concessas. Circa primum principale dicebat nacio quod procurator bene fecit referendo premissa in nacione secundum quod eciam tenetur ex officio, ut nacio non defraudata sit, et ut eciam bene valeat in temporalium requie opulenta, ad quam conservandam omnes tenemur. Item dicebat nacio quod erat experta multa bona per magistrum Jacobum de Haerlem, et non esset verisimile quod ipse recedendo vellet fraudare nacionem, immo quod in recessu suo forte commisit magistro Wilhelmo Bloc, ut excusaret ipsum penes nacionem et responderet pro eo, si opus esset. Voluit igitur nacio concorditer, quod magister Gwilhelmus Bloc vocaretur ad nacionem in una congregacione speciali, et ibi diceret quod vellet, si haberet aliquid in commisso.

(*Fol. 37*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in congregacione Universitatis die XXª Januarii ad audiendum, si [Guillelmus Bloc] vellet aliqua dicere ex parte magistri Jacobi Haerlem ad excusacionem ipsius et ad respondendum pro eo, respondit quod nichil habuit in commisso ab eodem; verumtamen post multa dixit quod libenter fidejubendo responderet nacioni pro eodem, et sperabat magistrum Jacobum rediturum in brevi [2], qui omnia compleret que dimisit in recessu suo complenda. Et nacio recepit concorditer submissionem et responsionem suam, et dixit quod interim laboraret quod provincia haberet summam sibi concessam. Super supplicacionibus nichil pro tunc.

Item in proxima congregacione Universitatis in Sancto Maturino supplicavit in nacione magister Gerardus Doemheer, quod nacio vellet sibi assistere et in Universitate et apud prelatos de consilio regis domini nostri, et ipsum associando in prosecucione *condempnacionis articulorum Wiickliff* [3], quibus regnum Boemie pro magna parte infectum est [4], cui supplicacioni nacio annuit libenter.

1411

Sequuntur acta in procuratoria magistri Alexandri Foulertoun, Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M^{mo} CCCC^{mo} X^{mo} secundum compotacionem ecclesie gallicane, die vero decima mensis Februarii, super IIII articulis. Primus articulus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus ad providendum super aliquibus abusionibus perpetratis per procuratorem Francie in contrarium facultatis arcium, scilicet quia fecerat examinare bachalarios suos ante brandones in contrarium statuti dicte facultatis. Tercius ad eligendum examinatores bacha[la]riorum. Quartus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Alexander de Foulertoun [5] Scotus in procuratorem dicte nacionis Anglicane nemine contradicente, et dedit nacioni ad potandum taliter quod contenta fuit. Quantum ad secundum articulum deliberavit nacio quod post summacionem dicti procuratoris Francie, casu quo non remediaret et reformaret commissa, requireretur rector Universitatis super illo congregare facultatem arcium ad providendum super hoc de remedio oportuno. Quantum ad tercium articulum electi sunt examinatores bachalariorum secundum observanciam antique consuetudinis, videlicet exiverunt congregacionem nacionis ad partem receptor ejusdem nacionis, scilicet magister Nicholaus de Saxonia, et senior magister non regens, scilicet magister Conradus de Haghenouwen, atque duo seniores regentes, scilicet magister Henricus Gorkam et magister Wilhelmus Lochem, et elegerunt seipsos, quod placuit nacioni. Qui statim juraverunt juramenta ad hoc consueta. Quantum ad 4^{m} articulum supplicavit procurator antiquus, quatenus haberetur in actis in procuratoria sua ratus, gratus et avoatus, que supplicacio concorditer concessa est. Deliberavit eciam nacio quod procurator novus haberet facere diligenciam penes dominum rectorem super executione fienda quoad alias deliberata in reformacione facultatis arcium et quod ipse juraret pro tunc quod faceret diligenciam ad hoc quod pecunie nacionis ponantur ad archam, quod et factum est. Voluit

1. *Seu* Foulerton. *Vix* Alexander Lindesay, *et minime* Alexander de Lawedre, *qui solum lic. in decretis* (*archidiaconus Dunkeldens.*) *fuisse videtur, non in art.* (Suppl. Mart. V, n° 141, *fol.* 163; n° 243, *fol.* 275.)
2. *Ita prorsus, ut* p. 109, 1, *videbimus.*
3. *Jam an.* 1409, *Decemb.* 20, *ab Alexandro V condemnati* (Reg. Vat. n° 339, *fol.* 18), *de quo vid.* Lechler, Johann v. Wiclif, II, 157.
4. *Non solum ergo ab an.* 1413, *ut* Lechler, *l. c.*, p. 187, *scribit, regnum Bohemiae ut focus haeresis considerabatur.*
5. *De quo jam in tom.* I.

eciam nacio quod idem procurator faceret reparare sarruram arce sigilli existentis in Navarra.

(*Fol.* 37[b]) Sequuntur nomina determinancium anno supradicto, scilicet millesimo quadringentesimo decimo[1].

Primo determinavit dominus Gherardus Snavel de Zoollis civitate sub magistro Alberto de Novimaio, cujus bursa VII sol.

Item det. Conradus Mursal sub mag. Johanne Ruos, cujus bursa II sol.

Item det. Johannes Weies sub mag. Johanne Cranok, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Georgius Fridekker[2] sub mag. Jacobo Stoer, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Nicholaus Wilde sub mag. Thoma de Prucia, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Doncanus de Striveling, Scotus, sub mag. Johanne Cranok, cujus bursa V sol.

It. det. dom. Johannes Bram sub mag. Johanne Tilebul, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Henricus Luysch sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa II sol.

It. determinavit Georgius de Hauden, Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Alexander de Guthry, Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Henricus de Ogilvy[3], Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Thomas de Vanevelt[4] sub mag. Alberto de Novimaio, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Hermannus de Amsterdam sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Ghiisbertus Henrici sub eodem magistro, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Henricus de Daventria sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Johannes Lievolfinger[5] sub mag. Johanne Tilebul, cujus bursa VIII albi.

It. det. dom. Willelmus Thome, Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Patricius Juvenis[6], Scotus, sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Conradus Kesselring, sub mag. Willelmo Bloc, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Johannes Stempekch[7] sub mag. Willelmo Locam[8], cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes de Rot, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Henricus Anenstetter[9] sub mag. Willelmo Bloc, cujus bursa VI sol.

Item det. dom. Henricus de Aldenhoven sub mag. Johanne de Hallis, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Willelmus Foulis, Scotus[10], sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VI sol.

It. det. Judocus Harlem sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol.

It. det. Isbrandus Harlem sub eodem magistro, cujus bursa VII sol.

It. det. Everardus de Tulle sub mag. Ghisberto Scay, cujus bursa II sol.

It. det. Jacobus Lichtenberch[11] sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Henricus Berleke sub mag. Jacobo Stor, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Ulricus Deichsler[12] sub eodem magistro, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes Petri sub mag. Johanne Spenling, cujus bursa II sol.

(*Fol.* 38) It. det. dom. Walterus Boon de Harlem sub mag. Willelmo Bloc, cujus bursa IX sol.

It det. dom. Goswinus Smullingh sub mag. Henrico Ghorinchem, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Edwardus de Lawedre[13] Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa V sol.

1. *Sec. stilum gallicanum.*

2. *An.* 1420 *rector par. eccl. de Winspach, Eystetens. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 133, *fol.* 287b).

3. Henricus Ogilvy *fuit cler. S. Andreae dioec. de nobili genere procreatus* (Suppl. Bened. XIII, n° 88, *fol.* 194 b, *ad an.* 1418, *Aug.*). *An.* 1414 *portavit e curia Benedicti* XIII *bullam in Scotiam, qua iste papa Universitatem S. Andreae confirmavit* (Fordun, Scotichron., *lib.* 15, *cap.* 22). *An.* 1425 *in rom. cur. ut can. Brechinens. defunctus* (Suppl. Mart. V, n° 182, *fol.* 193), *cum esset licent. in art. et etiam bacc. in decr.* (ibid., n° 181).

4. *Qui in fac. medic. Paris. an.* 1419 *licent., an.* 1420 *April.* 20 *principiavit, mox in eadem magister regens atque temptator baccalariorum pro nat. Anglic.* (Comm. fac. med. I, p. 239, 240, 255, 258). *Infra ad an.* 1418, Zvanevelt. *Vid. ibid.*

5. *Infra ad an.* 1415 de Schafhusen.

6. *Qui infra vocatur* Patricius de Yhongem.

7. *Infra* Stambek.

8. *I. e.* Lochem.

9. *An.* 1428 *jam can. SS. Felicis et Regulae praepositurae Turicens. Constant. dioec. et bacc. in decr.* (Reg. Lateran. Mart. V, *an.* 11, *lib.* 1, *fol.* 15), *an.* 1437 *can. Curien. et licent. in decr.* (Suppl. Eug., n° 325, *f.* 220 b).

10. *Eodem adhuc anno fuisse fertur professor philosophiae in Universitate S. Andrews* (*e* Scoticron. *lib.* 15, *c.* 22, Bellesheim, Gesch. der kath. Kirche in Schottland, I, 279). *Fuit Dumblanens. dioec., illegit. natal.* (Suppl. Mart. V, n° 181, *ad an.* 1425). *An.* 1424 *ut cancellarius principis Archibaldi comitis de Douglas* (ibid. n° 170, *f.* 20), *an.* 1432 *ut bacc. theol. et Jacobi Scotorum regis consiliarius et sui secreti sigilli custos, archidiac. S. Andreae occurrit* (Suppl. Eug. IV, n° 272, *f.* 300; n° 282, *f.* 237).

11. *Inter lineas* Amsterdam.

12. *An.* 1426 Bononiae *studuit, cum esset can. vet. Capellae Ratisbonnens.* (Acta nat. German., p. 176).

13. *De nobili genere procreatus, S. Andreae dioec. Vid.* Suppl.

It. det. dom. Radu[l]phus de A sub mag. Johanne Dorlo, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Johannes de Gelria sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Theodricus de Novimagio sub eodem magistro, cujus bursa III sol.

It. det. dom. Johannes Homlyne, Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Jacobus Compostel sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Petrus Harlem sub mag. Willelmo Bloc, cujus bursa V sol.

1411

Acta in procuratoria magistri Alberti de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° XI°, decima die mensis Marcii, super tribus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus articulus erat ad distribuendum menses. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Albertus de Novimagio in procuratorem predicte nacionis. Quantum ad secundum articulum nichil factum fuit. Quantum ad tercium supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et recommendatus in actis in procuratoria sua, que supplicacio erat concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno quo supra, decima nona die mensis Marcii, super duobus articulis. Primus articulus erat super distribucione mensium quantum ad examinatores in cameris. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum presentavit se primo magister Heynricus Gorchem pro primo mense, qui erat acceptus pro illo. Presentavit se deinde magister Leonardus Hetzelstorfer pro secundo mense, qui eciam erat acceptus. Deinde procurator supplicavit ex parte magistri Heynrici Vaeck, ut reciperetur ad examinandum pro tercio mense, qui eciam fuit receptus. Quantum ad secundum articulum primo supplicaverunt magister Wilhelmus Bloc, magister Johannes Ruoes et magister Judocus, ut haberent litteras testimoniales de hoc quod magister Borchardus Bloem esset eis obligatus in pecuniis quibusdam, qui alias ambulavit ad partes et via mortuus est, que supplicaciones, quia nacio de hoc sufficienter informata fuit, concesse fuerunt. Secundo supplicavit magister Leonardus Hetzelstorfer, ut Oswaldus Nagel [1] et Andreas de Prucia [2] bachalarii Pragenses reciperentur pro bachalariis, que supplicacio fuit concessa solutis solvendis.

Facta congregacione facultatis arcium et nacione Anglicana eunte ad partem apud Sanctum Julianum anno quo supra, vicesima prima die mensis Marcii, supplicavit magister Wilhelmus Lochem, ut dominus Ulricus Purfinger reciperetur ad bachalariatum taliter quod non scriberetur in libro : « cujus bursa nichil », *sed reservaretur ibi spacium*, quia, ut dixit magister Wilhelmus, predictus dominus Ulricus haberet unum avunculum, qui solet sibi subvenire et pro presenti non subvenit ; sed quandocumque subveniret, solvet bursas suas, que supplicacio erat concessa. Supplicavit eciam magister Gerardus Doemheer pro sigillacione aliquarum litterarum, que supplicacio eciam erat concessa.

(*Fol.* 38[b]) Sequuntur nomina subdeterminancium anno quo supra.

Item subdeterminavit dominus Ulricus Purfinger sub magistro Wilhelmo Lochem, cujus bursa.... [3]

Sequuntur nomina bachalariorum alterius studii Pragensis admissorum per nacionem anno quo supra.

Item admissus est ad bachalariatum dominus Oswaldus Nagel bachalarius Pragensis, cujus bursa II sol.

It. admissus est ad bachalariatum dom. Andreas Yetland, bachalarius Pragensis, cujus bursa II sol.

Ben. XIII, n° 88, *fol.* 277 b *ad an.* 1416. *An.* 1419 *jam per quinquennium in facult. theol Parisiis studuit* (Suppl. Mart. V, n° 120, *fol.* 90b, *et saepe in Suppl.*). *An.* 1429 *affertur ut licent. in theol.*, *procurator regis Scot.* (Suppl. Mart. V, n° 237, *fol.* 300), *sed* « in alma Universitate urbis seu Curie Rom. gradus bacc. et licentie rigore examinis obtinuit » *cum litteris patentibus sigillo mag. s. palatii sigillatis* (*ibid.* n° 242, *fol.* 296 b). *Fuit archidiaconus de Lothian eccl. S. Andreae* (n° 165, *fol.* 128). Eduardus Lawder *unus illorum trium fuit, quibus Jacobus rex Scotiae an.* 1428, *Jul.* 17, *commisit tractare de matrimonio suae filiae Margaritae cum Ludovico delphino Franciae* (*vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. II, 397). *Sed an.* 1430, *Aug.* 8, *jam ut defunctus affertur* (Suppl. Mart. V, n° 249, *fol.* 86 b , *et passim.*).

1. *Sub hoc nomine deest in* Mun. hist. Univers. Prag. I. *Fortasse* Oswaldus de Noerlingen, I, 390, *vel* Nicolaus Nagel de Mikenow, *ibid.*

2. Andreas Jetland de Dusow, *Pragae an.* 1406 *bacc.* (Mun. *l. c.*, p. 389). *Sed legas* Dirsow, *ut infra scribitur* (Dirschau). Andreas Gytlant *postea* Bononiae *invenitur. Vid. infra ad an.* 1415, *Maii* 10

3. *Vid. sup. lin.* 19.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Item licenciatus est primo dominus Georgius de Handan sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII sol.

Sequuntur nomina incipiencium istius anni.

Item incepit primo dominus Georgius Handen sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII sol.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Item licenciatus fuit primo dominus Heynricus Ogylvy sub magistro Johanne Cranack, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dom. Conradus Mursal sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Johannes Johannis[1] de Leydis sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa VIII sol.

It. lic. est dom. Theodericus de Medel de Novimagio sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa III sol.

It. lic. est dom. Arnoldus de Hokirken sub mag. Wilhelmo Bloc, cujus bursa X sol.

It. lic. est dom. Andreas Yetland sub mag. Heynrico Gorichem, cujus bursa II sol.

1411

Acta in procuratoria magistri Alexandri de Foulertoun, Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M^{mo} CCCC^{mo} XI^{mo}, die vero septimo mensis Aprilis, super tribus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus ad ordinandum pro pecuniis nacionis ponendis ad archam, et tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Alexander de Foulertoun in procuratorem predicte nacionis. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni et voluit quod expectaretur adhuc adventus magistri Jacobi [de Haerlem] antiqui receptoris, et quod procurator, qui pro tempore esset, haberet statim post adventum ipsius super illo facere congregacionem. Quantum ad tercium articulum supplicavit procurator antiquus haberi ratus, gratus et recommendatus in actis per eum, que supplicacio erat concessa.

(*Fol. 39*) Sequuntur nomina licenciatorum in eadem procuratoria.

Primo licenciatus fuit Johannes de Veghe de Monasterio sub magistro Alberto de Novimagio, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Oswaldus Nagel sub mag. Leonardo Hetzelstorffer, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Johannes Homlyne sub mag. Johanne Crannack, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Canutus Nicholai Dacus sub mag. Johanne Cranok, cujus bursa VIII sol.

It. lic. fuit dom. Henricus Mutschler sub mag. Johanne Cranok, cujus bursa VI sol.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XI^{mo} die mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus articulus est super distribucione mensium pro bachalariis examinandis in camera. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum supplicavit magister Corrardus presentando se pro quatuor mensibus, qui acceptus fuit. Et non fuerunt alii supplicantes, et sic nichil de secundo articulo.

Sequuntur nomina incipiencium in dicta procuratoria.

Incepit[2] dominus Arnoldus de Hokirchen[3] sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Andreas de Ietland sub mag. Henrico Gorken, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Corrardus Mursal sub mag. Wilhelmo Lokem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Johannes Johannis Reyneri de Leyden sub mag. Henrico Gorghem, cujus bursa VIIII s.

It. inc. dom. Theodricus de Medel de Novimagio sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa III sol.

It. inc. Johannes de Veghe de Monasterio sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa II sol.

It. inc. dominus Johannes de Giengen sub mag. Judoco Broun, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Oswaldus Nagel sub mag. Judico Brwn, cujus bursa II sol.

1. *Inter lineas* Reyneri.
2. *Ordo quinque priorum litteris* e, d, a, b, c *restituitur.*
3. *Eodem anno, Dec.* 19, *jam* Coloniae *ut mag. art. et canonicus Aquensis inscriptus* (KEUSSEN, Matrikel, I, 127).

It. inc. Canutus Nicholai Dacus sub mag. Johanne Cranoc, cujus bursa VIII sol.

[Licentiati.]

(*Fol. 39*^{b}) Item licenciatus fuit dominus Alexander de Guthry, Scotus, sub magistro Johanne Crannoc, cujus bursa VII sol.

It. lic. fuit dom. Jacobus Compostelle sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Johannes Boni (Boin?) sub eodem mag. Alberto, cujus bursa IIII sol.

It. lic. fuit dom. Johannes Willelmi de Ziil sub eod. mag. Alberto, cujus bursa VIII sol.

It. lic. fuit dom. Willelmus de Aquisgrani sub mag. Alberto dicto, cujus bursa VI alb.

It. lic. fuit dom. Willelmus de Foulis, Scotus, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VI sol.

Item sequuntur nomina incipiencium.

Incepit dominus Heinricus Mutschler sub magistro Alberto de Novimagio, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Jacobus Compostel sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Johannes Willelmi [de] Ziil sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Johannes Boni sub eodem, cujus bursa IIII sol.

1411

Acta in continuacione predicti magistri Alexandri de Foulertoun Scoti.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini M^{mo} CCCC^{mo} undecimo, die vero sexta mensis Maii super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem et ad continuandum antiquum; secundus articulus ad distribuendum menses pro examinacione bachalariorum; tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum [ad] primum articulum electus et continuatus fuit concorditer antiquus procurator. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Corrardus pro quinto mense, et fuit concessa supplicacio. Quantum ad tercium articulum supplicavit procurator antiquus, quod haberetur in factis per eum in procuratoria sua ratus, gratus et avoatus, que supplicacio fuit per omnes concessa.

Incepit dominus Johannes Homlyne, Scotus, sub magistro Johanne Crannoc, cujus bursa VI sol.

Item dominus Willelmus de Foulis sub eodem, cujus bursa VI sol.

Incepit dominus Willelmus de Aquisgrani sub magistro Johanne Crannak, cujus bursa III sol.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die vero undecima mensis Maji. Primus articulus... [1].

(*Fol. 40*) Nomina licenciatorum in dicta procuratoria.

Primo licenciatus fuit dominus Johannes Phelippi de Reno sub magistro Henrico Gorcham, cujus bursa VIII sol.

Nomina incipiencium in dicta procuratoria.

Incepit dominus Johannes Phelippi de Reno sub magistro Henrico Gorchame, cujus bursa VIII sol.

Item licenciatus fuit dominus Nicholaus Baghũys de Ertfordia sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

Item licenciatus est dominus Guillelmus Thome sub magistro Johanne de Crannach, cujus bursa V sol.

It. lic. est dom. Nicholaus de Aquis sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol. par.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno ut supra, die XXV^{a} mensis Maii, super duobus articulis. Primus erat super facto appellacionis pro subsidio caritativo [2]; secundus super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer erat deliberatum et conclusum quod nacio appellare non vellet quocumque modo, ymmo omni appellacioni quantum possibile esset resistere, et ulterius nacioni placuit subsidium caritativum solvere etiam in propriis suppositis, de quibus omnibus requisitum est publicum fieri instrumentum. De secundo articulo nichil fuit determinatum, quia nulli supplicantes.

1. *Reliqua pars paginae vacat.*

2. *An.* 1411, *April.* 4, *Johannes* XXIII Alemanno, archiepiscopo Pisano, *et* Gaufrido electo Xantonensi, *nuntiis in Francia, Delphinatu et Viennen. injunxit, ut a praelatis et personis ecclesiasticis* unum subsidium caritativum vel subventionem vel donum munificum seu gratuitum ascendens ad summam unius integre decime unius anni *exigant* (Reg. Vat., n° 345, fol. 143). *Ut jam an.* 1410, *sic etiam nunc multi in Universitate hoc aegre ferebant et ad Concilium generale appellare volebant. Nihilominus dimidiam decimam in* subsidium caritativum *concedebant* (Monstrelet, II, p. 108 *sq.*, 123). *Legati papae pecuniam collectam quibusdam mercatoribus Florentinis dare debebant* (Reg. Vat., n° 343, *fol.* 20^{b}, *ad h. an.*, *Jun.* 19).

1411

(*Fol. 40*[b]) Acta in procuratoria magistri Henrici Vaeck de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die martis, scilicet secunda die mensis Junii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer erat electus in procuratorem nacionis Anglicane magister Henricus Vaeck. Quantum vero ad secundum articulum supplicavit locum tenens procuratoris ipso egrotante, ut haberent magistri nacionis dominum procuratorem antiquum gratum, ratum et havoatum in omnibus per ipsum factis, similiter et subtitutus pro seipso hoc idem supplicavit, que supplicaciones quoad omnia ab omnibus erant concesse in forma, etc.

Item incepit dominus Nycolaus [de] Aquis sub magistro Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum penultima die mensis Junii super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum audierunt magistri nacionis predicte compotum, et placuit omnibus bene. Quoad secundum supplicaverunt domini bedelli, ut nacio vellet eis succurrere pro servicio nacioni prestito, et quoad illum articulum concessit nacio concorditer pro domino Boemundo summam octo scutorum. Quoad factum subbedelli, scilicet domini Mathie, nacio perpendens quod ipse in legacione ad Scotiam non magnum obtinuerat lucrum, nec in legacione nec eciam pro tunc in nacione, concessit sibi liberaliter et concorditer summam octo scutorum, protestando tamen quod quidquid predicti magistri bedellis darent, hoc esset ex gracia, et nullo modo ex rigore.

1411

(*Fol. 41*) Acta in procuratoria magistri Henrici Vaeck de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XI[a] die Julii, super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum requestam magistri Bernardi Vloeghelyn. Secundus et communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum, requesta magistri Bernardi erat super facto nobilis viri Johannis Cray, quondam legati illustrissimi regis Bohemie, que erat talis, quia postquam predictus legatus expleta legacione accesserat Pragam, sibi per nonnullos detractatores, ut dicit magister predictus, imponebatur de accusacione studii Pragensis erga matrem nostram Universitatem Parysiensem, et per consequens diffamacio ejusdem. Quare predictus magister nomine prefati nobilis viri petiit litteras excusatorias a nacione nostra ad regem Bohemie, que supplicacio concessa erat concorditer et littere sigillate. Quoad secundum supplicavit magister Johannes de Halis pro littera testimoniali sui gradus, que eciam concorditer erat concessa.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die X[a] mensis Augusti super tribus articulis. Primus ad audiendum compotum et precipue compotum antiqui receptoris. Secundus super reformacione virgarum nacionis. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit compotus, et compotu completo tam de receptis quam de misiis recepta se extendunt ad ducentas libras, LXXXIII libras, X sol. et V d., misia vero ad centum lib., II lib., V s. et IIII d., sic quod misiis defalcatis remanent nacioni centum libre octoginta una libre, V s. et I d., tam in pecunia numerata quam in debitis magistri Alberti Yselsten supradicti. Item additis debitis receptoris antiqui, videlicet magistri mei magistri Jacobi Harlem preter summam predictam, que ascendit ad XLIII lib., VI s. et IIII d., tunc ex omnibus simul sumptis resultat summa summarum, que se extendit ad ducentas lib., XXIIII lib., XI s. et V d., etc.

Quoad secundum conclusum erat quod, postquam receptor satisfecisset domui provincie Alemanorum racione pecuniarum eidem a nacione concessarum, fieret reformacio, scilicet quoad majorem virgam, eam deaurando et cathenam eidem apponendo; quoad minorem vero, eam totaliter innovando.

Quoad tercium articulum nullus pro tunc supplicavit, quare etc.

1411

Acta in procuratoria magistri Jacobi de Harlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXVI[a] Augusti super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister

Jacobus de Haerlem [1]. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus ut haberetur gratus et recommendatus etc., et concessa fuit sua supplicacio.

(*Fol.* 41^b) Item incepit dominus Nycolaus de Erfordia sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die XXI^a mensis Septembris anno millesimo CCCCXI^o super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem vel ad continuandum antiquum. Secundus ad distribuendum scolas regere volentibus, et tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in receptorem magister Henricus Ghorinchem. Secundum articulum placuit nacioni differre propter processiones Universitatis, que eodem die fiebant. Quantum ad tercium articulum supplicavit antiquus receptor, ut haberetur gratus, etc., et annuit nacio supplicacioni sue.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, die XXIII^a mensis Septembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus concorditer. Quantum ad secundum supplicavit, ut haberetur gratus, etc., in actis per eum, et admissa fuit sua supplicacio. Concessa eciam fuit supplicacio illorum magistrorum nacionis, qui supplicaverunt ut nacio vellet intercedere pro quodam notabili et discreto viro de partibus Ghelrie [2], qui incarceratus erat minus juste, ut deliberaretur a carceribus. Eciam in eadem congregacione expediebatur articulus in precedenti congregacione pretermissus, videlicet de distribucione scolarum, et concessit nacio omnibus magistris regere volentibus scolas secundum antiquitatem regencie, dum tamen ponerent fidejussores quod regerent per majorem partem ordinarii.

Sequuntur nomina regencium anni M^{i}CCCCXI.

Magister Henricus Gorchem, cujus fidejussor magister Guillelmus Lochem.

M. Guillelmus Lochem, cujus fidejussor mag. Henricus Gorchem.

M. Johannes Cranack, cujus fidejussor mag. Johannes Philippi.

M. Albertus de Novimagio, cujus fidejussor mag. Henricus Vaeck.

M. Jodocus Brun, cujus fidejussor mag. Leonardus Hetzelstoffer.

M. Leonardus Hetzelstorffer, cujus fidejussor mag. Jodocus Brun.

M. Johannes Gulich, cujus fidejussor mag. Johannes Wermer.

M. Johannes Tylebole, cujus fidejussor mag. Nycolaus de Saxonia.

M. Conradus Mursal, cujus fidejussor mag. Johannes Johannis de Leydis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die octava mensis Octobris super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris antiqui, videlicet magistri Nycolai de Saxonia. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit compotus et scriptus fuit in libro receptoris de manu procuratoris. Quantum ad secundum supplicavit predictus receptor antiquus, ut haberetur gratus etc., cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis, secundus super supplicacionibus etc. Quantum ad primum placuit nacioni, ex quo alie naciones omni solempnitate cantaverunt missas pro prosperitate regis, regni, Universitatis et hujus bone ville Parisiensis [3], eciam cantare missam solempniter, et ut magistri melius conveniant, dare distribuciones. Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

1411

(*Fol.* 42) Acta in procuratoria magistri Johannis de Crannach.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XXI^{ma} mensis Octobris anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super

1. *Qui tunc reversus erat.*
2. *Cubicularii et scutiferi ducis Gelriae. Vid. ad Nov.* 15, *et an.* 1412, *Febr.* 7.
3. *In tristissimo statu tunc versabantur res publicae, regis consanguineorum discordia mortali perdurante. Civitas Parisiensis armis resonabat, ibique macellarii dominabantur, ita ut burgenses etiam fugam arriperent, rex quasi crepundia in manibus principum, regina cum filiis metu perterrita mox hic, mox illic. Octob.* 23 (*vid.* Journal d'un bourgeois de Paris, p. 14) *dux Burgundiae cum suis et* 7000 *vel* 8000 *Anglis Parisios ingressus est; multi habitantium trucidati sunt.*

suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem magister Johannes de Crannach concorditer. Quantum ad secundum suplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, que supplicacio concessa est.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XV[a] mensis Novembris anno quo supra super quatuor articulis. Primus erat ad audiendum litteras missas a duce Gelrie; secundus super festo nacionis; tercius super facto receptoris; quartus super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum lecta fuit littera, in qua tria fuerant contenta : primo dominus dux regraciabatur nacioni de diligencia super expedicione sui cubicularii incarcerati; secundo narravit causam sue legacionis Parisius; tercio suplicavit ut nacio continuaret diligenciam super expedicione, etc. Regraciabatur nacio domino duci Gelrie de grata communicacione suarum litterarum, et sibi se offerebat ad omnia sibi beneplacita. Quantum ad suplicacionem placuit nacioni diligenter laborare pro expedicione, etc., eciam sibi rescribere et supposita nacionis de sua patria sibi recommendare. Quantum ad secundum placuit sicut in aliis annis est consuetum. Quantum ad tercium differebatur ille articulus ad diem mercurii sequentem, ubi cum electione procuratoris finaliter expediretur.

1411

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVIII[a] die mensis Novembris anno quo supra super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super facto receptoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus concorditer. Quantum ad secundum, appunctuamentum factum fuit quoad omnes tres, sic quod novus receptor pro omnibus debitis nacioni per alios duos respondit, preter VII scuta, de quibus magister Nicholaus de Saxonia respondit. Modus respondendi habetur de longo in *libro receptoris*. Quantum ad tercium supplicavit antiquus ut haberetur gratus, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in die sancti Eadmundi post missam super duobus articulis. Primus fuit ad providendum circa defectum contingentem in pariete sub ymagine sancti Eadmundi[1]. Secundus super suplicacionibus etc. Quantum ad primum placuit nacioni quod dictus receptor cum aliquibus deputatis avisaret de remedio oportuno et meliori modo et leviori quo fieri possit, eciam de colore campi in quo stat ymago, ita de candelabro[2]. De secundo nullus supplicavit.

1411

Acta in procuratoria magistri Thome de Herskyn.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum decima sexta die mensis Decembris anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, vel ad continuandum eundem. Secundus super suplicacionibus et injuriis. Et in eadem die fuit electio rectoris. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem predictus magister Thomas de Herskyn concorditer, et propinavit XX sol. nacioni. Quantum ad secundum suplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, que suplicacio concessa est. Et eadem die rector novus[3] fecit duas suplicaciones ultra ,duas solitas suplicaciones, que solebant fieri per rectorem noviter electum. Prima fuit ad dandum proponentem ad explicandum bonam affectionem ad regem, reginam et civitatem Parisiensem. Secunda fuit ad dispensandum si opus esset ad convocandum vel congregandum Universitatem in diebus non legibilibus, que e[ciam] cum aliis duabus suplicacionibus rectoris concesse erant, quantum ad nacionem pertinebat.

Die veneris, que fuit XVIII[a] mensis Decembris, facta fuit solempnis congregacio Universitatis anno quo supra super tribus articulis. Primus erat ad dandum proponentem ad illucidandum particulas cujusdam bulle Urbani quinti impetrate a quodam regi Francie contra roncarios[4]. Secundus erat [ad]

1. *Vid. supra*, p. 59, 36, *et infra ad an.* 1450, *Octob.*, *Nov.*
2. *Ante imaginem* S. Edmundi.
3. *Rector novus, secundum* Bul., *fuit* Guillelmus Rousselli.
4. Haerecticos. *Vid.* Ducange-Henschel, V, 825 : runcarii. *Bullam Urbani V an.* 1367, *Maii* 9, *contra* la grande Compagnie, *homines seditiosos qui Parisiis alibique regni statum perturbarunt, vid. ap.* Rel. de S[t] Denys, IV, 534; Bul., IV, 414. *Hac bulla pars ducis Burgundiae utebatur contra partem ducis Aurelianens. seu contra* Armagnac, *quia comes Armeniacus ex parte dicti ducis stabat. Rex ipse hanc bullam publicavit, quae in eccl. S. Genovefae in lingua vernacula populo assistenti perlecta est. Virtute hujus bullae duces de Aurelianis et de Borbonio, comites de Alençonio et de Armeniaco cum complicibus excommunicati sunt, ex quibus multi Parisiis et alibi detinebantur captivi; in carceribus mortui sunt et corpora in agris ponebant canibus devoranda* (Chron. du rel. de S[t] Denys, *l. c.*, p. 550).

audiendum quasdam litteras directas Universitati a domino Equitanie [1]. Tercius erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio dedit proponentem etc. Secundo regraciatus (*sic*) domino Equitanie de communicacione suarum litterarum et de ejus bona affectione erga Universitatem. Tercio pro suplicacionibus dedit deputatos.

1412

(*Fol.* 42^b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XI^a mensis Januarii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat super mirabili capcione magistri Bernardi et ejus deliberacione. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum nacio concorditer conclusit pro ipsius deliberacione omnibus viribus laborare. Quantum ad secundum ex parte venerabilis collegii de Sorbona fuit supplicatum, quod nacio vellet se adjungere dicto collegio in causa magistri Bernardi [2], que supplicacio concessa est, et eadem die per deligencias factas per nacionem et aliquos de predicto collegio, predictus magister Bernardus liber factus est.

1412

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XIII^a mensis supradicti anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus concorditer. Quantum ad secundum supplicavit antiquus ut haberetur recommendatus, etc. Concessa est ejus supplicacio concorditer.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum VII^a die mensis Februarii anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum quasdam litteras nacioni destinatas per dominum ducem Gelrie [3] et ducissam Gelrie pro expedicione cujusdam scutiferi in carceribus Parisius detenti. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad litteras conclusit nacio dicto principi rescribere et pro suo scutifero sicut incepit laborare. Quantum ad secundum supplicavit dominus Alexander Guthry, ut poterat habere unum Decretale invadiatum pro V libris et X sol. nacioni, et ponere in loco illius libri unum alium librum qui vocatur *Digeste nove*. Secundo supplicavit dominus Willelmus de Rossis, Scotus, quod nacio vellet contentari super securitate facienda per magistrum Thomam de Herskyn et magistrum Johannem Lawerok pro quadam summa debita nacioni per dictum dominum Willelmum, quas supplicaciones nacio concessit, et in presencia nacionis dictus dominus Willelmus juravit in verbo Dei, quod nuncquam iret ad partes ejus antequam mitteret summam totalem, quam debet nacioni, magistris Thome et Johanni vel ipsorum alteri, et sic respondere tenentur pro illa summa predicti duo magistri, unus pro una medietate, alter pro altera, et sic de dicto domino Willelmo nacio est contenta.

1412

(*Fol.* 43) Acta in procuratoria Jacobi de Haerlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die decima mensis Februarii anni CCCCXII super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem, et electus fuit concorditer Jacobus de Haerlem. Secundus super supplicacionibus, et supplicavit procurator antiquus, ut nacio haberet eum gratum et recommendatum in actis per eum, et annuit nacio sue supplicacioni.

Facta congregacione nacionis die XII^a Februarii apud Sanctum Maturinum ad eligendum examinatores bachalariorum, qui electi erant more solito, videlicet duo seniores regentes, senior non regens et receptor [4].

(*Fol.* 43^b) Sequuntur nomina determinancium anni CCCC^i XII^i more Romano.

Item primo determinavit dominus Johannes Hanthusen sub magistro Johanne Guylic, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes Luuc sub eodem, cujus bursa nichil.

Ex parte illorum Universitatis, qui bullam Urbani V hoc modo interpretabantur, Juv. des Ursins *nominat* Eustachium de Pavilly, *et* ministrum Maturinorum (*Hist. de Charles VI, ed.* Godefroy, p. 225). *Bulla Urbani V jam ante mensem Decembris ab Universitate Paris. ad* bonas villas regni *mittebatur, Rotomagi epistola Universitatis de hoc legebatur Decemb.* 1 (*Vid.* Beaurepaire *in not.* 2 *ad* p. 269 *libri* Chronique Normande de Pierre Cochon).

1. Ludovico duce Aquitaniae *seu* de Guyenne, delphino Viennensi.

2. *Verisimiliter* Bernardi Flogheling, *nat. Angl. et bursarii Sorbonae.*

3. *Raynaldum seu Renaud IV.*

4. *Reliqua pars paginae vacua.*

It. det. dom. Gerardus de Tekelenburch sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Nycolaus [de] Aemsterdam sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Jacobus Mador sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa VI sol.

It. dom. Petrus de Esch. sub mag. Conrado Mursel, cujus bursa VI sol.

It. dom. Johannes Sutoris sub eodem, cujus bursa III sol.

It. dominus Arnoldus Dyemen[1], cujus bursa VII s.

It. dominus Nycolaus Rychnesheyn[2] sub mag. Conrado Mursel, cujus bursa VI sol.

It. dom. Reynerus Creyt sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa VI sol.

It. dom. Zwederus Warendorp sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. dom. Albertus Smyer sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. dom. Arnoldus Ghent sub eodem, cujus bursa V sol.

It. dom. Johannes Ghesselaer sub mag. Conrado Mursel, cujus bursa III sol.

It. subdeterminavit dom. Ger. Hoffischer sub mag. Leonardo, cujus bursa nichil.

It. [determinavit] dom. Thomas de Sancto Claro[3] sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa VI sol.

It. dom. Hermannus de Osenburgis, cujus bursa II sol.

It. dom. Petrus Mathie sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa V sol.

It. dom. Conradus Rechi sub mag. Leonardo, cujus bursa VI sol.

It. dom. Johannes de Fionia sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa IX sol.

It. dom. Joachim sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. dom. Rodulphus Crupen sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa VI sol.

It. dom. Johannes Dalen sub eodem, cujus bursa II sol.

It. admissus fuit dom. Gerardus Sculteti, bacharius Pragensis[4], etc. cujus bursa II sol.

It. subdeterminavit dom. Guillelmus de Montfert sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. subdeterminavit dom. Georgius de Misnia[5] sub mag. Johanne Guylic, cujus bursa nichil.

1412

(*Fol.* 44) Acta in procuratoria magistri Henrici Vaeck de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die VI^a Aprilis super tribus articulis, anno Domini M° CCCC° XII°. Primus quidem erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat ad distribuendum menses, et tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer erat electus in procuratorem magister Henricus Vaeck, etc. Quoad secundum vero articulum presentavit se magister Conradus pro primo mense, et fuit acceptus; pro secundo mense presentavit se magister Thomas Arskyn, qui eciam fuit acceptus; pro tercio vero mense presentavit se magister David de Narn, qui consimiliter fuit acceptus; pro quarto presentavit se magister Leonardus Hetzelstorfer, qui eciam fuit acceptus; pro quinto vero mense presentavit se magister Henricus Vaeck prefatus procurator, qui consimiliter fuit acceptus; pro sexto magister Johannes de Leydis; pro septimo magister Johannes Nortwic; pro octavo magister Johannes Johannis [de] Leydis qui eciam fuerunt accepti, et non erant plures pro mensibus instantes. Quoad tercium supplicavit dominus procurator antiquus, ut in omnibus per ipsum actis haberetur gratus, havoatus et recommendatus, cui annuit nacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XII°, die XX^a Aprilis, super duobus articulis. Primus erat ad faciendum novam virgam sive baculum novum nacionis. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum, ex quo dominus Mathias subbedellus nacionis erat electus concorditer in bedellum Universitatis pro ambaxiata ad curiam Romanam[6],

1. *Seu potius* Deyman, *ut infra an.* 1416, *et apud* KEUSSEN, Matrikel von Köln, I, 188, *ubi an.* 1422 *intitul. Fuit de Amsterdam.*

2. *Infra* Richenchey, *in Suppl. Mart. V*, n° 104, *fol.* 77, *ad an.* 1417, *Nov.* 25, Nicolaus Richensem, mag. in art., bacc. in decr. Paris., Basileen. dioc. *Designatur* Rixheim (*Alsatia*). *Tunc supplicavit pro canonicatu S. Cassii Bunnens. An.* 1420 Bononiae *juri studuit* (*vid.* Acta nat. Germaniae, p. 171), *eodemque anno ut can. eccl. Basileens. occurrit, qui eccl. paroch. de* Giltwilre *obtinere voluit* (Suppl. Mart. V, n° 138, *fol.* 51 b, 243 b, *ubi* Richesheim).

3. *Quidam* Alexander de S^to Claro *fuit Moraviens. dioec.* (Suppl. Ben. XIII, n° 88, *fol.* 91 b).

4. *Duo in* Mun. hist. Univers. Prag. I, *inveniuntur* : Schulte de Grüningen (p. 390 *ad an.* 1406), *et* Schulte de Stetin (p. 394 *ad an.* 1407).

5. *Sine dubio, ipse est* Georgius Nusel de Torgow, *Misnen. dioec., qui* 1414 *licentiatus, an.* 1423 *in Universitate* Lipsiensi *in* natione Misnensium *intitul. est. In* Matricula fac. philos. *ibid. vocatur ad an.* 1424, G. Newsel.

6. *Scil. ad* Concilium generale *Romae celebrandum* (*de quo supra ad an.* 1410, *Nov.* 23, p. 94, *not.* 7). *Ex infra ad Nov.* 7 *dictis*

videbatur multis magistris quod bonum esset facere de virga majore nacionis minorem, et de minore facere unam bonam novam et satis notabilem. Ideo ad maturius circa hoc deliberandum dederunt magistri nacionis deputatos, qui habeant se de hoc bene avisare, et secundum bene avisata tandem facere, et circa hoc nacio non aliud dixit. Quoad secundum articulum supplicavit magister Leonardus Hetzelstorfer loco unius bachalarii absentis, ut nacio vellet ei concedere litteram testimonialem gradus sui bachalariatus, que quidem littera pro tunc erat lecta et eciam eidem concessa, etc.

Sequuntur nomina licentiatorum in predicta procuratoria.

Item primo licenciatus fuit dominus Johannes Ghelrie sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa IX sol.

It. secundo licenciatus fuit dom. Eduardus de Lawedre sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VII s.

It. tercio lic. fuit dom. Everardus de Tûlle, cujus bursa II sol. sub mag. Guillelmo Lochem.

It. quarto lic. fuit dom. Rolandus Hezler [1] sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa X sol.

It. lic. fuit dom. Gerardus Sculteti sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Gherlacus de Wiringia sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Thomas Vanevelt sub. mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa IX sol.

Item admissus est ad bachalariatum dominus Rolandus Hezler, bachalarius Pragensis [2], cujus bursa IX sol.

[Incipientes.]

(*Fol. 44* [b]) Item incepit dominus Alexander de Guthri sub magistro Johanne Cranac, cujus bursa VII sol.

It. inc. dom. Johannes de Ghelria sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Eduardus de Lawedre sub [mag. Johanne Cranac], cujus bursa VII sol.

It. inc. dom. Everardus de Tûlle sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Rolandus Hezler sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Gerardus Sculteti sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Gerlacus de Wiringia sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Thomas de Vanevelt sub mag. Alberto de Novimagio, cujus bursa X sol.

Item licenciatus est dominus Gerardus Snavel de Zwollis sub magistro Alberto de Novimagio, cujus bursa VII sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Predicatores anno Domini M° CCCC° XII°, die ultimo Aprilis, super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum ea que per dominos deputatos avizata et appunctuata erant circa reformacionem et innovacionem baculorum seu virgarum nacionis prefate; eciam ad audiendum aliqua a magistro Thoma, qui alias ex parte domini Allexandri pape quinti fe. re., et ex parte eciam Universitatis matris nostre missus erat ad Scotiam pro unione obtinenda [3] una cum abbate de Pontiniaco [4]. Et quia eadem hora celebrabatur congregacio Universitatis eodem loco satis tarde, placuit nacioni differre illum articulum bimembrem usque ad quartam Maii, in qua esset celebranda electio procuratoris novi vel continuacio antiqui una cum prefato articulo. Secundus articulus erat super supplicacionibus, de quo ut prius, etc.

1412

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XII° die quarta mensis Maii super tribus articulis. Primus quidem ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus ad audiendum avizata per dominos deputatos circa reformacionem virgarum nacionis. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit magister Henricus Vaeck concorditer nemine reclamante. Quoad secundum tetigit magister Jacobus de Haerlem, rector Universitatis [5], ea que per deputatos avisata erant satis diserte. Quocirca placuit na-

liquet, omnes nationes unum nuntium, Simonem Vuczoser, *e nat. Picard., habuisse. Mense Novemb. nuntii jam reversi erant, nam propter paucitatem advenientium* Joh. XXIII *sessiones Concilii semper prorogare coactus erat, et solum an.* 1413, *mense* Februario, *quaedam e Concilio audimus. Universitas Paris. propterea mense Decembri an.* 1412 *iterum suos nuntios Romam misit. Vid. infra* p. 136, 15.

1. *Infra iterum affertur, et assignatur bursa* IX sol.
2. Rulandus Hezeler de Legnicz *baec. Pragens. an.* 1408 (Mun. hist. *etc.*, I, 397).
3. *Vid. supra* p. 66, *not.* 5.
4. Johanne Pacis. *Vid.* p. 68, *not.* 3.
5. *A Martii* 24 *usque ad Jan.* 23. *Vid. etiam* Bul., V, 883 *sq. et* p. 920.

cioni una vice pro omnibus dare deputatos *de singulis provinciis*, qui haberent amplius super predictis avisare et terminare et tandem execucioni demandare; et ita factum erat. Quantum ad terciam articulum supplicavit predictus procurator, ut in actis per ipsum haberetur gratus, recommendatus et havoatus; cujus supplicacioni nacio concorditer annuit.

Item licenciatus est dominus Erasmus de Beke sub magistro Johanne Cranac, cujus bursa VII sol.

Item admissus est ad bachalariatum Jacobus Roschilt, bachalarius Pragensis [1], cujus bursa II sol.

(*Fol. 45*) Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, septima Maii, super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum juramenta duorum volencium jurare paupertatem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum juraverunt Nicolaus de Missna et Johannes de Borcholte paupertatem, et circa hoc placuit nacioni ut jurarent juramenta solita, prout et factum est. Quoad secundum supplicavit procurator predictus, ut nacio vellet sibi concedere litteras recommendatorias persone sue ad dominum ducem Ghelrie, que supplicacio concorditer fuit admissa.

Item licenciatus est dominus Goiswinus Smullinck sub magistro Henrico Gorichem, cujus bursa X sol.

Lic. est dom. Nicolaus de Missna sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa nichil.

Lic. est dom. Johannes de Westfalia alias de Borcholte sub eodem, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Gerardus Snavel de Zwollis sub magistro Alberto de Novimagio, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Erasmus de Beke sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VIII sol.

Item licenciatus est dominus Gregorius Butemborch sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Jacobus Madour sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VI sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane IX^a Maii super uno articulo tantum, qui erat super supplicacionibus. Supplicabat magister Albertus de Novimagio pro littera testimoniali sui gradus, que supplicacio concessa erat.

Facta congregacione nacionis Anglicane ad audiendum requestam duorum dominorum licenciatorum. Requirebant predicti domini Nycolaus [de Missna] scilicet et Johannes [de Borcholte], quod cum essent pauperes, quod nacioni placeret recipere juramenta pauperum quoad incepcionem. Secundo, quod ex quo omnes indifferenter incipientes tenentur solvere nacioni duos francos, etc. supplicabant predicti, quod, visa paupertate eorum, nacio vellet prefigere eis unum certum terminum infra quem haberent nacioni satisfacere. Quoad primam partem recepit nacio juramenta eorum. Quoad secundam placuit nacioni eis assignare terminum, scilicet a festo Penthecostes proxime venturo usque ad annum dumtaxat, sub caucione tamen sufficienti, videlicet quod ante incepcionem eorum adduc[er]entur fidejussores fidejubentes pro eis in predictis quatuor francis.

(*Fol. 45^b*) Item incepit dominus Goiswinus Smullinck sub magistro Henrico Gorichem, cujus bursa XII sol.

It. inc. dom. Gregorius Butemborch sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Jacobus Madour sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dominus Johannes Stambek sub magistro Judoco de Ulma, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Ysebrandus Nycolai de Harlem sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Conradus Kesselring sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa IX sol.

It. lic. est dom. Petrus de Harlem sub mag. Johanne de Saxonia cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Henricus Ghoch sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa X sol.

It. lic. est dom. Judocus Rollant de Harlem sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Jacobus Roschilt sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Thomas de Sancto Claro sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa V sol.

Item incepit dominus Johannes de Westfalia alias de Barcholte sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Johannes Stambek sub mag. Judoco de Ulma, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Conradus Kesselring sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa IX sol.

It. inc. dom. Ysebrandus Nycolai de Harlem sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa VI sol.

1. *Qui tamen in* Munim. hist. Univers. Prag. *sub nomine* Jacobi Colberth (I, 391) *invenitur, i.e.* Coelberg, *ut infra legitur.*

It. inc. dom. Petrus de Harlem sub mag. Joh. de Saxonia, cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Henricus Ghoch sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa XII sol.

It. inc. dom. Judocus Rollant de Harlem sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Jacobus Roschilt sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Nycolaus de Missna sub mag. Henrico Gorichem, cujus bursa nichil.

1412

(*Fol. 46*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Reno, alias Phillippi de Leydis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum prima die Junii super duobus articulis, anno Domini M° CCCC° XII°. Primus quidam erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer fuit electus in procuratorem magister Johannes de Reno alias Phillippi, etc. Quoad secundum supplicavit dominus procurator antiquus, ut in omnibus per ipsum actis haberetur gratus, havoatus et recommendatus, cui annuit nacio.

Sequuntur nomina licenciatorum in predicta procuratoria.

Item dominus Georgius Fridekker licenciatus fuit sub magistro Johanne Kranac, cujus bursa VIII sol.

Item licenciatus fuit dom. Hermannus de Aemsterdam sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa IX sol.

It. lic. est dom. Rudolphus de A sub mag. Henrico Gorikem, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Ulricus Purfinger sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Petrus Mathie sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Ghiisbertus Heynrici de Aemsterdam sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. lic. est dom. Ghiisbertus Albout sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. lic. est dom. Johannes de Wael sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Nycolaus de Gouda sub mag. Johanne Gulic, cujus bursa V sol.

It. lic. est dom. Hermannus de Colonia sub mag. Johanne Gulic, cujus bursa II sol.

Sequuntur nomina incipiencium in dicta procuratoria.

Item incepit dominus Georgius Fridckker sub magistro Johanne de Kranac, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Rudolphus de A sub mag. Henrico Gorikem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Hermannus de Aemsterdam sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa IX sol.

It. inc. dom. Ghysbertus Henrici de Aemsterdam sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. inc. dom. Ghysbertus Albout sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. inc. dom. Ulricus Purfinger sub eodem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Johannes de Wael sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Nycolaus de Gouda sub mag. Johanne Gulic, cujus bursa V sol.

It. inc. dom. Petrus Mathie sub mag. Johanne de Saxonia, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Hermannus de Colonia sub eodem, cujus bursa II sol.

(*Fol. 46*[b]) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Mathurinum die XIIII[a] mensis Julii super duobus articulis. Primus erat ad audiendum computum domini receptoris, scilicet magistri Heynrici Gorichem. Sic fuit computatum quantum ad receptam que ascendebat ad quadringintas (*sic*) libras sex libras et decem et septem solidos et novem denarios, et summa expositorum ascendebat ad centum libras et triginta sex libras, duodecim solidos et octo denarios, et substrahendo a predicta summa recepta summam expositorum predictam receptor predictus, videlicet magister Henricus[1] manet nacioni obligatus in ducentis[2] lib. et septuaginta lib., quinque sol., et uno denario. Secundus articulus erat super supplicacionibus, et supplicaverunt bedelli pro gracia eis facienda, sicud in annis precedentibus. Nacio eis concessit XVI scuta, pro quolibet octo scuta. Item supplicavit dominus receptor, ut in actis per ipsum in suo conpoto habcretur gratus et havoatus, cui supplicacioni annuit nacio.

Et notandum quod preter predictam summam re-

1. *Scilicet* Henricus de Gorichem.

2. *Ms.* ducentum.

manentem nacioni, provincia Almanie debet nacioni decem francos, quos sibi mutuavit.

Facta congregacione apud Sanctum Mathurinum die ultima mensis Julii super duobus articulis. Primus ad dandum deputatos super taxa et factione virge nove; dati fuerunt. Secundus erat super supplicacionibus. Et supplicavit procurator nacionis pro littera recommendatoria, et fuit sibi concessa. Et supplicavit magister Johannes de Saxonia ad idem pro testimoniali, et sibi fuit concessum; et ad idem unus bachalarius pro testimoniali, et fuit concessa. Et posuit procurator nacionis substitutum magistrum Thomam de Herskyn ex deliberacione predicte nacionis in eadem congregacione.

1412

Acta in substitucione magistri Johannis Reyneri de Leydis.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno ut supra, die septima Augusti, super duobus articulis. Primus ad expediendum aurifabrum subbedelli. Secundus super supplicacionibus. Quantum ad primum venit aurifaber et ponderavit virgam in presencia nacionis, et erat quatuor mercharum, sex unciarum et II est[erlingorum], et voluit nacio quod expediretur in brevi sine ulteriori fatigacione coram omnibus volentibus interesse. Quoad secundum lecta erat minuta, pro qua supplicavit dictus procurator, videlicet magister Johannes de Reno, et erat admissa nemine reclamante.

(*Fol.* 47) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Cosmam et Damianum ipso die Assumpcionis Marie anno quo supra, super duobus articulis. Primus ad audiendum requestam magistri Thome [1] de provincia Scocie; secundus super supplicacionibus. Quoad primum nacio habuit ipsum gratum et havoatum in hiis que [2] conformiter egit cum domino abbate; sed si aliqua singulariter egit, nacio voluit primo ipsum audire antequam delibera[re]t. Quoad secundum supplicavit quidam bachalarius pro assistencia nacionis pro injuriis illatis sibi in vico Anglicorum, et voluit nacio de hoc primo informari antequam sibi assisteret.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Bernardum 20ª die Augusti, scilicet ipso die Bernardi post sermonem super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas per magistrum Thomam de Herskyn de Antissidoro [3], secundus super supplicacionibus, etc. Quoad primum nacio regraciabatur sibi de communicacione suarum litterarum, et voluit scribere sibi, ut continuaret scribendo semper nacioni nova ibidem existencia, et eciam nacio voluit laborare quantum posset, ne ipsi paterentur defectum. Quoad secundum supplicaverunt duo bachalarii pro litteris testimonialibus, et fuerunt concesse in forma.

1412

Acta in procuratoria magistri Johannis Reyneri de Leydis, alias dicti Johannis Johannis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVIIª Augusti super quatuor articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus ad audiendum relacionem deputatorum de virga nova; tercius ad audiendum computum receptoris; quartus super supplicacionibus. Primo propter festinacionem, ut omnes viderent conclusionem, quod ad tercium articulum receptor computavit, et omnibus computatis quoad exposita comprehendendo computum factum die XIIIIª mensis Julii ejusdem anni usque in hodiernum diem exclusive summa totalis expositorum per dictum receptorem extendebat se ad ducentas viginti unam libras et decem et septem solidos; remanserunt in receptis tam in vadiis quam in parata pecunia omnibus computatis et defalcatis usque in hodiernum diem exclusive centum octuaginta quinque libre et decem quatuor solidi, in quibus receptor predictus magister Heynricus nacioni obligatus. Quoad primum articulum placuit nacioni eligere, et fuit electus concorditer mag. Joh. Reyneri de Leydis, alias dictus Johannes Johannis. Quoad secundum articulum placuit nacioni quod aurifaber esset solutus secundum quod deputati avisaverunt, scilicet quod haberet XXXII francos pro suis laboribus pro virga subbedelli. Eciam placuit nacioni quod capud magne virge fieret et quod dictus aurifaber faceret majorem diligenciam, et quod marcham faceret pro eodem precio sicut fecit marcham de alia virga. Item voluit nacio,

1. *Postea spatium.*
2. *Postea* egit, *ita ut bis ponatur.*
3. *Mens. Augusti* 22 Autissiodori *duces et principes* tractatum pacis *compositum juramentis confirmarunt, ad quem tractatum etiam magistri Universitatis Paris. praesentes erant. Universitas Paris. Aug.* 4 *illuc* 12 *legatos misit* (*vid. eorum nomina ap.* JOURDAIN, nº 1060, *ubi plura adulterata*), *et inter illos* Thomam de Herskyn (JOURDAIN *perperam* Hersleyn). *Vid.* Chartul., *tom.* IV, *et* Chron. du Rel. de St-Denys, IV, 708; MONSTRELET, Chron., II, 291.

quod postquam magna virga esset facta, quod receptor traderet famulis et servitoribus aurifabri pro quadam urbanitate unum scutum. Quoad quartum articulum supplicavit dominus procurator, ut in actis per ipsum in sua substitucione haberetur gratus et havoatus, cui annuit nacio. Item supplicavit dominus receptor, ut in actis per ipsum in suo compoto haberetur gratus, cujus supplicacio fuit concessa.

Et notandum quod sicud in ultimo compoto provincia debet decem francos adhuc nacioni, quos sibi mutuavit.

(*Fol.* 47[b]) Facta congregacione nacionis supradicte in Sancto Maturino die XII[a] Septembris ad audiendum supplicaciones magistrorum duorum pro litteris testimonialibus, et fuerunt lecte et concesse in forma communi.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die 21[a] Septembris, die sancti Mathei apostoli super articulis quatuor. Primus ad eligendum novum receptorem vel [ad] continuandum antiquum. Secundus ad audiendum compotum receptoris. Tercius ad distribuendum scolas regere volentibus. Quartus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit et continuatus magister Heynricus Gorkam antiquus receptor, salvatis tamen aliquibus que per ipsum fierent infra octo dies post suam continuacionem, primo quod cum deputatis tradendis in proxima sequenti congregacione avisarent locum ponendi archam et distribuendi claves illius arche; secundo quod ipse infra octo dies, quantum in se esset, poneret illas pecunias promptas ad archam nacionis; tercio quod illa vadia que recepit de voluntate nacionis poneret ad archam, si possent intrare; quarto quod ipse una cum deputatis haberent ire ad locum ubi sunt bona debitorum et ibidem scribere bona illa in quodam inventorio et illud inventorium ponere ad archam nacionis, et similiter providere quod illa bona in illo inventorio contenta ponantur in bono loco et securo, ut si contingerit quod nacio indigeret pecuniis, quod recursum ad illos libros seu ad illa bona haberet ea inpignerando. Item si illa bona essent bene durativa, tunc vult nacio quod fiat secundum quod nunc dictum est de inventorio; si autem non sunt bona bene durativa, sicud tunice vel hujusmodi, que per tineas vel per vermes destrui possunt, vult nacio quod imponatur terminus certus, infra quem illa bona, nisi capta fuerint per predictos debitores, exponantur vendicioni et pecunia ponatur ad archam nacionis. Item vult nacio quod tradatur per dictum receptorem bonus fidejussor qui placeat omnibus deputatis, et quod consequenter illi deputati habeant ista referre in nacione quidquid actum est per ipsos. Item voluit nacio, quod dictus receptor haberet aliqua jurare secundum ordinacionem nacionis alias contentam in quadam sedula per nonnullos magistros de nacione nacioni presentenda.

Quoad secundum articulum placuit nacioni compotus factus per receptorem, et sic fuit computatum quod receptor remansit nacioni obligatus tam in vadiis quam in debitis et in pecunia prompta in centum septuaginta octo libris et novem solidis.

Tercius articulus delatus fuit usque congregacionem sequentem propter brevitatem temporis.

Quantum ad quartum articulum supplicavit dominus receptor, ut in actis per ipsum haberetur gratus, cui annuit nacio pro majori parte.

1412

Continuacio ejusdem magistri Johannis Reyneri.

Facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum die XXIIII[a] Septembris super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus ad exequendum illa que dimissa erant in ultima congregacione, scilicet ad tradendum deputatos, qui viderent libros et bona debitorum et avisarent de loco arche et distribucione clavium ejusdem, eciam ad distribuendum scolas regere volentibus. Tercius super supplicacionibus. Quantum ad primum continuatus fuit concorditer antiquus. Quoad secundum tradidit nacio dominum rectorem [1], magistrum Johannem de Austria, et si non posset interesse, tradidit loco ipsius magistrum Johannem de Kranac; item magistrum Andream de Bavaria, magistrum Thomam Harskyn et magistrum Hugonem de Delft. Quoad scolarum distribucionem voluit nacio quod illi, qui presentes essent, haberent suas scolas pro nunc, et si aliqui qui sunt presentes similiter cum absentibus vellent regere infra hinc et festum Omnium Sanctorum, haberent suas scolas, et alias non; eciam quod presentes haberent scolas secundum suas antiquitates, a quibus per adventum aliorum postea non possent removeri.

1. *Inter lineas* : scil. G[uillelmum] Bloc. *Perperam igitur* Bul., V, 920, *affert a Junii* 23 *usque Octob*. 10 Johannem Fabri Navarricum.

Nomina autem regencium cum suis fidejussoribus sequuntur. Quoad tercium articulum supplicavit dominus procurator, ut haberetur gratus et recommendatus, quam [supplicationem] nacio concessit.

Magister Henricus Gorkam, fidejussor magister Johannes Kranac.

M. Johannes Kranac, fidejussor mag. Heynricus Gorkam.

M. Johannes Reyneri de Leydis, fidejussor mag. Thomas Herskyn.

(*Fol. 48*) Facta congregacione nacionis XXVII^a^ Septembris in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus ad audiendum illa que avisata fuerunt per deputatos traditos in ultima congregacione; secundus super supplicacionibus. Quantum ad primum explicatum fuit per dictos deputatos, primo de loco reponendi archam, quod poneretur in Sancto Maturino in thesauro et quod procurator cum istis deputatis haberent adire illos dominos, ut placeret eis ibidem assignare locum pro archa. Secundo avisaverunt dicti deputati de clavibus, quod claves distribuerentur per nacionem. Unde claves erant in duplici differencia, quia primo sunt quatuor claves de archa exteriori, de quibus procurator haberet unam, item receptor unam, item antiquior regens unam, item senior non regens unam [1]; item erant tres claves de parva archa interiori, quas haberent tres magistri eligendi per nacionem de *tribus provinciis*, scilicet *Almanie alte*, *Almanie basse* et *Scotie* [2], et si contingeret quod claves coinciderent, scilicet quod unus magister haberet duas, tunc senior regens post primum haberet illam seu unam illarum. Tercio explicaverunt dicti deputati quod pecunia illa quam receptor pro nunc tenet in manibus, poneretur ad archam, saltem majorem partem, scilicet summam viginti quinque librarum vel triginta. Et pro misiis fiendis in festis sequentibus ante receptam quam receptor primo recipiet, ordinaverunt dicti deputati quod vadia antiquiora venderentur et servirent nacioni, et quod secundum antiquitatem venderentur dicta vadia, si tamen essent bene servabilia; sin autem, vult nacio, ut ordinaverunt dicti deputati, quod vadia male servabilia primo venderentur, si que essent, sive essent noviter recepta sive antiqua. Quarto avisaverunt dicti deputati quod ponerentur vadia debitorum in quodam inventorio et illud poneretur ad archam. Quinto avisaverunt quod pro tunc et pro omnibus receptoribus sequentibus ita fieret quod semper traderent unum fidejussorem, qui pro ipso quicumque esset in officio responderet pro centum libris parysiens. et quod esset burgensis. Sexto avisaverunt quod pro tunc ille qui fidejuberet pro magistro Henrico Gorikam receptore, traderet unam litteram obligatoriam signatam manu sua et suo signeto communi seu sigillo, et quod sua obligacio seu littera illa poneretur in archa. Ultimo ordinaverunt dicti deputati quod omni anno bis in duobus compotis receptor haberet portare pecu[ni]as sibi superfluas ad archam, sive esset requisitus sive non, servato tamen statuto nacionis quod omni mense semel requisitus per procuratorem vel alium magistrum, etc. Et omnia ista avisata per istos deputatos habuit nacio grata et accepta, et voluit ea inviolabiliter observare.

Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane die penultima Septembris in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus ad avisandum distribuciones clavium de archa; secundus super supplicacionibus. Quantum ad primum narrat dominus procurator quomodo in procuratoria magistri Wilhelmi Lochem, in qua archa fuit conclusa, erant claves distribute, ut patet ibidem in registro isto [3]. Posterius narrat dominus procurator quomodo ultimate deputati ex improviso procedebant ad distribucionem clavium supponendo quod erant septem; ideo ne dictus procurator incurreret notam a magistris absentibus, pro tunc supplicavit magister ne aliqui vellent deliberare, retractando prius deliberata. Ideo magistri deliberaverunt sustinere ambas conclusiones, scilicet conclusionem habitam in tempore magistri Wilhelmi Locham, et conclusionem ultimate habitam in congregacione precedenti facta XXVII^a^ Septembris, quod essent octo claves, quinque de archa exteriori [4] et tres de archa interiori, et quod procurator et receptor et antiquiores duo, scilicet regens et non regens, per nacionem eligendi, et quintam haberet magister Bernhardus de Saxonia pro sua *provincia Saxonie*; alias autem tres claves de archa interiori haberent tres per nacionem eligendi de *tribus provinciis*, scilicet de provincia *alte Almanie*, *Almanie basse* et *Scotie*. Et quia non erant nisi tres serre de archa exteriori, et una de interiori, ideo injunxit nacio receptori quod breviori modo quo posset infra tres vel quatuor dies

1. *Vid. supra* p. 79, 38. *Sed statim videbimus, quinque claves pro archa exteriori ordinatas esse.*

2. *Sic essent septem claves; revera erant octo. Vid. infra* p. 128, 36.

3. *Vid. supra* p. 79, 36 *sqq.*

4. *Quod minime verum est, nam in procuratoria Guillelmi Lochem* (*an.* 1410) *quatuor tantum claves pro archa exteriori ordinabantur, et sic etiam Sept.* 27 *hujus anni decretum est.*

faceret fieri alias serras cum clavibus, ut archa poni posset in loco cum pecuniis, et claves distribui secundum ordinacionem dicte nacionis.

Quantum ad secundum nullus supplicavit.

(*Fol. 48* [b]) Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die nona Octobris super duobus articulis. Primus fuit super facto expedicionis ambasiatorum; secundus super supplicacionibus, etc. In qua quidem congregacione, postquam naciones et facultates ibant ad partem, supplicavit in nacione magister Wilhelmus Locham, ut admitteretur ad scolas recipiendas, quam [supplicacionem] nacio concessit juxta ordinacionem alias factam, scilicet omnibus volentibus regere, si veniant ante festum Omnium Sanctorum, reciperentur [ut] regentes, ac si incepissent in principio ordinarii, et haberent scolas, sine tamen prejudicio presentium. Secundo supplicavit dominus procurator et alii magistri de Holandia ibidem existentes, quatenus placeret nacioni tradere litteram testimonialem cuidam nuncio nominato Johannes de Vlist, qui quidem nuncius est fidelis et bene exercet suum officium et exercuit, quamdiu fuit in officio; quam nacio eciam concessit. Tercio supplicavit magister Hermannus de Colonia pro littera testimoniali sui magisterii, quam consimiliter nacio concessit.

Convocata nacione aput Sanctum Maturinum 18[a] Octobris super duobus articulis. Primus ad ponendum archam in loco in quo ponenda esset, et ad ponendum pecunias quas receptor pro tunc habuit; secundus communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit omnibus, quod archa poneretur in thesauro Sancti Maturini et quod claves traderentur secundum ordinacionem alias factam. Et ita factum est. Consequenter dominus receptor secum detulit quadraginta francos, qui tunc erant impositi in archa, de quibus nacio predictum receptorem quitavit, et voluit nacio, quod magister Heinricus, scilicet receptor, haberet facere suam diligenciam ad acquirendum pecunias alias nondum habitas a debitoribus, ut una cum aliis in archa possent poni. Item ordinavit nacio, prout alias, quod dicti magistri gerentes claves omni anno ipso die, quo receptor novus eligitur, portent claves suas secum et tradant in manibus nacionis, ut nacio maneat secura, de quo et a quo petat vel petere posset claves, in casu quo oporteret aperire archam, et quod in casu quo non venirent, quando eis esset intimatum, incurrerent penam in sequenti congregacione taxanda. Item si contingeret quod aliquis perderet claves, tunc illi de cujus provincia est etc., solvant aliam et serraturam.

Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1412

Acta in procuratoria magistri Georgii Frydekker de Noremberga.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XII, die XXI[a] mensis Octobris, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus ad sciendum nomina illorum qui habent claves arche thesauri nacionis et ad imponendum certam penam istis qui perderent claves; tercius fuit super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum articulum fuit concorditer electus in procuratorem magister Georgius Frydekker de Noremberga. Quantum ad secundum articulum, propter brevitatem temporis erat delatus usque ad proximam congregacionem sequentem. Quantum ad tercium supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et hav[o]atus in omnibus per ipsum factis, que supplicacio concorditer erat concessa ab omnibus.

Facta congregacione *nacionis Almannie* apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die quinta mensis Novembris, super duobus articulis. Primus articulus erat ad exequendum illa, que dimissa erant in ultima congregacione precedenti, videlicet ad imponendum penas istis qui perderent claves, et ad sciendum nomina habentium claves; secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni, ut nomina habentium claves scriberentur in libro, et nomina illorum sunt hec : primo ad archam exteriorem habuerunt claves primo procurator unam, item receptor unam, scilicet magister Heinricus Gorkam, item magister Conradus Hagenaw unam, item magister Bernhardus de Saxonia unam, item magister Wilhelmus Locham unam; sed ad archam interiorem primo magister Andreas de Bavaria habuit unam ex parte provincie *alte Almanie*; item magister Bertholdus de Alcmaria unam ex parte provincie *Almanie passe* (*sic*), item magister Johannes de Cranach ex parte provincie *Scotie*. Et circa hoc ordinavit nacio pro uno statuto, quod si quis perderet clavem arche, quod ille solveret renovacionem serre et clavis. Eciam voluit nacio circa hoc, quod si contingeret aliquem recedere qui haberet clavem, quod ipse traderet clavem nacioni in plena congregacione, vel quod traderet procuratori cum aliquibus testibus. Et illam ordinacionem clavium voluit nacio inviolabiliter servari.

Quantum ad secundum articulum supplicavit ma-

gister Johannes Botwurg[1], licenciatus in theologia, ut nacio subveniret sibi in aliquo, ut ipse posset ulterius procedere ad complendum magisterium in predicta facultate. Et quantum ad illam supplicacionem nacio concessit sibi pro subsidio XXIIII scuta, taliter tamen quod in casu in quo ascenderet ad pingwiorem fortunam, videlicet quod annuatim haberet centum scuta in proprietate, quod predictus magister deberet nacioni solvere predictam summam prima vice qua requisitus fuerit per nacionem. Et voluit nacio quod predictus magister traderet nacioni de hoc unam cedulam manu propria scriptam et signatam signeto proprio. Secundo supplicavit magister Heinricus (*Fol. 49*) Gorkam, ut darentur certi deputati, qui computarent cum aurifabro, qui fecit virgas nacionis, et quod aurifaber solveretur. Et nacio dedit deputatos, qui computarent cum predicto aurifabro et quod solveretur.

Facta congregacione facultatis arcium in Sancto Juliano die VII^a^ mensis Novembris super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum magistrum Symonem Vuczoser nuncium Universitatis; secundus super supplicacionibus. Et in eadem congregacione magister Symon supplicavit, ut haberet subsidium aliquod a qualibet nacione pro laboribus suis, quos habuit in curia[2] ex parte Universitatis et facultatis. Et nacionibus euntibus ad partem, voluit *nacio Almanie*, quod fieret sibi recompensa et subsidium. Et quia tunc erant pauci magistri nacionis presentes, ideo nacio non taxavit sibi summam, sed remisit usque ad aliam congregacionem. Secundo supplicavit in nacione magister Thomas de Brussia, ut aliqui magistri nacionis una cum procuratore vellent adire dominum Reymensem[3] et sibi ex parte nacionis regraciari de bonis que fecit magistro Thome, et quod nacio eciam vellet predictum magistrum recommendare circa predictum dominum Reymensem et illa supplicacio concessa fuit ab omnibus. Item in predicta congregacione procurator posuit in deliberacionem pro expedicione aurifabri, qui nondum erat expeditus, et voluit nacio quod expediretur. Et quia receptor pro tunc dixit se non habere pecunias a nacione, et magister Wilhelmus Bloc obligabatur nacioni in certa summa, ideo placuit nacioni, ut aliqui adirent magistrum Wilhelmum Bloc, ut de predicta summa traderet aurifabro pecunias suas.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die VIII^a^ mensis Novembris super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem circa expulsionem Anglicorum. Secundus erat super publicacione quinti[4] articuli et ad audiendum *instructiones quas legati Universitatis ad curiam haberent jurare*[5]. Tercius super supplicacionibus. Et postea facultatibus et nacionibus euntibus ad partem, supplicavit magister Symon Vuczoser, et nacio sua, scilicet Pikardie, pro ipso, ut haberet eciam certam summam a nacione nostra secundum quod ab aliis nacionibus habuit, et nacio voluit, ut haberet XII francos. Supplicavit eciam in nacione magister Johannes Reyneri[6] de Leydis pro aurifabro qui fecit virgas, ut expediretur, quia nichil habuit a magistro Wilhelmo Bloc, a quo tamen credebat nacio in congregacione ultima precedenti, quod deberet habere. Et iterum placuit nacioni, ut aliqui ex parte nacionis adirent magistrum Wilhelmum, ut solveret pecunias pro aurifabro.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum die XIII^a^ mensis Novembris super duobus articulis. Primus fuit ad avisandum finaliter aliquem modum per quem aurifaber solveretur, et ut nacio amplius non vexaretur super illo. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, quia procurator nacionis pro tunc erat citatus ad curiam rectoris[7] no-

1. *I. e.* Botbur, *de quo in tom.* I Auctarii. *Certe est ille, qui in* Catal. licent. in theol. *ad an.* 1411 *legitur* : Johannes de Bon Part. *Infra ad an.* 1413 *vocatur* Bobart.

2. *Seu in* Concilio generali *Romae celebrando, quod tamen ad principium an.* 1413 *prorogatum fuit.*

3. Archiepiscopum Remensem, *qui tunc fuit* Simon de Cramaud.

4. *Agitur de* quinto articulo ARTICULORUM COMMUNIUM *rotuli in curia* non. Aug. an. primo *signati, i. e. ut magistri in rotulo descripto quantum ad gratias exspectativas omnibus aliis, cujuscunque status sint, praeferantur, quibusdam solum exceptis, et cum meliori data. Idem articulus etiam in epistola Universitatis ad legatos in curia, inter quos* Joh. de Bellomonte, *transmissa memoratur* (Arch. nat. Paris., M 65^a^, n° 96). *Cf.* Chartul. IV, *et infra. Universitati displicebat decisio :* Provisum est optima data, quam paucissimi precedunt.

5. *Exstant adhuc hae instructiones, a* SIMONSFELD *editae in* Abhandl., der hist. Cl. der bair. Akademie d. Wissensch., XXI, 1, p. 47, *e cod. lat Monac.* 97, *fol.* 15^b^. *Minime tamen omnes legati Universitatis ibidem nominantur, ut etiam omittitur legatus nat. Anglicanae,* Guillelmus Bloc. *Multos magistros et doctores Romam ivisse, e* Chron. du rel. de St-Denys, XV, 72, *ediscimus. Caeterum* Simonsfeld *frustra pro mag. in theol.* Johanne Almaris, *dubitando,* Johannem Dachery, *i. e.* d'Achery, *substituere vult, nam ambo differentes sunt, prior Flamingus* (*vid. ad an.* 1422, *Maii* 12), *an.* 1405, *posterior Laudunens., an.* 1400 *licentiati in theol.* (*e* Catal. licent.). *Praeterea scribendum* Guioti (*vid.* Chartul. III); Antonius de Lauco, *seu potius* Leuco (Leuc, *dép. Aude*) *ut legitur in* Arch. nat. Paris. M 65^a^, n° 43, *qui fuit cubicularius* Joh. XXIII *et can. Paris.* (Suppl. Eug. IV, n° 286, *fol.* 250).

6. *Ms.* Zegnei. *Idem qui semper vocatur* Johannes Johannis.

7. *Qui ab Octob.* 10 *fuit* Dominicus Francisci, *ut ex instrumento ap.* BUL. V, 229, *liquet. Sed, incredibile dictu, in* Nomenclatura rectorum, p. 920, *ipsum omittit, pro ipso ponens* Joh. Puleripatris.

mine nacionis a predicto aurifabro, de qua citacione nacio doluit et erat male contenta. Et ideo nacio voluit se expedire de illo, ut amplius non plus vexaretur per illum aurifabrum. Et circa hoc injunxit nacio receptori, videlicet magistro Heinrico Gorkam, ut ipse expediret et contentaret predictum aurifabrum infra triduum sub pena privacionis officii sui, et quod hoc faceret de vadiis que habuit ex parte nacionis. Voluit eciam nacio, ut predictus magister Heinricus faceret de predictis fadiis provisionem de festo nacionis quod tunc erat venturum infra octo dies; eciam quod faceret provisionem de festo sub eadem pena. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Thomas de Brussia, ut haberet litteras recommendatorias a nacione erga dominum nostrum papam summum pontificem. Et illa supplicacio erat concessa.

1412

Acta in procuratorie continuatione magistri Georgii Frydekker.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum die 18ª mensis Novembris super tribus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus articulus fuit super facto festi nacionis, quod tunc in tercia die sequenti erat venturum; tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum antiquus fuit concorditer continuatus. Quantum ad secundum articulum nacio elegit provisores festi, videlicet magistrum Andream de Bavaria, et magistrum Johannem de Cranach, et magistrum Wilhelmum Lochem una cum receptore. Voluit eciam nacio, ut haberentur cantores in ecclesia. Eciam voluit nacio, ut invitarentur ad festum nostrum aliqui magistri in theologia, qui secuntur, scilicet magister Heinricus Pistoris de Sancto Victore [1], et magister Wilhelmus de Xantis [2], et magister Johannes de Almania [3]. Et voluit item nacio, ut magister Wilhelmus predictus cantaret missam nacionis, et nullos alios voluit plus invitare pro tunc. Quantum ad tercium articulum supplicavit procurator, ut haberetur gratus et av[o]atus in omnibus que egit, et concessa est supplicacio concorditer ab omnibus. Secundo supplicavit magister Johannes de Botwurg [4], ut nacio daret sibi deputatos, qui haberent avisare modum per quem predictus magister haberet subsidium sibi concessum per nacionem, que supplicacio concessa est. (*Fol. 49*ᵇ) Secundo supplicavit in eadem congregacione magister Andreas de Bavaria, ut haberet subsidium aliquod ab Universitate de hoc quod laboravit in *astronomia*, scilicet faciendo *alminak*, et quia pro tunc pauci erant tales Parisius; et supplicavit, ut nacio in hoc vellet assistere sibi. Et quantum ad hoc nacio voluit sibi assistere et juvare eum secundum possibilitatem suam.

Facta congregacione *nacionis Almanie* in Sancto Cosma et Damiano 19ª die Novembris post vesperas nacionis super uno articulo, videlicet utrum dux Saxonie [5] deberet invitari ad festum nostrum, qui pro tunc erat studens Parisius et de magno et nobili progenie. Et quia in congregacione proxima precedenti nacionis fuit conclusum, quod non plures invitarentur nisi tres, videlicet magister Heinricus Pistoris, prior pro tunc in claustro Sancti Victoris, et magister Wilhelmus de Xantis et magister Johannes de Almania, ideo aliqui magistri difficultaverunt retractare deliberata; sed quia tamen magistri pro tunc melius avisaverunt et tetigerunt qualiter ille honor non esset pro persona illius ducis, sed tocius nacionis, eciam tunc non solum magistri respexerunt ad personam suam secundum quod fecerant in congregacione precedenti, sed respexerunt ad totam gene[a]logiam et progeniem de qua predictus dux erat, quia de nobili et magna progenie : ideo placuit nacioni, ut predictus dux eciam invitaretur ad festum nacionis, non obstante conclusione in congregacione precedenti habita, quia tunc solum respiciebant magistri ad personam suam, quia *ipse numquam alicui magistro nacionis fecit reverenciam invitando*, et ex hoc movebantur magistri, ut non invitaretur; sed postea postquam consideraverunt progeniem et gene[a]logiam suam, placuit eis ut invitaretur. Et hoc conclusum fuit concorditer ab omnibus solempniter congregatis.

Facta congregacione facultatis arcium in Sancto Juliano die Vª mensis Decembris, et nacionibus euntibus ad partem, ex requesta aliquorum magistrorum de nacione Anglie dominus procurator posuit in deliberacionem, ut nacio certificaretur de pe-

1. *Licent. in theol. an.* 1408 (1409). *Idem est ille cujus mentio fit ap.* Delisle, Cab. des mss., II, 155 *et not.* 2; 214. *Sed dubitandum, an an.* 1406 *rector fuerit, ut* Bul. V, 889 *et* 919 *contendit.*
2. *De quo saepius supra, Ord. Erem. S. Aug.*
3. *Fortasse* Johannes de Buren. *Vid. infra* 1413 *ad Nov.* 16.
4. *Lic. in theol., de quo supra* p. 131, *not.* 1.
5. *Nescimus quisnam hic designetur. Certe iste dux Saxoniae non ad familiam* Wettin *pertinet, e qua solummodo ab an.* 1423 *duces Saxoniae erant, sed fortasse inter duces* Saxoniae-Lauenburg *quaerendus est, v. g. iste* Albertus, *canon. Hildesemens., qui jam an.* 1421 *defunctus est.*

cuniis concessis alias magistro Wilhelmo Bloc, dum erat legatus Universitatis in curia. Et quia in eadem congregacione pauci erant magistri presentes qui scirent veritatem de illo facto, ideo placuit ipsis differre usque ad aliam congregacionem solempnem, ubi omnes vocarentur. Et ita in presenti congregacione nichil factum fuit de istis pecuniis.

Convocata *nacione Almanie* in ecclesia sanctorum Cosme et Damiani die V^a mensis Decembris [1] post vesperas nacionis super uno articulo, videlicet ad audiendum supplicacionem magistri Johannis de Castro [2], et supplicabat predictus magister in nacione, ut haberet litteras recommendatorias erga dominum nostrum papam summum pontificem et erga unum alium dominum, et minuta perlecta in nacione, placuit nacioni, ut ingrossaretur et sigillaretur sigillo nacionis. Et in eadem congregacione tetigerunt quidam magistri qualiter prerogativa Universitatis quinti articuli [3] non prodesset illis de Imperio [4], nisi provideretur. Et circa hoc dedit nacio aliquos deputatos qui una cum domino procuratore haberent adire dominum rectorem et sibi referre et supplicare sibi ut ipse in proxima congregacione Universitatis pro tunc fienda tangeret in Universitate, ut Universitas injungeret legatis suis ut circa hoc laborarent apud dominum nostrum summum pontificem, ut Universitas haberet de illa prerogativa litteram executoriam et compulsoriam predicte prerogative. Et ita deputati una cum procuratore nacionis incontinenti iverunt ad dominum rectorem super predicto facto.

Facta congregacione *nacionis Almanie* in ecclesia sanctorum Cosme et Damiani die VI^a mensis Decembris, scilicet in die sancti Nicolay, post missam nacionis, super uno articulo, videlicet ad avisandum et concludendum quid faciendum esset de pecuniis missis magistro Wilhelmo Bloc ad curiam alias, dum erat legatus nacionis circa factum rotuli missi ad Alexandrum papam quintum, et summa illarum pecuniarum extendebat se ad quinquaginta scuta. Et quantum ad hoc deliberaverunt omnes magistri pro tunc presentes concorditer, ut predictus magister Wilhelmus Bloc quittaretur de predicta summa, scilicet quinquaginta scutorum. Et ita quittavit eum nacio visis laboribus et diligenciis factis per eundem magistrum ex parte nacionis, et eciam ut ipse in futuro laboraret pro nacione fideliter et diligenter in factis nacionis. Et in predicta congregacione eciam supplicavit predictus magister Wilhelmus Bloc, ut haberetur gratus et av[o]atus per nacionem, et si in aliquo displicuisset nacioni vel alicui, supplicavit [5] quod sibi nacio indulgeret. Et cepit licenciam in nacione eadem die, quia ipse erat recessurus iterum ad curiam Romanam [6]. Et nacio habuit eum av[o]atum et gratum, et voluit sibi assistere in actis et agendis secundum possibilitatem suam. Et in eadem congregacione cepit eciam licenciam a nacione dominus Mathias subbedellus nacionis, qui eciam erat recessurus ad curiam, et substituit unum alium loco sui, videlicet Hermannum de Wesalia [7]. Et quoad hoc nacio habuit gratum et av[o]atum dominum Mathyam et placuit nacioni ille substitutus, ut exerceret officium Mathye in absencia sua.

1412

(*Fol. 50*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Reno.

Facta congregacione nacionis in Sancto Juliano XVI^a mensis Decembris super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat ad eligendum intrantem pro electione rectoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer fuit electus magister Johannes de Reno alias dictus Phillippi de Leyden in procuratorem. Quantum ad secundum articulum electus fuit magister Jacobus de Harlem pro intrante [8]. Quantum ad

1. *Ms.* Novembris.
2. *I. e.* Joh. de Bienen de Castro.
3. *De quo jam supra* p. 132, 14.
4. *Ita prorsus, nam Johannes* XXIII *postea an.* 1413, *Martii* 13, *scribit* : nonnulli dicuntur asserere gratias et prerogativas prefatas dumtaxat gallicos et non alias nationes de Universitate comprehendere. *Papa hoc negat, et privilegia ad omnes nationes extendit. Vid.* Chartul. IV.
5. *Ms.* supplicato.
6. *Ex quo constat legatos Universitatis ad Concilium semper prorogatum Romam Decemb.* 6 *vel* 7 *profectos esse. Ad hanc posteriorem aetatem referendum, quod scribitur in* Chron. du rel. de St-Denys, IV, 730 *sq. Certe istud Concilium saltem unam sessionem* 2 *Febr. an.* 1413 *habuit, nam* Johannes XXIII *suas litteras, quibus libros Wiclefi condemnat, incipit :* In generali Concilio, *et datae sunt* 4 non. Febr. an. 3 (Reg. Vat. Joh. XXIII, n° 345, *fol.* 53; Lateran. n° 160, *fol.* 229). *Ex quo corrigitur* Mansi, *qui in notis ad* Raynaldum, *Ann. ad an.* 1412 *et* 1413 (p. 349 *et* 358) *asserit, Concilium non ante Febr.* 10 *incepisse. Caeterum duae aliae bullae Joh. XXIII posteriores de eodem argumento, incipientes* NUPER in generali Concilio, *datae sunt* 6 id. Febr., *i. e.* 8 *Febr.* (Reg. Vat. *l. c. fol.* 54^b, Lateran. *l. c. fol.* 230, ad universos archiepiscopos, episc. etc.; Reg. Vat. *l. c., fol.* 65^b, ad archiepisc. Pragens., Olomuczens. etc.; *cf. etiam* FINKE, Forschungen z. Gesch. des Konstanzer Konzils, p. 2). *Ex hoc indubitatum redditur, ante* Febr. 10, *Concilium generale Romanum incepisse.*
7. *Qui tamen, ut ex infra dictis apparet, simul studens in art. erat.*
8. *Rector novus fuit a Dec.* 16 *usque ad an.* 1413 *Martii* 24,

tercium articulum supplicabat procurator novus pro assistencia et consilio in agendis per eum, cui nacio annuit. Secundo supplicabat procurator antiquus, ut in actis per eum esset recommendatus et avoatus, cujus supplicacio fuit concessa in forma.

1413

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum die secunda mensis Januarii super duobus articulis. Primus erat ad reparandum et reformandum casum istum enormem, qui accidit inter illud collegium notabile Harricurie et magistrum domus *Chirene* in vico Cythare qui casus habuit ortum de uno equo mortuo ducto a domo illius domus predicte usque ad hostium dicti venerabilis collegii, secundum quod omnibus erat notum. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus, etc. Super primo articulo nacio trahens se ad partem, concorditer deliberatum fuit ab omnibus, ut rector haberet instare coram rege cum certis deputatis pro audiencia habenda, et quod fieret propositio solemnis coram rege super isto facto, et non solum coram ipso, sed eciam coram burgensibus hujus ville, scilicet coram preposito marcatorum [1] et scabinis, et quod tangeretur quomodo privilegya nostra mirabiliter erant lesa in isto; et voluit nacio quod nisi infra quindecim dies nobis (quia istud factum reputavimus pro facto nostro et eciam tocius Universitatis) fieret emenda condigna secundum statuta et privilegia nostra, quod intimarentur cessaciones. Et ut in posterum remaneat in memoria hominum, casus erat iste [2].

Erat quidam equus ductus de domo *Chirenis* [3] predicta, et postquam venerat ante portam collegii venerabilis Harricurie, predictus equus remansit mortuus [4], et qui primo ducebat equum, dimittendo equum ivit ad domum suam. Postquam magistri et scolares collegii predicti perceperant illud cadavar fore ante hostium ipsorum, et perceperant quod venerat de domo *Chirenis*, et istud erat circa horam sextam post vesperas [5] : duo vel tres scolares ibant de collegio predicto usque ad domum predictam et instabant circa hospitem domus, ut removeret istud cadavar de collegio ipsorum. Primo respondebat : *byen*, *tantoct* [6]. Isti scolares recesserunt, et post septimam, postquam nullum viderant qui ammoveret illud cadavar, ipsi scolares iterato adibant domum predictam et instabant secundum quod prius. Et respondebat iste dominus de *Chirenis* scolaribus valde perverse isto modo scilicet : « Et quomodo, domini mei, equus exivit vivus de domo mea, et quomodo potest esse mortuus ante domum vestram, multum miror [7]; est ibi, dicit ipse, ymago nostre Domine super hostium vestrum; credo vere quod equus fecit sibi reverenciam, sicud in nocte Nativitatis bos et azinus. Ay, domini mei, levetis caudam equi et respiciatis in culo, bene videbitis utrum ne vivat [8], et eciam respiciatis in ore; vere non potest esse mortuus. Bene scio quod vivit ». Et ista responsio videbatur multum proterva illis scolaribus abeuntibus, [qui] [9] traxerunt equum de collegio, unus per caudam, alter per pedes, etc., usque ad domum *Chyrenis*, et vocando hospitem dixerunt : « Ecce nos, Malgeti, respiciatis equum vestrum ». Et quibusdam intrantibus domum clausa fuit janua, et infra limen et hostium domus remansit pes unius scolarium, et fortiter clamabat. Alii illud videntes tantum fecerunt, quod hostium aperiebatur, et recesserunt ad collegium. Deinde circa duodecimam horam [10], omnibus quasi existentibus in lecto, venit hospes Chyrenis cum aliquibus aliis, scilicet duobus militibus hospitibus in domo sua, et clamabant ad adjutorium regis : « Ecce istos Normanos de collegio Harricurie, qui sunt traditores regis et regni et ducis Burgundie! » Et secundum statuta burgensium quilibet posuit se in armis, et veniens ante collegium (*Fol. 50* [b]) quilibet clamabat : « frangatis hostia et muros » etc., et erant bene in numero

Johannes Bont, *nat. Picard. Vid. infra ad an.* 1413, *Maii* 13. *Perperam* Bul., V, 920, *pro isto tempore affert* Andream de Prussia, *qui nondum procurator fuit.*

1. *Qui tunc fuit* Petrus Gencien, *cui quidem Martii* 16 Andreas d'Epernon, *succedebat. Vid.* Tuetey *in* Journal d'un bourgeois, p. 28, *not.* 4.

2. *Non opus est dicere, sequentem relationem omnino authenticam esse. Per ipsam certum fit, narrationem hujus facti ap.* Cousinot, La Geste des nobles François, *ed.* Vallet de Viriville, chap. 128, p. 145 (*e quo* Coville, Les Cabochiens, p. 182 *sq.*, *quem iterum exscripsit* Bouquet, L'ancien collège d'Harcourt, p. 113) *adulteratam esse. Ex alio fonte turbido hausit* Bul. V, 235. *Perperam etiam* Cousinot *factum, quod in fine anni* 1412, *in octava Natalis*, *evenit, ad Martium vel April. an.* 1413 *refert.*

3. *Hujus domus in* vico Cytharae *seu* rue de la Harpe *nullam mentionem fieri vidimus apud* Berty-Tisserand, Topographie hist. du vieux Paris. Région occid. de l'Université, p. 393 *sqq.*

4. *Secundum* Cousinot *per gentes armorum ducis Burgundiae cadaver cujusdam equi nocte ad portam domus Hareuriae depositum est.*

5. *Sec.* Cousinot, *de mane. Sequentia praeterea ibid. desunt, ut etiam ap.* Bul.

6. *Inter lineas* : bene, statim.

7. *Ms. postea* dicit ipse, *ita ut bis ponatur.*

8. *Gentem tam atrocem aetas illa produxit!*

9. *Sequentia etiam omnino nova sunt.*

10. *I. e.* media nocte. *Ista etiam* Cousinot *omisit.*

armati CCC ante collegium illud, et fregerunt hostia et intraverunt clamantes « ad mortem », et fregerunt bene viginti januas camerarum, et nullum reperiebant armatum in dicto collegio, et breviter posuerunt enses super doctores in theologya et lanceas et sagittas in domo, et clamabant : « Ponamus ignem ! » Et tunc veniebat prepositus Parysiensis [1] et omnia disposuit ad melius. Et erant duo scolares de domo capti et duo fortiter volnerati.

Et iste est casus de quo prius tangebatur, quem in plena congregacione narraverunt duo magistri in theologya [2] de collegio. Et concludebat nacio, quod iste hospes detineretur in carceribus, quousque nobis fieret emenda condigna.

1413

Acta in procuratoria magistri Jacobi de Haerlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die XIII^a mensis Januarii anni millesimi CCCC^mi XIII more Romano super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer in procuratorem magister Jacobus de Haerlem. Quantum ad secundum supplicavit procurator antiquus, ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio fuit concessa [3].

1413

(*Fol. 51*) Acta in procuratoria magistri Gherardi Snavel de Zwollis anno M° CCCC° XIII°.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die veneris, que erat decima dies mensis Februarii, anni 1413 more Romano, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. [Secundus de supplicationibus, etc.] Quantum ad primum electus fuit concorditer in procuratorem magister Gherardus Snavel de Zwollis. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator antiquus ut haberetur gratus et recommendatus, etc. cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa, etc.

Facta congregacione facultatis anno quo supra die XIIII^a mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad audiendum juramentum magistri Johannis de Nova Domo in manibus cancellarii Sancte Genovefe. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit concorditer omnibus de nacione nostra juramentum magistri Johannis predicti, similiter et omnibus aliis nacionibus. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector, quod temptamen baculariorum aperiretur ante festum carnisprivii. Ad hoc dixerunt magistri de nacione nostra tunc presentes : « si alie tres naciones concedunt, nos non negamus » ; sed ex quo tres naciones concesserunt, ego procurator nacionis Anglicane eciam concessi. Et sic dominus rector conclusit. Item supplicaverunt duo bacularii vocati isto anno, qui se dixerunt legitime impeditos, sic quod nondum erant temptati in cameris, quatinus darentur eis quatuor magistri qui eos examinarent in cameris; quorum supplicacio fuit concessa. Et fuit electus in nacione nostra discretus vir magister Ghisebertus Albout de Harlem. Eodem die fuit congregacio solempnis apud Sanctum Bernardum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum temptatores baculariorum; secundus ad distribuendum menses; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electi sunt quatuor temptatores secundum antiquum modum, silicet senior non regens, duo seniores regentes, et receptor ejusdem nacionis. Quantum ad secundum magister Georgius Fridecker optulit dare unum scutum per modum propine pro omnibus mensibus, et nacio concessit sibi. Quantum ad tercium supplicavit Boemondus pro se et socio suo, quatinus daretur eis cappa magistri Rolandi [4] defuncti, cujus supplicacio fuit concessa, si fierent exequie in Universitate vel in nacione pro magistro Rolando predicto. Si autem non fierent exequie, etc. nacio conclusit quod supplicaretur executori predicti magistri Rolandi, ut vellet sibi graciose dare cappam vel valorem, viso quod sepedictus magister ordinavit omnia bona sua ad pios usus, etc. Item supplicaverunt duo bacularii alterius studii quatenus reciperentur Parisius pro baculariis : primus erat dominus

1. Petrus des Essarts. *Sequentia* Cousinot *sic refert* : Si vint le prévost à grant nombre de sergens, qui ledit cheval mort s'efforça faire remettre devant l'entrée du colliége, où s'assemblèrent ceulx de l'Université en très grand nombre, et entreulx et le prévost se esmurent de grans débaz. Adonc se adjoingni le duc de Bourgoigne avec les clers, qui tant firent que ledit des Essarts firent deppointer de l'office de prévost. *Sed hoc post aliquos menses evenit.*

2. *Inter quos certe clarus* Ursinus de Talevenda.

3. *Reliqua pars paginae vacat.*

4. Rolandi Hezler.

Bernardus[1] presbiter bacularius studii Pragensis; secundus erat dominus Godfridus Ketel bacularius Heldisbergensis[2].

Item admissus est ad bachalariatum dominus Godfridus Ketel, bacularius Heldisbergensis, cujus bursa II sol.

It. admissus est dominus Bernardus Patrisfamilias, presbiter, bachalarius Pragensis, cujus bursa VI sol.

(*Fol. 51*^b^) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno M° CCCC° XIII°, die XVIII^a^ mensis Februarii, super duobus articulis. Primus ad avisandum de quibusdam abusionibus que fiunt in dicta nacione; secundus super supplicacionibus et injuriis, etc. Quantum ad primum dictum fuit quod aliqui magistri nacionis nostre disputarent pro pecuniis. Super quo placuit quasi omnibus pro tunc ibi presentibus, quod diceretur bedellis ne amplius pronunciarent tales de quibus est suspicio, nisi promittant eis quod velint servare antiquas consuetudines, etc. Quantum ad 2^m^ aliqui magistri dicte nacionis conquerebantur de injuriis ipsis illatis a quibusdam magistris ejusdem nacionis, super quo placuit omnibus magistris eo tunc in congregacione dicte nacionis presentibus tempore conclusionis, quatenus darentur deputati non suspecti ab utraque parte, qui audirent partes et secundum hoc judicarent de injuriis. Placuit insuper omnibus et singulis pro tunc presentibus, si aliquis faceret querimonias de istis extra nacionem, quod privaretur ab interemptione supplicacionum et eciam a voto suo, etc. viso quod istud erat perpetratum inter magistros dicte nacionis. Requisitus est procurator ab aliquibus magistris dicte nacionis, quatenus supplicaret magistro Georgio, ut vellet ponere menses sive distribuciones mensium in manus nacionis, ex quo non videbatur eis honestum pro nacione, ut unus magister ejusdem nacionis temptaret omnes intrantes, etc. Et dixi sibi nomine nacionis, quod nacio refunderet sive redderet sibi unum scutum, quod exposuit per modum propine pro dictis mensibus, cui supplicacioni non annuit, sed dixit se velle capere consilium cum amicis suis.

Facta congregacione nacionis Anglicane XXIIII^a^ die mensis Februarii anno Domini quo supra super duobus articulis. Primus de aliquibus nuper tactis in nacione, scilicet de discordia inter aliquos magistros dicte nacionis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum videbatur omnibus et singulis magistris tunc in congregacione dicte nacionis presentibus expediens esse vocare magistrum Andream ad nacionem, ex quo citavit magistrum Johannem de Reno, quod magistris omnibus videbatur cedere in dedecus nacionis, viso quod ambo erant de nacione et quod nacio nuper conclusit, ut nullus faceret mensionem de istis injuriis extra nacionem. Sed magister Andreas predictus semel vocatus per bedellum et secunda vice per procuratorem ejusdem nacionis rennuit (*sic*) venire ad nacionem, dicens se aliunde impeditum. Pro tercia vice missus fuit bedellus ad domum suam, ut sibi intimaret, quatenus per juramentum quod prestitit procuratori nacionis, veniret ad congregacionem nacionis; sed non erat inventus, sicud dixit bedellus. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Johannes de Aernhem pro magistro Frederico Middachten absente et pro se, ut eis darentur littere testimoniales gradus magisterii, cujus supplicacio fuit concorditer concessa. Item supplicavit magister Johannes Philippi, alias de Reno predictus, pro assistencia, ex quo submisit se nacioni, cujus supplicacio etiam fuit concessa. Item ab aliquibus magistris dicte nacionis fuit tactum quod in aliis nacionibus omnes determinantes volentes temptari pro gradu bacularіatus, expedirentur equaliter, et sic videbatur eis bonum quod in nostra nacione fieret consimiliter, ex quo determinantes de aliis nacionibus in septimana sequenti incipient disputaciones. Hoc idem omnibus magistris dicte nacionis in satis magno numero pro tunc congregatis videbatur bonum et expediens, non obstante quod in congregacione precedenti dictum fuit, quod solum intrantes non bacularii examinarentur pro gradu bacularіatus ante Quadragesimam. Et sic conclusit.

Finita congregacione magister Gherardus Snavel de Zwollis procurator dicte nacionis cum magistro Jacobo Harlem et magistro Johanne de Aernhem ivit ad locum, ubi dictus magister Jo[hannes][3] erat citatus, et supplicavit judici, quatenus remitteret istud factum ad nacionem, seu ordinaret duos magistros dicte nacionis, qui illud factum terminarent. Et sic fecit. Deputavit enim magistrum Johannem Bobart doctorem sacre theologie, et magistrum Jacobum

1. *Qui infra nominatur* Patrisfamilias. *Illum in* Mun. hist. Univers. Prag. I, *frustra quaeras*.

2. Gotfridus Ketel de Syndolshem, *Herbipolens. dioec., an.* 1405 *Heidelbergae intitulatus, an.* 1409 *ibid. bacc.* (Toepke, Matrikel, I, 96). *An.* 1433 « a decem et octo annis in art. Paris. mag., qui Parisius et alibi in eisdem rexit et in s. pagina studuit », *de par. eccl. Helbenstat Herbipol. dioec.* (Suppl. Eug. IV, n° 277, *fol.* 140).

3. De Reno.

Harlem bacularium in decretis, ut ipsi dictam discordiam terminarent, etc.

(*Fol.* 52) Anno M° CCCC° XIII° secundum modum Romanum. Sequuntur nomina determinancium in procuratoria magistri Gherardi Snavel de Zwollis, diocesis Trajectensis.

Dominus Theotricus Beyer de Groninghen determinavit sub magistro Wilhelmo Lochem, cujus bursa IX sol.

It. determinavit dominus Conradus Giltlinger sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Wilhelmus Spaldyng[1] sub mag. Johanne Cranae, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Georgius de Nova Villa sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Gobertus[2] Makbrayer, Scotus, sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Wilhelmus Rollo sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Johannes Wiler[3] sub mag. Henrico Gorkam, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Johannes Wenck sub mag. Wilhelmo Lochham, cujus bursa III sol., VIII d.

It. det. dom. Georgius Herrenberg de Ruitlinga sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. det. dom. Hermannus Fabri de Wesalia[4] sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes Grunewalt[5] sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Wilhelmus Scut de Huesden[6] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes Georgii de Spira, sub eodem, cujus bursa III sol. VI d.

Summa pro bursis XVII libre parisiens., V sol., X d., et pro scolis XXII libre parisiens.

Item recepti ad bachalariatum isto anno dederunt receptori IX lib. XV s. parisiens.

Summa summarum XLIX lib. et X den.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino anno quo supra die secunda Marcii super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas nacioni de curia Romana ex parte magistri Wilhelmi Bloc, secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum visa littera et audita fuit dicta littera et placuit omnibus. Regraciabatur eciam magistro Wilhelmo predicto de communicacione litterarum suarum. Quantum ad secundum nichil fuit factum ex quo nullus supplicabat.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Bernardo IX^a die Marcii anno Domini quo supra super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas a domino preposito Parisiensi; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio regraciabatur domino Petro de Essars, pro tunc preposito Parisiensi[7], de communicacione litterarum suarum. Scripsit enim in eadem littera in fine : *Petrus de Essartis ad vestra mandata paratus.* Quantum ad secundum nichil factum fuit ex quo eo tunc nullus supplicavit. Eodem die in eodem loco fuit congregacio Universitatis. Et cetera *require in libro Universitatis*[8].

1413

(*Fol.* 52^b) Acta in continuacione magistri Gherardi Snavel de Swollis, diocesis Trajectensis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC^mo 13mo more Romano, mensis Marcii die decima, super

1. *Brechinens. dioec. An.* 1429 *etiam lic. in theol. fuit et in dioec. S. Andreae morabatur* (Suppl. Mart. V, n° 237, *fol.* 251 b, *propter defectum natalium*). *An.* 1430 *de paroch. eccl. de Lillieselive Glasguens. dioec.* (ibid., n° 243, *fol.* 212 b).

2. *Ms.* Giehbertus, *sed vid.* p. 151, 39.

3. *Fuit cler. Basileens. dioec., litigavitque an.* 1419 *de can. eccl. Basil.* (Suppl. Mart. V, n° 117, *fol.* 292). *Tunc jam fuit canonicus praepositurae Turicens. An.* 1431 *ut scholasticus eccl. Basileens. in* Concil. Basil. (Monumenta Concil. gener. saec. XV, 1, p. 68). *an.* 1434 *decanus ibid.* (Suppl. Eugenii IV, n° 290, *fol.* 140). *De ipso pluries in* Suppl.

4. *In margine :* Nota quod nacio quittavit absolute Hermannum de Wesalia. *Ipse postea fuit subbedellus nationis.*

5. Johannes Gruenwalt *an.* 1418 *fuit can. S. Martini Embricen., Traject. dioec.* (Reg. Lateran. Martini V, n° 195, *fol.* 140 b *et* Suppl. Mart. V, n° 150, *fol.* 120).

6. *Trajectens. dioec., ejusque mentio fit an.* 1419 *in* Reg. Later. Mart. V, an. 2, *lib.* 35, *fol.* 122. *An.* 1429 *fuit canon. S. Catherinae Huesden. Traj. dioec., et aspiravit ad decanatum* (Suppl. Mart. V, n° 235, *fol.* 161 b).

7. *Universitas Paris. cum praeposito mercatorum et scabinis villae Paris. anno eodem, Februarii* 13 (*vid.* Religieux de St-Denys, IV, 744) *coram rege instrumentum magnae extensionis legit, in quo singulorum officialium regiorum furtivas et absconditas rapinas in regis et regni damnum tempore transacto peractas detexit* (*vid. documentum integrum ed. a* Moranvillé *in* Bibl. de l'Ecole des chartes, LI, p. 422-442; *fragmenta ap.* Monstrelet, Chron. *ed.* Douët-d'Arcq, II, 308, *et* Rel. de St-Denys, *l. c., in traductione lat.*). *Universitas praeposito Paris. ejusque fratri Antonio des Essarts in libello suo minime pepercit. Vid. etiam* Journal d'un bourgeois, p. 33.

8. *Ubi exstat liber iste, cujus Bulaeus minime mentionem facit? Talium librorum series nunc an.* 1478 *tantummodo incipit.*

duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer ab omnibus presentibus continuatus fuit antiquus procurator, qui propinavit 15(?) albos. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator antiquus, quatenus haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus, et si in aliquibus deliquit, excusatus; cujus supplicacio concorditer fuit concessa, nemine reclamante.

Item supplicavit dominus Hermannus Fabri alias de Wesalia pro dilacione bursarum, super qua supplicacione deliberaverunt omnes magistri dicte nacionis pro tunc presentes, quod dictus Hermannus quitaretur tam de solucione bursarum quam eciam pecuniarum solvendarum pro scolis racione bachalariatus sui, viso quod ipse illo tunc officium subbedelli dicte nacionis exercebat, et sic procurator ejusdem nacionis conclusit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Bernardum XVIII^a^ die mensis Marcii super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas ex parte domini Petri de Essars prepositi Parisiensis [1]; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum lecte erant littere, etc. Quantum ad secundum supplicavit dominus Martinus Fethaw bachalarius Pragensis [2] quatenus acceptaretur Parisius in bachalarium, cujus supplicacio fuit concessa solutis solvendis. Item supplicavit magister Nycolaus de Missena pro littera testimoniali gradus magisterii, cujus supplicacio fuit concessa.

Item admissus est ad bachalariatum dominus Martinus de Fetaw alias de Budyeyowyz, diocesis Olomucensis, cujus bursa IX sol. paris.

Facta congregacione nacionis anno 1413, prima die Aprilis, super duobus articulis. Primus ad avisandum tempus oportunum pro computacione; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nichil factum fuit absente receptore. Quantum ad secundum supplicavit magister Jacobus Harlem, quatenus placeret nacioni nichil innovare ex parte ipsius tempore absencie sue; necessario enim erat, sicud dixit, recessurus, et nondum satisfecit nacioni de pecuniis quas tenetur nacioni racione receptorie sue, etc. cujus supplicacio concorditer fuit concessa. Item magister Georgius Fridekker supplicavit pro duobus scolaribus, quatenus placeret nacioni quod jurarent in manibus procuratoris juramenta paupertatis, cujus supplicacio fuit concessa.

Item subdeterminavit dominus Ortwinus Frideborg sub magistro Willelmo Lochem, cujus bursa nichil.

It. subdeterm. dom. Michael Arcuficis sub eodem, cujus bursa nichil.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Item, primo licenciatus fuit dominus Georgius de Nova Villa, Scotus, sub magistro Johanne Cranac, cujus bursa IX sol.

1413

(*Fol.* 53^b^) [3] Acta in procuratoria magistri Johannis de Reno, alias Phillippi, de Leyden.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum septima die Aprilis super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Concorditer fuit electus magister Johannes de Reno alias Phillippi de Leyden in procuratorem. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Primo supplicabat dominus procurator antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio unanimiter fuit concessa, et nacio habuit eum gratum et recommendatum. Secundo supplicabat magister Heynricus Vaek pro domino Arnoldo Ghent, et magister Ghisbertus Albout pro domino Nycolao de Aemsterdam pro dilacione bursarum eorum, quia nundum pecunie eorum veniebant, cujus supplicaciones erant concesse, salvis tamen statutis nacionis. Tercio supplicabat procurator novus, ut in agendis per eum nacio eum vellet dirigere, dando sibi consilium, auxilium et favorem, cujus supplicacio fuit concessa in forma.

Licenciatus fuit dominus Guillelmus de Monteforti sub magistro Guillelmo Lochem, cujus bursa VI s.

It. lic. fuit dom. Nycolaus Richenchey sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Arnoldus Ghent sub eodem, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Guillelmus Spaldyng sub mag. Johanne Cranack, cujus bursa VI sol.

1. *Postea spatium unius vocis. Usque ad Martii* 16 *tantum praepositus erat. Aufugit; mense Aprili vero rediit; mox commotio seu seditio popularium* (révolution Cabochienne) *exorta est* (*de qua infra*), *in qua captus et in principio Julii decollatus est.*

2. *In* Mun. Univers. Pragens., I, 1, p. 376, *ad an.* 1403 *ut* Martinus Budwicz *intitul.*

3. *Pagina recta folii* 53 *vacat.*

It. lic. fuit dom. Albertus Smyer sub mag. Heynrico Gorikem, cujus bursa X sol.

It. lic. fuit dom. Nycolaus de Aemsterdam sub eodem, cujus bursa II sol.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die nona mensis Aprilis super duobus articulis. Primus fuit ut sicud alie naciones providerant subbedello nacionis Francie pro sua prima missa [1], ut nacio eciam vellet sibi providere de uno scuto vel duobus; et hoc factum fuit ad requestam ejusdem. Sed quia magistri minus bene pro tunc congregati erant, ideo nichil fuit conclusum, sed dilatum fuit usquequo magistri essent melius congregati, et dicebatur quod illud quod differtur non aufertur. Secundo posuit procurator in deliberacione, quid faciendum esset de illis, qui temporibus retroactis juraverunt in nacione paupertatem, et nunc habent bene unde [2], quia bona beneficia, ita quod multi reperientur tales, qui nunc sunt satis potentes. Conclusum fuit quod fieret inquisicio in registro antiquo et novo tam receptoris quam eciam procuratoris quam eciam rectoris, ad habendum noticiam de talibus, et nacio habita noticia scriberet eis et moneret in quantum posset ipsos sub omni pena ad satisfaciendum nacioni [3]. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Supplicabat procurator, ut [natio] vellet sibi restituere VI solidos, quos exposuit inter deputatos Universitatis *in salmone*. Secundo supplicabat magister Eduardus de Lavedre, Scotus, pro domino Georgio de Nova Villa, licenciato et in crastino magistrando, pro dilacione suarum bursarum, quia nundum veniebant pecunie sue de partibus, cujus supplicaciones fuerunt concesse; secunda tamen supplicacio concedebatur salvis statutis nacionis. Et sic iste magister Edwardus predictus fidejubebat pro ipso et dicebat, quod pecunie sue venirent sine defectu in duabus septimanis.

Item licenciatus fuit dominus Godefridus Ketel sub magistro Guillelmo Lochem, cujus bursa nichil.

It. lic. fuit dom. Swederus Warendorp sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Bernardus Patrisfamilias sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Ulricus Deichsler [4] sub eodem, cujus bursa II sol.

(*Fol. 54*) Incepit dominus Georgius de Nova Villa sub magistro Eduardo de Lawedre, cujus bursa IX s.

It. inc. dom. Guillelmus de Monteforti sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Nycolaus Richenschey sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Arnoldus Ghent sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Albertus Smyer sub eodem, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Nycolaus de Aemsterdam sub eodem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Godefridus Ketel sub eodem, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Swederus Warendorp sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Bernardus Patrisfamilias sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Ulricus Deichsler sub eodem, cujus bursa II sol. [5].

1413

(*Fol. 54*[b]) Acta in procuratoria magistri Eduardi de Lawedre, Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die V^a^ mensis May, anno Domini M° CCCC° XIII°, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem magister Eduardus de Lawedre concorditer. Propinavit [6] nacioni duos francos. Quantum ad secundum suplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, que supplicacio concessa est concorditer.

1. *Quia fuit ordinatus sacerdos.*
2. *I. e.* unde vivant.
3. *Vid. de hoc quae diximus in* Introductione *ad* tom. I, p. XLVII.
4. *Ms.* Deisehsler.
5. *Reliqua pars paginae vacat. April.* 27 *commotio popularium, dictorum* Cabochiens, *exorta est, de qua vid.* COVILLE, Les Cabochiens (*Paris* 1888), *imprimis* p. 179 *sqq. Ipsam describit Carolus rex in sua ep. Sept.* 18 (Append. *ad* Chron. de Monstrelet, VI, 115; Rel. de St Denys, V, 170-182; RYMER, Foedera, IV, *parte* 2, p. 46-48; VIOLLET *in* Mém. de la Société de l'hist. de Paris, IV, p. 160-167). *Ex ista ep. aliisque liquet, plura supposita Universitatis Paris., quia ex parte ducis Burgundiae, se isti commotioni associata esse. Sat est aliqua hic nominare.* Johannes *et* Petrus de Trecis (*medic.*); Petrus Miot, *mag. medic.*; Petrus Cauchon, *mag. art., lic. in decr., stud. in theol., vicedominus eccl. Remens., infelicis memoriae;* Nicolaus de S. Hilario, *stud. in decr.* (*an.* 1419 *can. eccl. S. Montani de Fayra Laudun. dioec., lic. in decr.* Reg. Lat. Mart. V, *an.* 2, *l.* 35, *f.* 2 b), Dominicus Francisci *de Metis, de quo saepius,* Joh. Parentis, *omnes e nat. Gallicana.* Joh. Guerini, *stud. in decret., Normann.*, Eustachius de Atrio, *verisimiliter nat. Picard. Vid. praeterea infra ad an.* 1414, *Jan.* 21.
6. Propinavit... francos *in margine.*

Nomina incipientium [1].

Incepit dominus Jacobus de Fausyd [2] sub magistro Johanne Crannach, cujus bursa IX sol.

It. dom. Martinus de Fetaw, sub mag. G. Locham, cujus bursa IX sol.

It. incepit dom. Johannes Rot sub mag. Guillelmo Locham, cujus bursa II sol.

It. incepit dom. Heinricus Anenstetter sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VIII sol.

It. incepit dom. Johannes Gruenwalt sub mag. G. Locham, cujus bursa II sol.

It. dominus Patricius de Yhongem, cujus bursa VI sol.

Nomina licenciandorum [3].

Dominus [4] Martinus de Fetaw, cujus bursa IX s.

Item dom. Johannes Gruenwalt sub magistro G. Locham, cujus bursa II sol.

It. dom. Johannes de Rot sub mag. G. Locham, cujus bursa II sol.

It. dom. Henricus Anenstetter sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VIII sol.

(*Fol. 55*) Item facta congregacione nacionis 12^a^ die May super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas de curia Romana a legatis nacioni. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum litteris lectis et intellectis omnes magistri concorditer regraciabantur legatis, et recommendabant ipsos, dicendo quod bene fecerunt debitum ipsorum circa omnia cum quibus onerati sunt [5]. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione facultatis artium apud Sanctum Julianum die 13^a^ May super tribus articulis. Primus ad audiendum juramenta bacalariorum examinatorum in Sancta Genovefa, et an placeret facultati quod due addiciones essent insimul licenciate. Secundus super facto unius abbatis et eciam super questione deliberata per tres facultates superiores ex parte Universitatis sine consensu domini rectoris et procuratorum. Tercius fuit super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum deliberavit nacio Anglicana, quod audirentur juramenta et quod eciam placeret ei, quod due addiciones insimul essent licenciate. Quantum ad secundum stetit dicta nacio in alias deliberatis, videlicet quod dicta nacio se adjungeret domino abbati in jure suo [6], adversa tamen parte preaudita. Secundo quod questio deliberata per superiores facultates anullaretur, et quod superiores facultates declararent ipsas non habere auctoritatem concludendi in Universitate nec aliquid ponendi in deliberacione, sed hoc solum pertinere domino rectori et procuratoribus suam vicem gerentibus [7]. Quantum ad tercium supplicavit magister Johannes Bont [8] predesessor domini rectoris, ut supportaretur in omnibus per ipsum tempore rectorie factis seu actis. Secundo supplicavit magister... [9] quod placeret facultati eum admittere ad lecturam in Ethicis. Quorum supplicaciones erant concesse.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die 15^a^ Maii super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas a papa [10] et a domino de Hely [11], et eciam ad audiendum relacionem proposicionum factarum coram regina et dalphino [12]. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur domino pape de litteris suis, et eciam domino de Hely, et eciam de secundo puncto regraciabantur domino rectori, proponentibus et aliis deputatis. Quantum ad secundum

1. *Ms. postea* licenciandorum, *quanquam vere incipientes sunt. Ordinem praeposterum quidem servavimus. Praeterea litteris* c, h, d, f, a, e, *series nominum restituitur.*

2. *Ipse jam an.* 1396 *lic. in art. Vid. tom.* I, 722, 6.

3. *Ms. postea* incipientium.

4. *In ms^to^* Primo dominus *etc. Per* a, h, *indicatur,* Martinum *secundo* Johannem *primo ponendum esse.*

5. *Quia receperunt epistolas papae cum privilegiis, de quibus infra. Legati sec.* Chron. du rel. de St Denys, V, 72, *solum circa finem Junii Parisios reversi sunt; revera Junii* 17 *adhuc absentes erant* (*vid. infra*).

6. *Agi videtur de* abbate S. Eligii Noviomens. *Vid.* Chartul. IV.

7. *Hic usus antiquus distincte explicatur. Vid. tamen* Chartul., III, p. 570, *circa finem.*

8. *Nat. Picard. An.* 1425 *est can. S. Gudale Bruxellen., et in utroque jure licent.* (Suppl. Mart. V, n° 183, *fol.* 126.) *An.* 1432 *ut utr. doctor, cancellarius Brabantiae et praepos. eccl. S. Gertrud. Nivellens. Leod. dioec. occurrit* (Suppl. Eug. n° 273, *fol.* 66 b).

9. *In ms^to^ spatium.*

10. *Saltem tres epistolas cum privilegiis* Johannis XXIII *tunc temporis magistri Paris. receperant; de una* (*an.* 1413, *Martii* 13) *jam supra* p. 135, *not.* 4 *locuti sumus; reliquae* (*una ad Gersonem cancellarium, April.* 1 *ejusd. an., altera ad episc. Paris., ejusd. temporis notae*) *de facultate absolvendi Parisiis, et de causis suppositorum Parisiis disceptandis, agunt. Vid.* Bul., V, 226, *sq., et* Chartul. IV.

11. Joh., dom. de Heilly, *familiaris ducis Burgundiae cum quibusdam illos seditiosos, qui tunc temporis praepositum antiquum,* Petrum des Essarts *in villa S. Antonii obsidione cinxerunt, in agendis consilio dirigebat. Vid.* Chron. du rel. de St Denys, V, 12; Coville, *l. c.*, p. 186, *In* Arch. nat. Par., M 65 b n° 63, *ep. Universitatis ad illum dominum. Hoc anno interfactus est.*

12. *De ea relatione nihil invenimus. Fortasse agitur de propositione* Eustachii de Pavilly, *mag. theol. Ord. Carmel. Vid.* Monstrelet, II, 352.

multe supplicaciones sunt facte et omnes concesse.

Facta congregacione facultatis artium apud Sanctum Julianum 17ª die Maii super duobus articulis. Primus ad audiendum juramenta bachalariorum examinatorum et licenciandorum, et an placeret quod due addiciones insimul essent licenciate et in cameris examinate tamquam una. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Primus placebat toti facultati; de secundo nullus supplicavit. Et posuit procurator nacionis substitutum magistrum Georgium Fridekker ex deliberacione predicte nacionis in eadem congregacione.

1413

Acta in substitucione magistri Georgii Fridekker de Norenberga.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Halis sub magistro Johanne Cranach, cujus bursa VI sol.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXIª die mensis Maii super duobus articulis. Primus articulus fuit ad avisandum modum circa solucionem bursarum unius magistri incepturi in artibus, qui pro tunc non habuit pecunias suas Parisius, ut posset solvere bursas, et idem bacularius in eadem congregacione supplicavit, ut nacio vellet sibi expectare. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum placuit nacioni exspectare predicto baculario de solucione bursarum, dummodo tamen poneret sufficientem caucionem circa recepcionem ad determinatum tempus. Quoad secundum nullus supplicavit.

Item incepit dominus Guillelmus Rollo sub magistro Guillelmo de Lochem cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Johannes de Halis sub eodem, cujus bursa VI sol.

Item licenciatus fuit dominus Isbrandus Theodrici sub magistro Heinrico Gorkam, cujus bursa II sol.

It. lic. fuit dom. Gobertus Makbraier sub mag. Johanne de Cranach, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Heinricus Barut sub mag. Heinrico Gorkam, cujus bursa II sol.

(*Fol. 55ᵇ*) Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum die XXVª mensis May super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum requestam magistri Jacobi de Harlam, religiosi de Sancto Dyonisio [1]. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum requesta magistri predicti erat, ut nacio vellet perhibere testimonium de magisterio predicti magistri et de inrotulacione tempore Alexandri ejusdem magistri, et quoad hoc nacio protestabatur de magisterio et inrotulacione predicti magistri; eciam quoad hoc nacio deputavit aliquos magistros qui pro tunc habebant adire dominum rectorem ad certificandum ipsum de inrotulacione et magisterio ejus magistri prenominati, et ita factum fuerat. Quoad secundum articulum supplicavit dominus procurator pro tunc pro littera testimoniali magisterii unius magistri de nacione, nomine Ulrici Deychsler. Et quoad hoc nacio concessit supplicacionem pro predicto magistro in forma communi.

Facta congregacione *nacionis Almannie* apud Sanctum Maturinum die XXVIª mensis May ad requestam unius licenciati in artibus, qui nondum compleverat actus ad gradum bacularialus [2], et erat requesta ejusdem bacularii ista, ut nacio vellet secum dispensare, ut posset incipere, viso quod coactus fuit ad recedendum et in via impeditus taliter quod non poterat venire debito tempore, ut actus suos compleret. Et quoad hoc placuit nacioni dispensare et de facto dispensavit cum predicto licenciato, ut posset incipere, sub tali tamen condicione, ut promitteret in nacione, quod poneret unum subdeterminantem, qui compleret actus suos. Et ita ipse promisit in eadem congregacione [3].

Item incepit dominus Isbrandus sub magistro Heinrico Gorkam, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Heinricus Barut sub eodem, cujus bursa II sol.

1413

(*Fol. 56*) Acta in procuratoria magistri Henrici Vaeck de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud

1. *Ordinis S. Ben. et quidem in monasterio S. Dionysii. Ex infra dictis ad an.* 1417, *Jul.* 17, *concludere quis posset, ipsum non eumdem esse atque illum, cujus alias semper mentio fit, et qui fuit debitor nationis.*

2. *I. e. actus determinantiae non complevit, et tamen licentiatus est. Nominabatur* Henricus Barut, *qui non inter determinantes inscriptus est.*

3. *Hac ipsa die* Ordinatio *dicta* Cabochienne, *in* 258 *art. divisa, pro regno reformaudo, coram rege suoque consilio, deputatis villae Paris. et Universitatis Paris. lecta et promulgata est* (*vid.* L'ordonnance cabochienne, *publ. par* A. Coville, 1891; Ordonn. des rois, X, 70; Recueil général des anc. lois franç. *par* Jourdan, *etc.* VII, 283). *Nomina eorum qui composuerunt* Ordinationem *vid. in* Journal de Nicolas de Baye, II, 86 (*inter quos etiam famosus* Petrus Cauchon), *de Ordinatione ipsa vid.* Coville, Les Cabochiens, p. 209, *sqq.*, 224 *sqq.* Cf. p. 152, *not.* 2. *Sept.* 5, *revocata fuit. Vid.* Coville, *l. c.*, p. 378, *sq.*

Sanctum Maturinum anno Domini M°CCCC°XIII°, IIª Junii super duobus articulis. Primus quidem erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum vero ad primum erat concorditer in procuratorem electus magister Henricus Vaeck, etc. Quantum vero ad secundum supplicavit antiquus procurator alias substitutus, ut in actis per ipsum haberetur gratus, etc. cujus supplicacioni annuit nacio. Supplicavit insuper magister Henricus Gorichem pro quodam notabili supposito nacionis laico, volgariter Manfort nominato, ut pro illo coram Universitate et apud alios principes, si opus fuerit, vellet intercedere, eumdem recommendando in factis per magistrum prefatum nacioni tunc temporis lacius declaratis, cujus supplicacio eciam fuit concessa. Ultimo supplicavit magister Henricus Barut pro littera testimoniali gradus magisterii in forma communi, cui nacio simpliciter annuit.

Item incepit dominus Guillelmus Spa[l]dyn[g] sub magistro Thoma de Lyn, cujus bursa VI sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M°CCCC°XIII°, die XVIIª Junii, super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum compotum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum computavit magister Henricus Gorichem receptor nacionis tam de receptis quam de misiis, sic quod defalcatis misiis remanent nacioni tam in vadiis, tam in debitis quam eciam in pecunia numerata centum octoginta una libre, decem et novem solidi et VIII denarii. Circa secundum articulum tactum erat unum, videlicet qualiter anno elapso *mortui erant multi magistri nacionis Anglicane* [1], *ad minus VI vel VII*, et cum non fierent exequie pro aliquibus particulariter, ut nacio circa hoc vellet ordinare reverenciam animarum. Quocirca deliberavit nacio sepedicta, ut fierent in brevi vigilie et missa de *Requiem* nedum pro animabus illorum, ymmo pro animabus omnium magistrorum defunctorum nacionis et universaliter omnium. Quoad secundum articulum supplicaverunt domini bedelli, ut nacio ipsis vellet in aliqua summa providere, viso quod annus iste fuit satis sterilis; quod concessum est primo pro Boemundo, secundo pro Mathia absente pro tunc in legacione [2] et tertio pro Hermanno [3], videlicet isto modo : concessa enim erant domino Boemundo VIII, Mathie VI et Hermanno quatuor scuta, etc.

(*Fol. 56* b) Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die IXª Julii, super duobus articulis. Primus quidem ad avizandum et remediandum de hoc quod rector [4] nolebat quoquo modo convocare Universitatem, viso tamen quod sufficientia erant puncta propter que merito convocasset. Secundus quidem super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum sciendum est quod naciones venerabiles Picardie et Normanie eadem die et hora super eisdem fuerant congregate ad providendum, videlicet de remedio oportuno, super quo quidem articulo erat iste modus, scilicet quod requisito rectore et rennuente, per tres procuratores trium nacionum prescriptarum fieret convocacio Universitatis [5], quod et factum erat. Secundus erat super supplicacionibus, etc., in quo nulle erant supplicaciones expediende.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXª Julii super tribus articulis. Primus quidem erat ad eligendum unum *nuncium* iturum una *cum aliis ambaxiatoribus Universitatis* ad Pontizaram [6], ubi congregati erunt domini Francie, scilicet dominus rex Cicilie [7], dominus Biturie, dominus Burgundie, dominus Aurelianensis, dominus Borbonii, comes Alançonii et multi alii principes et domini super confirmacione pacis ac super bono regis et regni. Secundus erat super providendo eidem nuncio de sellario et stipendiis suis. Et tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum erat electus in nuncium seu ambaxiatorem nacionis antedictus [8] magister Jacobus [de] Harlem. Quoad secundum deliberavit nacio sepedicta quod quidquid prefatus nuncius in necessariis legacionem tangentibus exponeret, nacio de pecuniis suis sibi solveret. Quoad tercium non erant aliqui supplicantes.

1. *Verisimiliter etiam tunc* Gerardus Snavel. *Vid. infra ad an.* 1415, *Januar.* 16.
2. *Scil.* in Concilio Romano.
3. *Substituto subbedelli.*
4. Johannes de Monteleonis, *nat. Gallic., ut apparet ex* Opp. Gersonis, V, 54, 55. *Perperam* Bul. *in* Nomenclatura, V, 920, *affert* Henricum Gorkam. Joh. de Monteleonis, *presb. Lingon. dioec., ad an.* 1418 *occurrit ut licent. in theol. et ducis Burgundiae eleemosinarius* (Suppl. Mart. V, n° 110, *fol.* 145 b). *Tunc aspiravit ad canon. eccl. Belvac.*; *an.* 1420, *Jan., jam ut defunctus et possessor par. eccl. de Montebarro Lingon. dioec. affertur* (ibid., n° 131, *fol.* 153).
5. *Ex quo jam concludendum erat, a Junii* 23 *usque Octob.* 10, *quemdam e nat. Gallicana rectorem fuisse, minime vero unum e nat. Anglic.*
6. *De hoc congressu et de* tractatu pacis Pontizarae, *cf.* Tuetey *in not. ad* Journal d'un bourgeois, p. 34. *Ad haec vid.* Rel. de St Denys, V, 94-120; Monstrelet, II, 376 *sqq., qui tamen de legatione Universitatis reticent.* Cousinot, La Geste des nobles, *chap.* 130, p. 148, *affert* « le recteur et les suppoz de l'Université ».
7. *I. e.* dux Andegavensis.
8. *De quo supra*, 25 *Maii, ubi designatur ut rel. S. Dionysii.*

(*Fol. 57*)[1] Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum anno quo supra, die autem sexta[2] Augusti, super duobus articulis. Primus quidem ad audiendum aliqua pro bono pacis ex parte dominorum deputatorum avizata; secundo principaliter ad audiendum illustrissimum principem dominum Acquitanie, *pro tunc* Universitatem accessurum. Secundus quidem articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum dixit dominus rector avizata, videlicet qualiter Universitas laudaret processum initum et habitum die quarta ejusdem mensis per predictum dominum[3]. Quoad secundum punctum, venit illustrissimus ac potentissimus princeps dominus dux Acquitanie[4] *illo die*[5] ad congregacionem Universitatis pro tunc in Sancto Bernardo celebrata, in cujus societate seu cui adjuncti erant illustrissimi principes Biturie, Burgundie, Barrensis ac Bavarie duces una cum maxima multitudine baronum, militum et burgensium[6], qui quidem dominus sepedictus per organum cancellarii sui regraciabatur Universitati de penis et laboribus quos habuit in prosecucione pacis et specialiter tertia et quarta ejusdem mensis. Secundo supplicavit Universitati quod ipsa sine intermissione usque ad finale et totale complementum pacis vellet perseverare et ei in omnibus bonum consilium ministrare, quia ipse in omnibus juxta intencionem Universitatis conformiter voluit procedere. Cujus requeste et supplicaciones in forma concesse erant. Eciam quoad eumdem articulum regraciabant illustrissimi principes Barrensis et Bavarie duces ipsi Universitati de expedicione eorum a carceribus et a captivitate eorum[7].

Quoad alia, videlicet supplicaciones, etc. hujusmodi congregacio procrastinata erat usque ad septimam mensis prefati propter tarditatem et brevitatem temporis, etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die vero XVII° Augusti, prius quidem erat congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus punctis principalibus. Primum quidem ad prosecucionem ulteriorem et totalem ipsius pacis; et secundum super supplicacionibus, etc. Quoad primum articulum conclusum erat, qualiter minute litterarum que dirigende erant principalioribus villis regni Francie super explicacione pacis pro tunc in Universitate lecte et per ante correcte, placuerunt unanimiter nacioni in forma, similiter et toti Universitati, similiter et instructiones pro duobus ambaxiatoribus ituris ad alios dominos de quibus supra lecte erant, que et similiter in forma placuerunt[8]. n quo quidem p uncto seu articulo dictum erat per dictum rectorem de quodam magistro in artibus, pro tunc in carceribus detento, Helya nuncupato, quod Universitas discuteret an ipse esset repetendus, viso quod multi eidem imposuerant qualiter privilegia Universitatis infregisset[9]. Super quo eciam conclusum erat per nacionem et totam Universitatem isto modo, quod si infregisset privilegia nostra, Universitas eum non vellet repetere, si vero non, vellet. Tercius articulus seu punctum erat super supplicacionibus, que multe erant, non tamen ad propositum. Quare etc.

1. *Haec rubrica in ms^to^ exstat post sequentem, quae fol. 56b scripta est.*
2. *Quae erat dies dominica.*
3. *Rex* tractatum pacis de Pontizara *Universitati, Parlamento aliisque misit, ut de ipso Aug. 2 deliberarent. Universitas eadem die fuit convocata apud S. Bernardum, in qua congregatione documentum composuit, approbans* tractatum pacis, *scribendo contra* aucunes gens de très bas estatz et de plus bas sens, *qui regnum ad servitutem intolerabilem redegerunt et conspiraverunt* à la destruction de plusieurs nobles bourgeois, clers, nobles et conseilliers de la souveraine court de Partement *etc.* (*vid. documentum apud* Coville, Les Cabochiens, p. 439, n° 4). *Cabochiani et dux Burgundiae contrarii erant. Exinde Universitas a rege Aug. 3 postulavit, ut Aug. 4, quae erat dies veneris, audiretur, quod et concessum fuit* (*vid. de his omnibus* Coville, *l. c.* p. 350, 352, 354). *Aug. 4, Universitas et Parlamentum deputatos miserunt ad regem in palatio S. Pauli, et* Ursinus de Talvende, *mag. theol. sermonem fecit super* Rogate quae ad pacem sunt (*vid.* Rel. de St Denys, V, 126; Journal d'un bourgeois, p. 35; Monstrelet, Chron. II, 396; Journal de Nicolas de Baye, II, 125; Bibl. de l'Ecole des chartes, an. 1845-46, VII, 67, *sq.* Coville, *l. c.* p. 357). Tractatus *approbatus fuit, et a rege postulatum, ut illi qui per Cabochianos ad Luparam et in Castelleto detenti erant, liberarentur. De sequentibus vid.* Coville, *l. c. et* p. 362.
4. *Reginae et duci Aquitaniae* (Guyenne) *rex administrationem regni commisit* (*vid.* Rel. de St Denys, IV, 90).
5. *Per hoc tandem certus redditur dies, quo dux Aquitaniae aliique congregationem Universitatis intrabant, non* sabbato, *i. e. Aug.* 5, *ut* Juvenal des Ursins, *ed.* Godefroy, p. 264, *dixit, nec Aug. 7, ut* Rel. de St Denys, V, 132, *scribit, nec tantum* quelques jours plus tard *post Aug. 4, ut* Coville *narrat, sed Aug. 6°. Eodem die in Nostra Domina* Te Deum *cantabatur.*
6. *De hoc vid.* Rel. de St Denys, V, 132 *sqq. Certe, Universitas Paris. tunc ut potestas gubernatrix fastigium assecuta est; nunquam alias Universitas tantum honorata erat, quod* Johannes Gerson *etiam pronuntiavit* (*l. c.* p. 136).
7. *Aug. 8 pax solemniter publicata est. Cum ipsa regimen popularium dictorum* Cabochiens *finitum erat. Sept. 5 eorum Ordinatio revocatur.*
8. *Erant* mandemens royaulx, *ut* Monstrelet, II, 390, *sq. scribit,* « pour envoyer par tous les baillages et séneschaucies du royaume. » *Quam partem tamen Universitas habuerit, huc usque ignorabant.*
9. *Verisimiliter fuit cum seditiosis, de quibus supra ad Martii* 18.

1413

Acta in procuratoria mag. Johannis de Crannach.

(*Fol.* 57[b]) Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum XXV[a] die mensis Augusti anno quo supra, eisdem die ac hora facta est congregacio nacionis Anglicane in eodem loco super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Et quoad secundum articulum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio in forma est concessa. Quoad primum supplicavit magister Joh. de Crannach pro officio procuratorie, cujus supplicacio in forma est concessa ab omnibus [1].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI[a] die mensis Septembris anno quo supra super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem; secundus ad distribuendum scolas pro regentibus; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est concorditer magister Guillelmus Lochem, qui ex deliberacione et injuncto nacionis preter communia juramenta juravit facere bonam diligenciam circa vadia, ut ex eis fieret pecunia debita vel uno modo vel alio; secundo juravit procurare pecuniam debitam nacioni, quam si non obtineret, explanare causas in nacione, et hoc sepe, ut nacio de remedio provideret. Quoad secundum articulum resignarunt antiqui regentes scolas, et supplicabant pro eisdem vel melioribus, quibus concesse sunt scole, caucione tamen habita modo consueto. Quoad tercium articulum supplicavit procurator pro assistencia nacionis ad prosequendum injuriam factam nacioni in levacione serre nacionis de archa Universitatis in Navarra. Item supplicavit dominus procurator, ut ex parte nacionis supplicaretur Universitati, quatinus erga dominum Aquitanie Universitas instaret pro litteris habendis ad deliberacionem magistri Thome Adougan [2], suppositi nacionis Anglie, detenti in carceribus episcopi [3], que ambe concesse sunt. Item supplicavit antiquus receptor, ut haberetur gratus et recommendatus in hiis que bene egit, cujus supplicacio est concessa.

In quadam congregacione Universitatis celebrata apud Sanctum Bernardum supplicavit quidam ebreus [4] nacioni pro summa XL sol. paris., sicut alie naciones et facultates sibi concesserunt; cujus supplicacio est concessa; ideo scripsi cedulam domino receptori ut predictam summam sibi deliberaret.

Nomina regentium cum fidejussoribus anni M.CCCC.XIII.

M. Henricus Gorchem; fidejussor mag. Henricus Wak.
M. Guillelmus Lochem; magister Suederus.
M. Johannes de Crannach; mag. Thomas Lyn.
M. Johannes Johannis; mag. Guillelmus Spaldyn.
M. Guillelmus Spaldyn; mag. Johannes Johannis.
M. Gotfridus Kettel; mag. Georgius Fridekker.

1413

Continuatio [magistri Joh. de Crannach].

(*Fol. 58*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XXIII[a] mensis Septembris anno quo supra, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus. Quoad secundum supplicavit quod haberetur gratus, cujus supplicacio ab omnibus est concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die octava Octobris anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum nuncium pro portando rotulum [5]. Et quoad istum articulum electus est concorditer magister Johannes de Crannach. Secundus articulus erat ad taxandum quotam pro nuncio et pro inrotulatoribus; et quoad hoc conclusum est modo consueto in ultimo rotulo. Item placuit nacioni quod si summa inrotulandorum

1. *Aug.* 31 *rex Siciliae et duces Parisios ingressi sunt.*
2. *De quo jam in tom.* I. *Vid. ibid.* Indicem.
3. *Postea spatium duarum vocum.*
4. *Qui infra* (*vid. ad an.* 1415 *et postea*) Paulus *hebreus conversus et an.* 1424 Paulus de Bonafide *vocatur. Primum hic hujus hebraei mentio fit, hactenus solum sciebant, ipsum an.* 1422 *et postea Parisiis fuisse et docuisse. In* Arch. nat. Paris., M 65[B], n° 123, *designatur ut* in linguis ebrea et caldea doctor. *Revera Universitas an.* 1422 *regi Angliae exponit, in Universitate* deheant esse doctores hebrei et greci (Jourdain n° 1167 *perperam* plures sancti) et de presenti solum sit unus doctor hebreus, qui propter iniquitatem temporis vix potest victum et vestitum honeste continuare. *Supplicat ut ei* 100 *franci dentur* (*e* minuta chart. *in* Arch. Univ. Paris., *thec.* I, A. 1, s). *Alia vid. ap.* Jourdain *in* Revue des Sociétés savantes, 1863, p. 350, *et* Index chron., p. 246, *not.*, *ubi e* Richerio *ad an.* 1423 : Paulus de Bonnefoy magister et lector linguae hebraicae et chaldaicae in Univers. Paris. *Semper in miserabili statu vivebat. Vid. infra* Indicem.
5. *Istius rotuli nullibi mentio fit, neque ante Concilium Constantiense ad Johannem XXIII portatus est. Vid. infra ad an.* 1414, *Novemb*, 10, *et* 1417, *Dec. 21.*

non sufficeret pro expensis nuncii, quod nacio suppleret.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XIIII^a^ Octobris anno quo supra super tribus articulis. Primus ad audiendum compotum antiqui receptoris, qui computavit, et gratus fuit in suo computo ab omnibus. Secundus erat ad audiendum juramenta novi, qui juravit modo consueto, etiam juramenta superius tacta in sua electione. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Nullus supplicavit.

1413

Acta in procuratoria magistri Georgii Fridekker de Norenberga.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum die XXI^a^ mensis Octobris anno Domini M°CCCC°XIII super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus erat concorditer per omnes magister Georgius Fridekker de Norenberga, Bambergensis dyocesis. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus in actis per ipsum, cujus supplicacio in forma erat concessa ab omnibus. Et eciam ivimus ad tabernam, et ibi magister Johannes Cranach solvit unam libram, quia erat electus pro legato ad curiam ad portandum rotulum; protestabatur tamen quod in casu quo nichil fieret de legacione predicta, quod nacio redderet sibi predictam summam.

Congregata *nacione Almanie* apud Sanctum Maturinum per dominum procuratorem die XVI^a^ mensis Novembris anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit super facto festi nacionis, quod pro tunc infra quatuor dies erat venturum. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum elegit nacio provisores festi, scilicet magistrum Andream de Bavaria, magistrum Thomam [1], magistrum Heinricum Vack, qui una cum receptore haberent providere de festo. Eciam voluit nacio habere cantores in ecclesia ad sollempnisandum, et organistam, scilicet Heinricum de Saxonia [2]. Voluit eciam nacio invitare magistrum Heinricum Pistoris, pro tunc existentem priorem Sancti Victoris, et dominum Johannem de Buren [3]. Et voluit eciam, si essent aliqui alii doctores vel nobiles supposita nacionis Parisius, quod invitarentur ad festum nacionis. Eciam circa illum articulum tetigit dominus receptor nacionis qualiter pecunie, quas ipse haberet, non sufficerent pro festo, et ideo nacio provideret de pecuniis. Et quia pro tunc magister Jacobus Harlem tenebatur nacioni in aliqua summa, ideo voluit nacio, ut ipse solveret de illa summa receptori tantum, ut non esset defectus pro festo, et quod residuum solveret, eciam bene scito, secundum quod ipsemet dixit, et nisi in brevi solveret, nacio poneret sibi terminum ultra quem non exspectaret sibi. Quoad secundum expressit magister Gisbertus Scay qualiter esset unus magister nacionis improbus, qui in inceptione nichil solvit nacioni, quia pro tunc pauper erat; sed quia jam venit ad pinguiorem statum, ideo voluit solvere nacioni et commisit predicto magistro Scay, ut ipse ex parte ejus solveret duos francos nacioni. Et ad hoc reddit se magister Gisbertus promptum et paratum, et supplicavit nacioni, ut daret sibi quittanciam. Et quoad hoc nacio voluit sibi dare quittanciam de duobus francis, sed non voluit ei dare quittanciam, omnino absolvendo eum de solucione nacionis, etc.

(*Fol. 58* ^b^) Facta congregacione *nacionis Almanie* anno quo supra, die XXIII^a^ mensis Novembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum erat antiquus continuatus concorditer. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et av[o]atus in actis per ipsum, que supplicacio erat concessa.

1413

Continuacio magistri Georgii Fridekker.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem anno quo supra, die XVI^a^ mensis Decembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum erat antiquus procurator continuatus. Quoad secundum supplicavit procurator ut haberetur

1. *Postea spatium.*
2. *De quo jam supra* p. 4, *not.* 4.
3. Johannes de Buren *non fuit mag. theol., sed nobilis, scil.* de baronum genere procreatus, *ut legitur ad an.* 1417 *in* Suppl. Martini V, n° 101, *fol.* 48; *tunc erat can. eccl. Trajectens. et voluit praeposituram S. Mariae. Infra ad an.* 1415, *Nov.* 15, *vocatur praepos. eccl. Traject.*

gratus et av[o]atus in actis per ipsum, cujus supplicacio ab omnibus erat concessa [1].

1414

Acta in procuratoria magistri Thome de Lyn.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XIII^a mensis Januarii anno Domini millesimo CCCC^mo XIII°, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem, secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus est concorditer per omnes magister Thomas de Lyn, Sancti Andree dyocesis, provincie Scoticane. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur ratus et gratus in hiis que egit, cujus supplicacio concessa fuit ab omnibus.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die XVI^a mensis Januarii anno Domini M° CCCC^mo XIII° super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum quasdam litteras Universitati a diversis directas, qui debent reputari presentes in confectione rotuli. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni regraciari domino duci Burbonie de communicacione suarum litterarum, et laborare ad hoc, ut provideretur sibi de pecuniis [2]. Et de litteris domini ducis Lotoringie dixit nacio quod non vellet adhibere fidem parti adverse, donec audiretur; verumtamen placuit aliis de nacione, quod causa sua remitteretur ad parliamentum.

Placuit insuper nacioni favere requeste Universitatis Montis Pessulani, in hoc silicet quod vellet assistere sibi, ne privilegia sua infrangerentur, dummodo non noceret privilegiis Universitatis.

Item quidam non nominatus scripsit litteras Universitati *super ambacia mittenda ad Hispaniam*, et placuit nacioni ut mitteretur, et pecunie ad hanc legacionem reservate in usum [3] dicte ambaciate [4] converterentur, et non alibi [5]. Item rotulum Universitatis placuit celerius quo potuerit confici, et quod presentes reputarentur quicumque pro majori parte ordinarii anni currentis existerent presentes. Item quod petentes litteras presencie deb[er]ent producere testes coram quibusdam deputandis [6] ab Universitate, ne aliquo modo fraus committeretur. Et hoc de primo articulo.

Quantum ad secundum articulum concessa est suplicacio domini rectoris [7] pro litteris presencie testibus legitimis productis, et breviter omnes supplicaciones concesse sunt, dempta una, cui pro ampliori declaracione dati sunt deputati. Item facta est supplicacio rectori ut exequatur conclusionem alias habitam a facultate arcium super calculatoribus, ut dicta conclusio habeatur pro ipsis calculatoribus a tota Universitate, etc.

(*Fol. 59*) Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum, die vicesima prima mensis Januarii anno quo supra, super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua concernencia honorem et utilitatem regis et regni. Secundus fuit ad audiendum litteras duas missas Universitati, unam per

1. *Eodem die rector electus est, scil.* Joh. de Templis. *Vid. ad Jan.* 16.

2. Johannes dux Borboniae *in Aquitania contra Anglos dimicavit, de quo infra, et pecuniis indigebat.*

3. *Ms.* vusum.

4. *Ms.* ambacitate.

5. *De hac legatione Universitatis, cujus infra ad Febr.* 9 *iterum mentio fit, nihil scitur. Refertur tamen ad* Concilium Constantiae *celebrandum. Jam an.* 1412 (*vid. supra ibid. ad Novemb.* 8, *not.*) *Universitas suis legatis ad Concilium Romanum euntibus* Instructiones *dedit, in quibus inter alia continebatur:* Johannes XXIII *pro alio tempore in loco convenienti Concilium generale convocet, et* « expediantur legaciones ad Hyspaniam, Arragoniam, Scociam et ceteras regiones non obedientes et etiam ad Greciam, ut ad dictum Concilium suos solempnes ambasiatores mittant ». *Deinde Octob.* 30, *an.* 1413, *rex Sigismundus omnibus annuntiavit, anno futuro, Novemb.* 1 *consensu Johannis XXIII* Constantiae *Concilium generale inchoaturum* (Von der Hardt, Concil. Constant., VI, p. 5), *nuntiosque Parisios ad regem et ad caeteros principes christianos misit* (Rel. de St-Denys, V, 204 *sqq.*, 210). *In* Memoriali *ad Benedictum XIII narratur, Sigismundum Universitati etiam scripsisse* (Reg. Bened. Vat. n° 332, *fol.* 28 b). *Decemb.* 9 *ejusdem an.* 1413 *Johannes XXIII litteras convocatorias ad Concilium Constantiense emisit* (Mansi, Coll. Concil., XXVII, 537; XXVIII, 879; Hefele, Conciliengesch., VII, 21). *An.* 1414, *Febr.* 4, *rex Sigismundus ad Ferdinandum regem Aragoniae litteras mittit, quibus eum exhortatur ut ad istud Concilium veniat vel solemnes oratores mittat* (Döllinger, Materialien z. Gesch. des XV u. XVI Jhs., p. 371 *sqq.*). *Opinamur, istum* non nominatum, *qui Universitatem Paris. per litteras invitavit ut legationem in Hispaniam mitteret, impulsum per regem Sigismundum fuisse. Infra ad Febr.* 9 *nominatur quidam* patriarcha. *Certe non designatur ut alias Simon de Cramaud, qui ab an.* 1413, *April.* 13, *fuit cardinalis* (*vid.* Chartul., III, p. 241, *not.* 3), *sed vel* Johannes *patriarcha Antiochenus, intimus Sigismundi* (*patriarcha ab an.* 1408, *Nov.* 13, *e* Reg. Av. Ben. XIII, n° 55, *fol.* 96) *vel* Johannes de Rupescissa, *can. Paris. et utriusque jur. doctor, ab an.* 1412, *Jul.* 13, *patriarcha Constantinopol.* (Reg. Vat. Later. Johann. XXIII, n° 162, *fol.* 193). *Non multo post rex Franciae et Universitas in* Scotiam *etiam legationem miserunt. Vid. infra ad an.* 1415, *April* 5. *Et Joh. XXIII ipse* ambaxiatores misit in omnes Yspanias, in partes Alamanorum, Scotorum, Anglorum, *ut in* Memoriali *dicto ad Bened. XIII narratur, quod* Memoriale *nobis aperit statum animorum hujus temporis in Francia. Vid. supra* Introductionem.

6. *Ms.* depudandis.

7. Johannis de Templis, *nat. Gallic., ut apparet ex* Opp. Gersonis, V, 122, 372. Bul. *in sua* Nomenclatura V, 920, *perperam* Philibertus Agasse.

dominum Burbonie, aliam per archiepiscopum Lu[g]dunensem[1]. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum missi sunt ex parte cristianissimi principis regis Francorum, domine regine, domini ducis Equitanie quidam domini associati per bonam villam suam Parisiensem, qui exposuerunt Universitati per os cancellarii[2] domini ducis Equitanie, quomodo domini de sanguine regali et bona villa Parisiensis et consilium domini regis confederacionem fecerunt, sive fedus indissolubile Dei gracia inierunt ad manutenendum pacem et justiciam inter se et ad alios sub quacumque differencia, adjungentes quod si aliqui vellent contraire pacem juratam, eciam quicumque sive cujuscumque condicionis, omnes unanimiter insurgerent contra illum vel illos, donec reducerentur ad obedienciam regalem, et hoc *via juris*; et si taliter procedere non possent, *de facto* contra tales procederent[3]. Requirebant ulterius, quod Universitas scriberet litteras conformes litteris regiis[4] ad manifestandum istud fedus initum per totum regnum Francie et bonam affectionem quam habent dominus rex, regina, dux Equitanie et bona villa Parisiensis ad pacem. Secunda requesta fuit quod obloquentes contra pacem, qui sunt de gremio Universitatis[5], punirentur juxta modum et formam alias conclusam. 3ª supplicacio fuit quod Universitas celebraret processiones, sermones, ad commovendum populum ad pacem et justiciam et obedienciam; et super hiis deliberavit nacio Anglicana per hunc modum. Regraciabatur nacio domino regi, domine regine, domino duci Equitanie, dominis missis ad Universitatem nomine ipsorum et bone ville Parisiensi de bona affectione quam habent ad pacem et ad justiciam manutenendam, et congaudebat summe de federe inito. Annuit requestis tribus in forma, adjungens quod debeam requirere dominum rectorem ut requireret episcopum Parisiensem, ut ad minus de qualibet domo bone ville Parisiensis una persona constringeretur ad sermonem Universitatis pervenire, auditura ea que dicturus esset doctor secularis sermocinans ad honorem regis et regine et bone ville Parisiensis. Et hec fuerunt deliberata circa primum articulum.

Quantum ad secundum articulum regraciabatur nacio Deo omnipotenti de victoria obtenta[6], consequenter domino duci Burbonie, fratri suo[7], aliis dominis qui cum ipsis erant de bona affectione, quam ad honorem et utilitatem regis et regni habuerunt et habent. Placuit eciam nacioni laborare omnibus viis et modis possibilibus, ut pecunia dicto domino duci transmitteretur[8], ne defectu pecunie opus inceptum succumberet. De litteris archiepiscopi dicebat nacio, conformiter ad alias naciones, scilicet quod archiepiscopatus maneret indivisus et quod scriberetur bono modo domino pape quod placeret sibi supersedere de ista materia[9]. Et hec fuerunt deliberata circa secundum articulum.

Quantum ad tercium articulum fuit nacio conformis aliis nacionibus, annuens omnibus supplicacionibus factis pro tunc; addit tamen quod nollet reiterare alias deliberata circa testes producendos in congregacione facta apud Sanctum Maturinum die XVIª mensis Januarii, anno quo supra, etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum Pauperem anno quo supra, die vicesima sexta mensis Januarii, ad audiendum juramentum novi temptatoris. Et super hoc deliberavit nacio sic: placuit ei audire ejus juramentum, et regraciabatur nacio domino cancellario Sancte Genovefe super provisione facta tanto viro et in officio alias approbato.

(*Fol. 59ᵇ*) Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die prima mensis Februarii anno a Nativitate Domini quo supra, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum tres requestas factas ex parte regis, regine et domini ducis Equitanie, quarum

prima fuit hec, ut cum ambaciata domini regis et

1. *Semper adhuc* Philippum de Turreyo, *quamvis Johannes* XXIII, *an.* 1410, *Junii* 30, *Guillelmum de Challant a sede Lausanens. ad Lugdunens. et Philippum ad Narbonens. transtulisset* (Arch. Vat. XII, 121, p. 32).

2. Johannis Juvenalis.

3. *Hoc juramentum, factum contra ducem Burgundiae, Januarii* 16, *jubente regina, ad castrum Luparae praestiterunt, praesentibus etiam quibusdam Universitatis. Vid.* Rel. de St-Denys, V, 234. 236. *Tenor juramenti supra magis explicite refertur.*

4. *Hoc factum hucusque ignorabant.*

5. *Vid. supra* p. 147, *not.* 5. *Inter Dec.* 13 *et Jul.* 28 *an.* 1414 *multi* Cabochiens *relegati sunt. Adhuc supersunt nomina* 105 *personarum. Vid.* Douet-d'Arcq, Pièces du règne de Charles VI, t. I, 367-369. *Maii* 14 Petrus Cauchon, Eustachius de Atrio, Dominicus Francisci, Nicolaus de S. Hilario, *et postea alii relegati sunt. Ut paene omnes caeteri, sic ipsi ad ducem Burgundiae fugerunt* (*vid.* Coville, p. 398). Petrus Cauchon *ambassiator ducis Burgundiae in Concilio Constant. fuit. Cf. insuper infra ad an.* 1418, *Jun.* 15.

6. *Dux Burboniae victoriam ab Anglis reportavit apud villam maritimam de Soubise. Sed* Rel. de St-Denys, V, 222, *hoc factum ad finem mens. Novemb. an.* 1413, *refert.*

7. *Seu potius* filio bastardo *patris communis jam mortui Ludovici.*

8. *Ad bellum contra Anglos continuandum.*

9. *Nullibi alias invenimus, tunc temporis quaestionem fuisse, debueritne dividi* archiepiscopatus Lugdunensis. *Sane post aliquot annos de primatu Galliae agebatur, et primatus Senonensis in favorem Lugdunensis a Martino V supprimebatur.*

bone ville Parisiensis Universitas mitteret magistrum Guillelmum Pulcrinepotis [1] ad instruendum civitates ipsius domini regis et populum, conformiter ad instrucciones datas ambaciate domini regis et ville[2];

secunda fuit quod in villa Parisiensi et confinibus ejus Universitas faceret sermones ad populum ad inducendum ipsum ad pacem et ad insinuandum, quod dominus dux Equitanie non fuit incarceratus, nec scripserat domino duci Burgundie (ut asseritur) quod veniret manu armata ad eruendum ipsum de carceribus [3];

tercia supplicacio fuit, ut rector nomine Universitatis, domini decani et domini procuratores nomine facultatum et nacionum jurarent pacem conformiter ad dominos de sanguine regis et bonam villam Parisiensem et parliamentum [4].

Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum deliberavit nacio Anglicana per hunc modum : regraciabatur domino regi, domine regine et domino duci Equitanie de ambaciata missa et de bona affectione, quam habent ad pacem, et preceptis domini regis obediendo annuit tribus supplicacionibus factis.

Quoad secundum articulum concessit omnes supplicaciones, dummodo produxerint testes modo et forma alias deliberatis, etc.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum nona die mensis Februarii anno quo supra super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua concernencia statum rẹgni; secundus fuit ad audiendum aliquas litteras Universitati a diversis dominis transmissas; tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ex parte domini regis, domine regine, domini ducis Equitanie et consilii domini regis missa est notabilis ambaciata sive legacio, que exposuit Universitati quomodo consilium regis et dux Equitanie per litteras suas patentes declaraverunt, ducem Burgundie inimicum domini regis esse capitalem, rebellem et inobedientem [5], quinque formans requestas, quarum

prima fuit, ut Universitas reputaret dominum ducem Burgundie talem qualem dominus rex, domina regina et dux Equitanie per litteras suas patentes reputabant [6] et reputant, videlicet inimicum regis capitalem, rebellem et inobedientem;

secunda fuit ut ipsum talem populo in sermonibus suis predicaret;

tercia fuit ut hec acta in registris scriberentur, ut perpetue memorie commendarentur;

quarta ut rebellentes contra pacem sive obloquentes puniret Universitas;

quinta fuit ut pro rege, regina, domino duce Equitanie et ceteris dominis de sanguine regali et bona villa Parisiensi ac omnibus sibi inherentibus Deo pias preces effunderet, ut eis concederet victoriam contra inimicos suos et potestatem reducendi inobedientes regi ad veram subjectionem et obedienciam.

Et super hiis deliberavit nacio Anglicana per hunc modum : regraciabatur domino regi, domine regine, domino duci Equitanie totique consilio regali, eo quod eis placuit tam sollempnem Universitati destinare ambaciatam; et quia nacio est de regnis extraneis,. vult obedire regi in hiis que tangunt regnum suum; quapropter 5 supplicaciones concessit.

Quantum ad secundum articulum regraciabatur nacio excellentissimo principi domino duci Burbonie de communicacione suarum litterarum, et regraciabatur domino doctori qui exposuit credenciam, et placuit ut in adventu ejus [7] dominus rector eum

1. *Fuit nat. Normann. dioec. Rotomag. et mag. in theol., licent. an.* 1408, « ante festum S. Johannis », *e* Catal. licent. in theol. *Ipse etiam ad Concilium Constantiense regis Franciae ambassiator fuit* (Suppl. Martini V, n° 106, *fol.* 239). *An.* 1420 *canonicatum eccl. S. Agricoli Avenion. petebat* (ibid. n° 138, *fol.* 224 b).

2. *Vid. ad haec not. sequentem.*

3. *Dux Burgundiae, qui populum Parisiensem excitare voluit, vere inimicus homo istius temporis, Januar.* 14 *litteras direxit ad Parisienses et civitates*, comme monseigneur le Dauphin (*i. e.* dux Aquitaniae) estoit detenu prisonnier au Louvre, lequel luy requeroit sur tout l'amour qu'il avoit à luy, qu'il vint à Paris, et qu'il le vint délivrer; et [le dauphin a écrit] qu'on luy menoit la plus mauvaise vie, et n'avoit aucun passe-temps que de jouer des orgues. (Juvenal des Ursins, p. 266). *Propter hoc cum suis armatis Parisios venire simulavit. Rex, dux Aquitaniae et consilium regis hoc impedire volentes in fine Januarii* (29-31) *epistolas composuerunt portandas ad civitates, in quibus assertio ducis Burgundiae negabatur; immo asserebant, se invitis illum ducem Parisios venire* (*vid. l. c.;* Journal de Nicolas de Baye, II, 163; Rel. de St-Denys, V, 236, 238, *Alias epp. in* Chron. de Monstrelet, II, 421 *sqq.*, VI, 133 *sqq.*).

4. *Quod hactenus ignorabant.*

5. *Hae litterae Caroli regis sunt Februarii* 8 (Chron. de Monstrelet, VI, 144 *sqq.*). *Perperam* Juvénal des Ursins, *l. c.*, p. 267 « le douziesme jour de Fevrier ». *Per superius edita nota temporis* 8 Februarii *confirmatur. Dux Burgundiae interim ante Parisios venit, et tunc temporis apud S. Dionysium cum suis armatis commorabatur.*

6. *Ut ex hoc et ex antecedentibus apparet, Universitas Parisiensis ut pars principalior regni, ut membrum excellens gubernii regni, reputabatur. Tanto magis mirari debemus, apud* Bulaeum *et* Jourdain *de omnibus istis honoribus a pluribus annis Universitati Paris. impensis altum silentium esse. De damnis vero ex his honoribus Universitati illatis vid.* Introductionem. *Apparenter etiam nunc demum majore libertate fruebatur quam antea. Revera facta est* serva et subjecta, *et data occasione regia potestas in negotia Universitatis ivit. Vid. infra ad Mart.* 26 *et* 27.

7. *Scil. ducis Burboniae, cui mense Januarii dux Aquitaniae, cum timerent ducem Burgundiae Parisios venire, injunxit, ut*

visitaret, regraciando sibi de bona affec(*Fol. 60*)tione quam habet ad regem et regnum, commonens et requirens ut suam bonam affectionem constanter manuteneat.

Quantum est de littera patriarche, vult nacio ut pecunie convertantur ad usum ambaciate mittende ad Hispanias partes [1]. Quantum est de littera domini supplicantis, quod officium suum ab ipso non transferatur, donec exaudiatur, nacio remittit hanc materiam regi et ejus consilio.

Quantum est de articulo supplicacionum, supplicaciones omnes concessit, preterquam supplicacionem unam, quam propter rebellionem duorum magistrorum deputatis remisit declarandam.

1414

Acta in continuatione magistri Thome de Lyn.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum X[a] die mensis Februarii anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat super novi procuratoris electione vel antiqui continuacione; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer ab omnibus continuatus est antiquus. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus in actis suis tempore procuratorie sue, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XVI[a] mensis Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum temptatores bachalariorum et menses distribuendum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electi sunt quatuor temptatores bachalariorum more consueto, scilicet dominus receptor, antiquior non regens et duo seniores regentes, et voluit nacio propter defectum domini receptoris quod, antequam [2] temptarent, procuratori prestarent juramenta consueta. Quantum est de distribucione mensium, voluit nacio quod procurator et receptor debeant menses distribuere antiquioribus ad omne minus pro solidis tribus, junioribus pro solidis quatuor, ita tamen quod antiquiores junioribus debeant preferri. Quoad hoc, scilicet quod senior mensem obtineret pro III solidis, juniore volente exhibere quatuor. Statuit ulterius nacio quod dominus receptor unam libram parisiens. effunderet domino Benmundo dicte nacionis bedello, quam concesserat nacioni in absencia dicti receptoris pro convivio celebrando, quam quidem libram recipiet ab hiis quibus menses distribuentur, lucrum vel dampnum burse nacionis juxta suam consciencjam et juramentum alias prestitum fideliter imponendo. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit, etc.

(*Fol. 60*[b]) Incipiunt nomina determinancium in procuratoria magistri Thome de Lyn anno Domini M° CCCC^{mo} XIII°.

In primo determinavit dominus Johannes Custodis [3], dioc. Coloniens., sub magistro Henrico Gorkam, cujus bursa VI sol.

Item determinavit dominus Gerardus de Spina, Trajectens. dyoc., sub magistro Guillelmo Spaldyn, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Jacobus Skrymmegeour [4], Brechenens. dyoc., sub mag. Johanne Crannak, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Wernherus Trehssler, dyoc. Basiliens., sub mag. Henrico Gorkam, cujus bursa V sol.

It. det. dom. Thomas Lawedre [5], S. Andree dyocesis, sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Alardus de Gronynghen, Trajectens. dyoc., sub mag. Guillelmo Locham, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Guillelmus Clerici, Brechinens. dyoc., sub mag. Johanne Crannok, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Arnoldus de Novimagio, Coloniens. dyoc., sub mag. Gillelmo Locham, cujus bursa VII sol.

It. det. dom. Johannes Blont, S. Andree dyoc.,

cum suis pugnatoribus ex Aquitania Parisios accederet (Rel. de S[t]-Denys, V, 236). *Jam mense Februario Parisios venisse, hucusque ignorabant.*

1. *Vid. supra ad Januar.* 16. *De* patriarcha *vid. ibid.*

2. *Ms.* antiquam.

3. De Attendorn, mag. art. multorum annorum, *an.* 1419 Coloniae *intit.* (KEUSSEN, Matrikel, I, 165).

4. *Scribendum* Skyrmegeour (*vid.* Concil. Scotiae, I, p. CIV, *not.* 2). *An.* 1430 Jac. Scrimegeoire, *decan. eccl. Aberdonnens., jam defunctus* (Suppl. Mart. V, n° 248, *fol.* 215), *et David Hamilton, tunc decan. Glasguens., decanatum Aberdonens. obtinere tentavit. Verisimiliter frater fuit* Roberti Skyrmegeour, *qui nobilis et regis Scotiae consanguineus fuit* (Suppl. Eug. IV, n° 290, *fol.* 127 b, *et passim*).

5. *Ut plerique Scoti Parisiis studentes illegit. natal., an.* 1432 *canon. Aberdonens. fuit, secretarius et commensalis regis Scot.* (Suppl. Eug. IV, n° 271, *fol.* 87, 165).

sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa quatuor albi.

Item subdeterminavit dominus Paulus Clamatoris sub magistro Gillelmo Locham, cujus bursa nichil.

1414

Acta in continuacione magistri Thome de Lyn.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die Xª mensis Marcii, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel antiquum continuandum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus; quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus in hiis que egit nomine nacionis, cujus supplicacio ab omnibus concessa fuit.

Facta [1] congregacione nacionis Anglicane die XXIIIIª mensis Marcii anno quo supra apud Sanctum Julianum post prandium, ad audiendum intrantem [2] super hiis, que facta fuerunt in conclavi super novi rectoris electione. Et narravit idem intrans quod, postquam quatuor intrantes Francie, Picardie, Normanie et Anglie nacionum sua sigillatim, ut moris est, recomendassent supposita multis verbis interpositis, tandem (ut asserit intrans Anglie) intrans Francie dixit intranti Normanie : « Ego do vobis pro magistro Johanne Lamberti », cui intrans Normanie respondens dixit : « Et ego accepto. » Hiis factis intrans Picardie dedit intranti Anglie pro seipso. Quo facto surrexerunt intrantes Francie et Normanie, quorum unus ad hostium pulsavit [3]. Deinde intrans Anglie surrexit velociter et animo ferventi, ut pulsaret ad hostium. Videntes hoc intrantes Francie et Normanie, timuerunt valde ne rector [antiquus] eis consentiret. Quocirca commutaverunt voces eorum, et dixit Gallicus Normano : « In casu quo non possem proficere vobiscum pro magistro Johanne Lamberti, detis michi pro magistro Johanne de Landa. » Cui respondit : « Volo [4]. » Tandem superveniens rector [5] magistrum Johannem de Landa in rectorem Universitatis elegit, quamvis dictum fuerat domino antiquo [6], quod non poterat ipsum eligere, per intrantem Picardie. Hiis auditis deliberavit nacio (*Fol. 61*) Anglie per hunc modum. Non videbatur nacioni secundum relacionem intrantis sui quod debite fuerat processum in electione rectoris, et maxime quod illo officio fungeretur magister Johannes de Landa. Et ob hoc voluit nacio, ut prefati quatuor intrantes narrarent fideliter secundum consciencias suas ea que gesta erant in conclavi, et ut facultas artium inde deliberaret, utrum dictus magister Johannes de Landa juste fuisset electus in rectorem secundum statuta. Requisivit eciam me nacio, ut requirerem antiquum rectorem, ut intrantes in facultate audirentur. Sed ipse recusavit dicto electo presente, sed duabus nacionibus Picardie et Anglie se opponentibus, fecit magistrum Johannem de Landa jurare juramenta que debet jurare novus rector, que tamen nullus audivit propter tumultum. Et sic nescitur utrum complete jurav[er]it vel non. Inde Gallici et Normanni cum magno strepitu exierunt ecclesiam Sancti Juliani et associaverunt dictum Johannem de Landa usque ad domum suam, duabus nacionibus, scilicet Picardie et Anglie, in ecclesia Sancti Juliani remanentibus et spretis turpiter, ut videbatur.

Facta est eadem die post exitum electi congregacio nacionis Anglie, quid agendum esset super hiis. Et conclusit nacio pro tunc, quod esset congregacio differenda usque ad diem sequentem, que fuit XXVª die mensis Marcii, anno quo supra, ut congregatis magistris in magno numero concluderent, quid agendum esset super materia pretacta.

Facta congregacione nacionis Anglicane die XXVª mensis Marcii anno quo supra in Sancto Juliano ad videndum, qualiter esset procedendum in materia pretacta. Et deliberavit nacio pro tunc quod electio facta die precedenti in personam magistri Johannis de Landa nulla fuit, et hanc voluit nacio tenere conclusionem, quousque terminata esset per illos ad

1. *In margine* nota bene.

2. *Ex parte nationis Anglicanae, qui fuit, ut e sequentibus liquet,* Johannes Crannoch; *intrans tunc temporis raro procurator nationis fuit. Vid. infra ad an.* 1417, *Mart.* 24.

3. *Quando electio rectoris a duabus partibus controversa erat, hoc modo antiquus rector vocabatur, ut conclave ubi intrantes litigantes erant intraret, et in aliquem electum « descenderet ». Ad rem legitur in* lib. proc. nat. Gallic. *ad an.* 1450, *Novemb.* 18, *quod* secundum ritum et formam statuti de electione rectoris facti, quando sunt duo intrantes qui unum rectorem eligunt, et duo alii alium, rector habet intrare et eligere illum duorum electorum, quem sciverit secundum Deum et conscienciam esse utiliorem pro Universitate, juramentis ad hoc specialiter ordinatis per ipsum rectorem in manibus procuratoris nationis Francie factis. *Rector antiquus deinde cum intrantibus inclusus est, et omnia indagavit deindeque litem dirimebat. Vid.* Chartul., I, p. 577; II, p. 26; 682, nº 21.

4. *In superioribus bene describitur, quomodo electio rectoris facta sit, quae narratio* Bulaeum *in suo libro* Remarques sur la dignité du Recteur (*Paris,* 1668) *omnino fugit. Quaedam supplentur e relatione infra ad an.* 1450, *Mart.* 26.

5. *Antiquus, scil.* Joh. de Templis. *Vid. supra* p. 161, *not.* 1.

6. *I. e.* rectori antiquo.

quos spectaret secundum formam statutorum. Item de facto appellavit a gravamine illato per illos, per quos hujusmodi electio facta fuit, et eciam a rectore tunc temporis de modo procedendi in audiendo juramentum illius, qui dicitur noviter electus, attento quod erant due naciones se expresse opponentes suo juramento et sue acceptacioni, quousque intrantes fuissent auditi publice, et quousque totum fuisset terminatum per illos ad quos spectaret secundum statuta.

Item appellavit nacio pro se et omnibus sibi volentibus adherere in hac materia a predicto injuste electo, inhibens omnibus suppositis suis, quatinus taliter electo in nullo obedirent sub pena privacionis, quousque discordia orta inter naciones terminata esset per illos, ad quos spectaret secundum statuta.

Item placuit nacioni dare instrumentum venerabili nacioni Picardie de conjunctione et unione in prosecucione istius negocii, quousque etc., et simile instrumentum placuit nacioni Picardie dare nacioni Anglie et sub eadem forma.

Item placuit nacioni, ut procurator cum quibusdam deputatis adiret decanos superiorum facultatum et procuratores nacionum ad intimandum eis omnia conclusa. Et de hiis omnibus petebat nacio sibi fieri instrumentum unum vel plura, si opus adesset.

(*Fol. 61*[b]) Executis istis per procuratorem et deputatos, die XXVI[a] mensis supradicti, tandem sedentibus procuratoribus Picardie et Anglie cum aliis deputatis in Jacobitis, supervenit cliens armorum regalium requirens dictos procuratores, ut ad cancellarium domini ducis Equitanie, associatum aliis dominis ex parte domini regis in venerabili collegio Cerbone expectantem, eis placeret accedere. Jussui domini regis dicti procuratores obtemperantes ad dominos pretactos venerunt, eis ut decuit reverencias exhibendo. Unus tamen illorum nomine regis hec verba in sentencia dixit : « dominus rex omnem diligenciam et laborem apponit, ut in regno suo pax et justicia dominentur ; verumptamen intellexit idem dominus rex et sufficienter informatus, quod nonnulli de Universitate, scolarium seductores, pretendunt magistrum Johannem de Landa non esse canonice electum in rectorem, quamvis regi constiterit oppositum. Ideo idem dominus *rex precipit, et nos nomine ipsius, ut eidem electo obediatis tanquam rectori canonice electo*[1] ». Hiis auditis de licencia dominorum supradictorum dicti procuratores cum deputatis se ad partem traxerunt, ut eis responderent. Et brevi consilio habito unus Picardus, bacalarius in theologia, nomine procuratorum respondit, dicens quod dicte naciones semper fuerunt preceptis regis obedientes, sed de requesta regis et precepto, dixit quod domini procuratores jam miserunt bedellos ad convocandum magistros die sequenti in hora eliketi[2] in Sancto Juliano per juramentum, et ipsis congregatis dicerent ea que nomine regis eis fuerant explanata. Sed unus nomine regis respondit dicens : « Precipio vobis nomine regis, ne faciatis congregaciones, quia rex crastina die est expositurus magis ardua, et si temptaveritis facere oppositum, credatis, prepositum Parisiensem[3] venturum, qui manu armata capiet quos reperit et ducet ad Castelletum punituros secundum dimerita ». Hiis dictis omnibus aliis fugientibus, soli remanserunt procuratores Picardie et Anglie, a quo tamen procuratore Picardie sumpta licencia procurator Anglie domum cubiturus adivit, quia nox.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCCC[mo] XIIII°, die XXVII[a] mensis Marcii apud Sanctum Julianum Pauperem, ad videndum quid esset ulterius in materia agendum, et similiter [ad] intimandum ea que nomine regis essent precepta. Et super hiis deliberavit sic nacio, ut ego procurator et magistri adiremus ecclesiam Bernardistarum, et non intraremus congregacionem donec domini venientes ex parte regis intrarent, et recedentibus illis, ad ecclesiam reverteremur ad deliberandum. Voluit eciam nacio, ut iremus ad Sanctum Maturinum ad dominum decanum facultatis theologie ad requirendum ipsum, ut daret nobis judices nostros secundum formam statuti. Et quantum ad hoc nolebant nos ibidem audire, sed dixerunt quod domini procuratores adirent congregacionem Universitatis et proponerent ea que vellent, et deliberacione habita responderent. Intrantibus dominis missis ex parte regis congregacionem Universitatis, subsecute sunt due naciones Picardie et Anglie, procuratoribus Francie et Normanie sedentibus versus dexteram taliter electi, alii ad sinistram. Domini preceperunt, ut ex parte regis omnibus discordiis et injuriis pretermissis, due naciones Picardie et Anglie taliter electo tanquam rectori Universitatis obedirent. Nominaverunt ulterius quinque magistros venera-

1. *Incredibile auditu ! Sed hoc paradoxon in historia Universitatis* necessario evenit *e persona quam Universitas in regno Franciae et coram regia potestate gessit. Hoc factum, hactenus ignotum, bene notandum est. Potestas regalis jam pedibus subjecit dominium Universitatis. Post triginta annos commissarios elegit ad reformandam Universitatem.*

2. *Ms.* eleketi.

3. *Tunc* Andream Marchant.

biles dominos, de nacione Francie scilicet magistrum Dominicum Parvi [1] et magistrum Dominicum Cha[i]lon [2], de nacione Normanie duos, de nacione Anglie unum, *quos preceperunt, ut illa die ante occasum solis de villa recederent Parisiensi* [3]. Hiis dictis domini missi nomine regis recesserunt. Et due naciones iverunt ad ecclesiam Bernardistarum ad deliberandum quid super hiis essent facture. Deliberantibus tandem magistris supervenit (*Fol. 62*) magister Johannes Crenak [4], qui supplicavit, quod nacio vellet sibi assistere habendo ipsum ratum et gratum in omnibus que fecit in processu electionis rectoris talis, et quod nacio sumeret factum suum sicud factum proprium, cujus supplicacio in forma fuit concessa. Et eodem modo dixit nacio de omnibus qui se intromiserunt de dicta materia, sive essent nacionis Picardie sive Anglie. Tandem conclusit nacio quod domini procuratores Anglie et Picardie adirent facultatem theologie petituri judices ordinatos secundum statuta, qui debeant terminare istam discordiam [5], et deinde visitarent facultatem decretorum. Et ista fecerunt domini procuratores. Et in presencia facultatum petebant super hiis sibi fieri instrumenta, eadem namque die auditi sunt quatuor intrantes in congregacione Universitatis, et deinde deliberavit dicta Universitas obediendum esse taliter electo tamquam rectori et inobedientes dixit se velle privare [6], etc.

Facta eadem die apud Sanctum Maturinum post prandium congregacione nacionis Anglicane, quid agendum esset in hac materia, viso quod dominus rex preceperat, quod nacio obediret taliter electo et quod Universitas conclusit quod esset rector, deliberavit nacio quod obediendum esset preceptis regis et Universitati; sed quia jam fuit obligata cum venerabili nacione Picardie, non possent magistri aliquid facere sine ipsorum Picardorum consensu, et ideo voluerunt quod congregacio fieret die sequenti in Sancto Juliano, ut ambe naciones simul deliberarent quid esset super hiis agendum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum Pauperem anno quo supra, XXVIII^a die mensis Marcii, hora VIII^a, nacione Picardie eisdem hora et loco congregata ad videndum quid esset agendum, attento quod rex taliter electo preceperat obedire et Universitas conclusit ipsum esse juste electum : super hiis deliberaverunt naciones concorditer quod obediendum esset visis predictis pro bono pacis. Et de ista conclusione concorditer habita, petebant singule naciones sibi fieri instrumenta, ut appareret concordia inter dictas naciones in congregacione finali, sicud in totali processu concordes fuerant [7].

1414

Continuacio magistri Thome de Lyn.

Facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel antiquum continuandum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus ; quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur ratus et gratus ac avoatus in hiis que egit nomine nacionis; cujus supplicacio fuit concessa, etc.

1414

(*Fol. 62 b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Crannach [8].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XXVIII^a die mensis Aprilis, anno XIIII° super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus est concorditer magister Johannes de Crannach in procuratorem. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, cujus supplicacio est concessa. Item supplicaverunt tres bachalarii de aliis studiis, ut

1. *De isto mag. in theol. vid. tom.* I, *et* Chartul. III.
2. *Lic. in theol. an.* 1413.
3. *Qua ex causa non dicitur. Certe accepti non erant. Tunc temporis multi relegati fuerunt* (*vid. supra ad Jan.* 21). *Sed fortasse de causa Johannis Parvi hic agitur. Gubernatores regis et regni tunc et postea, ut magistri an.* 1418 *scribunt, Universitatem tenebant subjectam et servam et plerumque plura notabilia supposita a Parisiis proscripserunt et banniri fecerunt* (Bul. V, 332). *An.* 1416 « on fit commandement de par le roy à plus de quarante notables hommes de l'Université, que ce jour ils vidassent la ville sur peine de perdre corps et biens » (Juvénal des Ursins, *ed.* Godefroy, p. 328). Dominicus Parvi *tunc cantor Carnot. fuit* (Reg. Lat. Joh. XXIII, n° 151, *fol.* 289 b), *et Maii* 11, *an.* 1414, *archidiac. Metens.* (n° 168, *fol.* 96). *Inter Normannos fortasse fuit mag.* Johannes de Dulci Mesnillo. *In cit. epist. an.* 1418 *magistri loquuntur de* 30 *notabilibus nationis Picardorum. Vid. etiam epist. Burgundi an.* 1416, Opp. Gerson. V, 657.
4. *I. e.* Crannoch, *qui fuit intrans nationis in electione rectoris.*
5. *Vid.* Chartul. I, n° 492.
6. *Proindeque* Johannes de Landa *rector Universitatis remansit. Nihilominus* Bul. V, 920, *in sua famosa* Nomenclatura *Guillelmum de Lochem nat. Angl. ut rectorem affert.*
7. *Simile factum de dissensione in electione rectoris narratur infra ad an.* 1429, *Martio, ubi etiam agenda in electione rectoris afferuntur, quae hactenus ignorabant; praeterea an.* 1443, *Dec.* 16; 1444, *Jun.* 23; 1450 *Mart. et Decemb., ubi vid. not.*
8. *Ms. hic et postea* Crannath.

admitterentur Parisius in nacione Anglie ad gradum bachalariatus; quorum supplicacio est concessa modo consueto, scilicet solvendo jura, ut faciunt alii bachalarii de nacione.

Isti sunt bachalarii in aliis studiis admissi per nacionem ad gradum bachalariatus Parisius:

Marsilius Schontal [1], cujus bursa VII sol. par.
Andreas Ryesman [2], cujus bursa III sol. par.
Mathias de Hassia [3] cujus bursa nichil.

Nomina licenciatorum pro isto anno M° CCCC^mo XIIII.

Licenciatus est primo Jacobus Scrymmegeour sub magistro Johanne de Cranach, cujus bursa VIII s. par.

It. lic. est Johannes Wenk sub mag. Willelmo Lochem, cujus bursa VI sol. par.

It. lic. est Marsilius Scontal sub eodem, cujus bursa VII sol. par.

It. lic. est Johannes de Zutfania sub eodem, cujus bursa V alb.

It. lic. est Andreas Ryesman sub eodem, cujus bursa III sol. par.

It. lic. est Georgius Herrenberg sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dominus Gillelmus Clerici sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa VIII sol. par.

It. lic. est Orthvinus Frideberg sub [Guillelmo] Lochem, cujus bursa nichil.

It. lic. est Gerardus [4] de Spina sub mag. Henrico Gorchem, cujus bursa VII sol. par. [5].

(*Fol. 63*) Nomina incipiencium in artibus hoc anno.

Primo incepit Jacobus Scrymmegeour sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa VIII sol. par.

It. incepit Johannes Wenk sub mag. Gillelmo Lochem, cujus bursa VI sol. par.

It. incepit Marsilius Scontal sub eodem, cujus bursa VII sol. par.

It. incepit Johannes de Zutfania sub eodem, cujus bursa V alb.

It. incepit Andreas Ryesman sub eodem, cujus bursa III sol. par.

It. incepit Georgius Herrenberg sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. incepit Ortwinus Frideberg sub eodem, cujus bursa nichil [6].

1414

(*Fol. 63*[b]) Acta in procuratoria magistri Henrici Vaeck de Novimagio.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XIIII°, secunda Junii, super tribus articulis. Primus quidem erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus vero ad eligendum unum legatum ex parte nacionis iturum una cum aliis legatis ad dominum nostrum regem et alios de sanguine suo versus Suessionem [7]. Et tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum autem ad primum articulum erat concorditer electus in procuratorem magister Henricus Vaeck de Novimagio. Quantum ad secundum electus erat magister Johannes Crannack modo et forma, quibus electi erant alii legati totius Universitatis. Quoad tercium supplicavit magister Eduardus de Lawedre pro quodam licenciando, ut habita per ipsum caucione sufficienti nacio vellet de eo contentari quoad bursas, cujus supplicacioni nacio annuit concorditer, etc.

Item admissus est ad bachalariatum Thierricus Aurifabri, bachalarius studii Erfordensis [8], cujus bursa nichil.

It. admissus est ad bachalariatum dominus Georgius [Zeveldis] bachalarius studii Pragensis [9], cujus bursa III sol.

Item licenciatus est dominus Thomas de Lawedre sub mag. Johanne Crannach, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Theodricus Beyer de Groninghen sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa X sol.

1. *An.* 1401 Heidelbergae *intitulatus, an.* 1411 *ibid. bacc. art. An.* 1414 *ut mag. art. Heidelbergam reversus est* (Toepke, Matrikel, I, 80).
2. Andreas Ryessman de Nordlingen *an.* 1406 Pragae *ad bacc. assumptus* (Mon. Univers. Prag., I, 390).
3. *De ipso nihil invenimus.*
4. *Ms.* Geardus.
5. *Reliqua pars paginae vacat.*
6. *Reliqua pars paginae vacat.*
7. *Rex cum suis Suessionem seditiosam obsidione clausit; Maii* 21 *urbs capta est* (*vid.* Rel. de S[t]-Denys, V, 316; Journal d'un bourgeois, p. 53). *Sed jam ante Jun.* 2 *rex Suessionem reliquerat et Laudunum ingressus erat* (*vid.* Rel. *l. c.*, p. 330). *De hac legacione nihil invenimus.*
8. Tidericus Aurifabri de Northeym *an.* 1409 *Erfordiae intitul.* (Weissenborn, Acten d. Erfurter Universität, I, 87).
9. *Pragae an.* 1407 Georgius Zeborg *bacc.* (Mon. Univers. Prag., I, 396).

It. lic. est dom. Duncanus de Striling sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa V sol.

It. lic. est Arnoldus Knapensis de Novimagio sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VIII sol.

It. lic. est dom. Johannes de Badon sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa III sol.

It. lic. est dom. Mathias de Hassia sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Georgius Nuzel[1] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Wilhelmus Scut sub eodem, cujus bursa II sol.

It. lic. est dom. Conradus Giltlingen sub mag. Wil. Lochem, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Johannes de Spira sub eodem, cujus bursa III sol.

It. lic. est dom. Michael Arcuficis sub eodem, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Theodericus Aurifabri sub mag. Wil. Lochem, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Georgius Zeveldis sub eodem, cujus bursa III sol.

It. lic. est dom. Johannes Bloc sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IIII alb.

[Incipientes.]

(*Fol. 64*) Item incepit dominus Theodricus de Beyer, alias de Groninghen, sub mag. Wil. Lochem, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Wilhelmus Clerici sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Thomas de Lawedre sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Duncanus de Striling sub eodem, cujus bursa V sol.

It. inc. dom. Arnoldus de Novimagio sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Johannes de Badon sub mag. Wil. Lochem, cujus bursa III sol.

It. inc. dom. Mathias de Hassia sub eodem, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Wilhelmus Scut sub eodem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Conradus Giltlingen sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Johannes de Spira sub eodem, cujus bursa III sol.

It. inc. dom. Georgius Nuzel sub eodem, cujus bursa II sol.

It. inc. dom. Michael Arcuficis sub eodem, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Theodericus Aurifabri sub eodem, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Georgius Zeveldis sub eodem, cujus bursa III sol.

It. inc. dom. Johannes Bloc sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IIII alb.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCCC° XIIII°, die octava Julii, super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum, audito compotu ascendit summa receptoris istius anni ad centum et triginta quinque libras, decem et septem scudatos et II albos; summa vero expositorum ejusdem anni ascendit ad nonaginta septem libras et quindecim solidos et quatuor denarios. Addendo ergo recepta antiqui computi summa omnium receptorum est ducentarum librarum sexaginta octo librarum, undecim solidorum et sex denariorum, tam in vadiis quam in debitis quam eciam in pecunia numerata, et defalcando ergo exposita et misias remanent nacioni tam in vadiis quam in pecunia numerata quam eciam in debitis centum libre et septuaginta libre et sedecim solidi et II denarii. Quoad secundum supplicavit receptor havoari, et ita factum fuit, et presentavit nacioni in prompta pecunia sexaginta tres francos.

1414

(*Fol. 64*^b) Acta in procuratoria magistri Henrici Gorkam.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XIIII°, xxvj^a Augusti, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuit concorditer electus in procuratorem magister Henricus Gorkam. Quantum vero ad secundum supplicavit procurator antiquus, utputa magister Henricus Vaeck de Novimagio, ut in actis per eum vellet nacio ipsum habere gratum, recommendatum et avoatum; item cum ex parte servicii fideliter ab eo negociis nacionis impensi nonnulle comminaciones sibi fuerunt illate, supplicavit, quod nacio vellet reformare partem contra quoscumque suam personam dampnificare presumentes. Qui quoad ambas ejus peticiones

1. De Torgow, *qui supra ad an.* 1412 *vocatur de Misena.*

opcionem optinuit votivam, et ad nutum illi arridentem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die sancti Mathei apostoli super sequentibus articulis. Primus ad providendum circa officium receptorie; secundus ad audiendum compotum nacionis; tercius ad distribuendum scolas regentibus; quartus ad audiendum supplicaciones. Et supplicavit magister noster [1] magister Gwillelmus Bloc, quatenus haberetur absolutus et acquitatus a debitis quatuordecim librarum, attento quod per partes in anno immediate precedente satisfecit, prout ibidem declaravit, et hujus supplicacionem nacio concorditer concessit. Supplicavit eciam magister Guillelmus Lochem, quatenus haberetur avoatus in actis per eum in receptoria, cujus supplicacio fuit similiter per omnes concessa. Et continuavit eum, adjuncto tamen quod caucionem redderet, quociens nacio exigeret, ad summam centum librarum parisiens. Voluit eciam nacio concorditer, quatenus quilibet receptor de cetero juraret non continuari per annum sequentem, alioquin non reciperetur ad officium. De scolis autem voluit observare modum solitum. Deinde audivit eodem die compotum sed non perfecit.

1414

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima secunda [Septembris] super duobus articulis. Primus erat ad electionem procuratoris; secundus erat ad supplicaciones et injurias. Quoad primum erat continuatus idem magister Henricus, et avoatus in actis per eum. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane [8a Octobris] [2] apud Sanctum Maturinum super electione nuncii ad *Consilium generale* ex ordinacione Universitatis, *que hujusmodi electionem remisit facultatibus et nacionibus* [3] pro ista vice. Electus fuit per eandem nacionem magister Guillelmus Lochem [4] consimilibus modo et forma, quibus alie naciones elegerunt suos [5].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die octava mensis Octobris, supplicavit magister Johannes de Monasterio, viso quod necessario oportebat eum repatriare, quod juxta ordinacionem Universitatis super rotulo concluso ad curiam Romanam idem reputaretur presens, et nacio super presencia sua vellet fidem super eadem presencia plenam exhibere, quociens foret oportunum. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa.

1414

Acta in procuratoria magistri Johannis de Wael, oriundi de Vyanen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die vicesima prima mensis Octobris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus erat concorditer magister Johannes Wael. Quantum ad secundum supplicavit magister Henricus, ut in actis per eum haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio fuit concorditer concessa.

(*Fol. 65*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XIIII°, Xma Novembris, super tribus articulis. Primus ad avisandum super stipendiis nuncii ituri [6] cum rotulo; secundus super provisione festi sancti Egmondi proxime instantis; tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum consideravit nacio et presupposuit quod necessarium erat ob honorem nacionis destinare rotulum una cum aliis facultatibus et nacionibus, cum jam non solum conclusus erat per Universitatem rotulus mittendus, verum eciam prefixus erat terminus nunciis ituris, scilicet ante finem mensis dicti [7]. Consideravit insuper nacio, quod pauci inrotulandi

1. *Ipse verisimiliter hoc anno* licentiatus est in theol. *Anni* 1414 *usque* 1421 *nunc desunt in* Catal. licent. *Certe an.* 1416 *mag. theol. fuit. Vid. ibid. ad Maii* 21.

2. *Haec temporis nota eruitur e* Bul. V, 275. *Cum enim latores rotuli jam ante annum electi essent*, « rector posuerat in deliberatione, an Universitas pro Concilio esset contenta de nunciis pro rotulo portando ad summum pontificem, vel alios vellet eligere [pro Concilio] ». *Bulaeus desumpsit hoc e* lib. proc. nat. Gall. *Quia Universitas pro Concilio nuntios speciales voluit, ideo nat. Anglic. elegit suum.*

3. *Ut ex hoc sequitur, perperam a* Bess, Zur Gesch. des Konstanzer Konzils, p. 150, *asseritur, legatos non secundum facultates, sed solum secundum nationes electos esse, quod gratis affirmatur, quia nunquam evenit.*

4. Buck *in ed.* Ulrichs v. Richenthal Chronik, p. 185, *scribit* Lochein. *Adjunctum ibi* de Anglia *cave ne referas ad patriam, sed ad nationem Anglicanam. In* Arch. Vat. *vocatur* Guillelmus Kempcamp (Keencamp) de Lochem, *diacon. Traject. dioec., mag. in art., bacc. in theol.* (Divers. Cameral. n° 4, *fol.* 103; Suppl. Martini V, n° 106, *fol.* 237). *An.* 1450 *ut curatus S. Mariae Daventriens. Traj. dioec. defunctus est* (Suppl. Nicolai V, n° 438, *fol.* 277).

5. *Ast non ante an.* 1415, *Januarii* 28, Constantiam *profecti sunt. Vid. infra ad Jan.* 27.

6. Johannis de Crannoch. *Vid. supra* 1413, *Octob.* 8.

7. *Sed ut jam supra observavimus, rotulus minime missus est, nam lator rotuli ex parte nat. Anglicanae a Dec.* 16 *usque ad an.* 1415, *Martii* 24, *rector fuit. Vid. ad an.* 1417, *Dec.* 21.

essent, quoniam pro tunc magistri modicum affectati erant ad rotulum predictum [1]; noluit tamen nacio quod nuncius noster iturus cum aliis haberet militare stipendiis propriis, sed liberaliter et absolute ultra summam, quam recepturus erat ab inrotulandis sive inrotulatis, summam quinquaginta scutorum eidem nuncio electo et ituro, scilicet magistro Johanni Cranack, dedit et concessit. Addidit insuper nacio quod si contingeret eundem tantum morari ob profectum et expedicionem dicti rotuli, quod notabiliter opus esset de proprio exponere : voluit nacio in casu quo non rediret satis bene beneficiatus, sibi in posterum super accepto dampno subvenire.

Quantum ad secundum articulum elegit nacio provisores festi, scilicet magistrum Johannem Derlinc, magistrum Johannem Johannis et magistrum Georgium de Norenbergha. Placuit eciam nacioni habere cantores et organistam, secundum quod alias consvevit [2], et non placuit nacioni pro tunc invitare aliquem ob penuriam suam, licet multi invitandi erant, preter magistrum Heinricum Pistoris priorem scilicet Sancti Victoris, quem nacio voluit habere pro prelato [3]. Verum eciam quoad primum articulum protestati erant nonnulli magistri de provincia Scocie, qui pro presenti adhuc nondum determinati erant ad obedienciam domini nostri Johannis XXIII [4], et requisiverunt quod, si in posterum eos obedire contingeret et rotulum mittere, quod nacio vellet eis subvenire in aliqua summa proporcionali; quam requestam sive protestacionem nacio eciam concessit.

Quoad tercium articulum nullus supplicavit.

1414

Acta in continuacione magistri Johannis de Wael.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XVIII^a^ Novembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus erat antiquus. Quantum ad secundum supplicavit idem, ut haberetur gratus et recommendatus in hiis que egit nomine nacionis; cujus supplicacio fuit concessa. Eciam quantum ad istum articulum idem procurator ad requestam aliquorum magistrorum expressit aliqua super facto rotuli, videlicet quomodo multi magistri conquerebantur de nimia taxa inrotulandorum, et nisi fieret aliqua provisio seu modificacio circa eandem, verisimile esset quod paucissimi inrotularentur, quod cederet in vituperium nacionis et in maximum dampnum pauperum magistrorum. Et deliberaverunt circa hoc omnes magistri tunc presentes, quod taxa necessario esset remittenda ad X vel ad VIII solidos; sed quia antiquiores magistri pro tunc non erant presentes nec super hoc vocati erant, noluerunt dicti magistri super illa materia concludere, sed remiserunt questionem usque ad congregacionem proximam, ubi omnes magistri possent interesse, et ita factum fuit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI^a^ Novembris super duobus articulis. Primus ad avisandum de taxa inrotulandorum ad commodum et profectum singulorum magistrorum et ad honorem tocius nacionis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer placuit omnibus remittere taxam ad VIII solidos, ne magistri nimium gravarentur, et omnes possent inrotulari. Et verisimile erat quod illo modo nuncius mittendus plures pecunias obtineret vel tot ad minus, quam si taxa maneret in tam magna quantitate. Et ita idem procurator conclusit. Quantum ad secundum tetigit dominus receptor quod soluto nuncio ituro et factis distribucionibus fiendis et festo nostro nacio *non teneret obulum, ymmo minus quam nichil*, et ideo quoad hoc bonum esset scribere debitoribus nacionis, ut solverent nacioni, et specialiter magistro Jacobo Haerlem, qui a longo tempore debuit nacioni satis magnam summam, quod omnibus videbatur esse necessarium et summe expedire; et ita conclusum fuit, etc.

1414

(*Fol. 65*^b^) Acta in procuratoria magistri Georgii Fridrekker de Norenberga.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud

1. *Quia tunc inrotulandorum taxa erat nimia. Vid. Novemb.* 18. *Ex infra ad an.* 1417, *Dec.* 21, *allatis liquet, viginti magistros fuisse inrotulatos cum decem francis.*
2. *Vid. supra* p. 159, 45.
3. *I. e. a quo missa cantanda erat.*
4. Scoti *semper adhuc ex parte Benedicti XIII stabant, et solum an.* 1418 *eidem obedientiam subtraxerunt. Immo non pauci usque ad an.* 1419 *et* 1420 *ei adhaeserunt. Saltem sincere agebant et publice hoc proclamabant ut ex supra dictis apparet. Vere autem explorator erat iste hispanicus* Johannes Umberti, *mag. in art. et bacc. theol., qui* Memoriale *quoddam an.* 1414 *ad Ben. XIII portavit* (*vid.* Introduct.), *in quo inter alia etiam narratur*, Gregorium XII *post Concil. Pisanum Parisiis* « continue vj studentes propriis expensis tenere, eidem notificantes omnia que Parisius fiunt ».

Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XIIII, XVII^{a} die mensis Decembris super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem nemine reclamante magister Georgius Fridrecker (*sic*) de Norenberga, Bambergensis dyocesis. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuratorie sue, cujus supplicacio ab omnibus concorditer erat concessa, etc.

1415

Acta in procuratoria magistri Andree Jedlant de Dirsow.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° XV, die XIIII^{a} mensis Januarii, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus ad audiendum computum domini receptoris; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Andreas Jedlant. Quantum ad secundum articulum ille prorogatus fuit usque ad XVI^{am} diem mensis Januarii propter congregacionem Universitatis celebrandam apud Sanctum Bernhardum. Quantum ad tercium articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis per ipsum haberetur gratus, avoatus et recommendatus, cujus supplicacio ab omnibus concorditer erat concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XVI, die XVI mensis Januarii, super duobus articulis. Primus ad audiendum computum receptoris propter ipsius recessum [1] ad *Consilium generale in Constancia* celebrandum et ad providendum de alio magistro, qui in absencia sua officio suo preesset. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ad instanciam nacionis et receptoris, acceptavit onus officii receptoris magister Wilhelmus Bloc, et dominus receptor illo tunc coram tota nacione computavit, et computacione facta tam de receptis quam de misiis et singulis computatis et defalcatis remanserunt nacioni tam in debitis quam in vadiis et in pecunia numerata, sive in archa sive extra archam, octoginta novem libre et quatuor solidi et similiter pro tunc ostendebat nacioni vadia et debita sine vadiis prout sequitur.

Sequuntur vadia.

Primo parvum volumen pro quatuor libris pro Wilhelmo Thome, Scoto.

Item ff [2] novum pro quinque libris cum dimidia pro Alexandro de Guiethre, Scoto.

Item ff vetus pro sex libris et triginta quinque solidis pro Patricio et Edewardo Scotis [3].

Item decretales pro quinque scutis pro Georgio de Nova Villa, Scoto.

Item quidam liber medicine, Janicius [4], et questiones phisicorum Buridani et questiones methaphysice Orem pro triginta solidis pro Jacobo Rotschilt de Coelberg.

Item ff vetus pro quinque libris, quod magister Edewardus supradictus faciet valere quinque lib. pro magistro Thoma Lavedre [5].

Item pro duobus francis tabule Alfoncii cum multis aliis in eodem volumine, que continentur in quodam vase existente penes magistrum Wilhelmum Bloc pro magistro Georgeo Sevelt de Prusia.

(*Fol. 66*) Item unum decretum pro tribus libris pro Arnoldo Ghent pro quo respondit pie memorie magister Gerhardus Snawel, de cujus bonis nacio tenuit predictum decretum usque ad tempus satisfactionis. Magister [6] Henricus Vaec habet.

Item lectus cum quibusdam vestibus pro quinque libris pro Conrado Gitlingen, que sunt penes dominum receptorem magistrum Wilhelmum Lochem [7]. Nota quod lectus et residuum de vestibus stetit solum pro tribus scutis, quia residuum magister Guillelmus Bloc recepit et computavit.

Summa vadiorum triginta septem libre et decem et septem solidi.

1. *Vid. infra ad Jan. 27.*
2. *I. e.* Digestum.
3. *In margine ad tria praecedentia* : Magister Johannes Cranac recepit vadia et debet summam.
4. *I. e.* Johannicius *seu* Honëin ben Ishak, *auctor Arabus noni saeculi, cujus opera latine reddita jamdiu in Gallia versabantur.* Vid. Daremberg, Hist. des sciences médicales, I, p. 272; Haeser, Gesch. der Medicin, I, p. 567.
5. *In margine manu posteriori* : Nota quod magister Henricus Gorkam solvit istos XXX solidos de ff veteri.
6. *Haec manu posteriori addita sunt.*
7. *In margine :* solutum est magistro Guillelmo Lochem Item pro lecto solutum est pro legacione sua ad Compendium. *De hac legatione nihil scitur. Sed verisimiliter agitur de anno* 1414, *post Pascha, quo rex* Compendium *circumcinxit.* Rel. de St-Denys, V, 281 *sqq.*; Cousinot, La Geste, *chap.* 134, p. 151.

Sequuntur debita sine vadiis.

Albertus Iselstein sexaginta duos sol. et octo den.

Item magister Jacobus Harlem triginta tres lib.

Summa debitorum triginta sex libre, duo solidi et octo denarii.

Item in archa nacionis habet nacio triginta duas libras.

Summa summarum centum et quinque libre, decem et novem solidi, octo denarii, et ex isto apparet quod nacio obligatur receptori quoad pecuniam expositam per ipsum in factis nacionis in sexdecim lib. et quindecim sol., et octo den., et quoad quatuor lib. pro suo salario, que eciam computate fuerunt.

Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus receptor, ut nacio haberet eum gratum in hiis que acta sunt per eum in suo officio, cujus supplicacio concorditer concessa fuit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno ut supra, die vicesima secunda Januarii, ad audiendum supplicaciones aliquorum magistrorum nacionis ejusdem, in quo die eciam in eodem loco erat congregacio Universitatis. Unde supplicavit magister Conradus [1] ut nacio vellet sibi concedere aliquam pecuniam cum ipse illo tunc infirmabatur, et nacio liberaliter sibi dedit tria scuta.

Eciam supplicavit magister Andreas Jedlant, pro illo tunc procurator, ut nacio vellet supplicare pro eo in Universitate pro litteris recommendatoriis ad dominum illustrem principem territorii Prusie, cujus supplicacio ab omnibus concorditer concessa fuit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Jacobitas anno ut supra die XXVII^{a} mensis Januarii super duobus articulis. Primus ad audiendum requestam domini rectoris [2]. Requisivit enim dominus rector procuratorem, quod ipse in nacione proponeret recessum Mathie [3] subpedelli, qui iturus erat illo tunc ex parte Universitatis cum legatis Universitatis [4] ad Constanciam; et ut nacio provideret de alio servitore, qui loco Mathie serviret, scilicet in absencia Mathie, et qui esset de libreta [5] domini rectoris propter honorem officii rectorie. De ordinando substitutum loco Mathie voluit nacio, ut Boemundus et Mathias inter se convenirent et ordinarent unum honestum juvenem, sufficienter indutum, qui vices Mathie portaret. De hoc quod substitutus esset de libreta domini rectoris, dixit nacio : sufficit dummodo substitutus aliqualiter honeste sit indutus, et supplicavit domino rectori, ut in hoc esset contentus. Similiter in eodem articulo propositum erat de virga, an nacio vellet permittere, ut bedellus suam virgam ad Constanciam cum legatis

1. *Postea spatium.*

2. Johannis de Crannach, *nat. Anglic., ut liquet ex* Arch. Univers., XIV, *sched.* 28 (JOURDAIN, n° 1092). BUL. *in* Nomenclatura, V, 920, *perperam* Guillelmus Bloch.

3. *Vocabatur pleno nomine* Mathias Jacobi, *et quidem* de Monekedam, *Traject. dioec., ut legitur in* Suppl. Mart. V, n° 104, *fol.* 290 b *ad an.* 1418. *In* Ulrichs v. Richenthal Chronik, *ed.* BUCK, p. 185, *ubi* Mathias Jacobus *perperam inter* licentiatos (in artibus) *affertur, sine designatione* subbedelli. *Vid. not. sequentem.*

4. *Universitas Paris. pluries legationem ad Concilium Constant. misit.* ULRICH DE RICHENTHAL *l. c. de prima tantum loquitur, et sic etiam ap.* VON DER HARDT, Concil. Const., V, 22. *Nomina ibid. plerumque adulterata inveniuntur, et sic v. g. ap.* BESS, Zur Gesch. d. Konstanzer Konzils, 1, p. 150, *exscribuntur, qui etiam abductus per vocem in fine relationis* licentiati, *non intellexit etiam* Johannem de Templis *ad nationem gallic. in fac. artium pertinere et abductus per vocem* de Anglia, *putavit, hic agi de quodam Anglico. Subbedellum* Mathiam *praeterea pro licentiato sumpsit. Propterea nomina horum legatorum cum explicationibus hic sequantur, nomina* Ulrici de Richenthal *inter uncos ponendo.*

E facultate theologiae Johannes d'Achery [*Tacheri de Pixaide, pro : nationis* Picardiae *in Univers. Paris.*], *presb. Laudunens. dioec. natus in* Achery, *lic. in theol. an.* 1400; Benedictus Gentiani, *O. S. B. S. Dionysii in Francia, lic. in theol.* 1410 (1411); Johannes Balduini, Bauduin, *lic. in theol.* 1411, *cler. Bajocens. dioec.*

E facultate decretorum Petrus Charonis de Pruvino [*Petrus de Promino*]; Johannes de Villanova; Johannes Vippardi, Vypart [*Sippardy*].

E facultate medicinae Jacobus Desparts, *ut e* Biographie nationale de Belgique, V, 774, *scribendum* [*Johannes de Spars*], *qui fuit de Tornaco*; Henricus Thyhout [*Henricus dy Pont*].

E facultate artium magistri, qui omnes baccalarei in theologia erant : Johannes de Templis *pro nat. Gallicana* (*fuit cler. Trecens.*); Adam Bourgin *pro nat. Picard.*; Simon Pinardi *pro nat. Normann.*; Guillelmus de Lochem [*Lochein*] *pro nat. Anglicana seu Alemanniae, et* Mathias Jacobi *subbedellus. E qualibet natione fac. artium unus solus eligebatur. Cum omnibus istis profectus est* Johannes Gerson, *cancellarius.*

Sive tunc, sive postea tam ex parte Universitatis, quam ex parte regis, ducum, episcoporum, quam proprio marte, alii magistri Universitatis, imprimis magistri theologiae, Constantiam petierunt, ut Henricus Pistoris, *prior S. Victoris Paris.*, Johannes Morini, Guillelmus Pulcrinepotis, Ursinus de Tallevende, *qui tamen Constantiae, sede apost. vacante, verisimiliter* 27 *Maii* 1417, *defunctus est, quod hucusque ignorabant* (Suppl. Martini V, n° 102, *fol.* 26 b; *cum tamen* BOUQUET, L'ancien collège d'Harcourt, p. 116, *opinaretur, eum post Thomam de S° Petro, i. e. post an.* 1420, *defunctum esse*), Petrus de Versaliis, O. S. B. (*ibid.* n° 106, *fol.* 281 b), *omnes magistri theol., pluresque alii. Quando coaetaneus quidam* (*vid.* FINKE, Forschungen u. Quellen z. Gesch. des Konstanzer Konzils, p. 259) viginti *mag. theol. Paris. et* decem *utriusque jur. doctores ejusdem Univers.* Constantiam *an.* 1415, *Febr.* 26, *advenisse narrat, non intelligendum omnes praeter sex supra citatos oratores fuisse Universitatis Paris., ut ibidem perperam scribitur, sed ab aliis legatos; neque plerosque eorum tunc actu regentes Parisiis., de quibus in* Chartul. Univers. *De quibusdam ab Universitate an.* 1417 *ad Constantiam missis vid. infra ad an.* 1417, *Martii* 24. *Notandum, Universitatem ne unum quidem ex* Ordinibus mendicantibus *Constantiam destinasse, licet ibi multi essent* (*vid.* cod. Parisin. lat. 1485, *fol.* 180; *quo mendose in* Opp. Gerson., V, 1009).

5. *I. e.* de veste famulari, *gallice* livrée.

Universitatis portaret [1], et placuit concorditer nacioni, ut sua virga transsiret cum legatis, prehabita caucione ad minus consueta, scilicet obligacione (*Fol. 66*[b]) Universitatis per instrumentum, sicut alias habebat, dummodo [2] sua virga portabatur ad curiam Romanam per eundem bedellum. Et eadem obligacio Universitatis pro virga, que iret, conclusa fuerat antea apud Sanctum Maturinum in generali congregacione Universitatis per dominum rectorem [3], super qua obligacione Universitatis pro virga nacionis procurator a notario Universitatis petivit instrumentum secundum taxam ad minus contentam in antiquo instrumento, et illa ambo instrumenta, scilicet antiquum et novum, posita sunt ad archam nacionis. Sed an virga major vel minor portaretur ad Constanciam, nacio fuit indifferens, debite proporcionis caucione prehabita [4], etc.

Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit magister Georgius Nŭsel [de] Torgow, ut nacio vellet providere et ordinare certam regulam circa pronunciaciones magistrorum disputare volencium in vico Straminis, qui propter inordinatam pronunciacionem ter impeditus fuit suo ordine disputare. Ideo nacio voluit, ut bedelli decetero in pronunciando magistros disputare volentes servarent laudabilem consuetudinem ab antiquo in nacione observatam, videlicet si concurreret regens cum non regente, et regens semel in illo magno ordinario illius anni disputasset, et non regens non disputasset, tunc non regens deberet habere locum, etc.

1415

Acta in continuacione magistri Andree Jedlant de Dirssow.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini 1415 more Romano, die undecima mensis Februarii, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et continuatus fuit antiquus procurator. Secundus ad ordinandum de examinatoribus baccalariorum et ad distribuendum menses in cameris. Et quia pro tunc nullus magister presentavit se in nacione qui vellet habere cameras, ideo placuit nacioni, ut dominus receptor haberet solvere viginti solidos parisiens. ad potandum, et postea a quolibet magistro volenti habere distribucionem mensium rehaberet certam summam pecunie. Quoad examinaciones baccalariorum nacio voluit observare antiquam consuetudinem, et eciam illo tunc juraverunt domini examinatores juramenta consueta. Tercius super supplicacionibus; et supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus et ut continuaretur. Cujus supplicacio ab omnibus concorditer concessa est. Circa secundum articulum advertendum est quod, ut predictum est supra in eodem, in nacione nullus magister se presentavit pro habendo cameras, sed dummodo magistri erant solempniter congregati in prandio, nullo magistro contradicente, ut haberet cameras, solvit magister Wilhelmus Scot unam libram parisiens., et sic dominus receptor nichil solvit de viginti solidis supra scriptis.

(*Fol. 67*) Sequuntur nomina determinantium in procuratoria magistri Andree Jedlant de Dirsow anno ut supra.

Primo determinavit dominus Mathias de Dirsow sub magistro Wilhelmo Lochem [5], cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Wilhelmus Tol [6] sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Albertus Scrother [7] sub mag. Wilhelmo Lochem cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Ebrehardus Hi[r]tfelt de Thorn sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. det. dom. Bernardus Werneri de Elbingo sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Johannes Bortwik [8] sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Wilhelmus Scot sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Galterus Blaer sub mag. Wilhelmo Spalding, cujus bursa IX sol.

1. *Ex hoc apparet, legatos Januarii* 27, *quae erat dies dominica, nondum profectos esse. Opinamur* 28 *Jan., i. e. die lunae.* Chron. du rel. de St-Denys, V, 438, *tantum scribit* « mense Januario ». *Febr.* 21, *hora* 5a *vespertina* (Bul., V, 275), *vel Febr.* 26 *juxta alios fontes, legati Universitatis Paris.* Constantiam *applicuerunt, ibique honorifice recepti sunt.*

2. *Hic et infra* dummodo *eodem sensu quo* dum *usurpatur.*

3. *Januarii* 11 *scilicet, ut liquet ex instrumento edito ap.* Jourdain, n° 1092.

4. *Videbimus infra ad an.* 1418, *Nov.* 16, *nationem suam virgam redimere debuisse.*

5. *Aut alter, cum saltem in principio hujus saeculi duo fuissent (vid. supra* p. 9, *not.* 1.), *aut* Guillelmus Loehem, *qui tunc absens fuit pro Universitate, loco sui quemdam substituebat.*

6. *In* Reg. Lateran. Martini V, n° 189 (*ad an.* 1418) *vocatur* Wilhelmus Florentii Tol, *can. eccl. S. Mariae Hagen. Traject. dioec.* (*fol.* 151 b).

7. Albertus Strotter, *Culmens. dioec. an.* 1417 Bononiae *intitulatus* (Acta nat. German., p. 169). *Utique scribendum* Schröter.

8. *Vid. infra ad an.* 1417, *Jan.* 29, p. 217, *not.* 1.

It. det. dom. Reynaldus de Berode sub mag. Henrico Gorkam, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Gerhardus Walteri sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Jeronimus Judicis[1] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Henricus Meynershaghen[2] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa III sol.

It. det. dom. Godefridus Laufelt[3] sub mag. Wilhelmo Spalden, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Heningus Hermanni sub mag. Frederico Trast, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Christianus Vricse sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Theodericus Nucke[4] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Conradus Steeinpúhel[5] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Theodericus Gelren sub mag. Wilhelmo Spaldink, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Nicolaus de Gouda sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Rogwaldus Johannis sub mag. Frederico Trast, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Godefridus de Amsterdam sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa III sol.

It. det. dom. Theodericus de Gouda sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Conradus Hittichim sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Conradus Lulli sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Theodericus [de] Leidis sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa III sol.

It. det. dom. Bartholomeus [de] Leidis sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Johannes Schontal sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Andreas Bot de Amersfordia sub eodem, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Theodericus Oldendorp sub eodem, cujus bursa II sol.

(*Fol.* 67[b]) Sequuntur nomina subdeterminantium.

Item subdeterminavit dominus Conradus de Frankonia sub magistro Johanne Wenk, cujus bursa nichil.

It. subdet. dom. Michael Georgii sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

It. subdet. dom. Paulus Craber[6] sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa nichil.

It. subdet. dom. Arnoldus Tange sub eodem, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini millesimo CCCC° XV more Romano, die XVIII[a] Februarii apud Sanctum Maturinum super supplicacionibus. Et supplicavit magister Edwardus, ut nacio eum reciperet in fidejussorem domini Johannis Bortwig, qui fuit examinatus pro gradu baccalariatus et admissus, et nichil restabat nisi soluci bursarum, pro qua dictus magister Edwardus fidejubebat; quamvis enim nacio illo tunc in non multitudine suppositorum congregata, scilicet in hora VIII[a], die ut supra, ante congregacionem Universitatis in eodem loco pro tunc celebrandam, non contradixit, tamen positis ponendis per dominum rectorem in deliberacione Universitatis, facultatibus et nacionibus ad sua loca retractis, supplicavit quidam scolaris, eciam admissus ad gradum baccalariatus, pro dilacione solucionis bursarum suarum non offerendo pingnora nec fidejussionem. Deliberavit nacio concorditer, solempnius congregata quam ante, simul ad supplicacionem magistri Edwardi et illius scolaris juxta statutum nacionis, quod pro tunc in nacione allegabatur, quod nullus scolaris admitteretur ad determinanciam, nisi prius satisfecisset domino receptori per pecunias vel pingnora in proporcione sesquialtera pro bursis suis, et si non haberet predicta, nec alterum eorum, sed fidejussores pro tali scolari respondentes, si dominus receptor vellet in hoc esse contentus, dummodo dominus receptor satisfaceret nacioni, nacio bene vellet, sed quidquid sit nacio non vult defraudari. Item suppli-

1. *Infra* Galdineir.
2. *Fuit* Monasteriens. dioec., *an.* 1422 Coloniae *intitulatus* (Keussen, Matrikel, 1, 188).
3. Godefridus de Lanevelt *an.* 1417 Bononiae *studuit* (Aeta nat. Germ. p. 169, *etc.*). *Fuit can. de Traject. superiori, cler. Leod. dioec.*
4. *An.* 1419 *pro eo Universitas Paris. Martino V supplicavit, ut praerogativis rotuli gauderet* (Reg. Lateran. Mart. V, *an.* 2, *lib.* 35, fol. 115). *Fuit Trajectens. dioec. et tunc mag. art. An.* 1427, *canonicus praebend. parvae mensae in eccl. Leodiens.* (Suppl. Mart. V, n° 200, *fol.* 104).
5. *Seu potius* Steinpühel (Lapideicollis).
6. *Postea* Crauar. Paulus Crawar *tunc jam bacc. medicinae Montispess. fuit, nam an.* 1416, *Maii* 4, *ut talis et mag. art. Paris. in Universitate* Pragensi *receptus est* (Mon. hist. Univers. Prag., I, 439). *Partem* Johannis Hus *arripuit et ad Scotiam profectus est, ibique errores Wiclifi et Johannis Hus seminavit. Captus e mandato episcopi S. Andreae an.* 1431 *flammis addictus est. Vid.* J. Fordun, Scotichron., *lib.* 16, c. 20; Hetherington, History of the Church of Scotland, p. 30 *sqq.*

cavit quidam scolaris, ut posset dare pingnus domino receptori pro bursis; item alii scolares supplicaverunt, ut admitterentur ad juramentum paupertatis; quorum supplicaciones concesse sunt. Item supplicarunt aliqui scolares, ut nacio ipsis faceret graciam in solucione bursarum, ita quod solverent partem, et partem nacio ipsis remitteret. Deliberavit nacio quod illi vel solverent bursas integras, vel jurarent paupertatem, etc.

(*Fol. 68*) Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini millesimo CCCC° XV more Romano, die XIX^a Februarii, apud Sanctum Maturinum super supplicacionibus, et supplicavit iterum magister Edwardus conformiter ut supplicaverat in congregacione nacionis proximo preterita, vel si non transiret sua supplicacio, quod ille scolaris, pro quo supplicavit, si vellet, posset jurare paupertatem. Deliberavit nacio, quod si non esset contra statutum illud quod supplicavit magister Edwardus, scilicet non ponendo pignora nec in prumptu dando pecunias pro bursis sed solummodo fidejussorem et quod[1] se obligaret ad non recedendum de willa Parisiensi : bene voluit nacio ut supplicacio magistri Edwardi transiret, dummodo receptor nacionis esset contentus et satisfaceret nacioni ; sed si esset contra statutum, noluit nacio, ut illa supplicacio transiret. Item supplicavit magister Bernardus Patrisfamilias pro uno scolari, qui fuit admissus ad subdeterminanciam, ut ille posset subdeterminare ante medium quadragesime propter recessum illius scolaris ad partes suas. Voluit nacio, ut dominus receptor et magister Jacobus Harlem haberent videre statutum; si posset fieri bene, voluit nacio ut fieret, si non, non. Et sic finaliter remisit illam supplicacionem ad edictum predictorum magistrorum, etc.

1415

Acta in procuratoria magistri Guillelmi Spaldin, Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC^{mo} XIIII^{to}, undecimo die mensis Marcii super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Guillelmus Spaldin, nemine contradicente. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis per ipsum haberetur gratus, avoatus et recommendatus ; cujus supplicacio concorditer ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI^a die Marcii super duobus articulis. Primus articulus fuit ad legendum aliquas *litteras transmissas nacioni de Constancia* a nuncio nacionis, scilicet magistro Guillelmo Lochem. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum regraciabatur nacio nuncio suo de communicacione litterarum suarum, et annuit supplicacioni sue, scilicet quod laboraret assidue pro accelleracione pecuniarum sibi destinandarum. Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane XXV^a die Marcii in ecclesia Cosme et Damiani martirum post missam nacionis, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum aliquas *litteras transmissas nacioni de Constancia* a nuncio suo. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur nacio nuncio suo de novis, et annuit supplicacioni ejus, videlicet quod voluit laborare deligenter pro accelleracione pecuniarum suarum pro tercio mense, et super hoc injunxit nacio domino procuratori, quod in casu quo alii procuratores facerent mentionem super accelleracione dictarum pecuniarum in Universitate, quod etiam faceret nomine nacionis. Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

(*Fol. 68^b*) Facta congregacione nacionis Anglicane XXVII^a die mensis Marcii in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad providendum super distribucione mensium ; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum voluit nacio quod more solito et servato distribuerentur menses, sic scilicet quod volentes supplicare pro mensibus supplicarent in nacione, sic tamen quod semper senior preferretur juniori casu quo voluerit tantum solvere sicut junior, summam scilicet III solidorum parisiens., et non plus. Et voluit nacio quod receptor caperet menses in manu sua, et quod satisfaceret magistro Guillelmo XII solidis de libra, quam contribuit liberaliter nacioni. De residuo solutus est, quia habuit pro primo mense VII solidos et ipsemet habebit secundum mensem pro tribus albis tantum, gracia liberalitatis sue facte nacioni. Et quoad hoc noluit nacio quod plus acciperetur pro uno mense quam tres solidi parisiens. dumtaxat, quia sufficit. Quoad secundum articulum primo suppli-

1. *Ms.* que.

cavit dominus procurator ex parte venerabilis nacionis Normanorum pro deputatis nominandis ad audiendum aliquas querelas fiendas super aliquibus vocatis et etiam refutatis in examine arcium facultatis, qui[1] una cum deputatis aliarum nacionum habeant audire aliqua si dicantur, et habeant referre in facultate. Cui supplicacioni annuit nacio, sic tamen quod deputati sui habeant referre in nacione ea que agentur, et ad hoc nominavit dominum procuratorem, magistrum Henricum Gorkam, magistrum Johannem Johannis. Supplicavit eciam unus magister nacionis, scilicet magister Thomas de Lyn, ut nacio vellet intercedere apud dominum Aurilianensem pro quodam architinensi[2] pro sibi favore fiendo, cui dedit nacio deputatos ad informandum bene de circonstanciis, si fieri posset salvo honore nacionis, et nominavit nacio magistrum Johannem Johannis, magistrum Andream et magistrum Henricum Wak.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum V^a^ die Aprilis post Pascha super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum ea que acta erant circa deputatos nacionis datos ad instanciam venerabilis nacionis Normannie et ad providendum de ulteriori processu. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum retulit procurator quod nichil poterat fieri cum deputatis nacionis nisi essent alii deputati ex parte aliarum nacionum; et ideo procurator nacionis Normanie et Picardie procurator requisiverunt rectorem, ut convocaret facultatem super hac materia. Qui recusans noluit; non tamen procurator requisivit rectorem, quia non habuit a nacione nisi solum referre facta et audita iterato in nacione. Quoad secundum articulum supplicavit magister Johannes de Eustria[3], quod nacio vellet supplicare in Universitate, ut persolveretur de pecunia sibi alias concessa ab Universitate quam exposuit *in ambacia Universitatis ad Scotiam*[4], et quod arestaretur parva contribucio, dummodo persolveretur. Cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa. Quoad primum deliberavit nacio quod noluit requirere rectorem ad convocandum facultatem, sed voluit stare in libertatibus rectoris, et quod noluit se interponere plus in isto facto nisi in loco suo. Quod si aliqui venirent ad facultatem planctum se, quod nacio deliberaret juxta formam statutorum suorum.

1415

(*Fol. 69*) Acta in procuratoria magistri Henrici Clint de Luneborch[5] anno M° CCCC° XV°.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XV°, die VIII^a^ mensis Aprilis super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Henricus Clint, nemini (*sic*) contradicente. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut in actis per eum haberetur gratus, avoatus et recommendatus; cujus supplicacio concorditer ab omnibus fuit concessa.

Nomina licenciatorum pro isto anno M° CCCC° XV°.

Primo licenciatus est dominus Johannes Leivolfingher, alias [de] Schafhusen, sub magistro Johanne Wenk, cujus bursa IIII sol. par.

It. lic. est dom. Johannes Custodis sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa IIII sol. par.

It. lic. est dom. Wilhelmus Scot sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa VI sol. par.

It. lic. est dom. Johannes de Spira[6] sub eodem, cujus bursa III sol. par.

It. lic. est dom. Michael Georgii sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Johannes Ostradi sub mag. Johanne Cranach, cujus bursa VII sol. par.

It. lic. est dom. Johannes Wiler sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa VIII sol. par.

1. *Ms.* que.
2. *I. e.* sagittario. *Vid.* Ducange-Henschel, I, 377.
3. *I. e.* Johannes Mullecbner de Austria.
4. *Jam prius reversus erat a legatione quam rex et Universitas principio anni* 1414 in *Scotiam miserunt* (*vid. supra ad an.* 1414, *Jan.* 16). Instructiones *datas legatis*, *inter quos primus* Johannes de Austria (Jourdain, n° 1083, *male legens :* Johannes de Rostano !) *mag. in art. et theol.*, *decanus S. Thomae de Lupara Paris.*, *in* Arch. Univers. Paris., AA, e (thec. I), *et ap.* Jourdain, *l. c. Inter legatos fuit etiam* Johannes Gray, *Scotus*, *ut liquet e* Memoriali *ad Benedictum XIII in* Reg. Vat. n° 332, *fol.* 29 b. *Plura de ista legatione in* Chartul. Univers., *ex* Arch. nat. Paris., M 65^B^.
5. *Jam magister in art. an.* 1405 (*vid. t.* I, 932, 39) *tunc medicinae studuit*; *nam an.* 1415 « sabbato post festum sancte Crucis probavit de tempore sue auditionis 38 menses cum dimidio computando sibi ex speciali gratia presencium magistrorum VII menses de XIIII mensibus in quibus audivit medicinam in Erfordia, ubi est studium generale, et sub magistro Paris. » *An.* 1418, *Febr.* 27, *in medic. licentiatus est* (Comm. fac. med. Paris, t. I, p. 196 et 222).
6. *Baccalareus Heidelbergens.*, *de quo infra*, p. 195, *not.* 1.

It. lic. est dom. Paulus Clamatoris sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra XII[a] die mensis Aprilis super supplicacione Johannis de Spira, bachalarii Heydelbergensis [1], qui supplicavit, ut admitteretur ad gradum bachalariatus; cujus supplicacio est admissa.

Admissus est ad bachalariatum a nacione Johannes de Spira bachalarius Heydelbergensis, cujus bursa VI sol. par.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 22[a] die mensis Aprilis, super supplicacione Michaelis Georgii ad jurandum paupertatem, cujus supplicacio fuit admissa, et recepit nacio juramentum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die IIII[a] mensis Maii, super supplicacione Pauli Clamatoris ad jurandum paupertatem; cujus supplicacio fuit admissa et juramentum [nacio recepit].

(*Fol. 69*[b]) Nomina incipiencium in artibus hoc anno.

Primo incepit dominus Johannes Leivolfingher, alias [de] Scaffhusen sub magistro Johanne Wenk, cujus bursa IIII sol. par.

It. inc. dom. Johannes Custodis sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa IIII sol. par.

It. inc. dom. Wilhelmus Scot sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa VI sol. par.

It. inc. dom. Joh. de Spira sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa VI sol. par.

It. inc. dom. Johannes Wiler sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa VIII sol. par. [2].

1415

(*Fol. 70*) Acta in procuratoria magistri Ghysberti Albout.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XV°, sexto die mensis Mayi, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer magister Ghysbertus Albout in procuratorem, nemine contradicente. Quantum ad secundum articulum supplicavit primo antiquus procurator, ut in actis per eum haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus, cujus supplicacio fuit concessa concorditer ab omnibus. Secundo supplicaverunt duo magistri de nacione, scilicet magister Johannes Scafhusen et magister Johannes Wilaer pro litteris testimonialibus sui gradus magisterii, quorum supplicaciones fuerunt concesse in forma communi.

Sequuntur nomina licenciatorum in ista procuratoria.

Primo licenciatus fuit dominus Allardus Hopper sub magistro Joh. Cranac, cujus bursa IX sol.

It. lic. fuit dom. Henningus Harmanni sub mag. Henrico Gorkem, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Johannes Bortwyc sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VI sol.

It. lic. fuit dom. Paulus Cravar sub mag. Johanne Wenck, cujus bursa nichil.

Die [3] decima mensis May fuit congregacio Universitatis, et quando nacio fuit ad partem, supplicavit magister Andreas de Prusia [4], ut haberetur presens in rotulo Universitatis, cujus supplicacio fuit concessa. Ad idem supplicavit magister Georgius Nuzel, et pro littera testimoniali sui gradus magisterii; cujus supplicacio fuit concessa in forma communi.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, XI[a] Maii, super uno articulo, scilicet super supplicacionibus et injuriis. Primo supplicavit magister Conradus Giltlingen pro littera testimoniali de gradu magisterii; secundo supplicavit Paulus Cravar ad jurandum paupertatem, quorum supplicaciones fuerunt concesse.

(*Fol. 70*[b]) Sequuntur nomina incipiencium.

Primo incepit dominus Michel Georgii sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Paulus Clamatoris sub mag. Johanne Wenck, cujus bursa nichil.

1. *E* Matricula Heidelbergensi *sub voce* Spira *non erueris, quisnam hic designetur. Sed infra nominatur* Johannes Kaufman de Spira, *proindeque* Johannes Kauffmann de Eberbach, *an.* 1402 *Heidelbergae intitulatus, innui videtur* (Toepke, Matrikel, I, 87).

2. *Reliqua pars paginae vacat.*

3. *Haec rubrica scripta est post sequentem.*

4. *I. e.* Andreas Getland *seu* Gytlant. *Profectus est, et revera an.* 1416 Bononiae *invenitur* Andreas Gytlant de Prussia (Acta nat. German. p. 168).

It. inc. dom. Johannes Ostradi sub mag. Johanne Cranach, cujus bursa septem sol.

It. inc. dom. Paulus Cravar sub mag. Johanne Wenck, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Henningus Harmanni sub mag. Henrico Gorken, cujus bursa sex sol.

It. inc. dom. Allardus Hopper sub eodem, cujus bursa novem sol.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum anno ut supra, decima quarta die mensis May, veniebat magister Paulus Clamatoris ad procuratorem, ut vocaret aliquos magistros de nacione Anglicana, quia vellet supplicare pro littera testimoniali sui gradus magisterii, et fecit procurator sicud prefatus magister requisivit, et tunc supplicavit in nacione pro littera testimoniali sui gradus magisterii. Cujus supplicacio fuit concessa in forma communi.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno ut supra, prima die Junii super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum aliquas *litteras missas nacioni de Constancia* [1] a nuncio suo. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur nuncio suo de novis missis, et annuit supplicacioni ejus, videlicet quod voluit laborare diligenter pro pecuniis, et si opus esset, mittere pecunias proprias et concedere sibi in quantum Universitas non haberet pecunias pro nunciis. Et juxta illud supplicavit magister Henricus Vaeck, quod nacio vellet facere nuncio suo, sicud alie naciones facerent. Et concessa fuit supplicacio ejus in forma. Quantum ad secundum non fuit alia supplicacio.

1415

[Acta in procuratoria mag. Andreae Hequel.]

(*Fol. 71*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1415, mensis Junii die XIII[a], super tribus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus ad audiendum compotum receptoris; tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum fuit electus in procuratorem magister Andreas Hequel [2]. Quoad secundum fuit computatum per dominum receptorem vel ejus locumtenentem, videlicet magistrum Guillelmum Bloch, tam de receptis quam de expositis. Singulis compotatis et devalcatis remanserunt nacioni preter summam superius positam in proximo compoto sexaginta libre, septem solidi, octo denarii, ita tamen quod de ista summa nacio concessit legato suo magistro Guillelmo Lochhaim ad Consilium Constancie destinato quadraginta quatuor francos. In cujus rei testimonium ego Andreas Hequel, procurator nacionis predicte, hec scripsi, sicut moris est procuratoribus acta conscribere, die et mense quibus supra.

Facta congregacione nacionis Anglie die vicesima mensis Julii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum *litteras nacioni directas ex parte nunccii sui* destinati ad Consilium generalem (*sic*) in Constancia. Secundus articulus fuit super supplicacionibus. Quoad primum lecte fuerunt littere. Quoad secundum articulum supplicavit quidam Paulus nomine, quondam hebreus [3], ut nacio sibi subveniret in elemosina ad relevandum inopiam suam, et conclusum fuit, quod pro illo tempore non poterat sibi subvenire propter deffectum pecuniarum; sed in futurum dabat spem eidem Paulo ad subveniendum sibi, dummodo facultas nacionis ad hoc concurreret aliquomodo. Item supplicavit magister Bernhardus de Saxonia pro litteris recommendatoriis ad dyocesanum suum; cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione secunda Augusti nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum ad requestam magistri Johannis Darleim [4] super duobus articulis. Primus, ut nacio velle[t] mittere deputatos ad dominum archiepiscopum Bituricensem [5] supplicando eidem domino, ut conferret locum predicto magistro Johanni [6] in Cerbona [7], quemadmodum predicta

1. *Jam prius Parisiis certiores facti sunt de fuga* Johannis XXIII *Martii* 20, *nam epistola Universitatis ad nuntios Constantiae et ad papam Schafhusae de hac fuga sunt* April. 2 (*Vid.* Partie des pièces et actes qui concernent l'Université de Paris, *rec.* VIII, *quandoque* VII, p. 3-6). *Utique indilate post fugam legati Universitatis regi Franciae scripserunt. Vid. fragmentum epistolae apud* DÖLLINGER, Materialien z. Gesch. des XV u. XVI Jahrh., p. 311-314. *Aliam epistolam legatorum ad regem ap.* VON DER HARDT, Concil. Constant., IV, 129.

2. *Qui alias* Andreas Hekel de Bavaria *nominatur*.

3. *Idem ille*, Paulus de Bonafide, *de quo supra ad an.* 1413.

4. *I. e.* Joh. Derling, *Aberdonens. dioec., de quo in tom.* I, *bacc. in theol. et mag. art., qui adhuc an.* 1417, *Dec., ex parte Benedicti XIII fuit et tunc frater episcopi Moraviens. vocatur* (Suppl. Bened. XIII, n° 88, *fol.* 314). *Parisiis Sententias legit et postea* responsiones publicas in scolis ac sermones in Universitate requisitas pro licentie et magisterii gradibus obtinendis peregit. *Sed turbationibus partium causantibus licentiae gradum in* Rom. curia *suscepit* (Suppl. Mart. V, n° 162, *fol.* 64 *ad an.* 1423) *et sic eodem anno occurrit ut lic. in theol., regis Scotiae consanguin.* (Suppl. Mart. V, n° 161, *fol.* 7); *an.* 1432 *defunctus ut canon. Dunkeldens.* (Suppl. Eug. IV, n° 269, *fol.* 230).

5. Guillelmum Boisratier, *jur. utriusque doct., archiep. ab an.* 1409, *Jul.* 2 (Arch. Vat., XII, 121). *Fuit provisor Sorbonae. Vid.* p. 199, *not.* 1.

6. *Ms.* Iohanne.

7. *I. e.* Sorbona.

nacio alias concluserat fore faciendum [1]; et ita factum est.

1415

(*Fol. 71*[b]) Acta in procuratoria magistri Johannis de Crannach.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XXVI[a] mensis Augusti super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quoad istum articulum electus est concorditer magister Johannes de Crannach. Quoad secundum articulum de supplicacionibus, supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus et recommendatus; cujus supplicacio est concessa. Et per novum procuratorem positum est in deliberacione, ut nacio scriberet *nuncio* suo existenti *in Consilio generali*, quatenus ipse *resisteret omnibus modis possibilibus contra illos qui laborant, ut collacio beneficiorum veniat ad manus prelatorum* [2]. Et ita est conclusum concorditer.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die XXI[a] mensis Septembris, anno decimo quinto super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem. Et quoad istum articulum electus est magister Guillelmus Bloc, et circa istum articulum est conclusum, quod nuncquam de cetero continuaretur receptor, sed tantum esset per unum annum. Eciam erat conclusum, quod [nacio] adhuc bis convocaretur ad hoc statuendum; item quod receptor daret caucionem burgensem; item quod quilibet in fine anni in promptu refunderet omnes pecunias, quas de nacione haberet, etiam vadia singula. Secundus articulus erat ad audiendum compotum, et auditus est computus, ut est in libro receptoris de manu procuratoris. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit unus magister pro littera magisterii, cujus supplicacio est concessa.

1415

Continuacio [ejusdem].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno et mense ut supra, die XXIII[a] mensis ejusdem, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem, vel ad continuandum antiquum; et quoad hoc continuatus est antiquus. Secundus erat ad iterum concludendum quod nuncquam receptor continuaretur, et concorditer conclusum est pro 2[a] vice, et ordinatum est quod scribatur cum aliis statutis cum juramentis receptoris, ad finem, quod receptor in sua institucione hoc juraret. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator, quod in factis per eum haberetur gratus, recommandatus et avoatus, cujus supplicacio est concessa. Item dati sunt deputati ad visitandum vadia nacionis, et post in nacione referre, ut nacio de vadiis diu tentis haberet pecuniam. Item ordinatum erat, quod habentes claves de archa nacionis portarent eas in proximo ad nacionem, ut nacio sciret quis haberet, et eas distribueret.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno M° CCCC° XV, die vero XXVI[a] mensis Septembris, super supplicacionibus magistri [3] Theoderici Aurifabri [4] de Northem et magistri Johannis Kaufman de Spira, in qua primo magister Johannes de Spira exposuit nacioni qualiter *iturus esset ad Constanciam* et in brevi Parisius reversurus. Quapropter supplicavit, quod si contingeret rotulum Universitatis ante ejus reversionem signari, quatinus poneretur in rotulo et reputaretur tamquam presens. Cujus supplicacio concessa est in forma, attento quod vadit ad Consilium generale in quo nacioni in aliquibus poterit deservire, videlicet rescribendo statum curie, etc. Eciam ne propter presenciam ejus in curia, qua hactenus curtisani solebant multipliciter gaudere, aliquod incommodum reportet; hoc enim libertati Consilii et curie Romane videretur derogare. Ad idem supplicavit magister Bernardus Patrisfamilias pro seipso, cujus supplicacio est concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die XXVIII[a] Septembris, anno XV° super quatuor articulis. Primus ad statuendum, quod receptor nacionis nuncquam continuaretur, sed dumtaxat per unum annum esset in officio receptorie. Et ita pro tercia vice est conclusum ut est in congregacionibus precedentibus, et sic statutum, et cum aliis juramentis receptoris in libro nacionis inscri-

1. *Scil. an.* 1406. *Vid. tom.* I, 914, 2. *Ex hoc apparet, archiepiscopum Bituricensem tunc provisorem Sorbonae fuisse, minime* Petrum Plaoul, *episc. Silvanectens.* (*ut* Franklin, La Sorbonne, p. 227, *praetendit*), *qui jam April.* 11 *anni hujus defunctus est.*

2. *Quoad collationem beneficiorum Universitas Paris. post an.* 1406 (1408), *cum collatio papae subtracta et certis episcopis et praelatis data esset, de Scylla in Charybdim inciderat, nam experta est, longe melius esse collationem per summum pontificem, quam per praelatos, qui solum suos et familiares remunerabant, paene nihil suppositis Universitatis reservantes.*

3. *Ms.* magistrorum.

4. *Ms.* aufrabi.

bendum, ut quilibet in sua nova electione juraret, quod non continuaretur. Hoc etiam pateret in libro receptoris in primo folio.

Secundus articulus erat ad providendum circa vadia tam habita quam habenda. Quoad vadia ponenda ordinavit nacio, quod de cetero nulla vadia reciperet, nisi hujusmodi vadia ponentes consentirent, quod anno peracto ad longius nacio libere et sine quacumque contradictione posset hujusmodi vadia vendere, nisi infra predictum annum redimerentur. Conclusit eciam quod nulli cuicumque daretur terminus ultra annum, sed bene citra, juxta cujuslibet facultatem et nacionis discrecionem, quando vadia ponuntur. Quoad vadia que pro presenti habet nacio, conclusit, quod omnia illa vendentur, que infra Pascha proximum non redimentur, et tantum fecit de gracia nacio ob favorem plurium suppositorum, quorum erant vadia a longo tempore posita.

(*Fol.* 72) Tercius articulus erat ad presentandum claves de archa nacionis et ad distribuendum. Et distribute sunt taliter : Octo sunt claves arche[1] in qua est pecunia, quarum quatuor habent quatuor sequentes : procurator, receptor, regens senior, non regens senior. Alias quatuor habent quatuor sequentes : *Altus Alamanus*, *Bassus Alamanus*, *Alamanus Saxo*[2], *Scotus*.

Quartus articulus erat ad distribuendum scolas pro regentibus, et distribute sunt hic subnominatis :

M. Guillelmus Lochem, fidejussor magister Henricus Waec.

M. Johannes de Crannach, fidejussor mag. Andreas.

M. Joh. Johannis, fidejussor mag. Spaen.

M. Guillelmus Spaldyng, fidejussor mag. Guillelmus Clerici.

M. Joh. Weenk, fidejussor mag. Guillelmus Bloc.

M. Guillelmus Clerici, fidejussor mag. Guillelmus Spaldyn.

M. Johannes Custodis, fidejussor mag. Johannes Johannis.

1415

Acta in procuratoria magistri Johannis de Baden.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XV°, die XXI^a mensis Octobris, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quoad istum articulum electus est concorditer magister Johannes de Baden. Secundus articulus fuit super supplicacionibus, etc. Et quoad istum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio est concessa in forma.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini predicto, die XV^a mensis Novembris, super duobus articulis. Primus fuit super provisione festi sancti Egmondi proxime instantis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni habere festum sicut conswevit habere aliis temporibus. Item elegit provisores magistrum Thomam de Brusya, magistrum Wilhelmum Spa[l]din de Scotia, magistrum Johannem Wrumer[3]. Placuit ei eciam habere cantores et organistam, secundum quod alias conswevit. Et placuit nacioni pro tunc invitare nobiles viros dominum de Heinczenberg prepositum ecclesie Aquensis, et dominum [Johannem] de Burren, prepositum ecclesie Trajectensis, et magistrum Henricum Pistoris, priorem Sancti Victoris, quem nacio voluit habere pro prelato. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1415

Continuacio magistri Johannis de Baden.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno predicto, die XVIII^a mensis Novembris, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quoad istum articulum continuatus est antiquus. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et quoad istum supplicavit procurator ut haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio est concessa in forma. Supplicavit eciam magister Johannes de Harlam pro magistro Wilhelmo Locham, *qui tunc fuit in Consilio generali ex parte Universitatis*, et dixit quod esset quidam impediens eum de suo beneficio, ut nacio vellet se ipsi adjungere et pro ipso laborare apud Universitatem. Cujus supplicacio eciam est admissa.

1415

(*Fol.* 72^b) Acta in procuratoria magistri Johannis Johannis de Leydis.

Facta congregacione facultatis, ut moris est, apud

1. *Vid. supra* p. 128, 36.
2. *De quo vid. infra ad an.* 1423, *April.* 15.
3. *Qui ad an.* 1408 *aliasque vocatur* Wermer.

Sanctum Julianum, die decima sexta Decembris anni ut supra, ad eligendum novum rectorem et intrantes etc., convocata fuit nacio in eodem loco ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum [1], et super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum [2] deliberavit nacio, et fuit electus concorditer magister Johannes Johannis de Leydis. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis haberetur gratus, havoatus et recommendatus, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane die XXIXa Decembris ad requestam duorum magistrorum, videlicet magistri Johannis de Arnem et magistri Johannis de Baden, qui me requisiverunt super uno articulo dumtaxat, scilicet pro quadam supplicacione fienda. Quam quidem supplicacionem dominus prepositus Atarbatensis [3] in persona propria [fecit], quia pro eo in nacione sicut explicavit (et erat bimembris), explicando primo aliqua que sequuntur. Videlicet quod dictus dominus prepositus existens suppositum venerabilis nacionis solum venerat Parysius ad visitandum matrem suam nacionem et Universitatem, quia sciebat se sue matri multipliciter obligatum, nec posset ad condignum de honoribus sibi impensis per eandem sufficienter eidem regraciari; tamen offert se et sua pro regraciacione ad singulorum suppositorum mandata et precepta. Et subjunxit idem dominus prepositus, magister in artibus, nomine Fredericus de Ruppa [4], Atarbatensis diocesis, supplicando, quatenus, *cum iturus esset ad Constanciam* et nullam noticiam ibidem haberet, ut nacio sibi vellet concedere quasdam litteras recommendatorias ad nuncios nostros ibidem existentes; secundo ut placeret eciam nacioni, si contingeret fieri rotulum, quod imponeretur cum aliis, quia non erat intencio sua supplicare pro aliis quam pro indulgenciis dumtaxat. Et circa hoc suam supplicacionem dimisit magistro meo magistro Johanni de Arnem, ut retulit dictus dominus prepositus. Super quibus nacio deliberavit concedendo suam supplicacionem bimembrem, et regraciabatur sibi de bona affectione quam habuit erga nacionem matrem suam et erga singula supposita ejusdem.

1416

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis in Sancto Maturino, ut moris est, super duobus articulis, die XIIIa Januarii, anno ut supra. Primus videlicet ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus concorditer per omnes. Ad secundum autem supplicavit dictus procurator, ut in actis per eum nacio haberet eundem gratum et avoatum. Eciam supplicavit magister Ghisbertus Albout, ut placeret nacioni, si fieret rotulus, quod inscriberetur tamquam presens; quas [supplicaciones] nacio concessit in forma.

1416

(*Fol.* 73) Acta in procuratoria magistri Reyneri Wael de Antiqua Ecclesia [5].

Facta [6] congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCCC° XVIto, more Romano, decima die mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Et secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est in procuratorem magister Reynerus Wael. Et quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis haberetur gratus advoatus et recommendatus; cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die vero penultima mensis Februarii, super tribus articulis. Primus erat super distributione mensium et ad ordinandum de examinatoribus futurorum bachalariorum. Secundus erat de modo recipiendi et visitandi Imperatorem [7] dum venerit, et de articulis et instructionibus sibi proponendis per magistrum Johannem de Austria [8], alias ad hoc ex parte nacionis deputatum. Et tercius erat super sup-

1. *Postea* quantum ad primum articulum.
2. *Postea* super primo articulo.
3. *I, e.* Tarbatens. (Dorpat).
4. Fridericus de Ropa, *qui an.* 1376 *Parisiis studuit. Vid.* Auctar., *tom* I. *Fuit illius nobilis et divitis generis, cui* Fridericus IV *rex Roman. an.* 1442 *omnia privilegia confirmavit, quae apostolica sedes illis* von der Rope *in Livlandia concessit.* Chmel, Regesta Friderici IV regis Roman., n° 638.
5. *Seu, ut supra ad an.* 1408 *scribitur :* Oudenkerke.
6. *Inter lineas alia sed aequali manu :* Intravit Rex Romanorum Parisius. *Sigismundus, an.* 1415, *Jul.* 18 (*vid.* Schwab, Gerson, p. 520), *Constantiam reliquit, Narbonam Augusti* 15 *attigit, ubi Aug.* 20 *legati Benedicti* XIII *advenerunt* (*de quo* Petrus de Pulka; *vid.* Archiv f. Kunde österreich. Geschichtsquellen, XV, 30), *deinde Parisios, ubi per tres septimanas remansit, et tandem in Angliam transfretavit. Vid.* Rel. de St-Denys, V, 742 *sqq. Vid. praeterea* Aschbach, Gesch. K. Sigmunds, II, 156 *sqq.*
7. Sigismundum.
8. Johannem Mullechner de Austria.

plicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni quod dominus receptor ex parte nacionis haberet exponere unam libram parisiens. ad faciendum unum degentaculum, quam libram postea esset reaccepturus ab illis, qui vellent habere menses, sub hac condicione quod habentes primos duos menses haberent solvere pro quolibet mense tres solidos, et quod pro reliquis mensibus singulis duo solidi solverentur, sic tamen quod juniores senioribus non prejudicarent. Quoad examinatores determinantium nacio voluit tenere consuetum morem.

Quantum ad secundum articulum nacio dedit deputatos, qui haberent advisare et videre de articulis proponendis domino Imperatori dum veniret, qui non dederunt aliquos articulos speciales, sed voluerunt quod conformiter ad propositionem fiendam per Universitatem proponens noster se regularet. Et sic rex Romanorum prima Martii intravit civitatem Parisiensem [1], dominica die, cum magna solempnitate, et die jovis immediate sequente Universitas Parisiensis coram ipso habuit audienciam [2], et die veneris immediate sequente nacionem nostram idem rex Romanorum specialiter volebat audire; et sic eadem die de mane hora septima congregati sunt universi magistri et scolares nacionis predicte cum decentissimis habitibus, necnon eciam quamplures magistri et scolares aliarum nacionum et specialiter de Brabancia, quoniam et ipsi imperiales dicuntur et esse volunt. Congregati sunt, inquam, omnes isti in pulcherrima comitiva apud Sanctum Maturinum, et sic visitavimus dominum nostrum regem Romanorum in castello Lupare se tenentem cum pulcherrima et decentissima comitiva, et proposuit magister Johannes de Austria coram serenissima majestate ejus multum pulchre [3].

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, mense vero Martii die quinta, super duobus articulis. Primus articulus erat ad requestam domini Georgii Ker, qui supplicavit, quatenus nacio vellet secum dispensare super disputationibus per ipsum fiendis in vico Straminis, quoniam necessario habebat ire ad Flandriam allaturus pecuniam, de qua posset satisfacere nacioni et magistris, quibus dicebat se debere. Et quoad hoc nacio conclusit, quod libenter volebat secum dispensare, si et in quantum posset, dummodo tamen vellet jurare, quod unum substitueret, qui loco ejus usque ad medium Quadragesime disputaret, et pro reliqua medietate ejusdem Quadragesime ipsemet in propria persona disputaturum se promitteret juramento, quod et facere non volebat. Et quoad secundum articulum supplicavit magister Ghiisbertus Stade, quatenus nacioni placeret, ut proponens ejus haberet recommendare crastina die domino Imperatori personam domicelli de Buren, quod ab omnibus sibi fuit concessum. Et quoad istum articulum supplicavit eciam magister Johannes de Aernem, ut nacio vellet sibi dare litteras testimoniales presencie sue, que supplicacio eciam ab omnibus fuit concessa in forma [4].

(*Fol.* 73[b]) Sequuntur nomina determinantium in procuratoria dicti magistri Reyneri Wael de Antiqua Ecclesia.

Determinavit dominus Johannes Steynberch [5] sub magistro Johanne Wenk, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Adrianus Remboldi sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Johannes Carpentatoris sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Johannes Benyng [6] sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Georgius Ker sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Henricus Dotinchem [7] sub mag. Johanne Cranach, cujus bursa IX sol.

It. det. dom. Ysaias Parvifabri sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Jacobus de Stramyglot, sub mag. Guillelmo Spaldyn, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Petrus de Molendino [8] sub mag. Johanne Cranach, cujus bursa IX sol.

1. *Vid.* Journal de Nicolas de Baye, II, 241, *et not. ibid.* Juvénal des Ursins *ed.* Godefroy, p. 329 *sq.*

2. *In qua coram Imperatore proposuit mag.* Gerardus Macheti, *subcancellarius Nostrae Dominae* (Bul., V, 299, *e* Lib. proc. nat. Gall.). *Gerardus Macheti tunc etiam vice Johannis Gersonis officium cancellariae exercuit usque ad an* 1418, *Jul.* 6 (*vid. infra an.* 1418, *Maii* 5).

3. Rel. de St-Denys, *l. c.* p. 744, *narrat insuper*, *Sigismundum voluisse etiam* actibus scholasticis interesse.

4. *Deinde sequitur :* Sequuntur ab alia parte nomina determinantium in procuratoria predicti magistri Reyneri Wael.

5. *Fuit rector capellae in Gronehaghen Verdens. dioec., et an.* 1419 *bacc. in decretis, supplicavit pro canon. et decanatu eccl. S. Mauritii extra muros Hildesemen.* (Suppl. *Mart.* V, n° 117, *fol.* 231b). *Estne idem, qui an.* 1452, *leg. doctor, ad facultatem Jurist. Lipsiens. pertinebat ? Vid.* Stübel, Urkundenbuch der Universität Leipzig, p. 129.

6. Joh. Benyng *an.* 1430 *ut mag. art. et canon. eccl. Moraviens. affertur* (Suppl. Mart. V, n° 249, *fol.* 118 b) *et regis Scotorum secretarius. Illegit. natal.* (*ibid.* n° 257, *fol.* 35).

7. *Dioec. Traject. cum esset mag. art., an.* 1417 Coloniam *profectus est. Vid.* Keussen, I, 158, *ubi perperam confunditur cum Henrico, qui an.* 1386 *factus est bacc. Pragens.*

8. *An.* 1417 *ut mag. art., Colon. dioec.* Coloniae *intit.*

It. det. dom. Johannes de Wesalia sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa V sol.

It. det. dom. Guillelmus de Wesalia sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa V sol.

It. det. dom. Mathias de Ghetelen sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Ulricus Markoardi sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa II sol.

It. det. dom. Nycolaus Ade sub mag. Johanne Wenck, cujus bursa II sol.

1416

Acta in procuratoria magistri Guillelmi Scot[1].

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCCC° XVI°, nona die mensis Marcii, super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui, et secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est in procuratorem magister Guillelmus Scot. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut in suis actis haberetur gratus, avoatus et recommendatus, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa. Et in eadem congregacione supplicavit unus determinans nomine Ysaias, quatinus nacio sibi daret dilacionem suarum bursarum, que supplicacio non fuit concessa, nisi pro illo tempore juraret paupertatem, et de facto paupertatem juravit, quousque ad pingveora perveniret.

Sequuntur nomina determinatium in procuratoria magistri Guillelmi Scot.

Determinavit dominus Petrus Lenghem sub magistro Joh. Venk, qui pro tunc asceruit paupertatem.

It. det. dom. Robertus de Crannach[2] sub mag. Guillelmo Spaldyn, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Jacobus Roberti sub mag. Guillelmo Spaldyn, cujus bursa VI sol.

It. det. dom. Gerardus Stalbiter[3] sub mag. Johanne de Crannach, cujus bursa XII sol.

Item facta congregacione XVIa mensis Marcii super supplicacionibus aliquorum determinantium de suis bursis pro dispensacione habenda, quia pro tunc paupertatem jurarunt quousque ad pingueora perveniant. Quorum primus nominatur :

Nicholaus Rospacha et determinavit sub magistro Johanne Venk.

Secundus nominatur Hermanus Komel.

Item determinavit dominus Ysaias Parvifabri[4] sub magistro Joh. Wenk, cujus bursa VI sol.

1416

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione in anno Domini M° CCCC° XVI° super supplicacione cujusdam licenciati pro dilatione suarum bursarum, cujus supplicacio ab omnibus concessa fuit, dummodo poneret vadia sufficientia.

Sequuntur nomina incipientium in presenti procuratoria.

Primo dominus Johannes Bortdwik sub magistro Guillelmo Spaldyng, cujus bursa VI sol.

(*Fol. 74*) Sequuntur nomina licentiatorum in presenti procuratoria, sed nomina non fuerunt posita secundum ordinem, ut omnes michi procuratori retulerunt, ideo ordinem alium apposui[5].

Primo licenciatus est Gerardus Stalbiter sub Johanne Cranach, cujus bursa XII sol.

It. lic. est dom. Willelmus Tol sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Conradus Lully sub magistro Willelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Conradus Lapideicollis[6] sub eod., cujus bursa VI sol.

(Keussen, Matrikel, I, p. 156), *an.* 1419 Bononiae *invenitur* Petrus de Molendino, *S. Salvatoris Traject.* (Acta nat. German., p. 170).

1. *Seu* Scut, *Traject. dioec.*

2. *Frater* Johannis de Crannoch, *et postea etiam bacc. in decr., Joh. Stuart, comitis de Buchan et de Douglas constabularii Franciae, secretarius, ut dicit* (Suppl. Mart. V, n° 175, *fol.* 229 b, *ad an.* 1424). *An.* 1430 *archidiac. Morav.* (n° 248, f. 4); *an.* 1437 *decanus Dunblanens.* (Suppl. Eugen. IV, n° 330, *fol.* 150 b).

3. *Sed hic et postea legi potest* Stawiter. Gerardus Stalbiter *an.* 1411 *intitulatus* Coloniae (Keussen, Matrikel, p. 126). *Fuit de* Riga. *Sed an.* 1424 *pro eccl. paroch. de Aerlebeke Leodiens. dioec. supplicavit* (Suppl. Mart. V, an. 7, n° 166, *fol.* 97). *An.* 1426 *can. Tarbatens.* (ibid. n° 195, *fol.* 246).

4. *Jam supra* p. 206, 36.

5. *Equidem a* Conrado Lully *usque ad ultimum ordo redintegratur per litteras* a, e, g, c, b, d, f *in margine appositas.*

6. *I. e.* Steinbühel.

It. lic. est dom. Georgius Ker sub eod., cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Johannes Carpentatoris sub eod., cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Arnaldus Deyman sub mag. Johanne Johannis, [cujus] bursa V sol.

It. lic. est dom Ebrehardus Hi[r]tfelt sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VIII sol.

It. lic. est dom. Theodricus Elbroch[1] sub eod., cujus bursa V alb.

Sequuntur nomina incipientium in presenti procuratoria.

Primo incepit dominus Gerardus Stalbiter sub mag. Joh. Cranach, cujus bursa XII sol.

It. dom. Willelmus Tol sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. Conradus Lulli sub mag. Guilhelmo Lochem[2], cujus bursa VI sol.

It. Arnoldus Deymant sub eod., cujus bursa V sol.

It. Johannes Carpentatoris sub eod., cujus bursa VI sol.

It. Everardus Hertvelt sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VIII sol.

It. Theodricus Elborch sub eod., cujus bursa V alb.

It. Georgius Kar sub eod., cujus bursa VI sol.

It. Conradus Steynbuhel sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VI sol.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Primo Galterus Blar sub mag. Guillelmo Spaldin, cujus bursa IX sol.

It. Johannes Bening sub eod., cujus bursa VI sol.

It. Godefridus Lanfelt sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IX sol.

It. Theodricus Ghelren sub eodem cujus bursa VIII sol.

It. Theodericus de Gouda sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. Albertus Scrother sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VIII sol.

It. Michael Hertruyt sub eod., cujus bursa II sol.

It. Jheronimus Galdineir sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. Andreas Bott sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

It. Jacobus Stramigloth sub eod., cujus bursa VI s.

It. Reynerus Kreyt sub eod., cujus bursa V sol.

It. Conradus Bragkenheyn sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VIII sol.

It. Nicholaus de Gonda sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Sequuntur nomina incipientium.

Incepit Galterus Blar sub mag. Guillelmo Spaldin, cujus bursa IX sol.

It. Johannes Bening sub eod., cujus bursa VI sol.

It. Godefredus Lanfelt sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IX sol.

It. Theodricus Ghelren sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. Theodricus de Gouda sub eodem, cujus bursa VI sol.

It. Albertus Scroether sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VIII sol.

It. Michael Hertruyt sub eod., cujus bursa II sol.

It. Jheronimus Galdineir sub eod., cujus bursa IIII sol.

It. Andreas Bott sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

It. Jacobus Stramigloth sub eod., cujus bursa VI s

It. Reynerus Kreyt sub eod., cujus bursa V s.

It. Conradus Bragkenheyn sub mag. Guillelmo Lochem, cujus bursa VIII sol.

It. Nicholaus de Gouda sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Summa illius est XIX lib., XVI sol., II alb.

1416

(*Fol.* 74[b]) Acta in procuratoria mag. Nicholai Richeshein.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M. CCCC. XVI°, IIII[a] die mensis May[3] super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Et secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est in procuratorem magister Nicholaus Richeshein. Et quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa. Item Nicholaus Rospach supplicavit pro littera testimoniali de gradu bacula-

1. *Infra* Elborch (Elburg, *Traject. dioec.*).
2. *Qui legatus ad Conc. Constant. fuit, et tunc Parisiis morabatur. Vid. infra.*
3. *Martii* 24 *mag.* Guillelmus de Valle *in rectorem electus est* (Opp. Gerson, V, 578). Bul. V, 920, *perperam* Simon de Bergeriis.

riatus in artibus, cujus supplicacio similiter fuit admissa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die XXI^a mensis May, super tribus articulis. Primus erat ad substituendum aliquem in officio receptorie, quia magister noster, magister Guillelmus Bloc receptor nacionis predicte, se a Parisius usque ad modicum tempus recessurum asseruit. Et quoad istum articulum substitutus fuit a nacione nemine contradicente in receptorem magister Guillelmus Lochem, ut magistrum nostrum magistrum Guillelmum Bloc dominum receptorem, quia magister sibi familiaris, a laboribus facilius supportaret. Quo se excusante quod officium illud usque ad reventum predicti magistri nostri exercere nequiret propter ejus *recessum ad Consilium Constanciense*[1] et alias occupaciones, quas propter ejus recessum, etc., allegavit, nacio concessit et voluit eum supportando nimiis a laboribus, quod solummodo inposterum reddere haberet computum de peccuniis recipiendis ac exspensis et misiis faciendis a tempore sue substitutionis, sic tamen quod reciperet et retineret a domino receptore magistro nostro magistro Guillelmo Bloc inscriptum conputum de peccuniis receptis per antea, misiis factis et exspensis, debitis nacioni ac aliis per receptorem communiter declarari requisitis. Qui magister noster dominus receptor statim Parisius reventurus, ut retulit, de omnibus jam dictis personaliter faciet computum et satisfactionem vel saltem in brevi per alium hoc fieri procurabit.

Secundus articulus erat de modo requirendi magistrum Jacobum Harlem et Remaldum Heinrici bacularium in artibus, scriptis vel alio modo, quod nacioni debita persolvere vellent. Et quo ad istum articulum primo deliberavit nacio fieri litteras secundum quod viderentur a receptore prodesse nacioni vel aliquibus deputatis sine ulteriori remissione earumdem ad nacionem propter majorem accelaracionem, et ne amplius retraherentur, magistro Jacobo Harlem mittendas cum domino receptore magistro Guillelmo Bloc, cui plena data fuit potestas recipiendi debita illa et quittandi nomine nacionis. In quibus quidem litteris moneretur graciose, ut satisfaceret nacioni sine remissione ad alienos, qui nec se obligaverunt, ut referunt, nec pro eo se volunt obligare, cum ipse sit qui nacioni satisfacere teneatur, alias contra ipsum procedetur prout ordo juris, justicie et rigoris requiret procedendum. Item quod fierent littere ad requestam domini receptoris, in quibus supplicarentur consulibus civitatis Trajectensis, ipsis supplicando, quatenus monerent Heinricum Pauli eorum concivem, ut solveret nacioni ratione Remaldi Heinrici filii sui adhuc debita nacioni ratione bursarum, quas in suscepcione gradus baculariatus in artibus nacioni solvere tenebatur et tenetur, atque eas domino receptori solvere promisit predictus Remaldus Heinrici, provincie Almanie provisor, prout propria scripsit manu. Ideoque supradicte littere fuerunt facte eodem die et sigillate magno sigillo nacionis ac transmisse cum domino receptore magistro nostro magistro Guillelmo Bloc supradictis in forma, sicud fuit conclusio nacionis.

Tercius articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad istum articulum dominus receptor mag. G. Bloc, sacre pagine professor[2], supplicavit, primo ut de per ipsum peractis haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus, et multum regraciabatur toti nacioni et cuilibet supposito in particulari de honoribus et beneficiis sibi inpensis ob eorum contemplacionem. Que supplicacio ab omnibus fuit concessa.

. . . .

1416

(*Fol.* 75)[3] Acta in continuacione ejusdem (*ignoti*).

Facta congregacione nacionis Anglicane XXIII^a die mensis Octobris super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quoad hoc continuatus fuit antiquus. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit antiquus procurator quod haberetur gratus, avoatus et recommendatus; cujus

1. Guillelmus Lochem *unus ex ambassatoribus Universitatis ad Concilium generale fuit, qui tunc cum subbedello* Mathia *Parisiis reversus erat, fortasse ad conferendum de propositionibus Johannis Parvi. Jam an.* 1415, *Junio*, Benedictus Gentiani *et* Jacobus Desparts *illuc sententiam Concilii depositionis Johannis XXIII portaverunt* (Rel. de St-Denys, V, 696). *Ut vero e superioribus patet, Guillelmus Lochem per totum an.* 1415 *Constantiae morabatur. De recessu ad Constantiam vid. infra ad an.* 1417, *Martii* 24.

2. *Maximi momenti est, Guil. Bloc receptorem nationis fuisse, quamquam jam mag. theol. fuerat. Numquam antea hoc evenit.*

3. *In medio quaterno desunt jam a saec.* XVII *duo folia, in quibus scripta erant acta* Junii *usque* Octobris. *Quae sequuntur alia manu scripta a quodam procuratore, cujus nomen nos latet, quamvis e scriptura adhibita* Guil. Spaldyn *suspicari possis. E* p. 216, 2, *liquet, quis Sept.* 21 *in receptorem electus sit, scil. mag. Joh. Crannach. — Addimus, Junii* 23 *usque Octob.* 10 *Normannum* Radulphum Recuchon *rectorem fuisse* (Opp. Gerson., V, 329 b; *adde* Mem. fac. decr. Paris. I, *fol.* 19 b), *minime ut* Bul. V, 920 *refert*, Petrum Rood, *qui an.* 1418 *solum determinavit.*

supplicacio fuit concessa ab omnibus nemine reclamante.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M^{mo} CCCC^{mo} XVI, die X^{ma} mensis Novembris super duobus articulis. Primus fuit super provisione festi sancti Eadmundi; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni habere festum sicud consuevit habere aliis temporibus et tunc elegit provisores magistrum Thomam Lyn, Scotum, magistrum Conrardum [1], magistrum Johannem [2], et placuit ei eciam habere cantores et organistam, secundum quod alias consuevit, et placuit nacioni pro tunc invitare nobiles viros de nacione non graduatos in artibus tenentes honestum statum. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1416

(*Fol.* 75^{b}) Acta in procuratoria magistri Henrici Clint de Luneborch.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M^{o} CCCC^{o} XVI°, die XVIII^{a} mensis Novembris super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super suplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est in procuratorem magister Henricus Clint de Luneborch, nemine contradicente. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis haberetur gratus avoatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa nemine contradicente.

Facta congregacione Universitatis in Sancto Maturino anno quo supra, die XV^{a} mensis Decembris, super tribus articulis. Primus ad audiendum ea que facta sunt in factis privilegiorum. Secundus ad audiendum minutas mittendas ad diversos prelatos et ad legatos studiorum in Concilio generali existentes super condempnacione proposicionum magistri Johannis Parvi [3], et super provisione fienda contra intencionem prelatorum super collacione beneficiorum. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, factum privilegiorum erat expeditum per dominum rectorem, sic quod nulli molestantur et privilegia stant in sua libertate ut nunc. Quoad secundum articulum placuerunt minute lecte ut sigillarentur et mitterentur. Quoad secundum punctum hujus articuli fuit requisitus dominus rector per procuratorem nacionis Anglicane nomine nacionis ejusdem, quod faceret suum successorem jurare, quod intencioni prelatorum in collacione beneficiorum resisteret, quocienscumque esset oportunum. Quoad tercium articulum supplicaciones erant concesse, dempta una propter absenciam supplicantis. Item supplicavit magister Thomas de Prucia in nacione specialiter pro adjunctione nacionis in causa sua, qui erat graviter vulneratus a quodam scutifero. Cujus supplicacio ab omnibus est concessa.

1416

Acta in continuacione ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, die XVI^{a} anni [et] mensis quibus supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus procurator. Quoad secundum supplicavit antiquus procurator ut in factis per eum haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus est concessa nemine reclamante.

1417

(*Fol.* 76) Acta in procuratoria magistri Johannis Braem de Zutphania.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XIII^{a} die Januarii, anni Domini M^{i} CCCC^{i} XVII secundum stilum Romanum super duobus articulis, quorum primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer nemine reclamante magister Johannes Braem de Zutphania. Quoad secundum supplicavit dominus antiquus procurator ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus. Cujus supplicacio fuit admissa et concessa nemine contradicente. Item requisivit magister Guillelmus Lochem loco magistri Guillelmi Bloc, ut compotus magistri nostri predicti in grosso videretur, et viso compoto

1. *Postea spatium.*
2. *Postea spatium.*
3. *Vid. de hoc* Chartularium. *Breviter dicendum, propositionum* Joh. Parvi *condemnationem per Universitatem, episcopum Paris et inquisitorem in Concilio Constantiensi tunc temporis annullatam esse. Vid. de hoc epist. Universitatis an.* 1416, *Maii* 10, *in* Opp. Gersonii, V, 575. *Mense Aug. usque Octob. magistri et baccal. theol. condemnationem propositionum subscripserunt, et Nov.* 4 *epistola publicata fuit* (Opp. Gerson., V, 326 b). *De facultate decret. vid.* Chartul.

quod placeret nacioni, quod magister Guillelmus Lochem poneret vadia sufficientia in manus domini receptoris. Et ista requesta fuit admissa. Item electus fuit magister Guillelmus Lochem in legatum ad adeundum dominum delphinum [1].

In crastinum, scilicet XIIII^a die ejusdem mensis et anni, facta congregacione facultatis artium apud Sanctum Julianum ad dispensandum cum aliquibus scolaribus determinare volentibus, et placuit facultati et nationi dispensare, quod possent determinare usque ad quadragesimam exclusive.

Facta congregacione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno predicto, die XXIX^a mensis Januarii, ad videndum statum nationis et specialiter super facto magistri Wilhelmi Bloc, qui fuit receptor et recessit necessitate coactus compoto non audito. Super cujus facto dati fuerunt deputati antea a natione, quibus videbatur quod defalcatis misiis a receptore secundum compotum inscriptum libro receptoris manu magistri Bloc predicti ipse magister Guillelmus Bloc debuit LXVIII lib. parisien. et X sol., prout eidem deputati retulerunt in nacione. Et hoc placuit nacioni, salvo tamen semper compoto meliori, si quem magister predictus Guillelmus Bloc facere velit.

Verum est quod magister Johannes Derlinc respondit magistro predicto Guillelmo Bloc pro XII libris parisiens. et IIII solidis, pro quibus posuit vadia postea declaranda.

Item magister Guillelmus Lochem solvit pro cappis rectorum XXXIII bachellariorum XI francos cum dimidio; item pro bursis rectorum septem bachellariorum incipientium post recessum magistri Guillelmi Bloc predicti in substitutione sua solvit magister Guillelmus Lochem II francos cum uno solido.

Item magister Guillelmus Lochem recepit sex scuta et sex solidos a vadio magistri Gerardi Snavel et vadiis magistri Conradi Gitlingen superius nominatis [2], et nacioni concessit quatuor scuta. Que decem scuta et sex solidos natio dedit magistro Guillelmo Lochem pro legacione quando ivit ad Compendium.

Et sic in toto exposuit magister Guillelmus Lochem XVIII francos cum uno solido defalcandos a predicta summa debita per magistrum Guillelmum Bloc quia Lochem computat eos nomine magistri Guillelmi Bloc. Quare magister Guillelmus Bloc sepedictus habet ponere vadia pro XLII libris, et posuit sub manibus receptoris, pro tunc magistri Johannis Cranach, vadia pro illis debitis cum vadiis antiquis ab eo receptis, et declarabuntur inferius.

Item magister Guillelmus Lochem nomine magistri Guillelmi Bloc presentavit rotulum nationis, cujus magister G. Bloc erat inrotulator, et dominus receptor recepit eum, scilicet magister Joh. Cranach. Summa autem inrotulatorum, qui solverunt, ascendit ad decem francos, quos dictus receptor recepit per manus predicti magistri Guillelmi Lochem. Verum est quod quidam magister, nominatus Gerlacus de Wiringia inrotulatus in dicto rotulo mortuus est, et solvit dimidium francum, qui non est datus receptori, nam nationi placuit convivere et intravit *mulam* ante Sanctum Maturinum, et exposuit XXV solidos, IIII denarios, super quibus defalcandus est predictus dimidius francus, quem magister G. Lochem solvit. Et sic natio exposuit XVII solidos, IIII denarios.

Hec approbo teste nomine meo hic subscripto, pro tunc procurator. J. ZUTPHANIA.

(*Fol.* 76^b) Item in congregacione ultima, de qua fit mentio in isto folio ab alio latere, magister Guillelmus Lochem dedit omnia vadia recepta per magistrum Guillelmum Bloc in receptoria sua sub manus magistri Joh. Cranach, tunc receptoris, et sequuntur per ordinem, primo antiqua, secundo nova tangentia receptoriam magistri Guillelmi Bloc.

Primo parvum volumen pro quatuor libris parisiens., pro Guillelmo Thome Scoto.

Item digestum novum pro quinque libris et dimidia, pro Alexandro Guethri Scoto.

Item digestum vetus pro sex libris et quinque solidis, pro Eduardo et Patricio Scotis.

Item decretales pro quinque scutis, pro Georgio de Nova Villa Scoto.

Item Johannicius, Questiones Buridani physicorum et Questiones Orem methaphysice, pro XXX solidis, pro Jacobo Rotscilt.

Item digestum vetus pro quinque libris, quod magister Eduardus Lavedre posuit pro magistro Thoma Lavedre, quia magister Eduardus promisit facere valere dictum digestum dictas quinque libras.

Item Tabule Alfoncii pro duobus francis, pro magistro Georgio Sevel.

Item Clementine et Sextus pro octo scutis pro magistro Johanne Laveroc Scoto. Et super istis con-

1. *Ludovico duce Aquitaniae an.* 1415, *Dec.* 18, *defuncto*, Johannes, *dux Turoniae, delphinus erat, qui vero jam an.* 1417, *April.* 5, *obiit. Jan.* 14, *Parlamentum cum ambassatoribus Universitatis et villae Paris. deputatos misit Compendium ad delphinum, ut provideret damnis illatis per Anglos, et incursionibus hominum dictorum* brigands *finem faciat* (Journal de Nicolas de Baye, II, 276, *et not. ibid.*).

2. *Ad an.* 1415, *Januar.* 16.

cessit magister Nicolaus Ricensheim quinque francos magistro Guillelmo Bloc tempore sue recepte et predictus mag. Nicolaus habet dictum librum penes se.

Item liber de rubeo corio, in quo est Commentum super Sentencias, pro Johanne Bortwic [1] Scoto pro nonaginta quinque solidis. Et istud vadium recepit magister Guillelmus Bloc tempore sue recepte, quod, ut videbatur nationi, non valebat tantum.

Predicta sunt vadia antiqua. Sequuntur vadia posita tangentia receptoriam magistri Guillelmi Bloc, posita per manus magistri G. Lochem sub manibus receptoris Joh. Cranach.

Et primo pro Bloc.

Primo G. Lochem posuit pro Bloc quatuor volumina Bonaventure super quatuor libros Sententiarum; item librum tabularum qui incipit : *Iste opiniones*[2], pro XLII libris parisiens.

Sequuntur vadia posita per magistrum Johannem Derlinc pro illis pro quibus respondit magistro Bloc et magistro Guillelmo Lochem in substitutione ejusdem in receptorem.

Primo, prima pars Jordani pro XII libris et IIII solidis, pro quibus promisit magistro G. Bloc, ut ipse Derlinc in natione confitebatur Quod placuit nationi, salvo tamen compoto magistri Guillelmi Bloc in omnibus.

Item prima pars Sententiarum Scoti pro quinque libris, de quibus respondit Lochem in substitutione sua pro licencia et inceptione Jacobi Stramiglot. Nota tamen quod secundum de istis vadiis, scilicet prima pars Scoti, non potest redimi sine primo, scilicet prima parte Jordani, viso quod prima pars Scoti multo melius valet suum precium pro quo ponitur, quam aliud suum.

Sequuntur debita nacionis sine vadiis.

Primo magister Jacobus Harlem XXXIII libras parisiens.[3].

Item Albertus Yselstein sexaginta duos solidos, VIII denarios.

Ista omnia ego procurator approbo, teste nomine proprio subscripto, et in signum veritatis omnia ista manu propria scripsi die et loco supradictis.

J. Zutphania.

1. *Ex hoc quasi pro certo habetur, eundem esse ac* Joh. Wrich *in* Suppl. Mart. V, n° 158, *fol.* 244, *ad an.* 1423, *mag. art. Paris., ubi dicit se ante an.* 1418 *magistrum effectum esse, et ante magisterium jam per tres annos theologiae studuisse.*

2. *I. e. in fine Commenti S. Bonaventurae fuerunt* Opiniones et errores condemnati, *ut saepe etiam in impressis.*

1417

Acta in continuacione magistri Johannis de Zutphania.

Facta est congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus articulis die decima mensis Februarii anni supradicti, scilicet Mi CCCCi XVII secundum stilum curie Romane super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus autem erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus. Quoad secundum supplicavit idem antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus est concessa.

(Fol. 77) Facta est congregatio nationis Anglicane die XXVa Februarii super duobus articulis. Primus ad eligendum temptatores dominorum determinantium, et ad providendum de mensibus examinandorum in Sancta Genovefa. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum punctum primi articuli placuit nationi antiquus modus hucusque servatus, scilicet quod senior non regens et duo antiquiores regentes et dominus receptor essent temptatores dominorum determinantium. Et circa istud punctum placuit nacioni, quod si essent aliqui bacularii aliorum studiorum, qui se vellent presentare pro isto anno ad gradum bachalariatus, quod haberent se presentare in principio Quadragesime dominis temptatoribus determinantium, nisi essent legitime impediti. Qui domini temptatores, visis illis bachalariis aliorum studiorum, possent notificare procuratori, ut super supplicacionibus eorum nationem convocaret. Quoad secundum punctum primi articuli, scilicet de mensibus, etc. placuit nationi retinere omnes menses in manibus suis, et quod dominus receptor exponeret XX solidos par. retinendos ab illis qui velint examinare in cameris, sic scilicet quod pro primis mensibus duobus dentur tres solidi, pro aliis singulis duo solidi, sic tamen quod antiquior si solvere velit taxam dictam, preferatur juniori.

Quoad secundum articulum supplicavit magister Michael Hartrut, quatenus possit inrotulari, si contingat fieri rotulum et inscribi tamquam presens, viso ejus recessu ad Constanciam cum domino suo

3. *Haec rubrica deleta est, et in margine manu posteriori scribebatur :* tradita fuit mag. Johanni de Arnem pro ambaxiata ad Concilium Papiense anno Dom. 1423. *Hic mentio fit legationis Univers. Paris. ad dictum Concilium, de qua infra ad an.* 1423.

domino archiepiscopo Bituricensi, cujus supplicacioni natio annuit si et in quantum natio hoc facere posset [1].

(*Fol.* 77[b]) Sequuntur nomina determinantium pro anno Domini M[i] CCCC XVII secundum stilum et modum curie Romane.

Dominus Henricus Doeseborch [2] determinavit sub mag. Joh. Custodis, cujus bursa II sol.

Dominus Hermannus Droem de Trajecto inferiori [3] det. sub eod., cujus bursa II sol.

Dom. Johannes de Hoern det. sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Dom. Walterus Remlincroden [4] det. sub mag. Joh. Cranach, cujus bursa VI sol.

Dom. Johannes Wacken det. sub eod., cujus bursa VI sol.

Dom. Henricus de Einbec det. sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

Dom. Ghisebertus Andree det. sub mag. Johanne Carpentatoris, cujus bursa VI sol.

Dom. Henricus Baninch det. sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

Dom. Arnoldus de Tricht [5] det. sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa IX sol.

Dom. Johannes de Galencoep det. sub eodem, cujus bursa IX sol.

Dom. Bernardus Laffarden det. sub eodem, cujus bursa II sol.

Dom. Henricus Gerardi det. sub eodem, cujus bursa III sol.

Dom. Jacobus Dordraci det. sub eodem, cujus bursa VI sol.

Dom. Gerardus Harlem det. sub eodem, cujus bursa II sol.

Dom. Ludovicus Rorich de Hassia det. sub eod., cujus bursa II sol.

Dom. Theodericus Gael de Harlem det. sub mag. Johanne Wenck, cujus bursa II sol.

Dom. Reynoldus Sanders [6] det. sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa X sol.

Dom. Johannes Frostar [7] det. sub mag. Johanne Cranac, cujus bursa VI sol.

Dom. Henricus Rieswich [8] det. sub mag. Henrico Gorinchem, cujus bursa IX sol.

Dom. Ericus Laurentii det. sub mag. Johanne de Cranac, cujus bursa sex solidi.

Dom. Theodoricus Stocman det. sub eodem, cujus bursa VII sol.

Dom. Jacobus Philippi det. sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

Dom. Johannes ten Mersche de Zutphania [9], bachalarius Erfordensis, assumptus est in bachalarium Parisius solutis solvendis, cujus bursa II sol.

Dom. Jacobus Angeli bachalarius Wiennensis [10] assumptus est in bachalarium Parisius solutis solvendis, cujus bursa VI sol.

Dom. Fredericus Wanner bachalarius Wien-

1. *Infra sequitur* : Sequuntur in folio verso nomina determinantium pro isto anno, scilicet M[i] CCCC[i] XVII secundum stilum Romanum.

2. *Fortasse qui an.* 1409 *sub nomine* Hermanni Doseborch de Paderborne *Erfordiae intit.* (Weissenborn, Acten, I, 88.

3. *An.* 1426, 1427, *jam can. et scholast. eccl. B. Mariae Traj., intitul.* Coloniae (Keussen, Matrikel, I, p. 228). *An.* 1421 *factus est canonicus ibidem* (Suppl. Mart. V, n° 151, *fol.* 14 b).

4. *An.* 1428 *fuit vicarius in eccl. Tarbatens., tunc etiam licent. in decretis* (Suppl. Mart. V, n° 195, *fol.* 246).

5. *An.* 1418-1419 *intitul.* (*cler. Traject. dioec.*) Heidelbergae (Toepke, 142), *an.* 1422 *in Universitate* Rostokcensi (Hofmeister, Matrikel, p. 13).

6. *An.* 1423, *fuit can.* Revalens. *et litigabat de canonicatu* Osiliens. (Suppl. Martini V, n° 164, *fol.* 96).

7. *Seu* Forestarii, *ut ad an.* 1418 *nominatur. An.* 1425 *paroch. eccl. de Kirkmaglio, Glasguens. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 176, *fol.* 22). Forster *ad an.* 1432, *cum jam esset can. Glasguens., mag. art. et licent. in decr. De nobili genere procreatus* (Suppl. Eugen. IV, n° 267, *fol.* 45 b).

8. *Ms.* hieswich.

9. Joh. de Mersch *Erfordiae an.* 1412 *intit.* (Weissenborn, *l. c.*, p. 95).

10. *An.* 1412 Jacobus Angeli de Ulma *Vindobonae intit. inter Rhenenses* (Arch. Univers. Vindob., Matr. 1, *fol.* 60). *Ibid. in* Acta fac. art. 1, *fol.*, 167. *legitur* : Item 4a die Marcii (1414)..... congregata fuit facultas per juramentum primo ad videndum scolares volentes se summittere examini pro gradu baccalariatus in artibus, et fuerunt visi 16 scolares infrascripti :... (4) Jacobus Angeli de Vlma....., sed Jacobus de Vlma protunc fuit retardatus usque ad festum Penthecostes propter hoc quod quondam percussit in scolis arcium quendam alium ad effusionem sanguinis, et hoc fuit sibi tunc dictum publice coram facultate, et quod ipse deberet eciam videre, si infra predictum terminum posset obtinere graciam a facultate, alias eciam postea retardaretur. *Altero die pro ipso supplicaverunt rector Universitatis Joh. Fluk, mag. theol. et Joh. de Hamelburg, doct. medicinae. Exinde facultas, praesertim propter patrem praedicti Jacobi,* qui Universitatem et facultatem in pluribus promovit, admisit eundem Jacobum ad examen, sic tamen quod coram facultate per se eciam deberet se humiliare et recognoscere excessus suos et petere indulgenciam et graciam a facultate, quod eciam ipse fecit. (*Ibid. fol.* 168 b) : Item dominica qua canitur *Judica* (25 Mart. 1414)... . fuerunt presentati 12 scolares examinati ad gradum baccalariatus in artibus per examinatores et sicut sunt scripti secundum ordinem locati..... (5) Jacobus Angeli de Vlma... qui omnes fuerunt admissi ad determinandum et recipiendum gradum baccalariatus in artibus, et tunc coram facultate juraverunt. (*Ibid. fol.* 176 b) : Item in vigilia S. Johannis Bapt. (23 Juni 1415)... pro 5 articulo exaudita fuit supplicacio Jacobi Angeli baccalarii petentis licenciam ad complendum disputaciones quadragesimales tempore vacacionum, cum isto moderamine quod non impediat aliquem magistrum vel baccalarium legentem vel disputantem.

nensis[1] assumptus est in bachalarium Parisius solutis solvendis, cujus bursa VI sol.

Dom. Henricus Collectoris bachalarius Wiennensis[2] assumptus est in bachalarium Parisius solutis solvendis; solvit pro bursa VI sol.

(*Fol. 78*) Sequuntur nomina subdeterminantium anni predicti.

Dominus Johannes Duven[3] determinavit sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

Dom. Martinus Theoderici de Leydis det. sub eodem, cujus bursa nichil.

Dom. Henricus Kons det. sub mag. Johanne Carpentatoris, cujus bursa nichil.

Dom. Engelhardus Noltan[4] baccalarius Erfordensis assumptus est in bachalarium Parisius solutis solvendis, cujus bursa II sol.

1417

Acta in continuatione secunda magistri Johannis de Zutphania.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum die decima mensis Martii anni ejusdem, scilicet M° CCCC° XVII, super tribus articulis. Primus erat ad continuandum antiquum vel eligendum novum. Et quoad istum articulum continuatus est antiquus. Secundus erat super aliquibus tangentibus statum et honorem nacionis, et quantum ad istum dixit procurator, quod in die ultime congregationis, scilicet XXV^a Februarii, natio intravit tabernam et exposuit ultra summam quam habebat de avantagio unum scutum, quod magistri in natione in taberna existentes dixerunt nationem debere solvere. Ideo procurator dictus posuit in deliberatione, utrum nationi placeret solvere illud scutum. Super quo natio dixit sic, quod placeret ei pro presenti solvere illud scutum, cum ista tamen provisione quod *amodo magistri non venientes ad congregationes non etiam intrent tabernam*, viso quod, *quando est congregatio, sunt quatuor vel quinque, in tabernis autem triginta* vel eo circa, ad finem ut natio in suis congregationibus per sua supposita honoretur.

Item dominus receptor magister Johannes Cranac presentavit in natione vadia pro duobus qui determinaverunt, scilicet pro Johanne Frostar, cujus bursa sex solidi, et quasdam decretales cum glosa ordinaria. Super quo dixit natio, quod, quia liber ille secundum estimationem plurium magistrorum tunc in natione existentium vix valeret precium quod dictus determinans debet; viso etiam quod secundum statutum nationis vadia ponenda debent esse in proportione sexquialtera ad minus : quod dominus receptor cum illo, quem sibi velit adjungere, dicat dicto determinanti, quod ponat vadia meliora. Item presentavit duos libros Avicenne pro Ludovico Rorich, cujus bursa duo solidi, super quo nacio eodem modo dicit.

Item procurator dixit ad se non venisse nisi unum de bachalariis aliorum studiorum, qui tamen secundum conclusionem nationis deberent venire in tempore quo alii domini determinatores ad procuratorem et receptorem. Ideo natio dixit sic, quod nisi venirent infra quinque dies, natio non admitteret eos isto anno ad bachalariatum.

Tercius articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Quoad istum articulum supplicavit procurator, ut in actis per eum nomine nationis haberetur gratus, avoatus et recommendatus, cujus supplicatio ab omnibus est concessa nemine reclamante. Item supplicaverunt tres determinantes, scilicet Johannes Duven, Martinus Theoderici et Henricus Kons, ut admitterentur ad juramentum paupertatis. Cujus supplicatio est concessa, et juraverunt in presentia nationis.

In crastino, scilicet die XI^a mensis Martii, facta est congregatio Universitatis in Sancto Maturino. Et cum natio se retraxit ad partem, venit venerabilis vir magister Karolus de Turchis de collegio Navarre[5], qui supplicavit nationi, viso quod esset primogenitus patris sui, qui erat de ducatu Juliacensi dum viveret, et viso quod pater in testamento

1. Fridericus Wanner de Nurnberga *Vindobonae intitulatus inter Rhenenses an.* 1409 (Arch. Univers. Vindobon., Matr. I, *fol.* 54 a). *Ex* Acta fac. art. I, *fol.* 146 a : Item 4 die Januarii (1411)..... recipiebantur 11 scolares examinati pro gradu baccalariatus per examinatores presentati, quorum ordo erat iste : Primus fuit Fridericus Wanner de Nuremberga, *seu cler. Bambergens. dioec., ut scribitur in* Suppl. Mart. V, *an.* 4, n° 150, *fol.* 99 b.

2. *In* Acta fac. art. Vindob. I, *fol.* 158 b, *nomen* Collector *redditur in lingua germanica* Samer : Item in die sancti Nycolai (6 dec. 1412) erat congregacio facultatis per juramentum ad videndum scolares volentes se summittere examini pro gradu baccalariatus et presentaverunt se pro tunc facultati 18 scolares..... Heinricus Samer de Muldorff..... Item anno Domini 1413, 3 a die Januarii, congregata fuit facultas per juramentum... admissi fuerunt 11 scolares examinati et locati hoc ordine :... (5) Heinricus Samer de Mulldorff. *Qui an.* 1411 *inter Rhenenses intitulatus est* (Matr., I, *fol.* 58).

3. *Vid. infra* p. 270, 42.

4. De Gotingen, *ut legitur in* Acten der Erfurter Universität, *ed.* WEISSENBORN, I, 91, *ad an.* 1410.

5. LAUNOIUS *in* Navarrae gymnas. hist., p. 210, *illum ad an.* 1433 *tantum inter theol. studentes Collegii affert.*

suo ei dimisit omnem hereditatem, que sibi contigit et contingere posset in futurum, et viso quod super hoc haberet litteras testificatorias judicis de Nigella, ubi pater suus mortuus fuit, quatenus natio sibi vellet concedere litteram certificatoriam, quod esset filius primogenitus, et quod pater ei dimiserat omnem hereditatem, etc. in testamento suo, quia sperabat quod littera nationis sibi multum prodesset, viso quod esset in patria nationis. Cujus supplicacio ab omnibus est concessa.

(*Fol.* 78 b) Facta congregatione Universitatis in Sancto Maturino die XVIII^a^ Martii anni supradicti, et natione in suum locum contracta, venit dominus sacrista Sancti Juliani Pauperis supplicans, ut natio sibi vellet dare duo scuta, sicut alie omnes nationes fecerant et sicut conclusum fuit alias per facultatem. Cujus supplicatio fuit concessa, et natio dedit sibi liberaliter duo scuta. Item supplicatum erat ex parte magistri Pauli hebraici [1], ut natio sibi subveniret. Cujus supplicatio concessa fuit et natio sibi dedit tria scuta, attento quod alie nationes, ut dicebatur, tantum vel plus sibi tradidissent.

In crastino erat congregatio facultatis artium in Sancto Juliano, et ibi fuit assumptus magister Martinus de Tallaicro [2] de Arrogonia de venerabili collegio Sorbone in subcancellarium Sancte Genovefe, qui ibi juravit juramentum requisitum in manus domini cancellarii loci antedicti, presente rectore et facultate.

In vigilia Annunciationis nostre Domine fuit congregata facultas artium in Sancto Juliano ad eligendum novum rectorem, pro quo eligendo datus fuit intrans ex parte nationis Anglicane Johannes de Zutphania, pro tunc procurator, cum aliis tribus procuratoribus trium aliarum nationum, et sic quatuor procuratores quatuor nationum fuerunt quatuor intrantes, *quod raro visum esse omnes dixerunt* [3]. Et cum natio ad partem se retraxit, supplicavit dominus Mathias subbedellus nationis nostre, ut natio substitueret Hermannum de Wezalia in locum suum, viso quod *iturus esset* dictus Mathias *cum aliis ambaxiatoribus ad Constantiam* [4], cujus supplicatio ab omnibus est concessa. Item supplicavit quidam determinans nomine Jacobus Philippi pro littera testimoniali de gradu bachalariatus in artibus in forma communi. Cujus supplicatio ab omnibus est concessa.

Secunda Aprilis fuit congregata facultas in Sancto Maturino ad audiendum juramenta examinatorum et examinandorum in cameris pro primo mense in Sancta Genovefa, et datus est ad primum mensem magister Thomas Liu Scotus. Supplicavit iterum Mathias, quatinus placeret nationi quod injungeretur receptori moderno, magistro Johanni Cranac, ut sibi donarium, quod alio anno, natio deliberaret; et placuit nationi et injunxit domino receptori supradicto.

1417

Acta in procuratoria magistri Johannis de Patavia.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XVII, die septima mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus est magister Johannes de Patavia in procuratorem. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum. Cujus supplicacio fuit unanimiter concessa nemine reclamante.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Primo licenciatus fuit dominus Robertus de Chranach sub magistro Johanne Chranach, cujus bursa VI sol.

Item dominus Petrus de Molendino sub magistro Johanne Chranach, cujus bursa IX sol.

Dom. Heinricus Doetinchem sub eodem, cujus bursa IX sol.

1. *De quo jam pluries.*

2. Martinus de Talayero, diac. Derthusens. dioec., in art. et in theol. mag. consiliarius regis Aragonum, qui magnis temporibus in Concilio Constant. presens extitit. *Sic legitur ad an.* 1417, *Dec.* 20, *in* Suppl. Martini V, n° 104, *fol.* 22 b, 142, 158 b *etc. — Inter Sorbonicos memoratur* Martinus Talayus de Arragonia, *prior Sorbonae an.* 1411 (Arsenal, ms. 1021, p. 132).

3. *Ex quo apparet, quam temere* Bul., Remarques sur la dignité du Recteur, p. 10 *sq. asserat, procuratores nationum communiter intrantes fuisse, quod solum de saec. XIII verum est. Vid.* Chartul. I, n° 187 *et* p. 456. *In natione Anglicana saepe alius intrans ac procurator fuit.*

4. *I. c. secundo. Vid. supra an.* 1416, *Maii* 21. *Proindeque* littera recommendatoria *Universitatis, quam* Bul. V, 296, *publici juris fecit, minime ad an.* 1415 *pertinet, sed ad an.* 1417, *cum isti et alii iterum ad Constantiam recesserunt.* Jourdain, n° 1118, *proprio marte addit,* « mense Januario 1415, » *i. e.* 1416. *Sed originale in* Arch. Univers. Paris. (AA. d., thec. I), *finitur sine nota temporis. Inter novos legatos ibid. nominantur* Guillelmus Hotot *abbas de Cormeriaco O. S. B.* (*lic. in theol. an.* 1408), Martinus [de Brueriis] *lic. in theol.*, Gerardus Faydet *seu* Faydeti *utr. jur. doctor*, ambaxiator Univers. Paris. (Suppl. Mart. V, n° 104, *fol.* 276), *quem fac. decr. in locum Johannis de Villanova substituerat Mart.* 24 (Mem. fac. decr. I, *fol.* 26 b).

It. dom. Ulricus Marquardi sub eodem, cujus bursa II sol.

It. dom. Jacobus Roberti sub mag. Wilhelmo Spalding, cujus bursa VI sol.

It. dom. Theodericus Leydis sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa III sol.

It. dom. Jacobus Angeli sub mag. Johanne Wenkh, cujus bursa VII sol.

It. dom. Hermannus Cumel sub eodem, cujus bursa nichil.

It. dom. Johannes Steinberkh sub eodem, cujus bursa IX sol.

(*Fol.* 79) It. dom. Rogerius de Edinburkh[1] sub mag. Johanne Chranach, cujus bursa II sol.

It. dom. Theodericus Bokler sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

It. dom. Johannes de Zutphania sub mag. Wilhelmo Lochem[2], cujus bursa II sol.

It. dom. Heinricus Meynershaghen sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

It. dom. Bartholomeus Ysbrandi sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

It. dom. Johannes de Wesalia sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa V sol.

It. dom. Wilhelmus de Wesalia sub eod., cujus bursa V sol.

It. dom. Heinricus Collectoris sub eod., cujus bursa II sol.

It. dom. Chunradus Wynshaym sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

It. dom. Fridericus Wanner sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

It. dom. Engelhardus Nolten sub eod., cujus bursa II sol.

It. dom. Gerhardus Eemkert sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

Sequuntur nomina incipiencium.

Primo incepit dominus Robertus de Chranach sub magistro Johanne de Chranach, cujus bursa VI sol.

Item dominus Petrus de Molendino sub eodem, cujus bursa IX sol.

It. dom. Ulricus Marquardi sub eod., cujus bursa II sol.

It. dom. Heinricus Doetinchem, sub eod., cujus bursa IX sol.

It. dom. Theodericus Leydis, sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa III sol.

It. dom. Johannes Steinberch[3] sub mag. Johanne Wenkh, cujus bursa IX sol.

It. dom. Hermannus Cumel sub eod., cujus bursa nichil.

It. dom. Jacobus Roberti sub mag. Wilhelmo Spalding, cujus bursa VI sol.

It. dom. Jacobus Angeli sub eod., cujus bursa VII sol.

It. dom. Rogerus de Edinburkch sub mag. Johanne de Chranach, cujus bursa II sol.

It. dom. Johannes de Zutphania sub mag. Wilhelmo Lochem, cujus bursa II sol.

It. dom. Theodericus Bokler sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

It. dom. Heinricus Meynershaghen sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

It. dom. Chunradus de Winshaym sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

It. dom. Bartholomeus Ysbrandi sub eod., cujus bursa II sol.

It. dom. Johannes de Wesalia sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

It. dom. Wilhelmus de Wesalia sub eod., cujus bursa II sol.

It. dom. Fridericus Wanner sub eod., cujus bursa VI sol.

It. dom. Engelhardus Nolten sub eod., cujus bursa II sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XV^{a} mensis Aprilis, super uno articulo, videlicet super supplicacionibus et injuriis, conquestus est tunc magister Thomas Labatre[4] de Scotia de injuria sibi illata a quodam magistro de nacione Francie de incarceracione, qua ad longum in natione declarata, supplicavit ut nacio vellet se ei adjungere in jure suo. Cujus supplicacio in forma est concessa ab omnibus. Et quia injuria illa ortum habuit ex parte domini Alexandri archidiaconi de Scocia, supplicavit magister Johannes de Chranach in nomine ejus, ut nacio vellet se ei adjungere. Cujus supplicacio fuit concessa. Eciam dixerunt aliqui quod nacio assisteret uni layco de nacione, quare tunc non assistit clerico.

1. *Vid. ad an.* 1429, *Decemb.* 9.

2. *Certe cum nuntiis* Guillelmus Lochem *tunc* Constantiae *fuit. Vid. infra ad Jul.* 3.

3. *Abhinc ordo incipientium per litteras* b, d, a, c, e, g, f, h, i, k, l, m, n, *in margine corrigitur.*

4. *I. e.* Lawedre *seu* Lawader.

(*Fol. 79*[b]) Acta in continuacione Joh. de Patavia.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die quinta mensis Maii, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super requesta aliquorum magistrorum de nacione super bursis rectoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus nemine contradicente. Quoad secundum conclusit nacio dare bursas rectori. Quoad tercium supplicavit primo antiquus procurator, ut in actis per eum haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus. Cujus supplicacio fuit concessa. Secundo supplicavit dominus Rogerus de Edinburkh, licenciatus in artibus, primo, ut nacio vellet eum reputare abilem et ydoneum ad gradum magisterii, ymo ad omnem gradum, donec oppositum esset probatum; cujus supplicacio fuit concessa. Secundo quod si essent aliqui qui vellent eum probare inabilem, quod facerent incontinenti et sine dilacione; cujus supplicacio iterum fuit concessa.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Mathurinum anno quo supra, die XVIII[a] mensis Maii, super tribus articulis. Primus erat ad audiendum *litteras Universitati transmissas de sacro Constanciensi Consilio*. 2[us] erat super facto privilegiorum. 3[us] erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum regraciabatur nacio nunciis nostris de communicacione litterarum suarum; contenta in eis placuerunt. Quoad secundum voluit nacio laborare omnibus modis et viis possibilibus pro conservacione privilegiorum suorum. Quoad tercium inter ceteras supplicaciones que ibi erant, supplicavit in nacione magister Chunradus de Wiinshaym pro quadam toga, quam posuit receptori pro quadraginta solidis, ut nacio vellet sibi reddere togam et capere fidejussorem. Conclusit nacio tunc, viso quod erat pauper, sibi dimittere togam et pecuniam, donec deveniret ad pi[n]guiorem statum. Et illo tunc idem magister supplicavit pro littera testimoniali. Cujus supplicacio erat concessa.

Facta congregacione facultatis artium in Sancto Maturino anno quo supra, die XXII[a] mensis Maii, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum et baccalariorum examinandorum in Sancta Genovefa pro ultimo mense. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit nacioni audire juramenta magistrorum tunc et baccalariorum, etc. Quoad 2[um] supplicavit magister Johannes de Chranach pro magistro Rogero de Edinburch pro littera testimoniali. Cujus supplicacio fuit concessa in forma communi. Secundo supplicavit magister Johannes Steinberch eciam pro littera testimoniali in forma communi. Cujus supplicacio fuit concessa.

1417

Acta in procuratoria magistri Thome de Dirsovia.

Facta congregacione nacionis Anglie anno Domini M° CCCC° XVII, die II[a] Junii, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum procuratorem novum aut ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus est mag. Thomas de Dirsovia in procuratorem. Quoad 2[m] supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum. Cujus supplicacio fuit concessa unanimi magistrorum consensu.

Nomina incipientium.

Primo dominus Gerardus Eemkert diocesis Trajectensis sub magistro Joh. Johannis, cujus bursa duorum solidorum.

(*Fol. 80*) Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra die [1] Junii super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras transmissas de Concilio Constanciensi. Secundus erat ad habendum proponentem in facto privilegiorum nostrorum coram rege. Quantum ad primum regraciabatur nacio nunciis de communicacione litterarum suarum. Quoad 2[m] voluit nacio, quod facultas theologie daret proponentem, et datus est magister regens pro tunc Carmelitarum. Quoad 3[m] supplicaverunt duo pro litteris presencie, et concessit nacio.

In vigilia sancti Johannis Baptiste fuit congregata facultas artium in Sancto Juliano ad eligendum novum rectorem, pro quo eligendo datus fuit intrans ex parte nacionis Anglicane magister Eduardus Lawader de Scotia. Quoad articulum supplicacionum nacio habuit rectorem gratum, avuatum et recommendatum.

Facta est congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVII[a] Junii anno quo supra ad

1. *Postea spatium.*

audiendum dominum Henricum Collectoris, diocesis [Salzeburgensis [1]], qui supplicavit in plena nacione, ut fieret sibi gracia de expectacione pecuniarum pro inceptione in artium facultate, quique obtulit se obligaturum littera obligatoria aut respondente, quia pro certo dicebat se non habere vadia. Cujus supplicacio interempta fuit propter statutum ad hoc in contrarium factum.

Facta est congregacio nacionis Anglicane ad audiendum litteras nacioni transmissas de *Constanciensi Concilio*. Et audite sunt, et nacio regraciabatur magistro nostro magistro Wilhelmo de Lochem, qui easdem scripsit nobis, nostre nacionis ambaxiator. Et hec congregacio facta est in die sabbati tercia Julii anno ubi supra.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVII^a mensis Julii anno quo supra, super tribus articulis. Quoad secundum deliberatum est quod vadia ultra annum dimissa vendantur, et executores sunt procurator, dominus receptor et magister Johannes de Zutphania. Et quoad magistrum Jacobum de Herlem nacionis debitorem, voluit nacio scribere reverendo episcopo Trajectensi et suo capitulo, ut placeret ipsis eum ad solucionem compellere [2]. Quoad tercium concessa sunt graciose magno bedello nacionis octo scuta, et duobus aliis bedellis totidem, ita quod Mathias existens in Concilio habeat duo, et Hermannus, qui presens est, sex. Et ad visitandum ymaginem sancti Eadmundi [3] et scolas stillicidiosas sunt deputati procurator et magister Andreas Hequel.

Quoad primum articulum computavit dominus receptor magister Johannes de Cranach in presencia nacionis, et recepta omnis, a prima die sue electionis usque ad presentem diem exclusive, ascendit ad summam octoviginti sexdecim librarum, quatuor denariorum. Et misia eodem tempore ascendit ad centum et decem libras. Quibus defalcatis restat nacioni in parata pecunia sexaginta sex libre cum quatuor denariis. Et hec omnia ego Thomas, etc. procurator approbo, cum manu propria scripta, anno et die supradictis.

1417

Acta in continuacione Thome de Dirsovia.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud S. Maturinum anno quo supra, die XXVII^a mensis Augusti, super 2 articulis. Quantum ad primum continuatus est Thomas de Dirsovia, recommendatus et gratus in actibus suis. Quantum ad secundum supplicavit idem continuatus ut haberetur recommendatus, et tota nacio annuit sue supplicacioni.

(*Fol. 80^b*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die beati Mathei, anno Domini millesimo CCCC^mo XVII, electus est magister Andreas Hequel [4] in receptorem nacionis, qui pro securitate bonorum nacionis duo obtulit que secundum formam sue oblacionis conclusa sunt et acceptata et grata. Primum est quod de pecunia quam nunc nacio in promptu habet, nichil vult habere, sed placet ei quod ponatur ad archam et omnia exponenda pro festis hyemalibus usque ad novam receptam concedet nacioni de pecunia propria, hoc addito quod primo sibi persolvatur ante quoscumque alios creditores de misiis per eum factis a tempore receptorie sue. Secundum est quod vadia nacionis non vult habere in custodia sua, sed placet ei quod ponantur ubi nacio ordinabit. Et in hac congregacione factus est compotus antiqui receptoris, ut scribitur in pagina precedente. Item concessa est supplicacio pro Greco [5] quod receptor det sibi tantum sicut alie naciones sibi dederunt. Et hec sunt quoad primum articulum. Quantum ad secundum supplicavit antiquus receptor, ut haberetur gratus et recommendatus, et tota nacio unanimiter annuit sue supplicacioni. Item supplicavit mulier procuratrix Greci pro subvencione ejusdem Greci, et dedit nacio sibi liberaliter quatuor scuta, uti alie naciones fecerunt. In cujus rei testimonium hiis presentibus signum meum manuale apposui. THOMAS DE DIRSOVIA.

1417

Acta in procuratoria magistri Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXIII^a die mensis Septembris anno Domini millesimo CCCC^mo XVII super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus est concorditer magister

1. *Vid. infra ad an.* 1417, *Dec.* 9 p. 236, 4.
2. *Ut ex hoc verisimile redditur*, Jacobus de Harlem, *religiosus S. Dionysii* (*vid. ad* an. 1413, Maii 25) *non idem est ac ille; vel si idem, religiosus S. Dionysii non remansit.*
3. *Vid. supra ad an.* 1409, *Septemb.* 2.
4. *I. e.* Andreas de Bavaria.
5. *Sicut* Paulus de Bonafide *in Universitate lingua hebraicam et chaldaeam docuit, sic quidam fortasse Graecus linguam graecam tradidit, quod utique memoriae prodendum.*

Rogerus de Edynburgh in procuratorem. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus; cujus supplicacio ab omnibus est concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno et mense quibus supra, vicesima septima die super tribus articulis. Primus erat ad providendum et disponendum de pecuniis nacionis et de vadiis. Secundus erat super distribucione scolarum pro regentibus. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum de vadiis conclusum est quod ponerentur in archa in Sancto Cosma, et quod residuum, si non posset ibi poni, quod ponatur in archa in Sancto Maturino. Et in hac congregacione antiquus receptor portavit omnia vadia tam nova quam antiqua ad nacionem, et ibi in presencia nacionis Beumondus cepit ea ad ponendum in (*Fol. 81*) archa. Item magister Johannes Crannak, antiquus receptor, respondit nacioni pro tribus vadiis primo nominatis, videlicet pro Guillelmo Thome Scoto et pro Alexandro Guthry Scoto, et pro Eduardo et Patricio Scotis, quorum trium vadiorum summa ascendit ad XV libras et XV solidos parisiens. Et hoc fecit ad requestam magistri Alexandri Guthry Scoti, qui promisit solvere nacioni et tenere dictum de Crannak indempnem. Et quia non solvit, idcirco dictus de Crannak habens tres libros secum dimissos per eum, posuit illos tres libros nacioni pro summa predicta, videlicet Breviarium ad usum Scotie incipiens secundo folio in principio *tuos quesumus domine Deus;* item incipit in ultimo folio in principio *lampades autem sunt*, bene ligatum in asseribus coopertis tegumine sericio, clausum etiam cum firmaculis de argento deauratis, habens eciam capitale de argento deauratum cum tribus perlis de oriente, in quo signacula filatoria pendent, qui liber est pro magistro Alexandro Foulertoun, et est in vadio pro duodecim scutis. Secundo posuit unum librum de legibus in papiro et asseribus cum corio viridi. Tercio posuit textum Valerii Magni in pergameno et asseribus.

Quoad pecuniam nacionis conclusum fuit, quod nondum poneretur in archa, quousque videretur summa in promptu exponenda pro reparacionibus tunc inceptis, tam in scolis quam in ymagine [S. Edmundi] [1], et quod iste misie fierent per manus antiqui receptoris, qui pecuniam habebat, et misiis factis conclusit nacio quod residuum poneretur in archa.

Quoad secundum articulum supplicaverunt regentes pro scolis et erant in numero quatuor, quorum supplicacio est concessa.

Primus erat magister Johannes de Cranak, cujus fidejussor erat magister Rogerus tunc procurator.

Secundus erat magister Thomas de Lyn, cujus fidejussor erat [2]...

Tercius erat magister Johannes Wenk, cujus fidejussor erat...

Quartus erat magister Johannes Custodis, cujus fidejussor erat...

Item quoad istum articulum conclusit nacio amplius non tenere duas scolas, quas tenet in vico jure inquilini[i]. Ideo precepit Beumondo quod eas proprietariis resignaret, attento quod *octo scolas habebat proprias.* Item supplicavit unus magister pro scolis magistri Guillelmi Lochem, si veniret de Constancia ad regendum. Cujus supplicacio est concessa.

In crastinum Sancti Dionisii fuit congregata facultas arcium in Sancto Juliano ad eligendum novum rectorem, pro quo eligendo datus fuit intrans ex parte nacionis Anglicane magister Nicholaus [3]. Quoad articulum supplicacionum nacio habuit rectorem gratum et avoatum et recommendatum.

1417

(*Fol. 81^b*) Acta in continuacione magistri Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC^{mo} XVII, vicesima prima die mensis Octobris, super duobus articulis. Quantum ad primum idem Rogerus de Edynburgh continuatus est in procuratorem, gratus atque recommendatus et avoatus in preterita procuracione. Quantum ad secundum annuit sue supplicacioni tota nacio continuandum eundem Rogerum de Edynburgh.

Facta congregacione Universitatis anno quo supra vicesima quinta mensis Octobris apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum *litteras missas ab ambassatoribus Universitatis* de sacro Consilio Constanciensi. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur nacio nunciis Universitatis. Quantum ad secundum inter ceteras supplicaciones quidam juvinis supplicabat pro officio papiratus tunc vacante. Cui dominus rector fecerat

1. *Vid. supra* p. 59, 36 *et passim.*
2. *Postea spatium, et sic post duos sequentes.*
3. *Postea spatium.*

provisionem; quamvis tamen provisio illius officii pertinuerit toti Universitati, et quia idem juvinis per juratos fuerat judicatus sufficiens, nacio approbavit et ratam habuit provisionem domini rectoris de sui gracia. Ulterius in nacione fuerat supplicatum ex parte magistri Thome de Prusia, tunc incarcerati in Castelleto certis de causis ac graviter vulnerati, ut sibi succurreretur de aliqua summa pecunie pro sui relaxacione de carceribus, attento quod pauper erat et nichil habens. Unde nacio commota pietate sibi concessit III francos de mutuo ac nacioni dum facultas evenerit restituendos, et fuit oneratus [1] dominus receptor ad amministrandum illam summam sibi magistro Thome, et ad laborandum pro ejus deliberacione.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, decima tercia die mensis Novembris, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum aliqua proponenda et dicenda ex parte domini nostri regis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ex parte domini nostri exstitit propositum, quod sibi placuit et voluit, quod Mendicantes, qui fuerant resecati et divisi ab Universitate [2], essent reuniti et conjuncti Universitati. Et fuit quedam cedula producta et lecta cum certis condicionibus, in quibus dicti Mendicantes essent obligati et constricti. Que cedula fuit perlecta in Universitate. Et requirebatur ex parte domini (*Fol. 82*) nostri regis, ut dicti Mendicantes essent recepti et reuniti Universitati mediantibus condicionibus in cedula contentis. Super quo articulo deliberavit nacio, quod placuit nacioni quod essent reuniti, tentis condicionibus in cedula contentis, et quod fierent per ipsos Mendicantes subsigilla [3] conventuum, in quibus esset tenor cedule prescripte contentus, per quas litteras essent conventus jurati et obligati tenere et servare in perpetuum condiciones dicte cedule, et quod nullus Mendicantium reciperetur ad gradum in Universitate quin prius popularet servare perpetuo condiciones dicte cedule.

Quantum ad secundum articulum supplicacionum quidam supplicabat pro officio organisterie tunc vacante [4], adducens litteras domine Marie filie domini nostri regis. Pro quo nacio deliberavit ut haberet hoc officium. Exinde in nacione supplicabatur ad succurrendum ulterius antedicto magistro Thome de Prusia, qui fuerat dimissus de carceribus Castelleti ad carceres domini episcopi, et ibidem detentus per plures dies, cui requeste nacio pie condescendit pro finali ejus deliberacione fienda, et concessit sibi Thome 2 francos, ita quod tres primi franci sibi concessi cum istis duobus francis, quorum summa ascendit ad quinque francos, sint sub caucione concessi et ad terminum prestiti, cujus summe totalis terminus fuerat signatus proximum Pascha futurum. Ulterius in deliberacione facultatis super premissis duobus articulis supplicavit procurator nacionis Francie nacioni Anglicane, quatenus nacio Anglicana scriberet litteras dominis de nacione sua in Constancia existentibus *pro libertate Consilii Constanciani*. Qua de causa fuerat congregacio nacionis demandata, ut die sequenti fieret.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, decima quarta mensis Novembris, super duobus articulis. Primus erat de *litteris mittendis Consilio Constanciano* ad requestam nacionis Gallicane. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni scribere in forma caritativa et dulci, exortativa ad libertatem et expedicionem unionis, domino Imperatori et aliis, quibus videretur esse expediens. Ad secundum articulum nulle fuerunt supplicaciones, etc.

1417

(*Fol. 82*^{b}) Acta in secunda continuacione magistri Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum decima octava mensis Novembris anno quo supra, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum novum procuratorem. Secundus fuit communis de supplicacionibus et injuriis [5]. Quantum ad primum idem Rogerus continuatus est in procuratorem. Quantum ad secundum idem Rogerus est avoatus, gratus et recommendatus toti nacioni. Exinde facta fuit supplicacio ex parte magistri Thome de Prusia, ut sibi nacio succurreret in aliqua porcione ulteriori quam prius fecerat ad expediendum ipsum finaliter de carceribus domini episcopi Parisiensis, cui supplicacioni annuens

1. *Ms.* oneraratus.
2. *De hac resecatione Mendicantium nemo hactenus narravit. Fortasse aliqui a tempore Alexandri V et Johannis XXIII exclusi erant. Certe non omnes. Saltem an.* 1416, *Aug. Octob. et Nov. Mendicantes ut alii votum in Universitate Paris. contra propositiones Johan. Parvi emiserunt* (Opp. Gerson. V, 328, *sq.*).
3. *I. e. chartae sigillaate.*
4. Henricus de Saxonia *an.* 1415 *ut organista in Nostra Domina receptus est. Vid. supra ad an.* 1407, *Febr.* 14.
5. Sequitur tertius *in marg. add.*

nacio sibi concessit duos francos ultra porcionem alias sibi concessam, que prior porcio ascendebat ad quinque francos, et adjuncta duobus sunt septem franci, ita quod in presencia nacionis promisit idem magister Thomas et juravit restituere nacioni summam illam septem francorum, dum contigerit ipsum ad pinguiorem fortunam accidere. Tercius articulus erat de ordinacione festi sancti Edmundi, et quantum ad illum placuit nacioni facere [festum] in die sancti Edmundi, et dati fuerunt provisores festi, etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, quinta die mensis Decembris, super 3^{bus} articulis. Primus ad audiendum *litteras missas de Consilio Constancie* per nuncium nacionis. Secundus ad audiendum finale compotum antiqui receptoris, videlicet magistri Johannis Cranak. Tercius de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur nacio de sibi scriptis a Consilio de electione concordi pape Martini quinti [1] et similiter ambassatori suo regraciatur. Quantum ad secundum audito compoto finali dicti antiqui receptoris de receptis et expensis et pecunia restante, que fuit deliberata receptori presenti, nacio quitavit absolute de omnibus dictum magistrum Johannem Cranak antiquum receptorem. Ad tercium articulum Beumondus bedellus supplicavit audito suo compoto, quod de summa pecunie restante, videlicet octo solidorum parisiensium, poterat depingere quasdam litteras scriptas sub ymagine sancti Edmundi in Sanctis Cosma et Damiano in pictura apparenti nigrore, et hoc sibi fuit concessum a nacione.

(*Fol. 83*) Facta congregacione Universitatis in Sancto Maturino anno quo supra, nona die mensis Decembris, super tribus articulis. Primus erat de confectione rotuli Universitatis. Secundus an portitores rotuli essent elegendi a tota Universitate in confuso, vel per facultates et naciones. Tercius de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum deliberatum et conclusum fuit rotulum fieri per totam Universitatem. Quantum ad secundum conclusum fuit et deliberatum portitores rotuli debere eligi per facultates et naciones, sicut est et fuit consuetudo Universitatis. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector, ut deliberaretur per Universitatem, an *rector concludens* rotulum debeat preponi [2] in rotulo, an *rector claudens* rotulum. Super hoc fuit deliberatum et conclusum quod rector concludens rotulum debeat preponi in rotulo, *quia sic consuevit fieri semper in Universitate*.

Incepit dominus Henricus Collectoris diocesis Salzburgensis [3], cujus bursa II sol.

Facta congregacione Universitatis in Sancto Maturino anno quo supra, decima quarta die mensis Decembris, super tribus articulis. Primus erat ad deliberandum qui magistri et scolares debeant repputari presentes, hoc est gaudere privilegio presencie in rotulo Universitatis. Secundus erat de prefixione termini ad claudendum rotulum. Tercius erat de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum deliberatum fuit et conclusum, quod illi tantum gauderent privilegio presencie in rotulo Universitatis, qui essent presentes in studio Parisiensi pro majori parte ordinarii, incipientis ad festum beati Dionisii preteriti proximo, videlicet anno Domini, etc., decimo septimo. Quantum ad secundum terminus festi Ephifanie proximo futuri est prefixus, et ad tardius festum Purificacionis proximo futurum. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector quatenus haberetur a matre Universitate ratus, gratus et recommendatus in sua rectoria. Et ejus supplicacio concessa est.

(*Fol. 83*^b) Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, decima quinta die Decembris, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum portitorem rotuli cum aliis legatis ad Apostolicam sedem. Secundus erat ad eligendum inrotulatores. Tercius de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum tota nacio concorditer elegit magistrum Johannem Cranak ad portandum rotulum [4] una cum aliis portitoribus Universitatis. Quantum ad secundum inrotulatores fuerunt electi magister Andreas de Bavaria receptor nacionis, et magister Johannes Wermer [5], quod sint simul. Quantum ad tercium supplicavit magister Stephanus [6] in nacione ut esset portitor rotuli bacalariorum nacionis, et sibi fuit concessa supplicacio sua concorditer. Item nacio deliberavit pro inrotulatoribus quod quilibet inrotulandus daret IIII albos inrotulatoribus pro eorum pena.

1417

Acta in procuratoria magistri Johannis Homlyne, Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum die jovis, XV^{ma} die mensis Decem-

1. *Electus est in papam Novembr.* 11, *antea* Otto de Columna, *diac. card. S. Georgii ad vell. aur.*
2. *Ms.* proponi.
3. *Ms.* Salzburen.
4. *Seu* rotulum principalem, *distinguendum a rotulo an.* 1419 *ad curiam portato, de quo infra.*
5. *Legi potest etiam* Wriner.
6. *Postea spatium.*

bris, anno Domini millesimo CCCC^{mo}XVII super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus articulus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus est concorditer magister Johannes Homlyne in procuratorem. Quoad secundum articulum suplicavit antiquus procurator, quod haberetur gratus, et suplicacio sua ab omnibus est concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino die veneris, XVI^{a} die mensis Decembris, anno quo supra super duobus articulis. Primus articulus erat ad presentandum portitorem rotuli baccalariorum baccalariis. Secundus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum magister Stefanus fuit presentatus baccalariis, et ipsi concorditer ipsum acceptaverunt [1].

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino, XXI^{ma} die Decembris, anno quo supra super tribus articulis. Primus erat ad videndum rotulum antiquum, quem habebat magister Johannes de Crannak cum decem francis receptis a viginti magistris de illis qui erant inrotulati, eciam ad eligendum inrotulatores pro novo rotulo. Secundus articulus erat ad taxandum quotam pro magistro Johanne Crannak tam ex parte nacionis, quam magistrorum inrotulandorum. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum punctum primi articuli magister Johannes de Crannak [2] presentavit rotulum anticum cum decem francis in promptu [3], et ex ordinacione nacionis dedit rotulum anticum inrotulatoribus, qui tunc elegebantur, scilicet magistro Andree Hequel et magistro Johanni Wermer, et ordinabatur quod quilibet inrotulandus daret eis quatuor albos. Quoad secundum articulum conclusit nacio quod presentes nichil solverent (*Fol. 84*) attento quod oportuit solvere unam bursam capitalem, eciam quod propter guerras non poterant audire nova de partibus. Ideo voluit nacio quod cuilibet presenti redderetur dimidius francus [4], et ita factum est tunc. De absentibus ordinavit, quod quilibet solveret XXIIII solidos pro portitore casu quo non solverent bursam capitalem, et si sic, solverent unam libram. Item concorditer conclusit quod magister Johannes de Crannak haberet expensas suas pro quatuor mensibus, et pro qualibet die unam libram, quam summam, scilicet sexviginti librarum, reciperet partim de absentibus, et aliam partem de pecunia prompta, quam tunc habuit nacio, et residuum in vadiis nacionis. Et tunc facta congregacione ivit nacio ad tabernam, ubi exposuit quatuor scuta, de quibus procurator pro tunc solvit XIIII solidos, et unus novus magister IIII solidos, et nacio IIII solidos, et magister Johannes de Crannak unam libram; residuum, scilicet francum cum XIIII solidis, solvit magister Johannes Crannak [5] de pecunia absencium ex ordinacione nacionis.

Facta congregacione facultatis in Sancto Maturino, XXIII^{a} die mensis Decembris, anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat super diligenciis quas dominus rector fecit in expedicione rotuli mittendi ad curiam, et super solempnitatibus faciendis ob reverenciam coronacionis summi pontificis. 2us articulus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio Anglicana regraciabatur rectori de sua diligencia jam facta. Quantum ad secundum fuit unus suplicans qui erat indirecte magistratus, ut dixit venerabilis nacio Normanie; sed nacio Anglicana dedit deputatos ad videndum statuta Universitatis, si illa essent omnia in suo magisterio observata.

Item immediate post hocc fuit congregacio Universitatis facta in eodem loco super IIII articulis. Primus erat super una *littera missa de curia Romana*, in qua continebatur qua die summus pontifex in concordia fuerat electus. Secundus articulus fuerat super expedicione rotuli. Tercius articulus erat super presencia magistrorum, et qui debent reputari presentes et qui non. Quartus articulus erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio regraciabatur Deo omnipotenti de coronacione facta summi pontificis [6]. Quantum ad secundum suplicavit nacio Anglicana [7] rectori, quod ad omne tardius rotulus expediretur ante festum Regum [8]

1. *Tunc etiam rector electus est, qui fuit* Petrus Forget (Arch. nat. Paris., X^{1a} 1480, *fol.* 120). *Recte* BUL., V, 920, *et* 307 *sq. Fuit bacc. formatus in theol.*

2. *Qui etiam nuntius electus erat pro antiquo rotulo portando Vid. supra ad an.* 1413, p. 158, 38.

3. *Ex hoc, ut de aliis sileamus, liquet, antiquum rotulum minime missum fuisse.*

4. *Quem quilibet viginti inrotulatorum in antiquo rotulo solvit.*

5. Joh. Crannoch *post suam expeditionem Parisios reliquit, immo non reversus est, sed* in obsequiis regis *Franciae Caroli VII fuit, ut ipse in* Suppl. Mart. V, n° 178, *fol.* 216, *dicit, usquedum an.* 1424, *Decemb.* 11, *factus est episcopus Cathanens.* (*ibid. ad an.* 1425, *Maii* 14, *et tom.* I Auctarii, p. 926, *not.* 8). *Alter nat. Scotiae mag.*, Johannes Gray, *etiam in servitiis Caroli VII fuit, et an.* 1425 *ambassiator ejusdem ad Martinum V* (Suppl. n° 178, *fol.* 191).

6. *Novemb.* 21.

7. *Haec vox in ms^{to} sub compendio scripta est et editor in* Partie des pièces et actes qui concernent l'Université de Paris, *rec.* IX (*vel* VIII), p. 11, *legit* AMPLISSIMO, *i. e.* amplissimo rectori, *quod epitheton nondum adhibebatur.*

8. *I. e. ante Januar.* 6.

proximum inde sequens. Quantum ad presenciam nacio deliberavit, quod illi erant presentes reputati, qui pro prima parte et majore erant presentes illius ordinarii [1]. Item erat unus articulus super collacione beneficiorum, et nacio suplicavit rectori, quod ipse laboraret omnibus viis possibilibus ad resistendum prelatis in hoc facto [2]. Quantum ad quartum unus magister suplicavit quod audiretur, qui apellavit a facultate decretorum ad Universitatem, quia dixit quod electus fuerat in portitorem rotuli bacalariorum in decretis; sed doctores in decretis contradicebant. Breviter nacio Anglicana deliberavit quod ipse remitteretur ad facultatem decretorum, et quod ipsi de facultate haberent inde determinare.

Facta congregacione Universitatis in Sancto Martino, die jovis XXX[a] die mensis Decembris, anno Domini quo supra super tribus articulis. Primus erat super presencia magistrorum; secundus erat super collacione unius capellanie tunc vacantis; tercius erat super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio Anglicana deliberavit quod illi reputarentur presentes, qui pro majore parte ordinarii fuerunt presentes. Quantum ad secundum rector suplicavit pro (*Fol. 84*[b]) capellania, et alii suplicaverunt. Sed nacio Anglicana ob favorem rectoris et oficii sui contulit sibi capellaniam, insuper suplicando sibi, quod esset diligens ad hoc quod fierent solempnizaciones ob reverenciam coronacionis summi pontificis. Item suplicabatur sibi ex parte nacionis quod haberet proponentem coram domino rege ad resistendum prelatis super collacione beneficiorum. Et hoc de illo.

1418

Sequuntur nomina determinancium pro anno Domini M.CCCC.XVIII secundum stilum et modum curie Romane.

Dominus Guilermus Sperk, qui determinavit in partibus suis [3], et fuit admissus, cujus bursa IX sol.

Dom. Barwaldus Alberti de Herlem determinavit sub magistro Johanne Custodis, cujus bursa niehil.

Dom. Henricus de Piro Coloniensis diocesis [4], det. sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa IX sol.

Dom. Paulus de Wyttymberch, diocesis Brandeburgens. [5] det. sub mag. J. Custodis, cujus bursa II sol.

Dom. Johannes de Cameraco diocesis Trajaetensis, det. sub mag. J. Custodis, cujus bursa II sol.

Dom. Thomas de Delefs Trajectensis diocesis, det. sub mag. J. Custodis, cujus bursa II sol.

Dom. Hermannus de Stralessondis det. sub mag. J. Wenk, cujus bursa II sol.

Dom. Arnaldus de Trajecto inferiori det. sub mag. Joh. Wenk, cujus bursa III sol.

Dom. Petrus Herberti det. sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa VII sol.

Dom. Conrardus Probst det. sub mag. J. Wenk, cujus bursa II sol.

Dom. Laurencius Lynberk det. sub mag. Johanne Wenk, cujus bursa II sol.

Dom. Petrus de Francphordia [6], II sol.

Dom. Hermannus Rasoris sub Wenek, II sol.

Dom. Guillelmus de Britta de Treveris, Treverens. dyoc. det. sub mag. Joh. Custodis, cujus bursa III s.

Dom. Joh. Meynersen dyoc. Myndens., qui determinavit sub eodem magistro, cujus bursa II sol.

1418

(*Fol. 85*) Acta in procuracione magistri Conradi de Hagenoya [7].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XI[a] mensis Januarii anno Domini M[mo]CCCC[o]XVIII[o] electus fuit predictus magister Conradus in procuratorem, et intravit nacio tabernam et consumpsit quatuor solidos quos dedit dominus receptor.

1. *Rotuli illius, qui vocatur principalis, nihil ad nos venit. Scimus tamen, eum in curia an.* 1418, *Jan.* 29, *signatum esse, ut in rotulo anni* 1423-1424 (Bul., V, 372), *et in* Supplic. Martini V, *ejusque epistolis sexcenties indicatur.*

2. *I. e. ut collatio beneficiorum rediret ad papam* (*vid. supra ad an.* 1415, *Aug.* 26), *Revera* Radulphus de Porta, *mag. collegii Navarrae hoc nomine Universitatis in parlamento coram Carolo delphino an.* 1418, *Febr.* 26, *postulavit, cui rector* Petrus Forget *aliique adhaeserunt. Sed inde rector cum aliis carceri mancipatus est. Vid.* Chartul. IV *et* Tuetey *ad* Journal d'un bourgeois, p. 85, *not.* 3. *Hujus facti mentionem facit etiam* Petrus de Credulio, *mag. in art.*, « qui pro tuendis juribus et libertatibus eccl. Rom. fuit alias cum rectore Universitatis Paris. et deputatis incarceratus, dampna sustinens multiplicia » (Suppl. Mart. V, n° 150, 2da *pars, fol.* 41b *ad an.* 1421, *Aug.* 13).

3. *Fuit* Scotus *et in Universitate* S[t] Andrews *an.* 1415 *determinavit, ut e* Matricula Universitatis *liquet.*

4. *Verisimiliter* Henricus Brunonis de Piro, *qui Coloniae* 1421 (Keussen, Matrikel, I, 174), *an.* 1426 *Bononiae intitul. est* (Acta nat. Germ., p. 176). *Minime Parisiis suos cursus in art. perfecit. Vid. infra.*

5. *Nomen incipit in msto* vran, *caetera non clara. Infra ad an.* 1420 *vocatur* Paulus Mevus *vel* Mewus.

6. *Id nomen et sequentia alia manu inscripta sunt.*

7. *Haec procuratoria pessimo charactere scripta est. Conradus jam senex fuit. Quaedam etiam lineae non ab ipso procuratore, sed ab aliquo adjutore exaratae sunt.*

Item Ulricus Sateler de Feltkirch [1] determinavit sub magistro Joh. Wenk, cujus bursa II sol.

Item Jordanus Mallant sub magistro [Henrico] Mercatoris, cujus bursa IX sol.

Item dominus Gotfridus de Molendino determinavit sub magistro Johanne Wenck, cujus bursa IX sol.

1418

Sequuntur acta in continuacione magistri Conradi de Hagenoya.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum fuit continuatus predictus mag. Conradus in procuratorem, die XI^{a} mensis Februarii, anno Domini quo supra scriptum est, et intravit nacio tabernam *ad signum salmonis*, et solvit receptor nacionis IIII solidos, et procurator solvit eciam quatuor solidos.

Item dominus Johannes Magni sub magistro Henrico Mercatoris determinavit, cujus bursa nichil.

Item dom. Jacobus Lottel determinavit sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dom. Paulus de Sclavonia [2] det. sub magistro Johanne Weenck, cujus bursa nichil.

1418

Sequuntur acta in continuacione secunda magistri Conradi de Hagenoia.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum die XI^{a} mensis Marcii anno Domini M^{mo}CCCC^{mo} XVIII fuit continuatus in procuratorem nacionis Anglicane pro secunda vice.

Sequuntur acta in procuracione mag. Conradi de Hagenoya pro licenciandis anno quo supra.

Item primo Johannes Wacken, cujus bursa VI sol. Solvit receptori et juravit omnia juramenta ad licenciam requisita pro licencia.

Item Johannes Forestarii juravit pro licencia, cujus bursa VI sol.

Item dictus dominus Johannes Forestarii pro inceptione sua in artibus juravit, cujus bursa VI sol.

Item dominus Giselbertus Andree juravit omnia juramenta pro licencia requisita, cujus bursa VI sol.

Item dictus dominus Giselbertus incepit in artibus sub magistro Johanne Wenk, cujus bursa VI sol.

Item dominus Galterus [de] Remlynrode juravit pro licencia, cujus bursa VI sol.

Item juravit pro licencia dominus Arnoldus de Trich[t], cujus bursa IX sol.

Item dictus dominus Galterus [de] Remlynrode juravit pro inceptione, cujus bursa VI sol.

Item juravit dominus Nycolaus Ade pro licentia, cujus bursa II sol.

(*Fol. 85*^{b}) Item juravit dominus Nycolaus Ade licenciatus pro inceptione in artibus, cujus bursa II sol.

Item juravit dominus Johannes de Lapide [3] pro licencia, cujus bursa IIII^{or} sol.

Item juravit pro licencia dominus Hermannus Droem de Trajecto inferiori, cujus bursa II sol.

Item juravit dominus Jordanus Mallant pro licencia, cujus bursa II sol.

Item dominus Hermannus Droem de Trajecto inferiori incepit in artibus, cujus bursa II sol., et incepit sub magistro Henrico Gorkam.

Item dominus Arnoldus de Tri[c]ht incepit in artibus sub magistro Henrico Gorken, cujus bursa IX s.

Item dominus Petrus Fik incepit in artibus sub magistro Joh. Wenk, cujus bursa II sol.

Item dominus Joh. de Galencoep incepit sub magistro Henrico Gorken, cujus bursa IX sol.

Item dominus Joh. de Lapide juravit omnia juramenta requisita pro inceptione in artibus sub magistro Joh. Wench, cujus bursa IIII sol.

Item juravit dominus Johannes Duven omnia juramenta pro licencia in artibus requisita, cujus bursa nichil.

Item juravit dominus Paulus de Sclavonia omnia juramenta pro licencia in artibus requisita, cujus bursa nichil.

Item juravit dominus Heynricus Baninc bacularius in artibus pro licencia in facultate artium, cujus bursa II sol.

Item juravit dominus Reynoldus Sanders, provisor venerabilis provincie Alemanie, dyocesis Reval[i]ensis [4] pro licencia in facultate artium, cujus bursa X s.

1. *Nomen pessime scriptum, potius* renttkirche. *Verum nomen ex infra scriptis ad an.* 1419 *eruitur.*

2. *Vocabatur* Paulus Nicolai, *et fuit dioec.* Zagrabiens. (Arch. nat. Paris., M 65 ^{B}, n° 106). *Homo pessimae indolis nunquam ad officium procuratoris vel receptoris receptus, postea privatus est a natione et Universitate. Vid. infra.*

3. *Nescimus, sitne Joh. de Lapide, qui an.* 1430 *artium mag. rector Lipsiae fuit, postea decret. doct.* (Friedberg, Das Collegium juridicum, ein Beitrag zur Gesch. der Leipziger Juristenfacultät, p. 98). *Certe idem, qui* Coloniae *intitulat. est an.* 1422, *ubi etiam ut lic. leg. et bac. jur. can. affertur* (Keussen, Matrikel, I, 189).

4. *In* Livlandia.

Item juravit dictus dominus Reynoldus Sanders pro inceptione in artibus, cujus bursa X sol.

Item juravit dominus Jordanus licenciatus in artibus pro inceptione in facultate artium sub magistro Joh. Wenk, cujus bursa II sol.

Item juravit dominus Hermannus Rasoris pro licencia in artibus, cujus bursa II sol.

Item juravit dominus Henricus Baninc pro inceptione in artibus, cujus bursa II sol.

1418

(*Fol. 86*) Acta in procuratoria Johannis Johannis alias Reyneri de Leydis.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino, die quinta Maii, scilicet ipso die Ascensionis Domini, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum vel continuandum antiquum procuratorem. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum elegit nacio concorditer magistrum Johannem Johannis in procuratorem. Quoad secundum supplicavit antiquus ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus, cujus supplicacio concorditer concedebatur. Supplicavit secundo quidam licenciatus, videlicet dominus Paulus de Sclavonia quatenus nacio propter Deum dimitteret sibi duos francos consuetos solvi indifferenter ab omnibus pro jocundo adventu. Et quoad istam supplicacionem placuit nacioni sibi propter Deum tradere viginti quatuor solidos, et residuum de bursa propria solveret, eo quod alii idem in posterum acciperent pro consequentia seu ad consequenciam traherent. Supplicavit eciam magister Hermannus Droem de Trajecto inferiori pro littera testimoniali gradus magisterii in forma communi; similiter pro magistro Johanne de Galencoep petivit litteram testimonialem in consimili forma, que quidem supplicaciones fuerunt concesse [1].

Sequuntur nomina licenciatorum in dicta procuratoria.

Licenciatus est dominus Ludovicus Rorich de Hassia sub magistro Johanne Wenck, cujus bursa II s.

Item licenciatus est dominus Gherardus de Harlem sub eodem, cujus bursa II sol.

Sequuntur nomina incipiencium.

Primo incepit dominus Paulus de Sclavonia sub magistro Thoma de Lyn, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Gherardus de Harlem sub magistro Johanne Wenck, cujus bursa II sol.

Nota [2] quod in ista procuratoria in fine, videlicet 29 Maii, pro tunc dominica post festum Sacramenti seu post festum Eucaristie, de mane hora secunda post mediam noctem intraverunt dominus de Insula Ade [3] cum domino Guidone de Bar, pro tunc balivo Autissidiorensi cum suis amicis et confederatis ex parte illustrissimi domini ducis Burgundie, et sibi subjugaverunt villam Parysiensem, et captus fuit comes Arminyaci, pro tunc conestabelarius, cum multis aliis suis complicibus, impeditoribus et perturbatoribus pacis et concordie dominorum de sanguine regis [4].

1418

(*Fol. 86* b) Acta in continuacione magistri Johannis Johannis Reyneri [5] de Leydis.

Die secunda Junii, anni ut supra, scilicet 1418, facta congregacione apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum seu continuandum procuratorem. Secundus ad audiendum aliqua dicenda per dominum Sancte Genovefe. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est concorditer antiquus nemine contradicente. Quoad secundum, dominus non venit nec misit, sed expressum fuit per me procuratorem de

1. *Hoc mense, postquam jam April.* 22 *sessio ultima celebrata esset, patres Concilii Constantiens. pro majori parte profecti sunt, ut etiam Martinus V Maii* 16. *Cancell.* Joh. Gerson *tunc temporis Austriam petivit, seu exilium elegit* (*vid.* p. 246, *not.* 12). *Parisiis pro tunc* Gerardus Macbeti, *mag. theol.*, *vices cancellarii gessit. Sed a Jul.* 6 *hujus anni* (1418) officium cancellarie commissum est per capitulum mag. J[ohanni] Courtecuisse, *can. Paris.*, *Gerardo Macheti tunc absente* (Arch. nat. Paris., LL 112, p. 202). Gerardus Macheti *Maii* 29 *fugientem Carolum delphinum, cujus confessor ab anno sequenti erat, sequebatur* (*vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. I, 63; 87; VI, 394 *sq.*) *Martinus V an.* 1419 *solum, Maii* 1, *Joh. Breviscoxae in substitutum cancellarii confirmavit. Vid.* Chartul. IV.

2. *Sequens relatio mire convenit cum edita a* Tuetey *in* Journal d'un bourgeois de Paris, p. 90, *not.* 3. *Noster vero auctor ut multi in Universitate ex parte Burgundi erat. Caeteros fontes de hoc facto invenies ap.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, I, 32, *not.* 3.

3. *Johannes de Villiers* de l'isle-Adam.

4. *Procurator non ducem Burgundiae, vere inimicum hominem, perturbatorem pacis vocat, sed ejus adversarios.*

5. Vallet de Viriville, Chronique de la Pucelle, p. 169, *not.*, *et* Hist. de l'instruction publique, p. 362, *perperam legit* Zeim, Zeimei. *Auctor ibidem ea edidit, quae ad Maii* 29, *Jun.* 12, *et Aug.* 20 *de commotionibus Parisiis enarrantur.*

receptione magistri Petri Auberti, qui nuper presentatus exstiterat in temptatorem nacionis Picardorum propter mortem discreti viri magistri Johannis de Nova Domo, cui parcat dominus. Qui quidem magister, dum presentabatur a tribus nacionibus acceptatus ad juramentum, sola nacio nostra pro tunc distulit, et causam dilationis dominus Sancte Genovefe querebat. Super quo deliberatum fuit quod dum veniret ad nacionem se presentando, nacio eum pro jurato acceptaret sicud et alie naciones. Quoad tercium articulum supplicavit dictus procurator, ut haberetur gratus et avoatus et recommendatus; que [supplicacio] ab omnibus in forma concedebatur. Item supplicavit Hermannus [Fabri] de Wesalia, viso quod officium subbedellatus diu exercuerat propter absenciam Mathie [1], et nova venerant quod Mathias non intendebat redire ad dictum officium exercendum, quatenus nacio haberet dictum Hermannum recommendatum pro dicto officio exercendo. Et quoad istud dictum est concorditer quod sine prejudicio Mathie pre omnibus presentandis a quocumque sive quibuscumque, nacio acceptat Hermannum, viso quod statum nacionis perfecte congnoscit, quod alii non ita congnoscerent si presentarentur. Et sic supplicacio dicti Hermanni est concessa.

Nota quod in ista procuratoria fuit commocio popularium ville Parysiensis [2], 12ª Junii, que fuit dies dominica, et incepit circa nonam horam versus noctem, et irruerunt in omnes captivos, frangendo captivitates regias, et interfecti fuerunt 1500 homines [3] et ultra, de quorum numero fuerunt comes de Armingac [4], dominus Heynricus de Marla [5], pro tunc cancellarius regis, et alii milites, duo episcopi [6], Constanciensis et Silvanectensis, et de Universitate aliqui de omni facultate et nacione, *excepta nacione Almanie.* Fuerunt enim 3 doctores in theologia, quorum unus Picardus, unus doctor in decretis, unus in medicina, aliqui de Navarra, de nacione Francie et eciam Normanie. Tres doctores in theologia fuerunt magister Johannes d'Acheri episcopus Silvanectensis, nacionis Picardie de Lauduno, magister Benedictus Jenciani [7] Parysiensis, religiosus Sancti Dyonisii, et quidam alter Remensis ordinis Beate Marie de Carmelo [8]. Doctor in decretis fuit magister Wernerus Berrey, pro tunc conservator privilegiorum Universitatis. In medicina fuit magister Joh. Carson [9]. Et de collegio Navarre [10] duo vel tres, quorum unus fuerat quondam rector Universitatis; et de nacione Normanie fuit magister Joh. de Londa [11]. Parcat Deus animabus eorum et omnium fidelium defunctorum [12]. Amen.

1. *Qui fuit Constantiae.*

2. *De ista commotione Burgundionum et popularium contra Armaniacenses omnes aequales referunt; vid. imprimis* Journal d'un bourgeois, p. 96, *sqq.*; Rel. de St Denys, VI, 242 *sqq.*; Chron. de Monstrelet, III, 270. « Quiconque avoit un bon benefice ou office, il estoit tenu Armagnac et mis à mort incontinent » (Juvenal des Ursins, p. 351).

3. Clemens de Fauquembergue *solum* huit cens et au dessus (Felibien, Hist. de Paris, IV, 569ª), *sed* Journal d'un bourgeois, p. 98, *ut supra.*

4. Bernardus comes de Armagnac, *constabularius Franciae.*

5. *Ms.* Merla.

6. *Immo* quatuor *episcopi* : Episcopus Ebroicens. Guillelmus de Canticrs, *olim. suppos. Univers. Paris., doct. decret.* (*vid.* Chartul. III); episc. Lexoviens. Petrus Fresnel, *utriusque jur. lic., itemque Univers. Paris.* (*vid. ibid.*); Silvanectens. episc. Johannes d'Achery, *mag. theol., ad Concilium Constant. legatus Universit., qui adhuc an.* 1417, *Nov.* 29, *gratiam a Martino V recepit* (Suppl. Mart, V, nº 101, *fol.* 19); episc. Constantiens. Johannes de Marla, *filius cancellarii Franciae. Nec tamen inter occisos fuerunt episcopi Bajocens. et Sanctonens., ut* Monstrelet, III, 270, *practendit, nec archiepiscopus Remens., ut* Petrus Cochon *ed.* Beaurepaire, p. 341, *narrat. Cum* Reginaldus de Carnoto *archiep. Remens., ut ipse ad Martin. V an.* 1421 *scribit*, « tempore occisionis facte Parisius multorum prelatorum ac aliorum venerabilium virorum foret ibi captivus, tunc vovit quod si periculum mortis sibi imminentis evadere posset, tota tempora vite sue in diebus mercurii a comestione carnium se abstineret, venerinis in pane et aqua et sabbatinis jejunaret. » *Sed mox, cum salvus esset, istum mitratum paenitebat voti sui,* quod serviendo Carolo regi Franc. et Carolo dalphino Viennens. ac ipsum regnum regenti adimplere non posset, *et commutationem voti postulavit et obtinuit* (Suppl. Mart. V, nº 151, *fol.* 293). *Non esset mirum si quis exclamaret : utinam bene praeparatus sublatus fuisset, cum postea, cancellarius Caroli VII factus* (*ab an.* 1428), *per suam nefandam suggestionem magna ex parte causa fuerit, cur* Johanna d'Arc *in propositis impedita perierit.*

7. *I. e.* Gentiani, *de quo saepius supra. De ejus aliorumque occisione, vid.* Rel. de St-Denys, *l. c.*, p. 246. *Fuerunt in parvo Castelleto incarcerati in quodam loco communi, ad quem parva porta conducebat. Ab homicidis quilibet incarceratorum nominatim evocabatur ut inde exiret.* « Sed dum quilibet ad exeundum per parvum ostium caput submittebat : mox repetitis ictibus ensium et asciarum excerebratus corruebat et ad fetidum lutum proximum trahebatur, ne execrabiles homicidae penam similem succedentibus impedirentur inferre ».

8. *Verisimiliter* Guillelmus Cholet, *de quo passim in processu* Joh. Parvi (Opp. Gerson., V).

9. *Fuit Nivernens. dioec., nat. Gallic., mag. etiam in art. Vid.* Chartul. IV, *ad an.* 1403. *Ibid. clare legitur* Casson, *quemadmodum vulgo in* Comm. fac. med. Paris.

10. « *Tunc capitale erat Navarrici Collegii sodalem esse* », *ait* Launoius, Hist., p. 126. *Collegium a partibus ducis Aurelianens. stetit, et Gerson aliique fortes contra opiniones Johannis Parvi ex hoc collegio erant. Populares istud collegium, quod tunc* Radulphus de Porta, *mag. theol., regebat, violentes ingresssi sunt,* « studentium cameras confregerunt et spoliaverunt in parte, in libraria libros etiam auferentes, et scolares multis afflixerunt injuriis » (Rel. de St Denys, *l. c.*, p. 234). Juvenal des Ursins, p. 359, *narrat, istos bibliothecam intactam reliquisse.*

11. Vallet de Viriville, *l. c. perperam* « Lomera? ou Louda ? ». *Duo fuerunt* Joh. de Londa, *et quidem Bajocens. dioec., unus jam an.* 1403 *mag. in theol., alter tunc studens in theol. et mag. art.*

12. *Alii etiam qui olim Universitatis supposita erant, tunc*

(*Fol.* 87) Facta congregacione nacionis die 17ª Junii super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum auditus est compotus, et placuit omnibus magistris presentibus; et ascendit summa omnium receptorum tam ab antiquo receptore quam a nova recepta, excepto vadio magistri Pauli de S[c]lavonia pro uno franco duntaxat, extendit se ad 118 libras, 9 solidos parisiens.; et summa expositorum ad 82 libras, 10 solidos, 8 denarios, que quidem summa defalcata a priori summa remanent nacioni 35 libre, 18 solidi parisiens. Quoad secundum supplicaverunt duo bedelli pro subsidio gracioso, sicud aliis annis consueverunt. Et quoad hoc concessit eis nacio graciose 16 scuta, Boemundo 8, et Hermanno totidem, eo quod novus in officio et bene nacioni fuerit et suis suppositis. Non vult tamen nacio quod ista trahant in consequenciam [1].

Nomina incipiencium per dispensacionem facultatis in ista procuratoria.

Incepit dominus Hermannus Rasoris sub magistro Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

Inc. dom. Jacobus Lottel sub mag. Henrico Gorkam, cujus bursa nichil.

Inc. dom. Ludovicus de Hassia sub mag. Johanne Custodis, cujus bursa II sol.

In ista procuratoria fuit conclusus de novo rotulus, et electus concorditer ad portandum nostrum magister Henricus Gorkam, et reputantur presentes qui per majorem partem istius ordinarii fuerunt presentes, vel si fuerint absentes, quod justo metu, qui posset cadere in constantem virum, se absentarunt [2], et quod hoc probent [3].

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum 6ª Augusti super facto rotuli, videlicet ad avisandum de summa, quam darent presentes volentes inrotulari, et quam absentes, et consequenter quam summam nacio adderet, ut portitor rotuli honeste stare posset. Item secundus articulus erat super avisamento pecuniarum nacioni debitarum, et quoad hoc, quia magister Jacobus de Harlem esset in brevi venturus, nichil dixit, sed de magistro Wilhelmo Lochem, qui debet nacioni quadraginta quatuor francos. Et quia alias idem magister Wilhelmus tantum fecerat, quod nacio pro majori parte, non tamen omnes simul concluserant quod pecuniam illam debebant ab Universitate repetere, et a nullo alio, hoc videtur pro nunc omnibus indifferenter valde grave, quoniam numquam ab Universitate aliquid rehabebimus, et nunc nacio pecuniis indiget. Quare pro nunc tradidit deputatos ad videndum et reperiendum modum rehabendi dictas pecunias per magistrum Wilhelmum debitas, et illos eosdem deputatos tradidit ad avisandum circa factum primi articuli, videlicet magistros Andream Hequel, receptorem, Johannem de Arnem, Johannem de Wermaria, Thomam de Zvanevelt [4] et Theodericum

oecisi sunt. Sie. v. g. Johaunes de Monsterolio (*vid.* A. Thomas, De Johannis de Monsterolio vita et opp., p. 13). *Et Aug.* 20 *caedes adhuc terribilior fuit. Vid.* p. 252, 4. *Quidam tune loage a Parisiis eommorantes, ut* Johannes Gerson, *qui mense Maii Coastantiam reliquerat, praeferebant exilium voluntarium, quam Parisios reverti. Gersou primo in Germania et Austria morabatur.* « Quis enim non cum felicem ex hoc uno, si cetera deessent, judicaverit, quod deformissimam et horridam, nedum civitatis praeclarissimae, sed totius regni (Franciae) nuper florentissimi desolationem, non dicam experiri in se, sed nec oculis inspicere compellitur? » (De consol. theol.. *lib.* II, *in* Opp., I, 145). *Gerson, aeerrimus impugaator assertionum Johannis Parvi, tunc reverti aon potuit, duee Burguadiae dominatore. Post cujus oecisionem* (*aa.* 1419, *Sept.* 10) *utique in Franciam reversus est, sed Lugdunum, ubi an.* 1429, *Jul.* 12, *diem supremum elausit* (*vid.* Schwab, Joh. Gerson, p. 758, *sqq.*, 773). — *Multi, qui hoc tempore Parisiis erant,* « territi clam et in simulato habitu aufugerunt » (Rel. de St Denys, VI, 232). *Perplures nationis Aaglicaaae Parisios reliqueruat, ut etiam infra aaauitur* (*vid. p.* 248, *aot.* 2, *et p.* 250, *not.* 6). *Immo an.* 1425 *adhuc subbedellus in suis partibus Alemaaais laborare voluit, ut magistri et seholares Parisios redireat* (*vid. infra*). *Pauci admodum illue advenerunt. Natio valde diminuta est tam in determinaatibus, quam in liecatiatis et magistris. Et sie natio per vigintisex cireiter aaaos remansit, ut infra videbimus. Ut in superiori tempestate anni* 1382 *et sequentes pro aatioae tristissimi erant* (*vid. tom.* I, p. lxxii), *sic hae epoca anni* 1418 *et sequentes, cum hac tamen differentia, quod tunc sola natio Aaglicana desolata erat, nunc vero tota Universitas, — utique nat. Aaglicana, quia per extraneos composita, plus quam ulla alia. Vid. ad an.* 1434, *Septemb. Noa praetereundum, jam ante aa.* 1416 « depopulatum et pene exhaustum studium » *quaadoque fuisse, ut Universitas eodem anao, Aug.* 9 *scribit* (Bul., V, 332). *Accessit ad haec maxima mortalitas, de qua ad mens. Septemb. Taadem an.* 1420 *civitas Paris. in potestatem Anglorum venit, quod factum praeter quamplurima mala quae attulit, Scotos ab Universitate Paris. alienavit.*

1. *Jul.* 14 *dux Burgundiae eum regiaa Franciae Parisios solemaiter iagressus est* (*vid.* Monstrelet, III, 272 *sq.*). *Nil mirum, si nunc multi, saltem publiee, Burguadiones et Anglici devenerint. Parisieases et Fraaeigeaae jam assueti erant mutare iastitutiones. Mutaveruat pluries papas, ut sua vestimenta. Quid ergo dieendum de aliis? Mag. Petrus Cauehon ille proditor, ut ita dieamus, suae patriae, ut multi alii* Cabochiens *Parisios reversus est. An.* 1418, *Jul.* 6, *fuit successor* Johannis de Monsterolio (*Junio oeeisi*) *in praepositura S. Petri Insulensis* (Suppl. Mart. V, n° 109, *fol.* 286b; 110, *f.* 10b; 120, *fol* 74; Arch. nat. Paris., M 65A n° 10); *an.* 1420, *Aug.* 21, *episc. Belvac.* (*tom.* I, Auct., p. 935, *aot.* 1). *Ejus collega* Eustachius de Atrio *factus est cancellarius Franciae, et an.* 1420, *April., episc. Belvac., sed obiit Jun.* 13.

2. *Seil. propter desolatioaem et eommotionem Parisiis dominantem. Ad haec vid. iafra* p. 250, *not.* 6.

3. *In margine* : Nota de presentia rotuli.

4. *Supra* p. 99, 31, Vanevelt. *An.* 1423 Coloniae *ut mag. artium et doctor medic. intitul.* (Keussen, Matrikel, I, 196).

de Harlem et alios volentes interesse, et illa referre in nacione. Tercius articulus super supplicacionibus, et quoad illum supplicabant duo bachalarii pro littera testimoniali in forma communi, que fuit concessa concorditer.

(*Fol. 87*[b]) Facta congregacione nacionis ad audiendum deliberata per deputatos nuper traditos, die 8ª Augusti, et dixerunt deputati quod expediret vendere vadia, ut nacio haberet pecunias; voluit eciam scribere magistro Wilhelmo Bloc in Tornaco, tradendo sibi spacium trium septimanarum ad mittendum pecunias per ipsum nacioni debitas, aliter nacio intendit via juris contra ipsum procedere. Eodem modo de magistro Wilhelmo Lochem [1], tradendo sibi spacium sex septimanarum, et magistro Jacobo de Harlem eodem modo, alioquin, nisi mittant pecunias vel personaliter veniant, nacio procedet contra eos juridice arrestando bona eorum, si que sint Parisius. Istud placuit nacioni concorditer, et fuit sic deliberatum. De inrotulatoribus tradidit dominum receptorem et magistrum Johannem de Wermaria, et quilibet presens dabit quinque solidos, et absens XX, cum potestate tamen removendi et addendi, si placeat nacioni.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die 16ª Augusti ad videndum summam quam nacio vellet tradere portitori sui rotuli, scilicet magistro Henrico Gorkam, in casu in quo vellet ire ad curiam; secundus super supplicacionibus. Quoad primum nacio nichil voluit determinare priusquam sciretur numerus inrotulandorum. Et quoad secundum articulum supplicavit magister Johannes de Arnem [2], in casu quo magister Heynricus Gorkam non vellet ire ad curiam cum rotulo vel quod deficeret in via, quod absit, vel aliud impedimentum accideret eidem, ratione cujus non posset complere ambaxiatam suam, quod dictus magister Johannes de Arnem loco ejus subrogaretur. Que [supplicacio] ab omnibus concedebatur.

Facta congregacione nacionis die 20ª Augusti apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad avisandum circa vadia antiqua posita per plures magistros in nacione. Secundus ad avisandum quotam magistro Heynrico Gorkam, portitori rotuli tradendam. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum avisata fuerunt vadia et visitata in domo Boemundi et appreciata modo quo inferius in parte opposita [3] habetur. Quoad secundum articulum visum fuit multis magistris quod pro nunc dicto magistro Heynrico non possent subvenire in tanta summa sicud aliis provisum exstitit temporibus retroactis propter inopiam nacionis; voluit tamen quod summa quam habebit una cum pecuniis inrotulandorum se extendat ad 50 scuta, et quod diligenter se habeat ad honorem nacionis. Quoad tercium articulum supplicavit quidam, scilicet magister Theodricus de Harlem pro magistro Reynero quod poneretur gratis in rotulo pro laboribus alias per ipsum factis, que concedebatur [4].

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, 23ª Augusti super duobus articulis. Primus ad audiendum minutam magistro Wilhelmo Bloc mittendam pro rehabendo pecunias per ipsum debitas, que placuit omnibus. Secundus super supplicacionibus. Et quoad istum supplicavit quidam licenciatus, ut admitteretur ad incipiendum et poneretur cum aliis in rotulo, et quia non habuit vadia, quod caperetur respondens, et tradidit magistrum Heynricum [5] organistam in Nostra Domina; et quoad istud placuit nacioni, si non esset contra statuta nacionis. Supplicavit secundo magister Wilhelmus Spalding, ut reputaretur presens quoad solucionem, que concedebatur. Supplicavit eciam, si vadia venderentur, quod haberet Breviarium ad usum suum pro precio taxato; placuit eciam hoc nacioni. Supplicavit tercio magister Johannes Custodis, *viso quod erat solus regens* [6], quod poneretur in rotulo gratis; hoc eciam placuit nacioni.

1. Guillelmus Lochem *non Parisios reversus est. An.* 1429 *adhuc bacc. theol., intitulatur* Coloniae (Keussen, Matrikel, I, 240). *An.* 1419 *Martino V pro ecclesia S. Mariae Daventrien. supplicavit, cum jam haberet capellam S. Mariae Magdalenae in domo filiarum Dei Paris., et expectasset canonicatum et praeb. S. Mariae Antwerp. et decanatum S. Mariae ad gradus Coton.* (Suppl. Martini V, n° 115, *fol.* 4). *Ad haee vid.* p. 179, *not.* 4.

2. *Sed sicut postea* Henricus Gorkam, *ita et* Johannes de Hueven de Arnhem, *bacc. formatus theol. Paris., Parisios reliquit, et* Heidelbergae *an.* 1419 *intitul. est* (Toepke, Matrikel, I, p. 144).

3. *Fol.* 88, *i. e.* p. 251.

4. *Notam quoad commotionem popularium vid. infra* p. 252, *not.* 5.

5. De Saxonia. *Vid. supra notam ad an.* 1407, p. 4, *not.* 4.

6. *Sic diminuta et debilitata tunc natio erat.* « Propter metum Burgundorum » *non solum supposita Universitatis, sed et ipse episc. Paris., Gerardus de Monteacuto, et omnes canonici Nostrae Dominae praeter decem circiter fugam arripuerunt, et inter ipsos* Joh. Tudert, *decanus capituli, qui solum expulsis Anglis an.* 1436 *reversus est. Vid.* Grassoreille *in* Mém. de la soc. de l'histoire de Paris, IX, p. 111 *sqq.*

(*Fol. 88*) Sequuntur libri qui recepti sunt invadiati per diversos magistros, et fuerunt appreciati per duos librarios juratos, videlicet magistrum Oliverium de Imperio et Dyonisium Courtillerii [1] die 20ª Augusti anni 1418 pro precio subscripto.

Primo unum Breviarium ad usum Scotie [2] incipiens in 2° folio *tuas*, 8 libr. (habet [3] magister Rogerus et solvit).

Pro Bloc:

Item scriptum Bonaventure in 4^{or} voluminibus, quorum unum incipit in 2° folio : *absorbeat*; item alind, in 2° folio incipit : *sue*; item aliud incipit : *semper*; item aliud : *quia alias*, 16 lib.

Item quedam tabule super diversis doctoribus, in 2° folio : *de partibus*, 4 lib.

Item quidam doctor supra 4 libros Sententiarum, incipiens in 2° folio : *et quamquam*; 2 lib. (non habui in receptoria mea, Johannes Johannis, nec reperi).

Item textus Valerii incipiens in 2° folio : *cura parvula*, 32 sol. (magister Rogerus habet in concesso).

Item quidam doctor Noel vocatus, in 2° folio incipit : *Bartholus*, 3 lib.

Item quidam liber de medicina in 2° folio : *fiunt duobus*, 4 sol.

Item primus et secundus Avicenne, in 2° folio incipit : *casum primum*, 24 sol.

Item digestum vetus, incipit in 2° folio : *veraciter*, 2 lib.

Item quedam decretales in 2° folio : *summa res*, V lib. (magister Heynricus de Monasterio habuit et solvit).

Item quedam questiones methaphysice in papiro, in 2° fol. : *quod omnes desiderant*, 6 sol.

Item questiones phisicorum Buridani, in 2° folio : *que res*, 6 sol.

Item tabule Alphoncii in papiro, in 2° folio : *adde omnia*, 2 lib. (habet magister Johannes Johannis, et solvit).

Item textus Clementinarum cum sexto glosatus, cum libro [Guillelmi] Mandagoti glosato [4], incipit in 2° folio : *tate*, 10 lib. (istum habuit [Henricus] de Monasterio, et solvit). — SUMMA 55 lib., 12 sol.

Nota quod in ista procuratoria, scilicet 20ª Augusti, ipso die beati Bernardi de nocte circa horam decimam, incepit commocio popularium ville Parysiensis, et duravit per totam illam noctem et diem sequentem; et fuerunt interfecti plures de captivis ymmo per majorem partem, et quasi omnes, qui illo tytulo erant captivi, videlicet quod erant Aramaniacenses, tam in pallacio regio, quam in parvo Castelleto, quam eciam in magno, interfecerunt [5].

1418

(*Fol. 88ᵇ*) Acta in procuratoria magistri Theodorici Johannis de Harlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino die vicesima sexta Augusti super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum elegit nacio concorditer in procuratorem magistrum Theodoricum de Harlem. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis tempore sue procuratorie, que ab omnibus fuit concessa. Secundo supplicavit magister Henricus Gorichem electus in portitorem rotuli ut expediretur de summa sibi promissa pro sua legacione. Quoad istam supplicacionem optulit prefatus magister Theodricus Johannis de Harlem capere libros invadiatos nomine magistri Wilhelmi Bloc pro summa pro qua erant taxati a liberariis juratis, scilicet pro summa XXV francorum, que ablatio a nacione fuit accepta. Promisit tamen dictus magister Theodricus in casu, quo nacio restauraret sibi prefatam summam infra unius anni spacium, quod paratus esset restituere dictos libros nacioni.

Facta congregacione nacionis Anglicane in domo Predicatorum ipso die Mathei apostoli et ewangeliste super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum novum recep-

1. *De priore jam supra.* Denisot Courtillier *cum duobus aliis taxavit etiam an.* 1424 *bibliothecam Luparae* (DELISLE, Cab. des mss., I, 51 *sq.*; P. DELALAIN, Etude sur le libraire parisien, p. 69). *Jam an.* 1403 *fuit librarius Universitatis, ut apparet e* Rotulo scolarium *in* Suppl. Ben. XIII, n° 93, *fol.* 86, *ubi vocatur* Dyonisius Ortolani, conjugatus librarius.

2. *Vid. supra ad an.* 1417, *Sept.* 27.

3. *Inter uncos inclusa an.* 1421 *addita sunt. Vid. ibid. ad April.* 10.

4. Guillelmus de Mandagoto *ipse suum* Libellum super electione facienda *glossavit. Vid.* SCHULTE, Gesch. der Quellen u. Literatur des can. Rechts, II, 184.

5. *Vid.* JUVENAL DES URSINS, p. 353; Rel. de St-Denys, VI, 264; Journal d'un bourgeois, p. 106, *qui assignant* 21^{am} *Augusti; sed vid.* TUETEY, *not.* 3, *ubi ex* Arch. nat. Paris., X^{1a} 1480, *fol.* 142, *eadem temporis nota eruitur quae supra scribitur.* COUSINOT, La Geste des nobles, *chap.* 167, p. 173, *scribit, tam Jun.* 12, *quam Aug.* 20, *simul* « plus de trois mille cinq cents hommes, tant prélaz, seigneurs et barons, comme autres gens d'estat, de Paris et d'autres contrées » *occisos fuisse. Et ut notat, hoc* « saichent tous ».

torem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad secundam partem primi articuli electus est concorditer nemine reclamante in receptorem nacionis magister Johannes Wormer. Quantum vero ad primam partem ejusdem auditus est compotus receptoris antiqui, et placuit omnibus. Summa autem recepte sue extendebat se ad II libras ultra summam expositorum, quam summam II librarum in presencia nacionis tradidit novo receptori. Quantum ad secundum articulum supplicavit receptor antiquus, ut haberetur gratus, avuatus et recommendatus, que ab omnibus fuit concessa.

1418

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Predicatores die XXIII^{a} mensis Septembris anni XVIII^{i} super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus procurator nemine contradicente. Quoad secundum articulum supplicavit procurator, ut haberetur gratus et recommendatus, que ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Predicatores die XXV^{a} mensis Septembris super duobus articulis. Primus [erat] ad audiendum aliquas litteras nobis directas per magistrum Wilhelmum Bloc et ad distribuendum scolas pro magistris regentibus. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum lecte sunt littere continentes in effectu unam supplicacionem, scilicet quod nacio non vellet vendere libros nomine suo invadiatos, sed quod vellet sibi restituere librum tabularum cum primo libro Bonaventure pro quindecim scutis, et quod nacio vellet reservare alios tres libros Bonaventure pro XXV scutis, et sic nacio haberet XL scuta, et quod nacio vellet sibi residuum dimittere pro gracia. Quantum ad istum articulum nacio [1] regraciabatur sibi pro humili suo stilo scribendi nacioni matre sue. Quantum vero ad contenta videbatur nacioni quod amplius [Guillelmus] non haberet occasionem petendi graciam a nacione, quia messuit fere totum fructum nacionis, quem toto scismatis tempore seminavit et collegit. Placuit ergo nacioni sibi transcribere paupertatem nacionis, que pro tunc erat permaxima, quia pro tunc nulli erant a quibus erat spes aliqua quidquam recipiendi propter mortalitates et guarras vigentes, et quod provideret taliter quod nacioni satisfaceret in brevi, alioquin oporteret predictos libros expendere venditori necessitate urgente, sicud eciam tactum est in prima electione mea.

Et distribute sunt scole magistris secundum suas antiquitates.

Quantum ad secundum articulum supplicavit quidam religiosus Ordinis Predicatorum, vocatus dominus Johannes [2], Trajectensis dyocesis, pro tunc studens in theologia ejusdem Ordinis, quatenus nacio vellet generali suo [3] scribere litteram testimonialem de hoc, quod duobus annis studuerat continue in predicta facultate, de quo nacioni plenaria extiterat facta fides, et quod nacio vellet ipsum habere recommendatum apud prefatum generalem pro lectura Sententiarum pro anno Domini M° CCCC° XX°, quam dicebat sibi de jure incumbere. Quoad istum articulum placuit scribere litteram testimonialem et sibi in suo jure assistere.

(*Fol. 89*) Sequuntur nomina magistrorum qui supplicaverunt pro scolis.

Magister Henricus Gorichem.

Mag. Johannes Johannis, pro quo tunc absente supplicavit procurator.

Mag. Wilhelmus Spaldinc Scotus.

Mag. Andreas, quondam manens in parva Sarbona.

Mag. Johannes Custodis.

Et nota quod isto tempore fuit maxima mortalitas Parisius, ita quod communiter dicebatur, quod communiter omni die moriebantur quingenti homines, et *summa mortuorum infra tres menses aut modicum ultra taxabatur ad LX^{a} milia hominum* [4].

1. *Ms.* nacioni.

2. *Utique ille Johannes, qui an.* 1425 (1426) *licent. est in theol. et vocatur* Johannes Grawerstein *vel* Gravenstain *in* Catal. licent., *de quo ad an.* 1427, *Novemb.* 18, *et an.* 1428, *Nov.* 18. *In* lib. bedelli fac. theol. (Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5494) *invenitur* Gravestain, Gravestaing, *et an.* 1421 « pro lectura Sententiarum » *a* 1420-1421 *solvit* XLVIII *sol.* (ibid. p. 2).

3. Leonardo Statio, *an.* 1414 *Florentiae in mag. generalem electo.*

4. *In* Journal d'un bourgeois, p. 116, *narratur.* « que entre la Nativité nostre Dame (*Sept.* 8) et sa Conceepcion (*Dec.* 8) avoient enterré de la ville de Paris plus de cent mille personnes ». *Numerum minorem mortuorum durante* « épidémie parisienne » *refert* Chron. anon. *apud* Monstrelet, *ed.* Douet-d'Arcq, VI, 265 : près de IIII^{xx} mille personnes. *Durante epidemia multi remotiores regiones petierunt; vid.* Rel. de St-Denys, VI, 268 *sq. Facultas medicinae Octob.* 22, *scribit*, quod studium erat evacuatum a scolaribus et baccalareis, et quod magistri regentes propter multitudinem infirmorum occupati sunt practice, non potentes exercere actus regencie (Jourdain, n° 1154). *In omnibus facultatibus et nationibus Universitatis* « lectiones et disputationes ordinarie erant delate et remisse » (*ibid.*). *Vid. infra ad an.* 1419, *Jan.* 27.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Bernardum die quinta mensis Octobris super tribus articulis. Primus fuit super restitutione pecuniarum facienda magistris inrotulatis, *quia pro tunc modica aut nulla fuit apparencia super expedicione rotuli.* Secundus fuit ad providendum circa bona cujusdam venerabilis suppositi nostri, scilicet magistri Conrardi de Haghanow, cujus anime Deus parcat, qui mortuus est intestatus et sine herede, de quibus intromisit se magister Andreas de Bavaria. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit nacio, quod pecunia data pro inrotulacione per magistros presentes pro se et etiam pro aliis eis restitueretur, et quod pecunia data ab absentibus in archa nacionis poneretur, et quod daretur una quitancia dominis inrotulatoribus sigillata magno sigillo nacionis si vellent, ne quisquam inrotulatorum in posterum haberet aliquid exigere a dictis inrotulatoribus. Quantum ad secundum articulum dedit nacio deputatos, qui habebant videre bona per obitum prefati magistri Conrardi derelicta et taxata, et si qua essent non ad valorem taxata, quod magis taxarentur, et quod summa excrescens debitis solutis in salutem anime sue converteretur. Quantum ad tercium articulum nullus supplicavit.

1418

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum super duobus articulis, die XXI^a^ mensis Octobris anni XVIII. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus omnibus volentibus. Quantum ad secundum supplicavit procurator, ut haberetur avuatus, gratus et recommendatus, que ab omnibus fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die XVI^a^ mensis Novembris, super tribus [articulis]. Primus super ordinacione festi nacionis, quod pro tunc instabat et de concernentibus festum. Secundus super modo procedendi contra debitores nacionis, et eciam *super redempcione virge nacionis nostre* [1], que fuit concessa ambaciatoribus Universitatis in Constancia. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit omnibus magistris, quod secundum antiquam consuetudinem faceremus festum in ecclesia et quod haberemus cantores Universitatis pro majori solempnizacione. Placuit eciam omnibus facere festum in domo, scilicet simul convivendo, restringendo tamen expensas quantum possibile est, visa paupertate nacionis pro nunc, viso eciam quod nulli sunt de quibus speratur aliquid esse recipiendum. Quantum ad secundum articulum placuit scribere omnibus debitoribus nacionis et omni modo possibili procurare solucionem ab eis.

Super redempcione virge, quamvis illa spectabat ad Universitatem cujus amb[ac]iatoribus erat concessa, tamen quia circa redempcionem ejus Universitas tepescebat, placuit magistris, ut nacio eam redimeret, et postea dictam pecuniam ab Universitate exigeret. Quantum ad tercium supplicavit Hermannus vicemtenens subbedelli, viso quod hucusque servierat nacioni stipendiis quasi propriis, cum grossum lucri Mathie precessori suo reservabat, et quod de cetero adhuc minor est spes lucri, eciam viso quod Mathias supradictus nunquam scripserat nacioni an vellet manere in officio, an non, quod nacio vellet providere super isto, quia non intendebat propriis expensis nacioni servire. Quantum ad istam supplicacionem omnes magistri consideratis predictis et adhuc statu suo felici [2], et quod verisimile est quod de cetero tamquam inferior bodellus nacioni servire nollet, contulit predictum servicium subbedello Hermanno, sine aliqua condicione adjuncta, de qua concessione prefatus Hermannus instrumentum unum aut plures (*sic*) sibi fieri postulavit, prout sibi extitit concessum.

1418

(*Fol. 89^b^*) [Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino, die XVIII^a^ mensis Novembris anni 1418, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum voluerunt omnes magistri nacionis antiquum continuare, ipso licet renitente. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis per eum haberetur gratus, avuatus et recommendatus, que ab omnibus concorditer fuit concessa.

1. *Nec* Guillelmus Lochem, *nec* Mathias, *qui virgam portavit, e Constantia Parisios reversi sunt.*

2. *I. e. statu felici* Mathiae.

1418

Acta in procuratoria magistri Willelmi de Spaldyn[1].

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano, die decima sexta Decembris anni milesimi quadringentesimi decimi octavi, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum nullus supplicavit et antiquus procurator nullo modo voluit continuari, viso quod diu fuerat in officio. Et tunc nacio injunxit magistro Guillelmo de Spaldyn officium, ipso tamen magnaliter renitente, qui tamen ad instanciam nacionis pro tunc acceptavit officium. Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra die ultima Decembris, super duobus articulis. Primus ad requestam factam nacioni pro solucione quarundam Decretalium invadiatarum nacioni per unum nobilem virum Scotum pro bursis unius suppositi nacionis de provincia Scotie. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit nacioni, quod haberet librum, sic quod solveret summam pro qua jacebat, et quod daret cedulam manu sua scriptam que recipit librum, ut ille, pro quo est liber, in posterum nichil petat nacioni super hoc, non obstante tamen quod nacio potuisset et potest de jure vendere et ven[di]disse quodcumque vadium ultra annum invadiatum. Quoad secundum nullus supplicavit.

Sequuntur licenciati in dicta procuratoria.

Item licentiatus fuit dominus Ericus Laurencii sub magistro Johanne Johannis.

Sequuntur nomina incipiencium in ista procuratoria.

Incepit dominus Ericus Laurencii sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

1419

(*Fol. 90*) Facta in continuacione ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super tribus articulis, die XIIIa Januarii anni quo supra. Primus ad eligendum novum procuratorem. Secundus ad disponendum et recolligendum claves arche nacionis, que longo transacto tempore non fuerunt collecte in nacione. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nullus supplicavit pro officio procuratorie, et ideo nacio continuavit antiquum, ipso tamen renitente. Et regraciata est sibi quod acceptavit prius officium, et eciam nunc ad instanciam nacionis. Quantum ad secundum voluit nacio, quando haberet agere de pecuniis in archa vel intrare ad archam, quod provideretur de clavibus sicut tunc opus instaret; ideo pro tunc nacio nichil voluit innovare. Quantum ad tercium supplicavit procurator haberi gratus, avuatus et recommendatus in omnibus que egerat, cujus supplicacio concorditer fuit concessa, et regraciata est nacio procuratori, quod acceptavit officium multipliciter.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVa die Januarii anni 1418 super duobus articulis. Primus ad providendum modum laborandi ad publicacionem revocacionis areste parlamenti de substractione collacionis beneficiorum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit nacio omnibus viis et modis possibilibus laborare ad publicacionem revocacionis illius aresti[2] erga regem et alios, erga quos opus esset laborare. De modo dixit expedire, quod si aliqui nuncii mitterentur ad regem, ex parte Universitatis mitterentur, scilicet tria supposita nobilia, vel in pauco numero saltem, et quod non mitterentur de qualibet nacione et facultate, visa *pennuria pecuniarum que nunc est in tota Universitate et in singulis nationibus et facultatibus*. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, XXIIIIa die mensis Januarii anni quo supra, super duobus articulis. Primus erat super expedicione portitoris rotuli nacionis, viso quod alie naciones providissent suis portitoribus, ut omnes pariter essent parati ad recedendum, et ad avisandum modum habendi pecunias, quas portitor debet habere a nacione. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni omnibus modis possibilibus accelerare rotulum et nuncium suum, ut esset paratus una cum aliis

1. *Sub ipso, cler. Brechinens. dioec., rotulus missus est, ut an.* 1421 *notatur in* Suppl. Mart. V, n° 150, *fol.* 137. *Nondum an.* 1419 *bacc. in theol. fuit, sed tamen* 1421.

2. *An.* 1418, *Sept.* 9, *consilio ducis Burgundiae, rex revocavit, quae antea de collatione beneficiorum statuta erant, eamque papae restituit* (Ordonn. des rois, X. 471). *Sed hucusque litterae istae non publicatae erant, et solummodo hoc anno, post Februarii* 15 *registris parlamenti insertae sunt* (Bul., V, 335 *sq.*).

nunciis aliarum nacionum. Modum autem providendi de pecuniis dedit istum, qui sequitur. Quia somma quam nuncius debuit habere est quinquaginta francorum, voluit nacio quod caperetur pecunia inrotulandorum et super vadiis eciam quam posset; residuum autem voluit complere de pecuniis existentibus in archa. Unde vadium unum exposuit pro tunc venditioni, quod erat magistro Alexandro de Fovlertona, scilicet unum Breviarium ad usum Scotie (incipit secundo folio : *tuas*), taxatum alias ad octo libras parisiens.[1]. Et quia exponebatur venditioni et diu ante fuerat taxatio facta de illo libro pariter cum aliis ad vendendum per librarios, magister Gillelmus Spaldin optulit se ad emendum dictum Breviarium secundum taxam, sic tamen quod nacio salvaret ipsum indempnem erga dictum magistrum Alexandrum de Fovlertona et quemcumque alium ad quem pertinere posset, et protestatus est dictus magister Guillelmus de Spaldyn se non velle prejudicare dicto magistro Alexandro in illo libro quovis modo, si quis alter Scotus vel alius predictum Breviarium vellet quetare et servare dicto magistro Alexandro de Foulertona. Et ita conformiter ordinavit nacio fieri, et supplicavit magistro Guillelmo Spaldyn, tunc procuratori, quod acceptaret dictum Breviarium taxatum ad 8[to] libras parisiens., et quod teneret ipsum simpliciter indempnem erga quemcumque. Protestata tamen est (*Fol. 90*[b]) nacio quod nollet propterea quetare dictum debitorem, pro quo fuerat positus dictus liber, eo quod non extendebat se taxa libri ad summam pro qua ponebatur, ymo voluit nacio procedere ad solucionem residui ultra taxam contra debitorem quando et ubi opus esset. Et ita eciam de omnibus aliis vadiis quibuscumque. Et super isto optulit nacio magistro Guillelmo Spaldyn litteram suam sigillatam magno sigillo suo, et ipse eciam acceptavit.

Aliud vadium dabatur magistro Roberto de Crannach, scilicet Decretales incipientes 2° folio : *summa res*, taxate ad V libras. Et quia dictus magister Robertus supplicavit pro illo libro nomine illius pro quo erat, dabatur ei pro summa debita, scilicet V scutis.

Et quia disposicio de vadiis requirit maturam deliberacionem, continuavit nacio hanc congregacionem usque in crastinum ad finaliter determinandum super disposicione vadiorum et super aliis concernentibus accelaracionem rotuli et nuncii nostri portitoris rotuli et aliis in Sancto Maturino. Et tunc convocata nacione iterum totaliter omnibus suppositis nacionis presentibus deliberavit ea que sequuntur. Primo voluit quod vadia venderentur et specialiter loquuta est tunc de Breviario prenominato, quod magister Guillelmus Spaldyn emeret solvendo summam, ad quam taxabatur, scilicet VIII lib. paris. Et voluit eciam quod magister Robertus Crannach caperet Decretales, solvendo quinque scuta, quo quibus posite erant. Et ita dictus magister Robertus Crannach voluit, et ita magister Guillelmus Spaldyn quoad Breviarium, sic tamen quod ipse teneretur indempnis per nacionem in futuro, si contingeret aliquam mencionem fieri in posterum per quemcumque de illo libro. Et hoc voluit nacio, et ut securius fieret, voluit nacio et vult dicto magistro Guillelmo Spaldyn dare litteram sigillatam sigillo suo magno in testimonium hujus vendicionis. Et voluit pro tunc quod residuum summe debite supra Breviarium scriberetur in libro receptoris tamquam debitum petendum ab debitore ponente vadium. Et ita eciam de aliis vadiis. Insuper determinavit nacio ibi ire ad archam suam in presencia omnium magistrorum extrahere totam pecuniam que fuit in archa, et quod ex illa pecunia compleretur summa debita nuncio rotuli. Et ita factum est in presencia totius nacionis in Sancto Maturino. Et productus fuit unus faber qui levavit seras[2] arche, quarum claves fuerant perdite[3], et capta est pecunia tota, que se extendit ad *quadraginta francos in antiqua moneta*, et data est summa illa receptori, ut ipse cum aliquibus deputatis irent *ad cambium capiendam novam monetam* pro illa *cum advantagio*. Et tunc intravit nacio tabernam et exposuit III francos, et posita est archa in domo Boemundi bedelli. Insuper super facto inrotulandorum absencium voluit nacio propter paucitatem inrotulatorum, quod nuncius poneret XX[ti] absentes in rotulo, de quibus speraretur habere pecuniam, et non de aliis, de quorum numero est magister [4]..., pro quo supplicavit Boemundus de Lutrea bedellus, ut nacio vellet accipere octo solidos, et inrotulare illum magistrum, cujus supplicacio fuit admissa, sic tamen quod ille magister solveret residuum, quando sibi innotesceret[5]. Et breviter voluit tune nacio omnibus modis accellerare rotulum suum et portitorem, ut esset paratus una cum aliis nunciis aliarum nacionum.

Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit, et ita conclusum fuit.

Notandum tamen quod post istam congregacionem

1. *Vid. supra* p. 127 *sqq.*
2. *Ms.* ceras.
3. *Seu potius magistri qui habebant claves absentes vel mortui erant.*
4. *Postea spatium.*
5. *Ms.* renotesceret.

immediate magister Rogerus de Edinburch opposuit se, et dixit quod nacio non potuit vendere Breviarium prenominatum, et dixit magistro Guillelmo Spaldin, quod non expediret, ut ipse emeret, quia incurreret indignacionem dicti magistri Alexandri de Foulertona. Cui respondit magister Guillelmus Spaldyn, quod nullo modo voluit incurrere indignacionem dicti magistri sui et amici magistri Alexandri, et ideo dixit pro tunc quod ipse nichil innovaret nec daret pecunias in casu quo quicumque alter velit quetare et custodire magistro Alexandro; attamen si vendatur, conveniencius videbatur quod magister Guillelmus haberet quam unus alter. Noluit tamen magister Guillelmus Spaldyn prejudicare ullo modo magistro Alexandro, in casu quo posset reservari liber ille magistro Alexandro usque ad adventum suum. Et ita conclusum fuerat sepe ante per nacionem.

(*Fol. 91*) Facta congregacione nacionis Anglie anno quo supra, XXVII^{a} Januarii, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum temptatores pro examine determinancium pro gradu bachallariatus. Secundus super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum placuit nacioni servare antiquam consuetudinem, scilicet quod duo antiquiores regentes, scilicet magister Johannes Johannis et magister Guillelmus de Spaldyn, temptarent volentes fieri bachallari[os] cum antiquiore non regente et receptore. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Henricus Gorkam portitor rotuli, quod ipse non teneretur solvere illud quod nacio exposuerat in camera sua in convivio, viso quod hoc fuit ordinatum ex consilio procuratoris et aliorum magistrorum nacionis, cujus supplicacioni annuit nacio.

Et hic notandum quod nacio, viso dispensacione facta per facultatem totam super examine bachallariorum [1], voluit quod aperiretur examen nacionis una cum aliarum nacionum examinibus.

Somma exposita in prandio nacionis in camera magistri Henrici Gorkam XXIIII sol.

In hac congregacione magister Guillelmus Spaldyn tunc procurator protestatus est, quod non voluit emere Breviarium magistri Alexandri de Foulertona quovis modo in prejudicio ipsius, et ibi dixit quod traderet iterum Breviarium receptori, qui sibi contulerat eum ad videndum et avisandum, an placeret ei, quia nondum viderat ante nisi per auditum.

Sequuntur nomina determinancium pro anno Domini milesimo CCCC^{mo} XVIII°.

Nota quod facultas isto anno dispensavit ut bacalarii temptarentur ante festum Purificacionis et quod disputarent ante Quadragesimam.

Dominus Guillelmus Godefridi Sonderdanc, qui determinavit sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Dom. Theodricus Nycolay determinavit sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Dom. Laurencius Olavi [2] de Dacia sub eodem mag. Johanne Johannis, cujus bursa VI sol.

Dom. Jacobus Petri Röd [3] de Suecia sub eodem, cujus bursa VI sol.

Dom. Nicolaus Svidiniz sub eodem, cujus bursa III sol.

1419

Acta in procuracione magistri Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino anno Domini M^{o} CCCC^{mo} XVIII, mensis Februarii die X^{a}, electo dicto magistro Rogero in procuratorem et approbato antiquo procuratore per nacionem, videlicet magistro Guillelmo Spaldyn, et avoato, eadem die facta congregacione Universitatis super tribus articulis. Primo videlicet de expedicione nunciorum Universitatis pro rotulo deportando, ac de juramentis recipiendis ab eisdem, et de articulis instructionum; secundo de expedicione pro scolari captivo, videlicet magistro [4] Blanche, in carceribus episcopi detento, qualiter a carceribus restitui posset per matrem Universitatem; tercio de supplicacionibus et injuriis. Ad primum articulum placuit nacioni expedicio rotuli, similiter et articuli lecti et instructiones et minute. Ad secundum deliberavit nacio, quod mater Universitas laboraret omnibus viis pro reductione dicti scolaris a carceribus, et inclusive

1. *Propter paucitatem magistrorum et imprimis examinandorum. Vid. ad an.* 1418, *Sept.* 25.

2. *Fortasse est ille* mag. Laurentius de Roschildis, *qui an.* 1425 Lipsiae *inscriptus est. Distinguendus a* Laurentio Olavi *seu de* Thuna, *qui fuit bacc. Pragens., et an.* 1436 *Parisiis receptus est. Vid. infra.*

3. *Infra ad an.* 1425 : Jacobus Röödh de Abo. Bul. V, 920, *eum jam ad an.* 1416, *Jun., ut rectorem Univers. affert* (Petrum Roodh), *et ex ipso* Annerstedt, Upsala Universitets Historia, p. 10, *not., cum tamen solum an.* 1419 *in art. determinasset!*

4. *Postea spatium.*

ad cessasiones [lectionum]. Ad tercium articulum fuerunt concesse supplicaciones, videlicet magistri Victoris et alterius magistri de nacione Alamanie pro litteris presensie.

(*Fol. 91*ᵇ) Facta congregacione nacionis Anglicane, XIª Februarii, anno quo supra super tribus articulis. Primus ad expediendum nuntium nacionis pro deportacione rotuli, videlicet magistrum Henricum Gorcham. Secundus fuit [ad] audiendum compotum receptoris nacionis, videlicet magistri Johannis [Wermer], et ad disponendum de vadiis nacionis. Tercius fuit de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio expedivit nuncium suum, videlicet dictum magistrum Henricum, et simul fecit deliberari in presencia nacionis summam quinquaginta francorum per manus dicti domini receptoris, quam summam recepit idem nuncius in presencia nacionis.

Quantum ad secundum articulum, quia tempus fuit tardum, fuit continuata congregacio usque ad crastinum, in quo crastino[1] congregata nacione dictus dominus receptor fecit compotum suum, prout forma ejusdem in libro receptoris continetur, et fuit ejus compotus approbatus et ratificatus a nacione, et finaliter computatis computandis et approbatis approbandis dictus receptor habebat de resta quindecim libras parisiens. et VI denarios, quam summam deliberavit nacio manere inter manus dicti receptoris. Deinde productis omnibus vadiis per eundem receptorem coram nacione, videlicet certo numero librorum secundum tenorem cedule super hiis facte[2], una cum summa cujuslibet vadii, cujus eciam cedule copia restat scripta in libro dicti receptoris, nacio deliberavit, quod omnes illi libri ponerentur in archa, et deliberati fuerunt omnes libri cum cedula numeri illorum et summarum Bemundo bedello, et ad ponendum in archa. Quantum ad tercium articulum de supplicacionibus et injuriis, supplicavit magister Henricus Gorcham nuncius omnibus et singulis suppositis nacionis, ultimo et toti nacioni, ut sibi misericorditer remitterent displicencias, injurias et dampna, si que fecerit nacioni vel ejus suppositis, ad finem quod ejus anima in suo viagio esset exonerata[3]. Item supplicaverunt factores rotuli, videlicet dominus receptor prescriptus et magister Andreas antiquus receptor, quod possent contentari de personis de secundis presentibus et eciam simpliciter absentibus, videlicet quod quilibet de secundis presentibus solveret IIII albos, et quilibet absens octo, hac condicione apposita, quod nullus de primis presentibus aliquid solveret. Que supplicaciones fuerunt concesse, et ita conclusum est.

(*Fol. 92*) Nomina licenciandorum.

Dominus Guillelmus Sperk, cujus bursa IX sol.

Dom. Laurencius Olavi de Dacia, cujus bursa VI sol.

Dom. Jacobus Petri, cujus bursa VI sol.

Dom. Arnoldus Helie, cujus bursa VI sol.

Isti predicti quatuor inceperunt sub magistro Johanne Johannis.

Condrardus Pro[b]st de Bensheim, cujus bursa II s.

Theodoricus Gael de Harlem, cujus bursa II sol.

Wlericus Satler de Feltkilch, cujus bursa II sol.

Isti tres predicti inceperunt sub magistro Johanne Johannis.

1419

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane Xª die Marcii anno supradicto super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, quia nullus supplicavit nec voluit sumere onus procuracionis, nacio supplicavit magistro Rogero procuratori antiquo, ut continuaret officium. Et ad nacionis requestam continuatus est antiquus. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt Wlericus Satler et Conradus Prepositi[4] magistri pro littera testimoniali gradus magisterii eorum in forma communi. Item Paulus de Wyttimberch et Nicholaus bacalarii in artibus pro littera testimoniali sub sigillo magno nacionis in forma communi. Que omnia fuerunt concessa, et ita conclusum est.

1419

(*Fol. 92*ᵇ) Acta in procuratoria magistri Roberti de Crannach.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud San-

1. *Febr.* 12.
2. *Supra ad an.* 1418, *Aug.* 23.
3. *Postea profecti sunt. Praeter ipsum enumerantur* Thomas Hobe *mag. theol.*, Radulphus Rousselli *decret. doct.*, (*postea archiepisc. Rotomag.; vid. ad an.* 1450, *Nov.* 14), Petrus Bernicoti *medic. mag.*, Johannes de Bellomonte *nat. Gall.*, Johannes Chuffart *nat. Picard.*, Guillelmus Euurie (*seu* Eurie, *an.* 1420 *decan. Remens.*) *nat. Norm.*, *i. e.* VII ambassiatores Universitatis studii Paris., *quorum supplicatio* Florentiae, sexto kal. Octobris an. secundo (1419, *Sept.* 26) *a Martino V signata est* (Suppl. n° 127, *fol.* 284ᵇ). *Eodem tempore nuntii etiam licentiatorum et baccalariorum in decretis profecti sunt. Vid. tom.* IV Chartul.
4. *I. e. ut alias* Probst.

ctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° XVIII°, die septima mensis Aprilis, super tribus articulis. Primus ad elegendum novum procuratorem; secundus ad audiendum compotum domini receptoris, et tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluerunt omnes magistri nacionis concorditer eligere magistrum Robertum de Crannach in procuratorem. Quantum ad secundum compotus domini receptoris bene placuit nacioni et approbatus est a nacione, ut patet per scripturam domini procuratoris in libro receptoris, et omnibus computatis restabat summa XXIX librarum parisiens., XI solidorum, IIII denariorum, que dimissa fuit in manu magistri Johannis Wermer, tunc existentis receptoris. Quantum ad tercium ego supplicavi pro domino antiquo procuratore tunc absente, ut haberetur gratus et avoatus, que supplicacio ab omnibus concessa fuit. Item supplicaverunt bedelli, quod aliquam summam pecuniarum haberent, sicut consuetum erat, quorum supplicacio fuit concessa, sic scilicet, quod Bomundus haberet summam octo scutorum et Hermannus summam sex scutorum, et eidem Hermanno, quia habebat facere festum sociis suis, scilicet bedellis omnibus, ex gracia tradidit nacio duo scuta; et ita conclusum est.

1419

Acta in procuratoria Johannis Johannis.

Facta congregacione nacionis die II^{a} Maii apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem novum vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus, etc. Quoad primum electus fuit magister Johannes Johannis concorditer. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus, recommendatus et avoatus, que concedebatur concorditer.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum 10^{a} Maii super duobus articulis, scilicet super facto privilegiorum et super supplicacionibus. Conclusit nacio quod amplius noluit se vexare pro eundo apud cancellarium Francie [1], sed simpliciter mittere ad regem sibi cessaciones [a lectionibus] intimando, et nisi remedium apponat, petere ab eo licenciam recedendi [2]. Et illa eciam fuit conclusio tocius Universitatis. Et quelibet nacio elegit suum nuncium. Tunc eciam, dum ad partem erat nacio, supplicavit magister Theodricus de Harlem, ut posset habere quemdam librum qui invadiatus existit in nacione per modum mutui per aliquod tempus, quam nacio concessit.

1419

Acta in continuacione Johannis Johannis.

Die 2^{a} Junii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis, videlicet super electione vel continuacione procuratoris, et super facto debitorum, et super supplicacionibus, etc. Quoad primum fuit continuatus antiquus. Quoad secundum voluit omnibus debitoribus suis scribere, ut se expedirent de debitis suis solvendis. Quoad tercium supplicavit procurator, ut in actis per eum haberetur gratus etc., que fuit concessa.

(*Fol. 93*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super aliquibus tangentibus uttilitatem nacionis, et super supplicacionibus et injuriis, die 20^{a} Junii. Et quoad hoc exstitit declaratum per aliquos super pecuniis debitis per magistrum Wilhelmum Lochem, quod non intendebat illam nacioni restituere, ymmo stare in conclusione, quam habuit alias in fraudem nacionis [3]. Idcirco conclusit nacio, quod instrumentum, quod Hermannus habuit a magistro Wilhelmo predicto, cum quo se juvare poterat ut dicebat, quod tamen falsum erat, quia super falso fundamento fundatum, traderet nacioni, et ita fecit, et nacio ipsum, scilicet Hermannum, servabit indempnem. Et voluit insuper nacio omnibus viis et modis possibilibus laborare, quousque dictus magister summam debitam restitueret. Et quoad secundum articulum nullus supplicavit.

Nota quod in ista procuratoria, die 10^{a} Julii [4], convenerunt simul illustres principes dominus Delphinus [5] et dominus Burgundie inter Meldunum et Corbolium [6], et ibidem pacem simul concluserunt et unanimi consensu juraverunt una cum servitoribus eorumdem ibidem presentibus [7], et die 19^{a} hujus mensis fuit proclamata dicta pax Parysius [8].

1. Robertum le Maçon.
2. *Agebatur de exemptione ab impositionibus et a custodia portarum. Universitas suos legatos misit ad Pontisaram, ubi rex morabatur. Inter legatos fuerunt* Johannes Pulcripatris, *et carmelita* Eustachius de Pavilly. *Rex Junii* 12 *privilegium concessit* (Arch. Univ. Paris., *thec.* II, A. 5, ee, p. 92; Ordonn. des rois, XI, p. 6). *Sed parlamentum primo renuit privilegium inscribere registris suis* (*vid.* Bul., V, 341 *sqq.*).

3. *Vid. supra ad an.* 1418, *Aug.* 6.
4. *Seu potius* 8 *et* 11 *Julii.*
5. Carolus, *qui postea fuit rex Carolus VII.*
6. *In* Pouilly.
7. *De hoc vid.* Rel. de St-Denys, VI, p. 328, 334. Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. I, p. 143, 145 *sqq.*
8. *Secundum* Clementem de Fauquembergue, *successorem* Nicolai de Baye, *hoc fuit* 12 *Jul.* (*ap.* Felibien, Hist. de Paris,

Die ultima Julii facta congregacione Universitatis, et dum ad partem se nacio traxit, fuerunt misse quedam littere a magistro Wilhelmo Lochem super excusacione sua de pecuniis per ipsum debitis. Super quibus nacio deliberavit stare in alias deliberatis, ymmo dicebat, quod littera sibi missa satis respondebat sibi.

Nota quod isto die nova venerunt Parysius de perdicione [1] ville de Pontizara, quam Anglici ceperunt eodem die.

1419

Acta in recontinuacione Johannis Johannis.

Facta congregacione nacionis anno quo supra, 26ᵃ Augusti, in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Secundus ad avisandum modum habendi pecunias, quia ut tetigit dominus receptor, nullas habebat, et tamen adhuc aliquibus aliquas debebat. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum fuit continuatus magister Johannes Johannis antiquus, ipso non supplicante, ymo contradicente. Quoad secundum voluit, quod in crastino fieret *congregacio provincie* et quod ibidem procurator nomine nacionis supplicaret, quatenus provincia nacioni certam summam concederet mutuo, prout alias nacio gratuite sibi mutuo pecuniam concesserat, de qua bene soluta fuerat. Quoad tercium supplicavit procurator, ut in actis per ipsum haberetur gratus, avoatus et recommendatus, que ab omnibus concedebatur.

(*Fol. 93*ᵇ) In ista procuratoria, dominica die infra octavas Nativitatis nostre Domine, que fuit decima Septembris, interfectus fuit illustrissimus princeps dominus dux Burgundie in presencia Delphini in quadam villa, que vocatur Monstrolium supra ripariam [2] de Yonne, et capti fuerunt nobiles, qui cum eo venerant ad avisandum una cum consilio Delphini de modo procedendi contra antiquos hostes. Sed, proch dolor! *ex conspiracione preconcepta* statim, cum dictus princeps in presencia Delphini venerat, confidens supra tractatum pacis nuper factum, se decimo [3], solum *venit inhermis* [4], qui statim ibidem turpiter et viliter exstitit interfectus [5]. Parcat Dominus anime sue. Alii autem nobiles retenti.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Mathurinum ipso die Mathei apostoli et ewangeliste super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem; secundus ad ordinandum de missa fienda pro anima defuncti principis domini ducis Burgundie; tercius super supplicacionibus. Quoad primum electus est magister Theodricus de Harlem in receptorem, et auditus est compotus antiqui receptoris, qui ultra receptam exposuit sex solidos, decem denarios, quos nacio sibi debet. Quoad secundum voluit nacio, quod quando alie naciones celebrent, eciam celebrare. Quoad tercium supplicavit antiquus receptor, ut in actis suis tempore receptorie haberetur gratus, avoatus et recommendatus, que supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam Hermannus subbedellus, qui intendit visitare patriam nativam, ut nacio sibi spacium se absentandi concederet, quam nacio sibi concessit, tradendo spacium trium mensium, adjungendo, quod vult mittere citacionem generalem pro magistro Wilhelmo Lochem et magistro Wilhelmo Bloc et Jacobo de Harlem pro debitis suis, in quibus nacioni obligantur, injungendo Hermanno per suum juramentum, ut fideliter et diligenter laboraret eciam in aliis debitis per inrotulatos [6].

1419

Acta in recontinuacione Johannis Johannis.

Apud Sanctum Mathurinum congregacione nacionis facta prout moris est super electione procuratoris et super supplicacionibus, etc. Continuatus est antiquus et in actis per eum habitus est gratus, recommendatus

IV, 579 a), *sec. alium fontem* 20 *Julii* (*vid.* Tuetey, *not.* 3 *ad* Journal d'un bourgeois, p. 126, *ex* Arch. nat. LL 215 (*nunc* 112) p. 240. *De laetitia Parisiis inde secuta vid.* Rel. de Sᵗ-Denys, *l. c.*, p. 344 *sqq.*).

1. *Cum hoc conferatur lectio in* Arch. nat. LL 215 (*nunc* 112), p. 242 *ap.* Tuetey, *l. c.*, p. 127, *not.* 1 : per prodicionem Anglici ceperant Pontisaram. *Caeterum vid.* Monstrelet, Chron. III, 332 *sq.*

2. *Ms.* rapariam. *Designatur* Montereau-faut-Yonne.

3. *Ducem commitabantur* decem (*sec. supra relatum* novem) *nobiles.*

4. *Sic dicunt aliqui qui partes ducis Burgundiae sequuntur, cum amici delphini scribant, ducem Burgundiae venisse* « armé, et la main mist á son espée ». *Idem dicendum de sententia* « ex conspiratione preconcepta », *quam non admittunt amici delphini. Ex his certum fit, procuratorem nationis Anglicanae, immo (et hoc notum erat) Universitatem partes ducis Burgundiae secutam esse.*

5. *Fontes vid. ap.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. I, p. 162 *sqq.*, 167 *sqq. Nondum tamen convicti sumus de conclusione* p. 176 : il n'est plus possible d'incriminer le Dauphin. *Omnino innocens non videtur fuisse. Concedimus tamen quod cum duce Burgundiae* « disparut un système politique auquel nous n'hésitons pas à attribuer les désastres de la France » (*ibid.* p. 45). *Supra scriptum momento non caret, quia nobis aperit, quomodo Universitas Paris. occisionem ducis cum omnibus adjacentibus interpretata sit. Nunc unicus fons de hoc argumento quantum ad Universitatem.*

6. *Hoc anno nullus magister invenitur qui pro scholis habendis supplicavit. Certe regens fuit* Johannes Johannis.

et avoatus. Lecte eciam erant minute litterarum creditoribus et debitoribus nostris destinandarum.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum super electione intrantis ad eligendum rectorem novum [1], die decima Octobris, scilicet in crastino sancti Dyonisii, et eciam ad disponendum de vadiis antiquitus receptis, et super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum elegit intrantem. Quoad secundum de disposicione vadiorum fuit ordinatum quod magister Theodricus de Harlem, qui pro nunc est receptor, sicud alias fecit ita adhuc faciat, videlicet quod super vadiis quibusdam a magistro Wilhelmo Bloc dimissis concederet nacioni summam XXV francorum usque ad festum Natalis Domini proximum, ita videlicet quod nisi dictus magister satisfaciat nacioni de summa per ipsum debita, quod dicta vadia, scilicet volumina et libri Bonaventure cum libro Tabularum dicto domino receptori remaneant pro dictis XXV francis, et quod nacio aliam summam superexcrescentem juridice petat, prout moris est et racio dictabit, a supradicto magistro Wilhelmo Bloc. Quoad tercium supplicavit (*Fol. 94*) magister Heynricus de Monasterio pro quodam libro nuper invadiato, videlicet pro Sexto decretalium, ut ipse poneret summam, pro qua positus est, scilicet pro duobus francis, et liber pro usu suo servaretur quousque sibi videretur et nacioni, et nisi ille qui in vadio posuerit infra tempus assignatum venerit, redimendo vadium, quod liber apprecietur et residuum apponat et proprietatem ejus servabit. Quam supplicacionem nacio concessit, vel si placeat nacioni restituet librum et receptor sibi tradet duos francos iterato.

1419

Acta in procuratoria magistri Henrici de Monasterio.

Facta congregacione nacionis, die XXI^a mensis Octobris, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super condempnacione Boemundi bedelli nostri, qui non intimavit congregacionem dicte nacionis. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit magister Henricus de Monasterio concorditer. Quoad secundum condempnatus fuit Boemundus bedellus predictus in duobus solidis propter negligenciam intimacionis congregacionis dicte nacionis. Quoad tercium supplicavit antiquus procurator, ut in actis per eum haberetur gratus, recommendatus et av[o]atus, que concedebatur concorditer.

1419

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis, die XVIII^a mensis Novembris, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus articulus erat de ordinacione festi sancti Eadmundi regis. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus est concorditer antiquus nemine contradicente. Quoad secundum volebat nacio facere festum in ecclesia inter ipsos, et habere orghanistam qui luderet in organis, et post missam ire ad tabernam et facere ibidem unum festum leviori modo quo possent. Et ivit nacio concorditer ad tabernam ad *temptandum vinum* [2] et ad videndum locum, et consumpsit XVII solidos. Et quidam magistri dixerunt et volebant, quod nacio solveret illos XVII solidos, et quidam nolebant, sic quod congregacio sequenti die fuit facta specialiter super illo in ecclesia Sancti Cosme et Damiani, et super duobus articulis. Quoad primum nacio volebat solvere illos XVII solidos. Secundus articulus erat ad avisandum *modum eligendi provisorem in provincia, qui modus nondum fuit avisatus*, sed intendebant avisare illum. Tercius articuculus erat super supplicacionibus et injuriis, et nullus supplicavit. Quoad tercium articulum primorum trium articulorum supplicavit antiquus [procurator], ut haberetur in actis suis gratus, recommendatus et av[o]atus, que concorditer fuit concessa.

Sequuntur nomina incipiencium in ista procuratoria.

Incepit dominus Johannes Dûven [3] sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa II sol.

1. *Antiquus rector a Junii 23 usque Oct. 10 fuit* Johannes l'Archer, *nat. Gallic. Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 132 *et not.* 3. Bul., V, 920. *Praedicavit Septemb. in Nostra Domina. An.* 1423 (1424) *fuit licent. in theol. e* lib. bedelli fac. theol., p. 27.

2. *Res principalis. Natio voluit antea gustare vinum, an esset conveniens pro festo, locusque idoneus.*

3. *Certe idem, qui an.* 1436 Bononiae *ut* Johannes de Doeven de Novimagio, *mag. in art. intitul. est* (Acta nat. Germ., p. 182).

1419

(*Fol. 94*[b]) Acta in procuratoria Johannis de Wermer.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno Domini 1419°, die 16ª mensis Decembris, super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et eciam ad eligendum intrantem. Secundus articulus erat super supplicacionibus, etc. Quoad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Johannes de Wermer. Item [1] electus fuit intrans pro electione novi rectoris. Quoad secundum supplicavit precedens procurator, quod in actis haberetur gratus, etc. Cujus supplicacio concorditer fuit concessa.

1420

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini 1420, die IIIIª mensis Januarii, super duobus articulis. Primus ad audiendum Hermannum subbedellum nacionis in quibusdam concernentibus solucionem debitorum nacionis, etc. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum auditus fuit prefatus dominus Hermannus, etc. Quoad secundum supplicavit idem dominus Hermannus, quatinus nacio vellet sibi subvenire et ipsum relevare de expensis, quas fecit occasione negociorum nacionis. Que supplicacio fuit concessa, etc. Supplicavit secundo prefatus Hermannus, quatinus nacio vellet ei assistere in prosecutione cujusdam cause, quam ipse prosequebatur in curia rectoris Universitatis ex parte magistri Guillelmi Lochem contra Johannem de Branda, procuratorem magistri Arnoldi Linchot pie memorie. Que supplicacio eciam fuit concessa, etc.

1420

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra immediate die XIIIª mensis Januarii super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, etc. Quoad secundum supplicavit prefatus procurator quatinus nacio eum vellet habere gratum, et concessa fuit supplicacio concorditer, etc.

1420

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die Xª mensis Februarii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, etc. Quoad secundum concessa fuit supplicacio ejusdem, ita quod concorditer habebatur gratus, etc.

Sequuntur nomina determinantium pro anno quo supra, etc.

Sub mag. Johanne Johannis:
- Dominus Conradus de Ulma provisor provincie, cujus bursa IX sol.
- Dom. Johannes de Flicken [2], cujus bursa VI sol.
- Dom. Marcus de Syremio [3], cujus bursa VIII sol.
- Dom. Johannes de Elvingo, cujus bursa II sol.

1420

[Continuatio ejusdem.]

(*Fol. 95*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, scilicet 1420, die IXª mensis Marcii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum antiquus concorditer fuit continuatus. Quoad secundum idem continuatus habitus est concorditer gratus, avoatus et recommendatus, etc.

1420

Acta in procuratoria Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, septima Aprilis, anno Domini millesimo CCCC^mo XIX°, super duobus articulis,

1. *Ms.* ita.
2. Joh. Flicke *etiam bursarius Sorbonae fuit* (*vid.* Franklin, La Sorbonne, p. 228).
3. *Utique de Sirmio in Hungaria.* Coloniae *etiam an.* 1421-1422 *quidam* Benedictus de Seremio de Ungaria *ut mag. art. et bacc. form. theol. Paris. inscriptus est* (Keussen, Matr., I, 185).

videlicet ad eligendum novum procuratorem primus; secundus de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum omnes magistri concorditer elegerunt magistrum Rogerum de Edynburch in procuratorem. Quantum ad secundum supplicacione facta ex parte magistri Johannis de Wermer precedentis procuratoris et tunc absentis, omnes magistri concorditer habebant dictum magistrum Johannem de Wermer ratum, gratum et avoatum in sua procuratoria.

Vicesima Aprilis fuit licenciatus in artibus Nicholaus Swydnicz, cujus bursa V sol. paris.

Idem Nicholaus incepit sub magistro Johanne Johannis vicesima septima, cujus bursa V sol.

Conradus de Ulma fuit licenciatus ultima die Aprilis, cujus bursa novem sol., et incipiet sub mag. Johanne Johannis, anno supradicto.

Item idem Conradus incepit IIII^a^ die May anno supradicto in artibus sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IX sol. ut supra.

1420

(*Fol. 95*[b]) Acta in procuratoria Joh. Johannis.

Facta congregacione, ut moris est, apud Sanctum Maturinum, die 4^a^ Maii anni 1420 super electione vel continuacione procuratoris et super supplicacionibus, electus fuit concorditer Joh. Johannis, et supplicavit antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus et recommendatus et avoatus, cujus supplicacio fuit concessa.

Sequuntur nomina licenciatorum in dicta procuratoria.

Primo licenciatus est Thomas de Delft sub eodem procuratore, cujus bursa II sol.

Secundo lic. est dominus Marcus de Sermio sub procuratore, cujus bursa VIII sol.

Item lic. est dom. Paulus Mevus sub eod., cujus bursa II sol.

Sequuntur nomina incipientium in dicta procuratoria.

Primo incepit dominus Thomas de Delft sub procuratore, cujus bursa II sol.

Incepit Marcus de Sermio sub eod., cujus bursa VIII sol.

Incepit dom. Paulus Mewus sub eod., cujus bursa II sol.

Nota quod in ista procuratoria, die 20 mensis [Maii [1]], rex Anglie in villa Trecensi contraxit sponsalia in verbis de presenti cum illustrissima domina Katherina Francorum regis Karoli filia, et per medium hujus erit pax et concordia dictorum regum et regnorum inter se [2]. Et fuit proclamata 27^a^ die mensis hujus Parysius [3], et campane pulsate fuerunt et *Te Deum* ubique cantabatur. Et penultima hujus mensis [Maii] [4] in camera parlamenti fuit lectus tractatus pacis facte, et juraverunt domini de parlamento, de Universitate presentes, prepositi Parysiensis et mercatorum cum maxima multitudine habitancium et burgensium ville Parysiensis servare illum tractatum sicut concordatum.

1420

(*Fol. 96*) Continuacio ejusdem.

Congregacione proclamata, ut moris est, die prima Junii apud Sanctum Mathurinum super electione vel continuacione procuratoris et super supplicacionibus, fuit continuatus precedens, videlicet Johannes Johannis, et supplicavit quod haberetur gratus, et fuit concessum. Ordinatus eciam erat magister Rogerus [de Edinburgh] Scotus ad proponendum coram rege Anglie et Scotie, si contingat eos Parysius accedere [5].

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum die undecima Junii super duobus [articulis], scilicet super compoto domini receptoris et super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum auditus fuit compotus, et quoad hoc summa misiarum se extendebat ad triginta septem libras, 19 solidos, 10 dena-

1. *Hac die* Henricus *rex Angliae villam Trecensem cum* 12.000 *militibus intravit, Maii* 21 *tractatus* (*vocatus* tractatus pacis Trecens.) *inter reges Franciae et Angliae conclusus et signatus est, sec. quem rex Angliae Carolo VI vivente esset* regens regni, *et ipso defuncto* rex Franciae, *in praejudicium Caroli delphini* (Ordonn. des rois, XI, 86). *Eodem die sponsalia celebrata sunt* (*vid.* Clemens de Fauquembergue *ap.* FELIBIEN, Hist. de Paris, IV, 584^a^).

2. *Ecce spem Universitatis! Idem dicendum de habitantibus civitatis Paris. Vid.* GRASSOREILLE *in* Mém. de la soc. d'histoire de Paris, IX, p. 113.

3. *Minime ergo solum Maii* 30, *ut* Rel. de St-Denys, VI, 432, *praetendit, tractatus Parisiis publicatus est.*

4. *Vid. de hoc* Clemens de Fauquembergue, *l. c. Ex Universitate erant praesentes* le recteur et [les] maistres.

5. *Sed rex Angliae solum Decemb.* 1, *plaudente populo, Parisios solemniter intravit. Vid.* MONSTRELET, IV, 15 *sq*; Journal d'un bourgeois, p. 144. *Supra tamen scripta probant, Parisienses tunc regem Angliae exspectasse.*

rios; recepta vero se extendit ad quinquaginta tres libras 5 solidos. Defalcando igitur misiam a recepta, restant quindecim libre, 5 solidi, 2 denarii, quam summam dominus receptor debet nacioni; et quoad hoc compotus habitus est gratus. Quoad secundum supplicavit receptor, ut haberetur gratus et avoatus; supplicavit eciam Boemundus et Hermannus pro gracia eis facienda. Et quoad istud supplicacio domini receptoris fuit concessa, similiter et Boemundi et Hermanni, videlicet quod Boemundus haberet quatuor scuta, Hermannus vero totidem, videlicet quatuor scuta, et hoc pro ista vice dumtaxat, quia dictus Hermannus alias quoddam viagium fecit propter nacionem in partibus [1], racione cujus in aliquo nacio voluit sibi subvenire.

1420

Acta in procuratoria Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die vicesima sexta Augusti, super electione procuratoris et super supplicacionibus, electus fuit concorditer Rogerus de Edynburgh [2], et supplicabatur ex parte antiqui absentis, ut in actibus per eum haberetur gratus, commendatus et avoatus, cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum vicesima prima Septembris ad audiendum compotum receptoris, videlicet magistri Theodrici Harlem et ad eligendum novum receptorem, audito compoto et singulis deductis deducendis nacio tenebatur eidem Theo[d]rico in VI lib., XII sol. et II den. paris. pro superexpositis. Deinde concorditer fuerat electus receptor magister Henricus Meynershagen, et antiquus receptor supplicavit, ut haberetur ratus gratus et avoatus in actis per ipsum, que supplicacio fuit concessa.

1420

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione, ut moris [est], apud Sanctum Maturinum vicesima tercia Septembris super electione vel continuacione procuratoris, et super supplicacionibus, continuatus fuit concorditer predictus Rogerus de Edinburgh, et ejus supplicacio fuit concessa, videlicet ut haberetur ratus, gratus et avoatus in actis per ipsum. Item supplicacio magistri Theo[d]rici Harlem fuit concessa, videlicet ut vadia alias sibi data a nacione pro summa [XXV franc.] [3] secundum alias deliberata manerent penes ipsum si vellet, quousque esset factus indempnis de pecuniis concessis et plenarie solutus.

(*Fol.* 96^{b}) Facta congregacione nacionis Anglicane IX^{a} Octobris super distribucione scolarum et supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum supplicavit magister Theodricus Harlem pro ipso et magistro Johanne Johannis absente, ut haberent scolas. Supplicacio eorum fuit concessa [4]. Item fuit ordinatum, ut Bemondus *bedellus teneret residuas scolas clausas*.

1420

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane vicesima prima Octobris anno, etc. vicesimo, super electione vel continuacione procuratoris, et super supplicacionibus et injuriis, continuatus fuit concorditer antiquus procurator, videlicet dictus Rogerus, et ejus supplicacio fuit concessa, videlicet ut haberetur ratus, gratus et avoatus.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum decima tercia Novembris [5] ad providendum pro festo sancti Edmundi et super supplicacionibus. Quantum ad festum fuit conclusum, ut festum solemniter fieret tam in ecclesia *quam in aula*, et assignatus fuit procurator ad adjuvandum in provisione festi. Quantum ad supplicaciones, magister Theodricus de Harlem supplicavit, ut nacio expediret ipsum in facto librorum sibi positorum per nacionem in vadio, ut esset restitutus de pecuniis per ipsum nacioni concessis super dictis libris et sine perdicione *propter varietatem monete* [6]. Concessa fuit ejus supplicacio, ita quod visis deliberacionibus singulis alias factis in hac parte, haberet plenariam expedicionem.

1. *Vid. ad an.* 1419, *Sept.* 21, p. 268, 22.
2. *Omni mense usque ad Dec.* 18 *continuatus fuit. Natio non habuit Anglum, aliter pro certo Anglum tunc, quando Angli dominatores erant, in procuratorem elegisset.*
3. *Vid. supra ad an.* 1419, *Oct.* 21.
4. *Duo ergo solum hoc anno pro scholis habendis petebant!*
5. *Ms.* Octobris.
6. « En ce temps avoit si grant faulte de change á Paris, que les pouvres gens n'avoient nulles aumosnes, ...IIII vielz deniers parisis valloient mieulx que ung gros de XVI deniers qui pour lors couroit *etc.* » (Journal d'un bourgeois, p. 142. *Vid.* p. 145 *sq.*) *Paupertas fuit maxima et sic explicatur quod scribit* Th. Basin *in* Hist. de Charles VII et Louis XI, *ed.* J. Quicherat, I, 45. *Regnum Franciae divastatum erat.*

1420

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Mathurinum decima octava Novembris anno etc. Mi° vicesimo, super electione vel continuacione procuratoris, et super supplicacionibus et injuriis, continuatus fuit concorditer antiquus, scilicet Rogerus de Edynburgh, et ejus supplicacio fuit concessa, scilicet ut haberetur ratus, gratus et avoatus [1].

1420

[Acta in procuratoria Theodrici de Harlem.]

(*Fol. 97*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum die decima octava mensis Decembris super eleccione procuratoris et supplicacionibus et injuriis, electus fuit concorditer magister Theodricus Johannis Harlem. Et supplicavit antiquus, ut haberetur gratus [2]. Item supplicavit dominus receptor pro usu aliquorum librorum juris canonici invadiatorum apud nacionem. Que supplicaciones fuerunt concesse, et de hiis libris, quos recepit, receptor tradidit Bomundo cedulam sua manu signatam.

Facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis, die vicesima octava mensis Decembris, in Sancto Maturino. Primus fuit super ordinacione cujusdam summe pecunie ad informacionem magistri Henrici Gorkem [3] transmisse pro dono et caritativo subsidio, dumtaxat in missis nacionis et distribucionibus convertendo. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum nacio regraciabatur magistro Henrico Gorkem et singulari benefactori nostro de dono nacioni in suis necessitatibus facto. Et quia dictus magister Henricus Gorkam et principalis benefactor in litteris suis requirebat [4], ut dictam summam magister Theodricus Johannis reciperet et ordinaret, placuit nacioni ut ita fieret, dummodo tamen hujusmodi distribucio fieret per manus domini receptoris in ecclesia. Summa autem pecunie fuit quindecim scutorum aureorum. Et quia magister Theodricus Johannis invitaverat portitorem dicte pecunie ad prandium, in quo multum exponebatur, placuit nacioni tradere unum francum pro expensis dicti portitoris.

1421

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XIIIª mensis Januarii super duobus articulis. Primus super electione vel continuacione procuratoris; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit concorditer antiquus, scilicet magister Theodricus Johannis Harlem. Quantum ad secundum ejus supplicacio fuit concessa, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die VIª Februarii super duobus articulis. Primus super apercione temptaminis pro bachalariatu; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit ut aperiretur temptamen pro determinantibus pro gradu bachalariatus, et ordinati simul fuerunt temptatores juxta morem antiquum. Quantum ad secundum nullus supplicavit nec conquestus fuit.

Sequuntur nomina determinantium.

Dominus Mathias de Crompnas [5], cujus bursa XVI sol.

Dom. Johannes Brunonis, cujus bursa II sol.

Admissus est dominus Heynricus Godefridi ad bachalariatum, cujus bursa X sol.

1421

(*Fol. 97ᵇ*) Continuacio ejusdem mag. Theodrici Harlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die decima mensis Februarii [6] super duobus articulis. Primus super electione aut continuacione procuratoris; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum antiquus est concorditer continuatus. Quoad secundum supplicavit idem continuatus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Item supplicaverunt duo bachalarii pro

1. *Reliqua pars paginae vacat. Dec.* 1 *rex Angliae Parisios intravit. Vid. supra* p. 274, *not.* 5.

2. *Tunc rector etiam electus est, quod propter hoc annotamus, quia* Bul. *in sua* Nomenclatura, p. 920 *usque ad Martii* 24, Nicolaum de Belismo *affert. Sed perperam, nam in documento an.* 1420 (1421), *Febr.* 26, *ab ipso* p. 347 *edito* Guillelmus Erardi *invenitur. Vid. etiam* Mém. hist. sur les benef., p. 139.

3. *Interim* Coloniam *profectus est, ubi an.* 1419, *Dec.* 20, *intit. ut* lic. in theol (vid. Keussen, Matrikel, I, 168, *et not.* 10); 1427 *in* Rostokcensi Univers. (Hofmeister, Matrikel, I, 29). *Vid. supra* p. 153, *not.* 4.

4. *Ms.* requirebant.

5. *I. e.* Krumpnas.

6. *Ms.* marcii.

littera testimoniali. Omnes iste supplicaciones fuerunt concesse.

Sequuntur licentiati in ista procuratoria.

Primo licenciatus est dominus Godefridus de Molendino, cujus bursa XXIIII sol.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus Sonderdanc, cujus bursa XX sol.

Sequuntur nomina incipiencium.

Primo incepit dominus Godefridus de Molendino sub magistro Theodrico de Harlem, cujus bursa XXIIII sol.

1421

Procuratoria Johannis Johannis.

Lune 10 Marcii congregacione facta, ut moris est, apud Sanctum Mathurinum super electione novi procuratoris et super supplicacionibus et injuriis, electus fuit concorditer magister Johannes Johannis, et supplicavit antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus, etc. quam supplicacionem nacio concorditer concessit.

Sequuntur [incipientes].

Primo incepit dominus Guillelmus Sonderdanc [1] sub magistro Theodrico de Harlem, cujus bursa XX sol.

[Licentiati.]

Licenciatus est dominus Heynricus Godefridi sub magistro Theodrico de Harlem, cujus bursa XVI sol.

Item dom. Johannes de Elvingo sub eod., cujus bursa IIII sol.

Item dom. Johannes Flicken sub eodem, cujus bursa XXIIII sol.

Nomina incipientium.

Incepit dominus Heynricus Godefridi sub magistro Theodrico de Harlem, cujus bursa XVI sol.

Item dom. Johannes de Elvingo sub eod., cujus bursa IIII sol.

Item Johannes Flicken sub eod., cujus bursa XXIIII sol.

(Fol. 98) Facta congregacione nacionis lune 17ª Marcii super duobus articulis. Primus ad videndum statum nacionis super debitis magistri Wilhelmi Bloc et valore librorum per ipsum invadiatorum, quoniam magister Theodricus de Harlem exposuit, ut pro tunc nacioni asserebat, summam decem scutorum in auro, videlicet tempore sue receptorie VI lib., XII sol., II den., et mutuo concessit residuum domino receptori, videlicet magistro Heynrico de Meyners[h]aghen. Et quoad istum articulum placuit nacioni, quod dictus magister Theodricus pro decem scutis per ipsum concessis, ut premissum est, reservaret decem scuta in auro missa nacioni ad promocionem magistri Heynrici Gorkam pro distribucionibus fiendis, nec ad alium usum applicanda, de quindecim per eundem Heynricum ut premissum est destinatis; et ut intencio mittentis servetur, voluit quod tanta summa seu valor decem scutorum in deposito ponatur pro dictis distribucionibus fiendis in futurum. Et ista voluit nacio ut libri magistri Wilhelmi maneant apud nacionem ad vitandum futuram discordiam, qui tamen libri secundum justiciam et equitatem, statuta nacionis servando, remansissent dicto Theodrico de Harlem [2], quoniam dictus Bloc nacioni obligatur in magna summa, prout patet in papiro receptorie, et proprietatem librorum juxta formam statutorum amisit.

Quoad secundum nullus supplicavit.

1421

Continuacio ejusdem.

Convocata nacione, ut moris est, apud Sanctum Mathurinum lune 7ª Aprilis super duobus articulis, videlicet super electione vel continuacione procuratoris, et super supplicacionibus. Continuatus fuit precedens, qui supplicavit quod in actis haberetur gratus, recommendatus, que supplicacio fuit concorditer concessa.

Ex dispensacione facultatis 10 Aprilis in Sancto Juliano admissus fuit dominus Arnoldus Lof ad determinandum et gradum bachalariatus recipiendum, salvis tamen disputacionibus suis, quas facere juravit citius quo redire possit.

Determinavit dominus Arnoldus Lof sub procuratore, cujus bursa 18 sol.

1. *An.* 1423 *Coloniae intit.* (KEUSSEN, I, 202).
2. Theodericus de Harlem *eodem anno Coloniam profectus est, ubi intitulatus ut mag. art. bacc. theol.* (KEUSSEN, Matrikel, I, 179).

Facta congregacione nacionis super duobus articulis apud Sanctum Mathurinum. Primus super compoto receptoris audiendo; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum auditus est compotus, et summa recepte ascendit ad 96 libras, 8 denarios; summa vero misiarum ascendit ad 51 libras, 5 solidos, 8 denarios. Defalcatis igitur misiis a recepta restant 44 libre, 15 solidi, in quibus receptor nacioni remanet obligatus. Item quia receptor aliquibus diebus fuit absens, ego procurator pro tunc aliqua recepi et exposui in absencia dicti receptoris, ut patet in libro receptorie, et defalcatis misiis a recepta restant viginti octo libre cum 18 solidis, in quibus obligor nacioni. Preterea quia pluribus vicibus conclusum est in nacione quod fieret (*Fol. 98*[b]) proposicio coram domino duce d'Exestrie[1], nondum tamen aliqua facta sit, fuit electus magister noster de domo Carmelitarum, qui pro nacione proponeret meliori modo quo posset et decet. Preterea quia alias conclusum fuit quod magister Theodricus de Harlem haberet decem scuta et remanerent libri, quos habuerat in nacione, ut patet vertendo folium in sua conclusione capta, voluit nacio, quod dictus magister Theodricus haberet unam quitanciam generalem magno sigillo de omnibus factis in sua receptoria. Quantum ad secundum articulum supplicavi, ut illa pecunia quam debeo nacioni in ista moneta currente, mutaretur ad scuta aurea, quia *magna variacio contingit nunc in moneta*[2], ne ego amittam similiter nec nacio amittat, et de illis scutis ego tradam receptori litteram obligacionis; que supplicacio fuit concessa. Supplicavit etiam magister Rogerus quatenus nacio sibi vellet concedere Valerium Maximum cum quodam Breviario. Nacio concessit sibi, dummodo in libro et registro nacionis ipse manu propria scriberet et notaret. Supplicavit etiam dominus receptor, quia, ut dicit, in mutacione monete habuit dampnum in sua receptoria usque ad 16 francos vel circiter, quia antequam recepit, exposuit scuta aurea pro IIII francis, et dum recepit scutum, valebat sex francos et ultra[3]. Ne igitur amittat, petivit quod sibi restitu[er]etur dampnum suum vel quod dimitterentur sibi libri quos habet in concessis a nacione pro taxa in qua taxati fuerunt alias, vel quod de novo taxentur et defalcetur sibi suum dampnum, et residuum tradet nacioni. Voluit nacio quod adhuc servaret libros penes se et quod sibi dampnum suum restitueretur, et quando indigebit pecuniis, voluit quod tunc ipse receptor libros retineret pre omnibus aliis dictos libros emere volentibus.

« Ego[5] Rogerus de Edynburgh, juxta conclusionem prius factam recepi libros testimonio presentis scripture manu propria scripte et signate meo signo manuali, quarta die May, anno etc. prescripto, et[4] Br[ev]iarium est solutum nacioni, ut patet in libro receptoris. Rogerus. »

Item eodem die et in eadem congregacione supplicaverunt duo bedelli, viso quod *tempus est valde carum*, et multa exponunt et quod recepta eorum est valde parva, quatenus nacio eis sicud consuetum est in compoto adhuc illis contribuere. Quibus nacio concessit septem francos, videlicet tradidit Boemundo quatuor francos, et Hermanno tres francos. Supplicavit etiam Nicolaus claviger vici Straminis, et sibi concessit nacio pro salario suo in defalcacionem viginti quatuor sol. par.

1421

Recontinuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis lune 5ª Maii super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum voluit continuare antiquum. Quoad secundum supplicavit, ut in suis actis haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio fuit concessa.

Veneris penultima Maii facta congregacione Universitatis apud Sanctum Mathurinum super aliquibus, et dum nacio ad partem se traxerat ad deliberandum, supplicavit magister Rogerus, ut nacio sibi dimitteret Breviarium quod habet (*Fol. 99*) per modum concessionis a nacione pro duodecim scutis in moneta currente, pro quibus invadiatum est in nacione[6], quam ipsa concessit. Similiter supplicavit magister Heynricus de Monasterio, ut libri, quos ipse habet, eodem modo sibi vendantur, ut dampnum habitum restituatur, et volebat servare dictos libros pro decem et octo francis. Et similiter nacio suam concessit supplicacionem.

1. Thoma Beaufort, *duce d'Exeter, qui tunc fuit capitaneus Parisiens., cum antea fuerit Thomas de Lancastre, dux de Clarence. Vid.* Champollion, Lettres des rois et reines. II, 388.
2. *De ista moneta vid.* Tuetey *in not. ad* Journal d'un bourgeois, p. 144 *sq. et* p. 155, *et supra* p. 276, *not.* 6.
3. *Quod bene notandum est. Ex hoc etiam liquet cum quantis difficultatibus tunc vita Parisiis ageretur.*
4. Et... receptoris *postea addita sunt.*
5. *Hanc paragraphum scripsit Rogerus receptor.*
6. *Vid. supra ad an.* 1418, *Aug.* 23 : *pro* 8 *libris.*

1421

Procuratoria Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane secunda die Junii anno Domini M° CCCC^mo vicesimo primo, apud Sanctum Maturinum super electione novi procuratoris et super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer fuerat electus magister Rogerus de Edynburgh in procuratorem. Quantum ad secundum antiquus procurator habebatur a nacione gratus et avoatus. Item supplicatum fuit ex parte Hermanni bedelli nacionis tunc gravi infirmitate detenti pro aliquo adjutorio sibi fiendo, attenta ejus paupertate et duro tempore currente; unde nacio titulo elimosine sibi dedit quatuor francos.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima nona Julii super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris et ad ordinandum de pecunia nacionis, quam magister Johannes Johannis habuit in deposito. Secundus de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, audito compoto, magister Henricus receptor tenebatur nacioni in triginta tribus libris paris., X sol. et II den., et in duobus florenis auri remens., quatuor magnis grossis flandrensibus, et in I albo de Hassele. Quantum ad pecuniam restantem in custodia magistri Johannis Johannis nacio voluit, quod adhuc restaret in custodia ejusdem magistri Johannis Johannis. Quantum ad supplicaciones nacio habuit dominum receptorem ratum et gratum in suo compoto.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima Augusti super compoto receptoris, qui volebat ire ad partes [1], et super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum auditus est compotus ejus, et deductis deducendis, etc., solvit nacioni de resta quam habuit XXVIII libras parisiens., septem solidos et decem denarios *computando unum scutum auri ad VII francos cum octo solidis*, sicut receperat; quam summam receptor magister Johannes Johannis, qui eciam substitutus pro eodem assumpsit onus receptoris usque ad finem sui officii in presencia nacionis. Quantum ad secundum articulum supplicavit idem receptor, videlicet magister Henr[i]cus, quod haberetur ratus et gratus; cujus supplicacio fuit concessa, et quitavit eum nacio. Item eodem die facto compoto magistri nacionis audientes compotum predictum exposuerunt in taberna II francos.

1421

Continuacio antiqui procuratoris.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima sexta Augusti super electione vel continuacione procuratoris, continuatus est antiquus procurator, et ratus et avoatus habitus est.

(*Fol. 99* ^b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in festo sancti Mathei ewangeliste pro electione novi receptoris. Et quantum ad articulum illum, magister Johannes Johannis fuit concorditer electus receptor, et acceptavit officium et juravit. Supplicavit idem magister Johannes Johannis, quatenus nacio vellet approbare illud quod alias super facto mutacionis cujusdam summe pecunie in scuta deliberavit, quam summam idem Johannes Johannis debebat nacioni, ut prius facta est mentio. Ejus supplicacio fuit concessa.

1421

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum, etc. vicesima tercia Septembris super electione vel continuacione, etc., fuit continuatus antiquus procurator, et fuit habitus gratus et avoatus [2].

1421

Continuacio ejusdem.

Vicesima prima Octobris facta congregacione, etc., fuit idem continuatus et habitus gratus et avoatus [3].

1421

Continuacio ejusdem.

Decima octava Novembris facta congregacione pro electione, etc., fuit continuatus idem Rogerus, et habitus gratus et avoatus. Et fuit conclusum in nacione, quod amplius in festo nacionis *propter mutacionem monete* [4] et paupertatem nacionis recep-

1. Henricus de Meynershagen *nempe* Coloniam *profectus est, ubi an.* 1421-1422 *ut mag. art. intitul.* (Keussen, Matrikel, I, 188).

2. *Iterum desunt magistri qui pro scholis supplicabant. Addimus, tunc etiam magnam mortalitatem viguisse. Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 154.

3. Octob. 10 *usque* Decemb. 16 Johannes Chuffart, *mag. art. et licent. in decret. rector Univers. fuit* (*ex* Arch. nat. Paris. LL 112 p. 342, 344 *sq.*, Tuetey *ad* Journal d'un bourgeois, p. xxviii, *not.* 3). Bul., V, 920, *perperam* Guillelmus Eurardi.

4. *Utique, et imprimis ex decreto Octob.* 31. *Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 158 *et* not.

tor nacionis debebat dare tantum unum duplatum [1] cuilibet magistro propter distribucionem ejus usque ad aliam ordinacionem. Item pro festo nacionis fuit ordinatum, quod dominus receptor provideret et in aula et in ecclesia meliori modo quo posset ad honorem nacionis. Item quod invitaretur ad festum ejusdem nacionis quidam magister in theologia Jacobita [2] de eadem nacione.

1421

Procuratoria magistri Johannis Flicken.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum die martis XVI^a die mensis Decembris anno Domini M° CCCC° XXI° super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit concorditer nemine reclamante in procuratorem magister Johannes Flicke de villa Aboensi natus. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum. Cujus supplicacio fuit concessa unanimi magistrorum consensu [3].

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die sancti Thome XXIX^a die mensis Decembris anno quo supra super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras nobis directas per serenissimum principem et victoriosissimum dominum regem Anglie, heredem et regentem Francie [4]. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum lecte sunt littere continentes nativitatem primogeniti sui [5] in die sancti Nicholai. Quoad istum nacio regraciabatur sibi pro humili suo stilo scribendi Universitati et similiter nuntiis de communicacione suarum litterarum. Quo vero ad contenta nacio regraciabatur Deo omnipotenti de nativitate primogeniti sui. Quantum ad secundum omnes supplicaciones fuerunt concesse ex parte Universitatis. Et cum nacio ad partem se retraxit, supplicavit quidam magistrorum vocatus mag. Paulus Clamatoris [6], pro tunc studens in theologia, quatenus nacio vellet generali suo dare quamdam litteram sigillatam eam dirigendam domino regi Anglie [7] pro quodam beneficio, impetrandam ad finem quod predictus bachalarius suam lecturam Sententiarum compleret, quam dicebant sibi de jure dimittendam [8] nisi aliquo modo fuerit recommendandus. (*Fol. 100*) Quoad istum articulum placuit nacioni sibi dare litteram in casu quo dominus rex veniret Parisius, et sibi in suo jure assistere. Quia nondum facta fuit supplicacio domino regi pro tota nacione, ideo nacio dimisit pro presenti, ad finem ne bonum commune perdatur propter bonum particulare.

1422

Acta in continuacione ejusdem magistri Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XXII°, decima tercia die mensis Januarii super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus per eum in actis. Cujus supplicacio fuit concessa.

1422

Continuacio ejusdem magistri Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, X^a die mensis Februarii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus procurator mag. Johannes Flicke. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus per eum in actis. Cujus supplicacio fuit concessa, etc.

1. *I. e.* duplam. *Vid.* DUCANGE-HENSCHEL, II, 963. *Vid. infra ad an.* 1423, *Sept.* 21, *ubi* V *duplati computantur pro* II *albis*.

2. *Utique* Johannem de Ragusio, *de quo vid. infra.*

3. *Eodem die* Johannes Johannis *nat. Angl. in rectorem electus est* (*vid.* Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5494, p. 5; Comm. fac. med., I, p. 250). *Recte* BUL.

4. *Qui tunc temporis villam Meldensem obsedit. Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 164. *Bene notandum, qua admiratione procurator de rege Angliae, qui Parisios occupabat, loquatur.*

5. *In castello Windsor in Anglia per Katherinam reginam.*

6. *Minime* Paulus de Sclavonia, *qui, ut e* lib. bedelli theol. (Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5494, p. 1) *liquet, hoc anno Sententias legit, sed alius, de quo* p. 169, 3.

7. *Ad quem, civitatem Meldensem obsidentem, capitulum Paris. mense Januarii G. Perrière et Joh. Chuffart misit, ut coram rege electum Johannem Breviscoxae in episc. Paris. excusarent. De hac electione et iis quae inde secuta sint, fuse et docte e documentis* (*in* Arch. nat. Paris., LL. 112) *tractat* GRASSOREILLE, *l. c.*, p. 128 *sqq.*, 131 *sqq.*, 143 *sq.*

8. *Ms. potius* dimittere.

Sequuntur nomina determinantium anno quo supra.

Dominus Gerardus Johannis de Rye, cujus bursa V sol.

Dom. Jacobus Nicolai de Gonda, cujus bursa V s.

Sequuntur nomina licenciatorum.

Item licenciatus fuit dominus Mathias Crumpnanaz, cujus bursa V sol.

1422

Continuacio ejusdem mag. Joh. Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, etc. IX^a die mensis Martii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus per eum in actis, cujus supplicacio fuit concessa.

Item incepit dominus Mathias Crumpnanaz sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa V sol.

Admissus est dominus Ludovicus Muer ad bachalariatum, cujus bursa III sol., sed iste nichil solvit, dominus autem Mathias respondit pro eo.

Admissus est dominus Martinus Berech [1] cujus bursa nichil.

1422

Continuacio mag. Joh. Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, etc. VII^a die mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus; quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et recommendatus per eum in actis, cujus supplicacio fuit concessa [2].

1422

(*Fol.* *100* ^b) Continuacio mag. Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, ut moris est, anno quo supra, etc. II^a die May, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum [antiquum]. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus. Quantum ad secundum supplicavit antiquus ut haberetur gratus et recommendatus per eum in actis; cujus supplicacio fuit concessa.

Decima die mensis May fuit apud Sanctum Maturinum Universitas convocata super tribus articulis. Primum ad audiendum litteras domini regis Anglie super captione ville Meldensis [3]. Secundus ut daretur proponens sollempnis, qui haberet proponere coram domino regente regi (*sic*) Anglie in materia privilegiorum nostrorum. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio regraciabatur domino regi Anglie de communicacione suarum litterarum et de sua bona affectione, quam habet erga Universitatem. Quo vero ad contenta, scilicet de capcione ville Meldensis, regraciabatur domino altissimo nostro Jesu Christo pro talibus novis; et deliberavit nacio, quod fieret una sollempnis processio ad Sanctam Katherinam et quod fieret solemnis sermo ad populum [4]. Quantum ad secundum fuit per facultatem theologie datus proponens confessor regis Francie, cancellarius Nostre Domine Parisiensis [5], quia dicebatur, quod ipse esset gratus

1. *Utique Bereczk. Ipsi* originem prebuit regni Hungarie inelita tellus, *ut infra ad an.* 1428 *scribitur.*

2. *Rector Universitatis a Martii 24-Jun.* 23 *fuit* Johannes Huberti (Monumenta Concil. general. saec. XV, t. I, p. 61). *Perperam* Bulaeus, V, 920 *affert* Petrum de Credulio.

3. *Maii* 2 (*vid.* Rymer, Foedera, IV, parte 4, p. 64). *Cf.* Tuetey *ad* Journal d'un bourgeois, p. 169, *not.* 1.

4. *Videas caliginem temporum illorum. Universitas Paris. laetitiae plena est, quia civitates Francigenis eripiuntur, et in potestatem Anglorum, inimicorum regni, veniunt! Aug.* 13 *celebravit missam de Spiritu sancto in Sorbona non solum pro sanitate regis, sed et* pro prosperitate domini regentis (*i. e.* regis Angliae), dueis Burgundie ae totius milieie et exercitus eorundem, *i. e. qui ductus erat contra Carolum delphinum ejusque foederatos* (*vid.* lib. bed. fac. tbeol., p. 15).

5. *Qui igitur tunc officium cancellariae Paris., Johanne Gersone absente, gessit, fuit confessor regis.* Launoius, Navarrae gymn. bist., *ed.* 1677, p. 909, *scribit* Petrum Cantella (*lic. in theol. an.* 1403) *confessorem regis usque ad ejusdem mortem fuisse. Sed hoc minime verum est, nam* Reginaldus *an.* 1422, *Febr., cum decanatum Nivernens. resignasset, vocatur confessor Caroli reg. Franc.* (Suppl. Mart. V, n° 153, *fol.* 184 b), *et jam* 1421, *in* Areb. nat. Paris., LL 112, p. 342, *Octob.* 16 : « mag. Reginaldus de Fontanis, eonfessor regis et mag. in theol., cui vigore regalie rex eontulit canonieatum et prebendam eeel. Paris. per obitum defuncti dom. Jobannis de Molendino... presentavit literas ipsius regis » [*datas Sept.* 21]. P. 343 *ad Oct.* 17 *notatur :* « Placet dominis quod mag. Reginaldus de Fontanis confessor regis, mag. in theol., heri reeeptus ad prebendam Paris., legat in scolis capituli quando sibi placuerit ». *Reginaldus de Fontanis proinde tunc confessor regis fuit et officium cancellariae exercuit. Revera in* Catal. licent., *Bibl. nat.*

domino regi Anglie. Quantum ad tercium supplicaciones erant concesse.

Duodecima die May facta fuit congregacio Universitatis, quia proponens assignatus noluit assumere onus, et ideo fuit datus unus alius sollempnis magister in theologia, nomine mag. Joh. Almaris [1], Flamingus. Illa die post prandium fuerunt deputati et comparuit mag. Joh. Almaris, et dixit quod nullo [modo] assumeret onus, tum primo quia iturus esset ad curiam Romanam, tum secundo quia nesciret loqui perfecte gallicum.

Die vero sequenti facta erat congregacio ad inveniendum modum compellendi proponentem datum vel dabilem. Erat autem admissa excusacio proponentis dati, scilicet Almaris; et voluit Universitas, quod privaretur ipse et similiter confessor regis pro nunc et pro tunc per duos annos, et quod dabilis privaretur simpliciter, si onus recusaret subire injunctum. Item si facultas theologie foret negligens in providendo, quod de aliarum aliqua facultatum ydoneus deputaretur. Item fuit eciam mensio de minutis et epistolis ad curiam Romanam destinandis, nam illis ibidem lectis voluit Universitas, quod complerentur citiori modo quo fieri poterit. Facta ergo congregacione eadem fuit datus proponens magister Jacobus de Ordine fratrum Minorum, magister in theologia [2], et assumpsit onus; et fuerunt sibi date instructiones de privilegiorum materia nostrorum, quas haberet coram rege Anglie regente et herede Francie proponere solempniter in li[n]gua gallicana. Supplicavit magister Johannes de Ragucio [3], magister in theologia, Almanie nacionis, pro littera testimoniali gradus magisterii et pro litteris recommendatoriis. Cujus supplicacio erat concessa per Universitatem.

1422

Continuacio ejusdem mag. Joh. Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, ut moris est, anno quo supra, 3a die Junii [4], super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus mag. Joh. Flicke. Quantum ad secundum supplicavit idem continuatus, ut haberetur gratus, av[o]atus et recommendatus per eum in actis; cujus supplicacio fuit concessa.

(*Fol. 101*) [5] Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima octava die mensis Junii super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum auditus est compotus, et defalcata misia a recepta tam pro tempore suo istius receptorie quam alterius precedentis restat nacioni obligatus omnibus deductis in summa quatuor coronarum. Quantum ad secundum supplicavit receptor, ut haberetur gratus in suo compoto; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicaverunt bedelli pro subsidio gracioso, et quoad hoc dixit nacio quod magister Guillelmus Lochem obligatur

Paris. ms. lat. 5657 a *legitur ad an.* 1408 (1409), *quo in theol. licentiatus est*: vicecancellarius et postea episc. Suessionensis. *Johannes Courtecuisse, de quo ad an.* 1418, *Maii* 5, *utique non ultra an.* 1421, *quo in episcopum Paris. electus est, vices cancellarii gessit. Praeterea Johanni Courtecuisse Angli, in quorum potestate tunc civitas Parisiorum fuit, infensi erant, et sicut non permiserunt eum ad sedem Paris. venire, sic certe ei etiam ut vicesgerenti cancellarii obsistebant. Reginaldus de Fontanis an.* 1423, *Jan.* 8 *in episc. Suessionens. electus est* (Arch. Vat., XII, 121, p. 157), *et an.* 1424, *Maii* 3, *Parisiis inauguratus* (Gall. christ., IX, 375). *Et nihilominus* auctoritate apostolica commissus ad exercendum factum licentiarum in qualibet facultate studii Parisiens. (*ut infra ad an.* 1426, *Febr.* 9, *scribitur*) *in hoc officio remansit, habuitque suos commissarios et procuratores* Johannem Pulchripatris, *et* Dominicum Parvi, *magistros in theol., ut patet ibid.* Hemeraeus *et* Bulaeus *de his omnibus non bene moniti erant.*

1. *De quo jam ad an.* 1412, *Novemb.* 8, p. 131, *not.* 5.

2. *Verisimiliter* Jacobus de Touraine *seu* Textoris (Texier) *lic. in theol. an.* 1421 (1422), *Martii* 6, *e* lib. bedelli fac. theol., p. 8. *Vid. de ipso* Tuetey *in* Journal d'un bourgeois, p. 208, *not.* 2, *et* Quicherat, Procès, V, p. 568.

3. Johannes Stojkowic de Ragusio *fuit Ord. Praed.* Catal. licent. *inter an.* 1413 *et* 1421 *vacat. An.* 1420 *licentiam in theol. recepit. Quae affert* Quétif-Echard, Script. Ord. Praed., I, 797 *sq. manca sunt. In* Kirchenlexicon für kath. Theologie, 2 a *ed. desideratur etiam nomen. Multa nunc de ejus gestis nota sunt ex ejus operibus*: Initium et prosecutio Basileensis Concilii, *et* Tractatus de reductione Bohemorum, *ed. a* Palacky *in* Monumenta Conciliorum general. saec. XV (*Vindob.* 1857, *tom.* I). *Ipse eodem anno* 1422, *post Maii* 13 *ab Universitate Paris. cum* Philippo Marescalli, *nat. Gallic. mag. in art., bacc. jur. can., ad Martinum V Romam mittebatur cum litteris, in quibus Universitas papam exhortatur ad celebrationem Concilii generalis juxta intentionem Concilii Constantiens.* (*in sess.* 39 a *ordinabat, infra quinque annos aliud Concilium generale celebrandum esse;* Mansi, Concil., XXVII, p. 1159), *et quidem* Papiae, *ut jam edixit, accelerandi* (Monumenta, *etc.*, p. 3). *Responsum Martini ad* rectorem et Universitatem studii Paris. *in* Arch. Vat., *Brev., arm.* XXXIX, 6, *fol.* 94, *et* Raynald. *ad an.* 1423, n° 2. Johannes de Ragusa *Romae morabatur a Nov. usque ad an.* 1423, *April., deinde* Papiam *seu* Ticinum *profectus est. April.* 23 Concilium *initium habuit, in quo primum sermonem fecit* (Monumenta, *etc.* p. 8, 10). *Vid. infra ad an.* 1423, *April.* 8. *Notandum, hujus magistri in* lib. bedelli fac. theol. *nullam mentionem fieri.*

4. *Ms.* maii *prius, sed correctum.*

5. *In summa parte folii inscribitur :* In procuratoria mag. Johannis Flicke.

nacioni in certa quota, et quia Hermannus subbedellus est procurator dicti Lochem et recipit fructus ejusdem capelle[1] dicto Lochem pertinenti, quod de primis fructibus aufferat nacioni certam summam, et de illa dictis bedellis providebit, quam tamen summam nacio dicto Lochem defalcabit super debito per ipsum, sin autem in alio compoto nacio juxta possibilitatem eis providebit.

Summa debitorum per receptorem est quatuor coronarum.

1422

Continuacio mag. Johannis Flicke de Finlandia.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima sexta die mensis Augusti ut moris est, anno quo supra, etc. super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus per eum in actis. Cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Maturinum ipso die beati Mathei apostoli et ewangeliste, anno quo supra, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem. Secundus ad audiendum compotum in quibus tenetur nacioni. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus est venerabilis bachallarius formatus in theologia magister Johannes Haerlem in receptorem nemine proclamante. Quoad secundum nichil eodem die, quoniam eadem hora fuit congregacio Universitatis super prosecucione privilegiorum nostrorum in ducatu Normanie et conqueste[2]. Quoad tercium supplicavit antiquus, ut haberetur gratus. Cujus supplicacio fuit concessa.

1422

Electio magistri Johannis Johannis.

Die mercurii 23ª mensis Septembris convocata nacione, ut moris est, super electione procuratoris et super supplicacionibus. Quoad primum electus est magister Johannes Johannis et habitus est suus compotus gratus de preterita receptoria. Supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, et ita concessum est. Supplicavit magister Paulus de Sclavonia, ut nacio pro eo domino rectori supplicaret, quatenus offensam, si que esset sibi per dictum Paulum facta, dimitteretur; et ita factum est. Ordinavit eciam nacio, quod ammodo bedelli nostri custodirent claves suarum scolarum, et quidquid lucri inde eveniret ipsi servarent. Voluit etiam quod fierent cere[3] pro scolis superioribus.

1422

Continuacio ejusdem.

Mercurii 21ª Octobris convocata nacione, ut moris est, supra articulis consuetis, continuatus est antiquus, et habitus gratus, recommendatus et avoatus. Eodem die obiit illustrissimus princeps Karolus Francorum rex[4].

1422

(*Fol. 101*ᵇ) Continuacio Joh. Johannis.

Mercurii in octavis Martini[5] convocata nacione, ut moris est, continuatus fuit magister Joh. Johannis, et habitus est gratus et avoatus in actis per eum.

1422

[Continuacio ejusdem.]

Mercurii 16ª Decembris continuatus fuit procurator antiquus, et habitus gratus et avoatus.

1423

[Continuacio ejusdem.]

Mercurii 13ª Januarii recontinuatus fuit procurator et habitus gratus, etc.

1423

[Continuacio ejusdem.]

Mercurii 10ª Februarii adhuc iterum continuatus dictus procurator, et habebatur gratus, recommendatus et avoatus.

1. *S. Mariae Magdalenae in domo filiarum Dei Paris. Vid. supra ad an.* 1418, *Aug.* 8, p. 249, *not.* 1.

2. *Ex hoc habetur ut certum,* Mandata *data ambassatoribus Universitatis ad regem Angliae, regentem Franciam, destinatis, minime ad an.* 1420 (1420) *pertinere, ut* Jourdain, *qui ea edidit* nis 1166, 1167, *suspicatur, sed ad an.* 1422, *composita ante Aug.* 31, *quo die regens Franciam mortuus est.*

3. *Scil.* serrae.

4. Henricus *rex Angliae obiit* 31 *Aug.*, Carolus *rex Franciae Octob.* 21. *Vid. de hoc* Journal d'un bourgeois, p. 176, 177 *sqq. Servitium Universitatis fuit apud Praedicatores, pro rege Angliae* « bone memorie » *Sept.* 3, *pro rege Franciae Octob.* 30 (lib. bedelli fac. theol., p. 16, 21).

5. *I. e. Novemb.* 18.

Supplicavit dominus Godefridus de Usinghen [1], ut ad gradum bachalariatus admitteretur, et fuit admissus solutis solvendis.

Admissus est dominus Godefridus de Usinghen ad bachalariatum, et determinavit sub me procuratore; cujus bursa VI sol.

1423

[Continuacio ejusdem.]

Mercurii decima Marcii continuatus fuit adhuc procurator, et habitus gratus et avoatus. Et supplicavit dominus Gaufridus de Usinghen, quod nacio vellet acceptare aliquem respondentem, qui pro eo responderet pro hiis, que potest debere nacioni tam pro bachalariatu, licencia et magisterio. Istud placuit, dummodo tamen ille esset sufficiens et nacioni presentaretur, et quod de illo faceret proprium debitum. Similiter et voluit nacio pro majori securitate, quod terminus certus prefigeretur, et quod dictus de Usinghen se in presencia notariorum obligaret, quod, nisi infra tempus statuendum persolvat, quod eo facto consenciat se excommunicari et excommunicatum pronunciari.

Veneris duodecima Marcii licenciatus est dominus Gherardus de Rye sub me; cujus bursa VI sol.

Item licenciatus est dominus Godefridus de Usinghen sub me; cujus bursa VI sol.

Item licenciatus est Martinus Berech presbyter sub me; cujus bursa II sol.

Incepit dominus Gherardus de Rye sub procuratore, cujus bursa VI sol.

Ego [2] Johannes Johannis procurator nacionis respondi et respondeo pro dicto Gherardo pro bursis debitis tam pro licentia quam pro magisterio, tam etiam pro duobus francis et viij solidis pro cappa rectoris debitis per eundem ante suam inceptionem, sic quod summa totalis se extendit ad quinque libras parisiens., pro quibus respondeo nacioni sic, quod si non tradat dictam summam infra spacium octo septimanarum et nacioni satisfecerit de dicto debito, facio proprium debitum, fraude et dolo semotis, et cum hoc pro uno franco quem debet provincie Almannie, conformiter respondeo de consensu nacionis et ad requestam dicti Gherardi, et promittit dictus Gherardus de Rye sub penis camere apostolice satisfacere dicte nacioni statuto tempore. In cujus rei testimonium huic scripto una mecum signetum suum manuale apposuit in presencia magistrorum Johannis de Arnhem receptoris nacionis et notarii imperialis, et presencia magistrorum Johannis de Flicquen et Johannis Polreman die xij^a Marcii.

Johannes Johannis. G[herardus] de Rye.

(*Fol. 102*) Facta [3] fuit congregacio nacionis martis decima sexta Marcii, ad requestam Martini Berech presbyteri, qui supplicavit quatenus nacio vellet secum graciose procedere, sic quia pauper erat et indigens, sic scilicet, quod solveret bursas suas tam pro magisterio quam licentia una cum duobus francis, cum 8 solidis pro cappis rectoris, et quod illud quod debet pro bachalariatu quod promittat proximo anno solvere, scilicet 10 solidos pro bursis, et 20 solidos pro scolis, cum sex solidis pro provincia Almannie, nacio supersederet de solucione, quousque melius posset solvere. Placuit nacioni, dummodo traderet respondentem sufficientem. Et ita tradidit magistrum Johannem Johannis, et habuit terminum unius anni.

Item incepit Martinus Berech presbyter sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa II solidi [4].

Mercurii 17^a Marcii supplicavit Godefridus, quatenus nacio vellet capere vadia sua, scilicet libros et alia bona sua, et quod ponerentur in domo Boemundi in custodia in quodam fardello in presencia duorum magistrorum nacionis pro summa, quam debet nacioni tam pro bachalariatu, licencia et magisterio, et promisit in nacione sua vadia redimere infra festum sancti Remigii proximo venturum. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo tamen taxarentur illa que deberet et in registris illa scriberentur.

Item incepit dominus Godefridus de Usinghen sub me procuratore; cujus bursa VI sol.

Lune 22^a Marcii magister Godefridus de Usinghen posuit libros suos in presencia domini receptoris et Boemundi in domo ejusdem Boemundi in quodam ferdello, et fuit computatum, quod dictus magister Godefridus tenebatur pro bachalariatu, licencia et magisterio summam octo librarum parysiens. cum dimidia; item pro provincia unum francum; item pro Boemundo XII solidos; et pro istis dicti libri sui remanserunt, et habuit terminum juxta conclusionem precedentem pro solvendo. Et de istis respon-

1. De Bonna, *an.* 1439 *ut art. et med. mag.* Coloniae (*vid.* Keussen, I, p. 567). *An.* 1442, *Aug.* 4, *a rege Romanorum* Friderico IV *epistolam recepit* (Chmel, Regesta Frid. IV reg. Rom., n° 927).

2. *Quae sequuntur usque ad subscriptiones deleta sunt, et in margine scriptum est:* Solutum totum. Solvit.

3. *Quae sequuntur usque* Item incepit *ita deleta sunt, ut aliqua difficilia sint lectu. In margine:* Solvit.

4. *Sequitur, sed linea deletum:* Item Martinus Beregh debet pro promoti. VI sol., *quod nihil est nisi tentatio sententiae praecedentis.*

derunt Boemundus pro duobus francis includendo 12 solidos sibi debitos, et habuit vadium per se, scilicet anulum aureum; et Hermannus respondit pro duobus francis, verumptamen ferdellus pro toto usque ad integram solucionem servabitur.

1423

Procuratoria magistri Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC XXIII°, die VIIª mensis Aprilis super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuit electus in procuratorem magister Johannes Flicke unanimi magistrorum consensu, sed ipsomet, scilicet magistro Johanne Flicke, reclamante propter aliquas causas, etc. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum. Cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit procurator electus, quatenus nacio vellet sibi dare assistenciam in agendis. Cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die VIIIª mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris mag. Johannis de Arnhem. Secundus fuit super aliquibus statutis ex antiquis registris nacionis seu libris excerptis et per antiquum procuratorem mag. Johannem Johannis extractis, exceptis aliquibus, que sunt de novo, ut inferius patebit. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum auditus est compotus domini receptoris, et summa recepte ascendit ad XIIII libras, VIII solidos; summa vero expositorum extendit se ad XII libras, VIII solidos, VI denarios. Restant II libre demptis VI denariis. Et magister Joh. Johannis tenebit locum ipsius usque ad regressum, *quia* [*Johannes de Arnhem*] *missus est ex parte Universitatis*, et cum hoc portabit rotulum ex parte nacionis *ad Consilium generale*[1]. (*Fol. 102^{b}*) Quantum ad secundum fuerunt lecta pro prima vice illa statuta per eundem magistrum Joh. Johannis, et conclusum fuit per nacionem unanimiter, quod adhuc bis legerentur, et tunc rescriberentur in libro nacionis cum aliis statutis, et hoc ut omnes tam venientes quam sequentes et maxime novicii sciant statuta, ad que per juramenta ipsorum tenendi sunt et astricti. Quantum ad tercium supplicavit receptor ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum et de compoto suo. Cujus supplicacio fuit concessa.

Item in alia congregacione lecta fuerunt illa extracta pro secunda vice, et placuerunt omnibus nemine contradicente.

Item facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Maturinum, anno quo supra, die XIIª mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus est super expedicione rotuli; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum avisatum fuit per nacionem ad habendum pecunias pro portitore; sed quia non habuit, determinavit nacio quod caperet debita magistri Guillelmi Block et magistri Guillelmi Lochem, et de absentibus XXIIII solidos de quolibet. Et sic conclusit quod haberet predicta debita pro expensis suis et penis. Et quoad hoc misit litteras predictis magistris, quatenus nacio pro illis debitis esset contenta, si satisfacerent eidem[2] et quitaret ipsos; et si non satisfacerent, nacio vellet laborare cum eodem[3] ut eidem satisfacerent. Quoad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XVª mensis ejusdem, super duobus articulis. Primus ad audiendum iterum illa statuta de quibus mencio facta est supra. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum fuerunt lecta predicta statuta pro tercia vice, et conclusum fuit per nacionem unanimiter, quod inscriberentur in libro nacionis cum aliis statutis et quod ponerentur in bona forma. Quoad secundum nichil.

Statuta[4] quolibet anno bis in nacione legenda, videlicet in computo receptoris primo, et in die[5] sancti Mathei apostoli, in Septembri; et habetur originale in archa Nationis cum aliis litteris et statutis.

Universis presentes literas inspecturis salutem in

1. *Jam supra ad an.* 1417, p. 218, *not.* 3, *in not. scriptum est*, Johannem de Arnhem *ad* Concilium Papiense *missum esse. Istius et* Senarum *Concilii nulla ap.* Bul. *et* Jourdain *mentio. Sed nec in* Monum. Concil. general. saec. XV, t. I, *annotatur*, Johannem de Arnheim *ad Concilium Papiense ex parte Universitatis missum fuisse.*

2. *I. e. nuntio seu portitori rotuli*, Johanni de Arnheim.

3. *Cum nuntio.*

4. *Exstant in* Reg. 8, *fol.* 2b, *post* Inventarium jocalium nationis, *an.* 1425 *factum. Statuta ea etiam inveniuntur in libro pergameno nationis, Bibl. nat. Paris.* ms. latin nouv. acq. 535, *fol.* 146. — *Edidit cum multis mendis* Jourdain, n° 1181.

5. In vigilia *Liber nat.* (Bibl. nat. N. a. l. 535) *in rasura, cum an.* 1475 *vigiliam pro die natio adoptata sit.*

Domino sempiternam. Ad extollenda nostre matris nationis Anglicane [1] preconia, et que pro bono pacis, tranquill[it]atis honestatisve, ab antiquis patribus et predecessoribus nostris facta et ordinata [sunt], coram nobis per modum provisionis exstitit propositum in nostra congregatione generali super hiis et aliis apud Sanctum Maturinum, ut moris est, celebrata, per venerabilem virum, magistrum Johannem Flicke, socium collegii Sorbone, et de confinibus Dacie oriundum, nostre nationis et prefate matris procuratorem, qualiter multa statuta, alias per nationem conclusa, in diversis registris continentur, et illa minime nostris temporibus propalata, quod in ruinam cedere possit multorum (quod absit); jurat namque quilibet in sua creatione magisterii, servaturum se statuta, que tamen incognita sunt sibi et inmanifesta. Volentes igitur providere, sana et matura deliberatione prehabita, ordinavimus omnia, in antiquis registris nostris contenta, in formam publicam redigi, eaque legi et videri.

Quibus tribus vicibus lectis in tribus congregationibus super hiis factis, videlicet anno Domini millesimo CCCC° vicesimo tertio, die [2] septima, octava et decima quinta Aprilis, nemine reclamante, ea que sequuntur, perpetuis temporibus observanda, conclusimus statuenda, reservata tamen nobis et nostris successoribus potestate addendi, diminuendi et dispensandi, uti expediens videbitur et honestum.

In primis ratificando electionem procuratoris omni mense fiendam, ut moris est et in suis juramentis lucide declaratur.

Item, de receptore conformiter; quod omni anno, in die [3] sancti Mathei apostoli fiat congregatio ad eligendum vel continuandum receptorem; et in eadem congregatione habebit receptor computare, servando omnia in juramentis receptoris contenta.

Item, quod idem receptor, antequam recipiat pecuniam nationis, habeat ponere fidejussorem pro summa recipienda, si nationi videatur, et hoc ad evitandum periculum, quod alias accidit de quodam, qui pecuniam receptam secum tulit, remeando ad propria, et nondum remisit.

Item, receptor non recipiat vadia nec fidejussorem ab aliquo, sine consensu nationis, nisi de hiis suum proprium faciat debitum. Et si nationi placeat vadium aliquod recipere, hoc erit in valore proportionis sexquialtere, nec ultra annum servabitur; quodque, finito anno, natio aut ejus receptor libere vendere poterit et alienare, omnibusque cavillationibus, que in contrarium fieri possent, renuntiabit. Volens ponere vadium, habebit etiam de isto cedulam, manu propria scriptam et signatam, tradere receptori prefato.

Item, et quod in eadem congregatione, in die [4] sancti Mathei, habebunt supplicare, qui velint regere pro scolis, et fidejussores tradere, qualiter pro majori parte ordinarii regere intendunt; ut residuum scolarum locari poterit aliis (*Fol. 3*) nationibus.

Item, et in eadem congregatione bedellus et subbedellus suas virgas nationi presentabunt, et pro continuatione in suis officiis supplicabunt, ad tollendum elationem eorundem; quodque subsint correctioni nationis, ut etiam melius suppositis serviant in futurum; et etiam tradent fidejussores pro suis virgis, si nationi protunc placeat et expediens videatur.

Item, ratificamus statuta in archa contenta de electionibus officiariorum omnium secundum pluralitatem vocum fiendis; et quod nullus ad officia principalia, puta procuratoris aut receptoris, nisi totaliter nacioni satisfecerit, admittatur.

Item, ratificamus [5] statutum de clavibus archarum existentium in Sancto [6] Cosma et Damiano et in Sancto Maturino portandis. De archa vero, in qua thesaurus esse consuevit, et nunc stat in domo Boemundi, volumus quod 4^r^ claves exterioris arche serventur a procuratore, receptore, seniore regente et seniore non regente. Et de archa interiori, in qua reservande sunt pecunie, etiam sint 4^r^ claves, servande per unum Almannum altum, unum bassum, unum Anglicum [7], si fuerit, aut Saxonem, si deest Anglicus, et per unum Scotum. Nolumus tamen, quod custodientes coincidant, sic quod unus habeat duas claves. Et isti custodes singulis annis, in die sancti Mathei, habebunt suas claves nationi presentare.

Item, quod nulla fiat conclusio in cameris aut aliis locis privatis, sed fiat in locis publicis; et quod congregatio sit debito modo proclamata, vocatis omnibus qui vocari debebunt.

Item, quod in electionibus procuratorum, nunquam

1. Alemanie *Liber nat. man. sec.*
2. diebus *Lib. nat. supra lin.*
3. in vigilia *Lib. nat. in rasura.*
4. in vigilia *Lib. nat. in rasura.*
5. ratificando. *Reg.*
6. sanctis *Lib. nat. in rasura.*
7. *Secundum statutum an.* 1412, *Septemb.* 29, *et an.* 1415, *Sept.* 28, Saxo *tantum, minime* Anglicus *unam clavem tenere debuit; sed propter dominationem Anglorum post an.* 1420 *praescribebatur* Anglicus, *et solum ut substitutus* Saxo *nominabatur. Vid. praeterea infra ad an.* 1428, *Aug.* 19.

ultra summam quatuor solidorum perpotetur, quam receptor habebit exponere; minus tamen, si videatur et presentibus placeat.

Item, quod in distributionibus vesperorum et missarum receptor non tradet ultra XII [1] parys. unicuique presenti, puta in vesperis IIII denarios, et in missa VIII denarios, demptis procuratore et in divinis servientibus, qui habebunt duplum similiter: et principalis bedellus sicut procurator, et subbedellus ut magister; celebrans vero missam habebit duos solidos; poterit tamen presentibus minus distribuere, si facultates non sufficiant.

Item, quod in anno non fiant nisi tria prandia per nacionem, videlicet in primo compoto, in quo non exponetur ultra duos francos; similiter in die sancti Mathei, in quo natio non exponet ultra duos francos; et si somma ultra se extenderet, tunc presentes suam solvant portionem pro residui solutione. Et tertium prandium fiat in festo sancti Eagmundi; et ante per procuratorem, per tres vel 4^or^ dies, convocetur natio ad ordinandum de illo festo, tam pro divinis quam prandio fiendis; et gratiose fiat conventio, ne natio in tali aliquo modo poterit gravari.

Item, quod nemo lites seu jurgia cum aliquo suppositorum habeat, de quibus coram aliquo judice, nisi coram nacione, contendat [2], que sicud pia mater, concordiam filiorum semper optando, prout decet providebit, ne facta per nos aliis manifestentur: quod si secus ab aliquo factum fuerit (quod absit), talis tanquam membrum inutile resecetur, et idem a facultate fieri procuretur, prout alias visum fuerit et factum est de magistro Christiano de Elst [3], ut patet in litera super hoc confecta, et sigillis nationum quatuor sigillata, in archa contenta.

(*Fol. 3*^b^) Item, quia aliqui jurant statutum paupertatis, de quibus satis postea constat, eos fore sufficientes pro bursis solvendis, sicud sepius visum est temporibus retroactis, statuimus, quod de cetero nullus recipiatur, nisi in bachalariatu solvat pro scolis ad minus viginti sol. parys., sicud nec in magisterio sumuntur, nisi solvant pro introitu ad nationem duos francos, et octo sol. pro cappis rectorum. De bursis vero in bachalariatu, licentia et magisterio jurent statutum prefatum, juxta tenorem juramentorum in libro content[or]um. Preterea, quod minor bursa solvenda sit quatuor solid., ulteriorem vero taxationem temptatoribus in bachalariatu cum procuratore et receptore relinquentes.

Item, quod singulis annis, ante carnisprivium, fiat congregatio nacionis super electione temptatorum pro bachalariis temptandis et admittendis, et pro mensibus distribuendis pro examine sancte Genovefe. Et quoad hoc servetur ordinatio antiqua, videlicet pro determinantibus audiendis eligantur senior regens et senior non regens, et receptor: quod si procurator voluerit, interesse poterit; et isti jurabunt in presentia nationis juramenta consueta. In mensibus vero distribuendis similiter; in scolis pro regentia semper, ceteris paribus, antiquior magister preferendus est juniori, si pro aliquo mense supplicent aut pro scolis in regencia.

Item, quod determinantes, bachalarii, licenciati et magistri solvant sua sallaria bedellis, prout retroactis temporibus est consuetum; videlicet, in determinantia, medium francum; in bachalariatu, pro ducendo ad scolas, quatuor solidos, et pro temptaminibus duos solidos; in licentia vero, duos solidos; in magisterio vero, pro bedellis nationis unum francum, et pro communitate bedellorum, in petendo *placet*, quatuor solidos cum octo denariis parys.

Item, ut firmior memoria de omnibus predictis habeatur, ordinamus, communi consensu, ista scribi in principio registri procuratorie et etiam receptorie [4], dum novum fiet, causa quod quolibet anno bis palam et publice legantur, videlicet in primo compoto et in die sancti Mathei apostoli.

In quorum omnium testimonium, statutis ac ordinationibus presentibus sigillum nostrum magnum, una cum signeto notarii, duximus apponendum.

Datum et actum anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo tercio [5], diebus vero quibus supra, septimo, VIII° et decimo quinto Aprilis.

1423

(*Fol. 102*^b^) [6] Continuacio mag. Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die V^a^ mensis May, super duobus articulis. Primus ad eligendum

1. denarios *addit Lib. nat. man. sec.*
2. *Hoc statutum an.* 1428, *Aug.* 19, *ita moderatum est, ut aliquis non contendat*, « nisi *primo* coram natione ».
3. *De quo in tom.* I Auctarii. *E supradictis modo scimus, quare* Christianus de Elst *an.* 1337 *privatus esset* (*vid.* I, 25, 10), *quod hucusque non apparebat, quia liber ms*^us^ *seu* Reg. 2 *mancus est.*
4. *Revera ea quae solvenda per baccalareos aliosque respiciunt, inveniuntur etiam in* lib. receptoris *in principio ejusdem, in* Arch. nat. Paris., H. 2587.
5. *Lib. nat.* quarto. *In Reg. Univ. littera* q *vocabuli* quarti *erasa est. Sed scribendum ut supra. Duobus annis elapsis magistri jam obliti erant, quo anno haec statuta essent.*
6. *E* Reg. 7.

novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus, scilicet magister Johannes Flicke. Quoad secundum supplicavit idem ut haberetur gratus in actis per eum, cujus supplicacio concessa est.

Facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XXII^a mensis May, super supplicacionibus mag. Guillelmi Scut, quarum prima fuit super littera presencie anni Domini M^i CCCC XVII [1]. Et quoad hanc concessa fuit sibi et sigillata. Secunda vero fuit de inrotulacione sua. Quo ad hanc concessa fuit et quod haberet dare mag. Johanni Arnhem I scutum in auro. Et hoc promisit mag. Guillelmus Scut in nacione sub penis camere apostolice, et in casu quo non posset sibi dare, quod mitteret nacioni infra festum sancti Dionisii anno quo supra, et cum hoc tradidit instrumentum seu litteram de sua manu propria scripta, quam recepit dominus receptor, scilicet magister Johannes Johannis.

1423

(*Fol. 103*) Continuacio mag. Johannis Flicke.

Die 2^a Junii anni ut supra, scilicet M^i CCCC^i XXIII^i, facta congregacione apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum seu continuandum procuratorem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est concorditer antiquus dominus procurator, scilicet magister Johannes Flicke nemine contradicente. Quoad secundum supplicavit antiquus dictus procurator ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum; que ab omnibus in forma concedebatur.

In vigilia beati Johannis Baptiste congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano ad eligendum novum rectorem, pro quo eligendo datus fuit intrans pro nacione Anglicana magister Paulus de Slavonia, et electus fuit in rectorem Universitatis, via Spiritus Sancti, magister Johannes Mutarde [2], nacionis Normannie. Et ad articulum supplicacionum ejus nacio regraciabatur dominis intrantibus et congratulabatur de electione domini rectoris, et antiquus fuit concorditer avoatus.

In vigilia apostolorum Petri et Pauli dispensatum fuit per facultatem artium apud Sanctum Julianum, quod si necessitas immineret seu occurreret, ipse rector predictus posset facultatem artium super aliquibus convocare durante tempore vacacionis.

1423

Continuacio mag. Joh. Flicke.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, etc. vicesima sexta Augusti super electione vel continuacione procuratoris, continuatus est antiquus procurator et avoatus est habitus.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in die Sancti Mathei apostoli et ewangeliste, sicut moris est, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem et compotum audiendum antiqui receptoris seu locum tenentis. Secundus ad distribuendum scolas regere volentibus. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum omnibus computatis hinc inde et misi[i]s defalcatis a recepta, remansit antiquus receptor, videlicet mag. Johannes de Arnhem, nacioni obligatus in XXXVII solidis, VI denariis, et substitutus per eum seu locum tenens, vicelicet magister Johannes Johannis, omnibus inclusis de tempore, etc. sue receptionis, in quo remansit nacioni obligatus, hinc inde deductis, remanet nacioni obligatus in una corona cum XIII solidis, IIII denariis, computando quinque duplatos pro II albis.

Insuper fuit electus mag. Joh. Flicke procurator presens in receptorem, et substitutus in procuratorem usque ad novam electionem mag. Johannes Johannis. Quoad secundum nemo supplicavit pro scolis [3]. Quoad tercium supplicavit mag. Joh. Johannis, ut in actis per eum haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio fuit concessa.

1423

(*Fol. 103^b*) Acta in procuratoria magistri Martini Beregh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M^o CCCC^o XXIII, die jovis vicesima tercia die mensis Septembris, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum

1. *Cum rotulus Constantiam destinaretur.*

2. *Seu* Le Moutardier, Le Moustardier, *presb. Baiocens. dioec., par. eccl. S. Laurentii de Profundorivo* (Suppl. Mart. V, n° 133, *fol.* 122 *ad* an. 1420) *de quo insuper plura infra Novemb.* 16. Bul. *in sua* Nomenclatura, V, 920, *perperam affert* Petrum de Longolio. *Frustra quaeres ap. illum* Johannem Mutarde. *An.* 1435, *Octob.* 21, *ut canon. Paris. et qui* habuit custodiam librarie eccl. Paris., *obiit* (Arch. nat. Paris., LL 114, p. 178, 183). *Vid.* Franklin, *Anciennes biblioth. de Paris*, I, p. 52.

3. *Bene notandum. Sed vid. ad Septemb.* 26.

procuratorem, secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum elegit nacio concorditer in procuratorem magistrum Martinum Beregh. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, avuatus et recommendatus, que [supplicatio] ab omnibus fuit concessa [1].

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum vicesima VI[a] die mensis Septembris super duobus articulis. Primus ad audiendum articulos mittendos tam summo pontifici, quam ad *Consilium generale*. In eadem congregatione fuerunt lecte minute que mittebantur domino summo pontifici, collegio cardinalium, Consilio generali, civibus Senarum [2], et duci Mediolanensi. Eadem congregacione fuit lecta quedam bulla, que mittebatur clericis et beneficiatis sub ala episcopi Parisiensis [3], quam dominus episcopus sui gracia communicavit Universitati. Et quoad istum articulum placuerunt Universitati isti articuli, et eciam minute. Placuit eciam Universitati quod ille minute ponerentur in arca Universitatis, et eciam articuli tam de juramento quam de graciis. Palacuit (*sic*) eciam graciarum actiones reddere domino episcopo Parisiensi, non tamen nomine Universitatis, *ne forte crederet episcopus quod Universitas sibi subjecta esset*, cum sit extra juridictionem ipsius et unum corpus [a] parte. Quoad secundum articulum supplicavit facultas medicine de abusoribus in facultate [4], et istam [supplicacionem] concessit Universitas et se inju[n]xsit. Secundo supplicavit quidam magister de nacione Normannie, qui tunc erat in curia Romana, per procuratorem. Et fuit sibi concessa.

Item eadem die supplicavit magister Martinus Berech pro scolis [5], et supplicacio sua fuit concessa a nacione.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum et deliberandum an juramenta et *articuli ad sacrum Consilium destinanda* sint sufficientia. Et in eodem articulo tangebatur de *expedicione ambasiate* et de modo habendi pecunias. Et in eodem articulo proposita fuit quedam requesta domini regis [6] et dominorum de consilio, ut omnes qui non fecerant jura[men]tum de tractatu pacis [7], prestarent juramentum in manibus rectoris. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum juramenta et articuli placuerunt Universitati, et ut ambasiata expediretur cicius quam posset. Et de pecuniis habendis domini receptores fuerunt requisiti per juramentum quod facere[n]t diligenciam ad hoc. Quoad secundum articulum supplicavit nacio Francie quod domini ambasiatores non presentarent rotulum summo pontifici, nisi prius opptinerent prerogativa que fuerunt concessa Universitati a domino Johanne XXIII [8]. Et illa [supplicacio] concessa fuit quod non presentarent non consulto Universitate [9]. Supplicavit eciam facultas medicine de quodam abusore quatenus esset resecatus ab Universitate tamquam ramus inutilis, quia est inutilis ad studium, et istam concessit Universitas in forma. Et ista acta fuerunt die veneris proxima [10] ante festum sancti Dionisii in mense Octobri, anno Domini M° CCCC° XXIII.

Facta congregacione facultatis artium apud Sanctum Julianum anno Domini M° CCCC° XXIII, decima die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum rectorem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio Anglie dedit intrantem magistrum Martinum Berech, qui elegit m[agistrum] [11]..., et fuit avoatus et recommendatus apud nacionem. Quoad secundum articulum supplicavit dominus rector antiquus, quatenus habeatur recommendatus, avuatus et gratus, et supplicacio sua fuit concessa in forma.

1. *Haec rubrica in ms*[to] *bis scripta est, sed semel deleta.*

2. *Propter epidemiam quae anno eodem Papiae grassabatur, Junii* 21 Concilium *translatum est* Senas, *ubi Concilium Julii* 21 *initium sumpsit. Vid.* Hefele, Conciliengesch., VII, p. 391 *sqq.*

3. Johannis de Nanton, *episc. Paris. ab an.* 1423, *Jun.* 26 (Arch. Vat., *arm.* XII, 121, p. 164).

4. *Facultas medicinae tunc persequebatur* Johannem Donremi, *laycum, ignorantem litteras, similesque abusatores* (Comm. fac. med. I, p. 260). *Vid.* p. 304, 19, *et* Chartul.

5. *Non tamen continuavit. Vid. infra ad an.* 1424, *Febr.* 4.

6. *I. e.* Henrici VI *regis Angliae.*

7. *Agitur de* tractatu pacis Trecensi, *de quo supra ad an.* 1420, *Maii* 20. *Non ignotum erat, omnes qui beneficia eccles. acquirere voluerint, etiam canonicos Nostrae Dominae ab an.* 1422, *Junio, juramentum praestare debuisse* (*vid.* Mém. de la soc. de l'hist. de Paris, IX, p. 149 *sq.*; Journal d'un bourgeois, p. 182, *et* Tuetey *in not.*). *Per supradicta vero confirmantur, quae narrat* Th. Basin *in* Hist. Caroli VII et Lud. XI, *ed.* J. Quicherat, I, p. 36 : « omnes scolastici si ad gradum aliquem in quacunque facultate promovebantur, inter alia in manu rectoris Universitatis hujusmodi pacem se servaturos sacramento firmare adigebantur ».

8. *Ms.* XXII. Praerogativa concessa magistris Univers. studii Paris. *sunt a Johanne XXIII, Bononiae non. Aug., an. primo* (1410, *Aug.* 5), *in* Cod. Vat. 4990, *fol.* 150 b. Bul. *eadem publicavit* IV, 906, *eaque perperam Benedicto XIII adscripsit. Vid. supra* p. 85, *not.* 3.

9. *Rotuli hujus supersunt solum* articuli communes, *in curia signati an.* 1424, *Maii* 25, *ap.* Bul., V, 369, *sqq.* 5.

10. *Octob.* 8.

11. *Dolemus nomen deesse.*

1423

(*Fol. 104*) Continuacio ejusdem magistri Martini.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum die vicesima prima mensis Octobris anni Domini millesimi vicesimi tercii super electione vel continuacione procuratoris et super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit procurator antiquus, scilicet magister Martinus Berech, et ejus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum decima sexta die Novembris anno ut supra super duobus articulis. Primus de expedicione ambasiate; secundus vero super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum nacio regraciata [1] est domino rectori itemque decanis ac procuratoribus. Insuper p[l]acuit ut daretur terminus negativus ambasiatoribus, infra quem per juramentum recedant de Parisius [2]. Et de pecuniis habendis placuit naccioni quod reperiantur aliqui notabiles viri qui concedant pecunias et quod prime pecunie que [3] venerint ad Universitatem, tam de bursis capitalibus quam eciam aliis, reserventur pro solucione summe istius. Quoad secundum supplicavit naccio venerabilis Francie, quatenus naccio acceptaret magistrum Johannem Hervei [4] pro ambasiatore Universitatis, et istam concessit, dummodo alie nacciones essent concordes. Secundo supplicavit magister Johannes Moustardier [5], quatenus sua causa de quodam beneficio non traheretur extra murum Parisiensem. De hoc naccio dedit deputatos. Item dominus dux Bethfordie [6] scripsit litteram de quodam processu, quatenus Universitas non sustineat partem conquerentem in illa causa, et de hoc similiter dedit deputatos. Item supplicavit magister Johannes Pulchripatris, quatenus haberet aliquam recompensacionem de negociis suis perditis [7] in ambasiata Anglie [8], et quoad hoc, quia naccio non habet pecunias, supposita naccionis secundum possibilitatem suam tempore et loco libenter contribuerent ei. Item de littera presencie duo magistri supplicaverunt. Uni naccio concessit, quia sufficienter respondit ad interrogatoria; alter habuit opponentem, et ideo naccio tradidit sibi terminum, et infra tres septimanas adducat testes suos pars opposita; quod si non fecerit, ex nunc pro tunc concedit supplicacionem petentis.

1423

Acta in procuratoria magistri Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, decima octava Novembris anni millesimi CCCC. XXIII, super duobus articulis. Primo ad eligendum novum procuratorem; secundo

1. *Ms.* regraciatus.

2. *Sed nondum ambassiatores Senas, ubi Novemb.* 8 *jam secunda sessio celebrabatur, profecti erant. Immo Febr.* 3 *anni* 1424, *Senis ignotum erat, quando ambasiatores Universitatis Paris. venirent; et* Johannes de Ragusa *scripsit* Johanni Pulchripatris *Nivernensi, mag. theol., ducis Burgund. consiliario, ut cito venirent, cum inter patres Concilii discordia esset* (Monumenta Conciliorum general. saec. XV, t. I, p. 48; Hefele, Conciliengesch., VII, 403). *Febr.* 12 *solum cum archiepiscopo Rotomagensi advenerunt, ut refert* Joh. de Ragusa *in* Mon. Concil. gen. saec. XV, *l. c.* p. 49 : Joh. Pulchripatris (Beaupère), *mag. theol.* (*lic. inter an.* 1419 *et* 1422); Livinus Nevelinc (Mon. *eum omittunt, sed vid.* Suppl. Mart. V, n° 170, *fol.* 76), *fac. decret.*; Robertus Poitevin (Mon. *perperam* Potmiri), *mag. in medicina*; Joh. Hervei, *Gallic.*; Johannes Chuffart (Mon. *perperam* Chusart), *Picard*; Joh. Moustardier *Normann. Praeterea postea advenerunt mag.* Joh. de Arnheim, *qui interim de Papia reversus erat, et* Hermannus *bedellus. Vid. infra ad an.* 1424, p. 309, 37, *et an.* 1429, *Maii* 25. *Praeter Joh. Pulchripatris et Joh. Chuffart celeberrimus horum erat* Robertus Poitevin, *de quo vid.* Vallet de Viriville *in* Bibl. de l'Ecole des chartes, XI, 488 *sqq.*; Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. VI, 397.

3. *Ms.* quem.

4. *An.* 1427 *affertur ut bacc. etiam in theol. qui beneficia in Nannetens. et Corisopitens. dioec. possidebat* (Suppl. Mart. V, n° 199, *fol.* 108). *Jam an.* 1416 *fuit bacc. in theol.* (Opp. Gerson, V, p. 329), *et an.* 1403 *bacc. in art.* (*vid. tom.* IV Chartul.).

5. *Ms.* Muntardier. *Joh.* Le Moustardier, *de quo* p. 301, *not.* 2, *an.* 1430, *April.* 27, *licent. est in theol. Praeterea p.* 343, *not.* 2.

6. Johannes de Lancastre, *dux de Bedford, frater regis Henrici V, regens Franciam usque ad mortem an.* 1435, *Sept.* 14.

7. « Cum de civitate Paris. ad civitatem Belvacens. transiret, contigit ipsum in manus sceleratorum et predonum incidere, qui ab eo vestes, equos, pecunias et alia bona sua que secum deferebat auferentes eum, ne forte vite superstes scelus hujusmodi detegeret, diris inhumanis plagis et ictibus impie concidentes nec eum, donec inter tot ictus et vulnera defectus et exanguis ab eis reputatus est, dimiserunt, inter que ipsum manu sua dextra mutilaverunt. » *Quia ab aliquibus asserebatur, propter mutilationem, saltem ad beneficia curata inhabilis esse, petiit a Martino V dispensationem, quam obtinuit quantum ad can. Bisunt., Senonen., Parisiens. et Belvacens., de quibus litigabat, et archidiaconatum de Salinis in eccl. Bisunt., sed non quantum ad eccl. paroch. de Vayo Nannetens. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 170, *fol.* 80, *ad an.* 1424, *Mart.* 31). *Nihilominus praecipuus legatorum Universitatis ad Concilium Senense fuit, quo absoluto ut* Universitatis ambassiator *ad Martinum V Romam profectus est, et quidem cum supra nominatis* Livino, Roberto, Johanne Hervei, Joh. Chuffart *et* Joh. Le Moustardier (*ibid., fol.* 76). *Verisimiliter rotulum Universitatis Paris. praesentarunt, qui an.* 7mo, 4 *kal. Apr.* (1424, *Mart.* 29), *signatus est* (Suppl. Eugenii IV, n° 264, *fol.* 212, *et sexcenties in* Supplic.). *An.* 1431 *famosior legatus Univers. Paris. Rotomagum fuit contra* Johannam d'Arc (*vid.* Quicherat, Procès, V, *Index*, p. 491), *sed inde Maii* 28, *ante condemnationem Johannae, ad Concilium Basil. profectus est* (ibid., II, 21; I, 442).

8. *An.* 1422, *Dec.* 3, *Universitas Johannem Pulchripatris* (*Beaupère*) *mag. theol. et Jacobum Sacquespée, mag. med. jam ab an.* 1400, *in Angliam ad reginam et ducem Glocestriae misit pro negotiis regni Franciae* (Bul., V, 360, *sq.*).

super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum supplicavit antiquus procurator, ut esset avoatus, ratus et gratus, quod sibi est concessum. Deinde electus fuit concorditer magister Rogerus in procuratorem, et recepto instrumento, libri et claves sibi fuerunt tradite. Quantum ad secundum nullus erat supplicans.

1423

(*Fol. 104*[b]) Continuacio ejusdem magistri Rogeri.

Facta congregacione nacionis Auglicane apud Sanctum Julianum decima sexta Decembris, anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum novum procuratorem. Secundus super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum placuit nacioni continuare antiquum. Quantum ad secundum nacio habuit antiquum gratum, ratum et avoatum; ac eadem die electus fuit novus rector.

1424

Electio Johannis Johannis.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die 13[a] Januarii, scilicet ipso die sancti Firmini, super tribus articulis. Primus super electione vel continuacione procuratoris. Secundus ad audiendum litteras magistri Guillelmi Bloc nacioni transmissas. Tercius super supplicacionibus. Quoad primum fuit electus concorditer magister Joh. Johannis in procuratorem. Quoad secundum regraciabatur nacio magistro Guillelmo Bloc de communicacione suarum litterarum, et quoad contenta habet nacio dominum magistrum Guillelmum quitum et eum quitat de debito in quo nacioni obligabatur, et vult illum delere de registris inscribendo : *solvit et satisfecit*, propter sequentes ne credant illum adhuc nacioni fore obligatum. Quoad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus; que fuit concessa. Supplicavit eciam ut nacio vellet intercedere pro magistro Paulo de Bonafide [1] apud Universitatem et alibi, ut sibi subveniretur juxta conclusionem Universitatis alias pro dicto Paulo de Bonafide habitam. Similiter supplicavit magister Martinus Berech, ut nacio pro eo intercederet in Universitate, quatenus apud aliquos prelatos et dominos haberet recommendacionem pro aliquo beneficio, de quo posset habere victum et vestitum in studio. Que supplicaciones fuerunt concesse. Fuit eciam dictum Hermanno subbedello, quod ipse graciose haberet se cum magistris nacionis; quod si non faceret, et nacio querelam audiret ammodo, voluit eum privare a suo officio.

Facta congregacione nacionis 2[a] Februarii super duobus [articulis]. Primus ad dandum temptatores bachalariorum, cum facultas dispensaverit, scilicet ut fuerint bachalarii ante Quadragesimam [2]. Secundus super supplicacionibus. Quoad primum juxta antiquam consuetudinem et ordinacionem traditus [est] antiquior regens, antiquior non regens cum receptore. Quoad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione 4[a] Februarii ad requestam cujusdam magistri, qui dicebat quod non esset aliquis regens pro presenti, dato quod magister Martinus inchoaverit regenciam, non tamen continuavit, idcirco ut nacio dispensaret cum eo vel alio, qui locum regentis servaret in temptando bachalarios, expediens sibi videbatur, ut nacio congregaretur. Et ita factum est, et explicavit casum procurator in nacione. Super quo magistri concorditer deliberaverunt, si et in quantum dictus magister Martinus indigeret dispensacione, quod dispensant cum eodem.

1424

[Continuatio ejusdem.]

(*Fol. 105*) Facta congregacione 10[a] Fe[bruarii] super electione vel continuacione procuratoris et super supplicacionibus et injuriis. Et fuit continuatus antiquus, et supplicavit magister Martinus, quatenus nacio supplicaret in Universitate pro eo, ut recommendaretur quibusdam dominis et prelatis super promocione sua, et fuit concessa. Similiter supplicavit procurator, ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum; que fuit concessa. Et fuit electus magister Johannes Flicke pro examinatore primi mensis.

Sequuntur nomina determinancium.

Dominus Hermannus de Bosculan, alias de Trajecto, determinavit sub me; cujus bursa VI sol.

1. *I. e. illo Hebraeo converso, de quo pluries supra agitur, et qui linguam hebraicam et chaldaeam docebat. Vid.* p. 157, *not.* 4. *Recepit* 16 *sol. paris., ut ipse testatur in ms. lat.* 5494 (Bibl. nat.), p. 44, *ad an.* 1423 (1424), *Martii* 14.

2. *Vid. supra ad an.* 1419, *Jan.* 27.

Item dom. Olavus Olavi sub me; cujus bursa VI s.

Item dom. Bernardus de Emeda sub me; cujus bursa IIII sol.

Facta congregacione die octava Marcii super requesta domini receptoris, videlicet magistri Johannis Flicke et super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum requesivit dictus receptor, cum esset recessurus per aliquod tempus a villa Parysiensi, quod loco ejus substitueretur magister Johannes de Arnhem, et quod ejus compotus videretur et audiretur. Super quibus placuit substitucio, et auditus est ejus compotus, et ascendit summa recepte ad VIII libras III solidos IIII denarios, misie vero summa ad septem libras XVII solidos VIII denarios, et defalcata misie recepta remanserunt quinque solidi cum octo denariis, que exposita fuerunt propter ejus jocundum recessum.

1424

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nona Marcii super electione vel continuacioue procuratoris et super supplicacionibus, fuit continuatus antiquus, et in actis per eum habitus est gratus, recommendatus et avoatus.

Item eodem die electus fuit magister Martinus Berech in examinatorem pro secundo mense in Sancta Genovefa.

Licenciatus fuit Jacobus de Gouda [1] sub magistro Johanne Johannis procuratore, decima Marcii; cujus bursa VI sol.

Et incepit undecima Marcii sub eodem, [cujus bursa] VI sol., *et non fuerunt plures pro isto anno nacionis istius.*

Facta congregacione naccionis Anglicane, XXVIII^{a} die mensis Marcii, super requesta mag. Johannis de Arnhem [2] et Hermanni bedelli, qui supplicaverunt, ut nacio daret eis licenciam pro eundo *ad sacrum Consilium generale.* In eadem congregacione, quia magister Johannes de Arnhem erat [substitutus] receptor, substituit mag. Johannem Johannis, et mag. Johannes Johannis, qui procurator erat, mag. Martinum substituit loco ejus [3]. Supplicaciones autem predictorum, scilicet magistri Johannis Arnhem et Hermanni fuerunt concesse.

1424

Electio mag. Martini [Beregh].

Facta [4] congregacione nacionis Anglicane sexta die mensis Aprilis super duobus articulis. Primus super electione, et secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum fuit electus mag. Martinus Beregh. Quoad secundum supplicaciones ejusdem mag. Martini fuerunt concesse.

(*Fol. 105*^{b}) Anno [5] Domini MCCCCXXIII, sexta die Aprilis, ego mag. Martinus Beregh solvi triginta sol. nacioni, quos debebam eidem nacioni pro gradu bacalariatus, et pro quibus mag. Paulus de Sclavonia responderat nacioni. Et istud satis patet in papiro receptorie.

1424

Electio Rogeri de Edynburgh in procuratorem.

Facta congregacione nacionis Anglicane X^{a} die Aprilis concorditer de consensu omnium magistrorum nacionis ad faciendum concordiam in nacione super electione procuratoris ex eo, quod VI^{a} die Aprilis, qua debebat fieri electio procuratoris, fuit facta divisio in nacione super electione procuratoris, quia una pars elegebat magistrum Paulum, et alia pars magistrum Martinum. Sed in hac decima die propter concordiam nacionis omnes concorditer elegerunt dictum Rogerum de Edynburgh in procuratorem.

1424

Continuacio ejusdem Rogeri.

Facta congregacione nacionis Anglicane, quarta die May anni Domini millesimi $CCCC^{mi}$ vicesimi quarti, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super electione sive continuacione procuratoris. Secundus super facto domus Dacie, videlicet ad audiendum requestam duorum scolarium dicencium se de regno Dacie, videlicet Arnouldi Loef et Olawy Olavy, petentium, ut nacio faceret ipsos recipi in domum Dacie ex eo et pro eo, quod erant nati de regno Dacie, et quod eadem domus erat fundata pro scolaribus Dacie. Item ad audiendum quamdam litteram missam nacioni pro eisdem scola-

1. *Eodem etiam anno factus est receptor nationis! Vid. infra ad Decemb.* 19. *Omnia tunc in dissolutione erant.*

2. *Ms.* Herlam, *et sic postea.*

3. *Ex hoc apparet quam pauper tunc natio magistris esset.*

4. *Tota rubrica deleta est. Vid. ad April.* 10.

5. *Tota rubrica deleta est, fortasse an.* 1425, *mag. Paulo supplicante.*

ribus per nobilem virum Andream Ougard, scutiferum et familiarem domini regentis, videlicet domini ducis Bethfordie. Tercius articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dictus Rogerus fuit concorditer continuatus.

Quantum ad secundum articulum littera missa nacioni per predictum nobilem fuit lecta in nacione, et in effectu continebat qualiter idem nobilis Andreas Ougard testificabat in bona veritate nacioni quod predicti Arnouldus et Olavus erant nati de regno Dacie. Unde supplicavit quod nacio adjuvaret et confortaret predictos scolares in tantum, quod possent recipi et manere in dicta domo Dacie in consimili forma, sicut consueverunt antiquitus scolares in eadem recipi et permanere, et in hac causa tantum facere penes magistrum Paulum Nicholai [1] de regno Sclavonie nativum, quod ipse nullum impedimentum faciat eisdem scolaribus in hac parte. Qua littera perlecta in facie nacionis et in presencia dicti magistri Pauli, nacio avisata fecerat convocare predictos scolares, et per ipsos juramentis prestitis de veritate dicenda deposuerunt i[i]dem, quod erant nati in terris subjectis regi Dacie, et quod terre in quibus erant nati, habebant sua jura et leges a rege Dacie, et quod ille terre erant de corpore regni Dacie. Ulterius hiis auditis, auditus fuit Bemundus bedellus, qui dixerat sub juramento quod audivit magistrum Johannem Fleckam [2] nepotem dicti Arnouldi et nativum ex eadem villa dicentem sibi, quod erat Dacus et sub rege Dacie subjectus. Istis actis hec gesta erant relata magistro Paulo, et institit nacio eidem Paulo supplicando, quod propter bonum pacis et honorem nacionis vellet consentire ut predicti scolares essent recepti ad manendum in dicta domo Dacie secundum formam scolasticam et consuetam scolaribus Dacie, et quod ipse Paulus esset superior in regimine, non obstante quod non erat Dacus, et quod alii ob reverenciam nacionis haberent ipsum gratum et acceptum. Ad quod idem mag. Paulus respondens dixit, quod nullomodo illam oblacionem acceptaret, (*Fol. 106*) sed dixit quod esset bene contentus recedere de domo, si posset probari ipsos esse Dacos et eisdem totam domum cum singulis rebus deliberare. Ulterius ex habundanti nacio institit eidem Paulo ut vellet concors esse, ut alii starent secum pacifice in domo secundum modum pretactum; quod iterato recusavit [3]. Hoc videns nacio, et attentis supplicacionibus justis nobilis viri et scolarium prescriptorum ac certificacionibus ostensis coram nacione super hoc facto, nacio deliberavit quod predicti scolares debeant recipi et quod magister Paulus non impediat predictos scolares ad manendum in eadem domo in forma scolastica et consueta per omne tempus eis beneplacitum, quousque alias juridice judicetur in contrarium.

Quantum ad tercium articulum antiquus procurator habetur ratus, gratus et avoatus. Supplicavit insuper magister Martinus, ut daretur aliquis deputatus in nacione, qui haberet intercedere et loqui pro ipso ex parte nacionis pro aliqua promocione optinenda. Hoc sibi fuit concessum. Exeinde fuit vocatus Arnouldus prescriptus in nacione, et quia magister Paulus retulit quod laborabat verbis et factis et procuracione ad faciendum persone sue dampnum et injuriam sibi, Arnoldo fuit inju[n]ctum per nacionem sub pena privacionis et resecacionis, ut nec verbo nec opere nec procuracione contra bonum persone vel honoris sui, videlicet magistri Pauli, aliquid attemptaret. Et ad istud injunctum servandum prestitit juramentum corporale.

1424

Electio mag. Martini in procuratorem.

Facta congregacione nacionis Anglicane die prima Junii anno Domini M° CCCC° XXIIII, apud Sanctum Maturinum, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio elegit in procuratorem magistrum Martinum Berech. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut esset recommendatus et avuatus et que per ipsum facta sunt, et nacio concessit supplicacionem suam. In eadem congregacione nacio ordinavit, ut de excessibus et obprobriis que nacio in se et in suis subpositis passa est ex parte magistri Pauli de Sclavonia [4], fieret specialis congregacio solemnius congregata.

Facta congregacione Anglicane apud Sanctum Julianum in vigilia sancti Johannis Baptiste anni Domini M° CCCC° XXIIII, super duobus articulis. Primus ad eligendum rectorem novum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuit datus intrans mag. Martinus Berech, et

1. *Seu* Paulus de Sclavonia *qui habitavit in domo vel collegio* Dacie.
2. *Ms.* Flecham.
3. *Hoc factum infra ad an.* 1426, *Jun.* 27, *inter* articulos *accusationis contra mag. Paulum invenitur.*
4. *Vid. infra ad Decemb.* 16.

post secundum introitum fuit electus mag. Guillelmus de Fossato [1] in rectorem. Quantum ad secundum articulum dominus intrans supplicavit, et habeatur gratus, avuatus, nacio concessit supra.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XXIIII, decima die mensis [2] Junii, super duobus articulis. Primus ad audiendum litteram quamdam transmissam a magistro Theodrico de Herlam [3], que littere continebant in effectu quod quatuor scuta missa sunt nacioni per eundem mag. Theodricum ad sublevandum necessitatem nacionis in divinis offici[i]s et distribucionibus exponendis, nec vult idem magister quod ad alios usus aplicentur ista scuta, et de hoc honerat conscienc[i]as magistrorum.

Facta congregacione nacionis Anglicane in mense Augusti, die vero sancti Bartholomei anno Domini M° CCCC° XXIIII°, apud Sanctum Mathurinum, super duobus articulis. Primus ad audiendum litteras missas per mag. Jochannem Jochannis et eciam mag. Gwillelmum Plocham [4]. Secundus est super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad litteras mag. Jochannis Jochannis nacio regraciabatur sibi de bonis diligentiis per ipsum factis.

1424

Continuacio ejusdem mag. Martini Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Mathurinum anno Domini M° CCCC° XXIIII°, die vicesima quinta mensis Septembris, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel contenuandum. Secundus ad audiendum litteras Hermanni subbedelli [5], nacionis (*Fol. 106* b). Quantum ad primum continuatus fuit mag. Martinus Berech. Ad secundum nacio habuit ipsum Hermannum gratum et avuatum.

1424

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane, XXIIII[a] die mensis Octobris, anno Domini quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum. Et mag. Martinus Berech fuit continuatus. Secundus articulus est super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit magister Martinus, qui fuit av[o]atus, gratus et recommendatus.

1424

Consequenter sequitur electio Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XVIII[a] Novembris, anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer nemine reclamante [6] in procuratorem mag. Johannes Flicke. Quantum ad secundum supplicavit antiquus ut haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio concessa fuit.

1424

Continuacio ejusdem Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Julianum, XVI[a] Decembris, anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus, et supplicavit ut haberetur gratus, avoatus, etc. Cujus supplicacio concessa est.

Eadem die facta fuit congregacio facultatis in eodem loco super electione novi rectoris, et datus fuit intrans per nacionem a majori parte scilicet mag. Paulus de Slavonia, uno tamen reclamante, scilicet mag. Martino Berech [7], qui se opposuit, et allegavit causam sue opposicionis, tum primo quia privatus est honore nacionis, tum secundo propter scandala que fecerat nacioni [8]. Et ex hiis mota est discordia inter ipsos duos. Istis tamen non obstantibus intravit mag. Paulus, et elegit in rectorem magistrum Petrum de Credulio [9], et avoatus exstitit mag. Paulus, et requisivit dominum procuratorem per juramentum suum, ut convocaret nacionem super illis injuriis sibi illatis per mag. Martinum Berech. Et illa concessit sibi procurator ut fieret.

1. *Quantum ad hunc rectorem bene* Bul., V, 920. *Vid. ad haec infra ad an.* 1425, *April.* 7, *et* 1426, *Sept.* 23.
2. *Ms. iterat* mensis.
3. *Qui Coloniae regebat. Vid.* p. 279, *not.* 2.
4. *I. e.* Lochem.
5. *Qui* Concilio Senensi *dissoluto ad curiam Rom. profectus est.*
6. *Ms.* proclamante.
7. *Ex* Hungaria, *Paulo de Sclavonia infensissimus, qui an.* 1425 *petiit, ne in registro ille nominaretur* Paulus de Hungaria. *Vid.* p. 328, 16.
8. *Vid. supra ad Jun.* 1.
9. *Illum etiam* Bul., V, 920, *recte assignavit. Fuit nat. Franciae.*

Facta congregacione nacionis predicte XIX^a^ die mensis Decembris, anno quo supra, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem; secundus super requestis mag. Pauli; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in receptorem mag. Jacobus de Gonda. Quoad secundum narravit mag. Paulus qualiter sibi illate fuerunt injurie, ut patuit supra. Quoad tercium supplicavit magister Paulus in casu quo non sufficienter probaret mag. Martinus coram nacione ea que dixit, scilicet sibi inferendo minas et injurias multas, quod puniretur. Et submisit se mag. Paulus correctioni nacionis *(Fol. 107)*[1]. Similiter supplicavit mag. Martinus, quatenus conclusio nacionis et ea que deliberata sunt per nacionem, mandarentur execucioni. Reperta est a[utem] quedam clausula sive conclusio quasi extranea adjuncta uni articulo posito in [deliberac]ione, ut patuit in electione i[llius] magistri Martini folio precedenti[2]. [Conclu]sum fuit quoad supplicaciones eorum quod pro bona informacione utriusque partis supersedere vellent usque ad octavas Epyphanie, et quod nullus diceret alteri injurias. Verumptamen videbatur nacioni de illa clausula sive conclusione, quod de ipsa non erat specialis articulus positus in deliberacione, et ideo ipsa scilicet nacio male contentabatur de mag. Martino, videlicet quia non fecerat specialem articulum de illa clausula.

1425

[Continuatio ejusdem.]

Facta autem congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XIII^a^ mensis Januarii, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus super requestis mag. Pauli, et de injuriis sibi illatis ut ipse narrabat. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus, et supplicavit ut haberetur gratus, etc., cujus supplicacio concessa fuit. Quoad secundum narravit mag. Paulus ea que alias narravit, ut patuit supra folio precedenti, et similiter requisivit mag. Martinus quod mag. Paulus satisfaceret nacioni de offensa et de multis aliis in quibus nacionem lesit seu offendit, de quibus eciam nacio fuit informata per magistrum Rogerum de Edynburgh et per aliquos alios fide dignos. Conclusum fuit per nacionem unanimiter quod mag. Martinus peteret veniam a mag. Paulo de injuriis sibi illatis per eum; factumque est ita. Et effecti sunt amici. Insuper conclusum fuit quod mag. Paulus similiter peteret veniam a nacione [de] offensis. Respondit mag. Paulus et dixit, se non deliquisse nec offendisse nacionem, volensque quod nacio sibi ostenderet ea in quibus ipse eam offendit, et quod sufficienter ipsa probaret. Et protestatus est de appellando contra nacionem, nolensque se submittere correctioni et ordinacioni nacionis matris sue. Super istis autem requisitus fuit procurator quod faceret congregacionem nacionis in brevi.

Facta autem est congregacio nacionis tercia die de post super illis ad advisandum modum procedendi contra ipsum. Et conclusum fuit quod ipse citaretur ad primam congregacionem nacionis, et avisatus fuit bonus modus procedendi contra ipsum in casu quo non peteret veniam et satisfaceret.

Altera vero die citatus fuit mag. Paulus ad congregacionem nacionis, ut satisfaceret nacioni de offensa et quod adhuc peteret veniam. Comparuitque mag. Paulus et dixit nacioni, quod male esset contentus de citacione sua[3]. Et auditis relacionibus per nacionem et de modo procedendi contra eum, videlicet de invocando auxilium facultatis artium et consequenter Universitatis, voluit[4] nacio quod peteret veniam, et procurator eum nomine nacionis requisivit dicendo, quod eum dulciter tractaret et puniret in hiis in quibus offendit ipsam. Conclusum fuit insuper, quod fieret una specialis congregacio super hoc[5] et quod nacio taliter tractabit eum, quod merito deberet contentari et tamquam mater pia filium suum, ita quod in posterum nullam maculam habeat in nacione seu notam extra nacionem. Et[6] submisit se ordinacioni nacionis.

1425

[Continuatio] ejusdem.

(Fol. 107^b^) Facta congregacione nacionis supradicte [die X^a^ men]sis Februarii anno quo supra super [duobus] articulis. Primus ad eligendum novum

1. *Hoc ultimum folium vetustate consumptum et in margine interiori dilaceratum.*
2. *Scil. fol.* 106^a^, *supra* p. 312, 37.
3. *Primo sic prosecutum est* : Ipse autem auditis multis relationibus per *etc. Sed an.* 1425, *Jun.* 2, *ut supra, Paulo supplicante, correctum est.*
4. *Primo sic scriptum erat* : petivit veniam et supplicavit quod natio vellet eum dulciter tractare et punire, *etc. Sed Paulo postulante an.* 1425, *Jun.* 2, *correctum est, qui tamen non contentabatur.*
5. *Primo* super supplicacione ejus.
6. Et... nacionis *posterius add.*

[procuratorem vel] continuandum [antiquum. Secundus] super sup[plicacioni]bus et injuriis. [Quantum ad primum] continuatus est antiquus. [Quantum ad 2^{dum}] supplicavit idem antiquus procurator ut haberetur gratus et [avoatus] in actis per eum; cujus supplicacio fuit concessa. Deinde supplicavit subbedellus nacionis nostre, v[idelicet Hermannus], pro assistencia occasione [cujus]dam discordie cum ambasiatoribus facultatum et aliarum nacionum a[lias] ad *Consilium generale* destinatis [1], et pro a[dj]unctione si contingeret eum pati aliquomodo racione illius discordie. Que supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis supradicte XXI^a die mensis Februarii apud Sanctum Maturinum anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum examinatores bachalariorum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electi erant examinatores more solito, videlicet duo seniores regentes, senior non regens et dominus receptor. Quoad secundum supplicavit mag. Johannes Johannis nomine duorum bachalariorum illo anno intrantium, quatenus nacio omnibus viis et modis possibilibus vellet laborare erga quoscumque pro eis ad promocionem magisterii eorum et ut admitti possent ad temptamen Sancte Genovefe, quoniam non habuerunt tempus suum integrum ad id temptamen requisitum, attento quod temptamen Nostre Domine nondum erat apertum propter certas causas et raciones, de quibus nacio fuit informata. Cujus supplicacio fuit concessa in forma.

Sequuntur nomina determinantium anno quo supra.

Dominus Jacobus Poter, cujus bursa VIII sol.

Dominus Johannes Guillelmi Wissonis, alias de Leydis, cujus bursa V sol.

Facta congregacione nacionis anno quo supra, die septima mensis Martii, ad audiendum litteras nacioni directas per mag. Henricum Gorkam [2]. Quoad hoc lecte sunt littere continentes in effectu, quod quidam magister nomine Ludolphus Porte[ne]r dum olim ad gradum magisterii promoveretur sub forma paupertatis [3], d[um fortu]na ei pinguior arrideret ad satisfaciendum se ipsum obligavit. Hanc autem fortunam assec[utus] ab hujus obligacionis nexu cupiens se exsolvere, misit nacioni matri sue quinque scuta aurea supplicans, quatenus libro nacionis diligenter revoluto ac nomine ipsius invento deleatur nomen paupertatis, ne in posterum videatur adhuc remanere prefata obligacio. Que supplicacio fuit concessa.

Decima Marcii immediate sequentis electus fuit in [procuratorem] magister Johannes Johannis, et fecit novum [registrum nacionis cum] conclusione nacionis.

JOH. JOHANNIS.

1425

(*Fol. A*) [4] Procuratoria Johannis Johannis, alias [Johannis Reyneri de Leydis, in medicina licentiati].

Anno Domini post Jesum [Christum millesimo CCCC vicesimo quinto, die] decima Martii facta fuit congregat[io nationis apud Sanctum Maturinum] super tribus articulis. Primus ad eligendum pro[curatorem novum vel continuandum antiquum]. Secundus super factis alias in natione tactis ta[m... inter Paulum de Scla]vonia et magistrum Joh. de Flicke antiquum procuratorem, [quam.....]. Tercius super supplicationibus et injuriis. Quoad primum electus [est nemine contradicente] Johannes Reyneri de Leydis licentiatus in medicina in procuratorem..... [Quoad secundum] traditi sunt deputati ad videndum ea que per..... debet in natione et consequenter cum..... [Quo]ad 3^m articulum supplicavit prefatus Joh. de Flicke [ut haberetur gratus, avoatus etc., et] ita concessit natio. Insuper supplicavit Hermannus [subbedellus nationis..... ut] suam pecuniam haberet de aliis nationibus..... et voluit requetare natio apud alias.....

..12 Marcii.....

(*Fol. A^b*) [Facta congregatione nationis apud] Sanctum Mathurinum die 21 Marcii super duobus [articulis. Primus ad videndum ea] que reperta sunt circa facta in *domo Dacie* per..... ad aperiendum archas nacionis ad inventoriandum [.....bona cum] litteris, jocalibus et alia dicte [nationis..... Secundus] communis super suplicationibus et injuriis. Quoad primum..... [ad] Universitatem, remissum est factum collegii Dacie ad aliam [congregationem.....; placuit] nacioni quod omnes arche visitarentur et omnia nostra [bona..... in p]apiro et statuta ibidem scribe-

1. *Concilium Senense jam an.* 1424, *Febr.* 26, *seu potius Martii* 7, *dissolutum fuit* (*vid.* HEFELE, Concil. Gesch., VII, 407 *sq.*), *et francigenae post Martii* 8 *ad propria remearunt.*
2. *Qui Coloniae morabatur.*
3. *Difficile dictu, quisnam hic designetur. Fortasse* Ludolphus de Amsterdam *ex* Auctar., I, 839, 33. *Sed non annotatur quando magisterium receperit.*
4. *Reg. de l'Univ.* n° 8. *Primum sine numero folium vetustate tritum et laceratum nihil nisi paucas dimidias lineas nobis servavit.*

rentur, prout etiam alias [fuit ordinatum.....] Quoad 2m nemo supplicavit.

[Item licentiatus est] dominus Bernardus de Emeda sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa sex sol.

[Item Hermannus Bosc]ulan sub eodem, cujus bursa octo [1] sol.

[Item incepit dom. Bernardus de Emeda sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa sex sol.

Item Hermannus Bosculan sub eodem, cujus bursa octo sol.]

[Inventarium scripturarum et bonorum mobilium nationis.]

(*Fol. 1*)[2] A. Primo [littera sigillata] sigillo magno Universitatis et 4or nacionum, continens dis[tinctionem nacionum] Picardie et An[glicane], in qua habetur quod omnes ville citra Mosam et etiam supra M[osam] cons[istentes] sunt nacionis Picardie, [exce]ptis villa Trajectensi superiori cum suis suburbiis, Maseike cum suis suburbiis et castrum de Hoerne [3].

Item sigillum magnum nacionis in eadem archa continetur.

B. Item littera de illo transitu quem habet magister Guillelmus de Celsoy [4] prope *scolas septem arcium*.

C. Item littere de empcione *scolarum septem arcium*, et quomodo debentur XXXVI solidi cuidam burgensi, et septem solidi cum VI den. Sancte Genovefe omni anno solvendi eisdem.

D. Item littera de empcione *scolarum antiquarum magnarum* et qualiter debentur XXX sol. Sancte Genovefe, et de terminis solucionis annuatim.

E. Instrumentum de securitate quam tradidit Universitas alias pro virga nostra missa Rome [5] per subb[edellum]; nunc exspiratum est, bonum tamen est servare pro futura [memoria].

F. Item codex quidam continens viam cessionis conclusam per [Universita]tem.

G. Item littera regis Francie concludens neutralitatem [6] et.....

H. Item littera regis Navarre ad idem.

I. Item inst[rumentum] quo habetur bulla Innocentii [7] supra regratia[cione] Universitati [de viis inve]niendis per eandem Universitatem repertis.

K. Item littera collegii cardinalium dompni Innocentii ad idem.

L. Instrumentum de reparacionibus factis in collegio de *cornu cervi* et [domus *ad ymaginem Nostre Domine*].

M. Instrumentum de rebmocione Fratrum Predicatorum et de erroribus condempnatis [per Universitatem et dogma]tizatis per magistrum Johannem de Montissone, ejusdem Ordinis.

N. Statutum nacionis de clavibus de archis nacionis.

O. Statutum per Universitatem sigillatum de electione bedelli.....

P. Item aliud statutum quomodo omnia officia quecumque fuerint, sive pro[curatoris aut receptoris nacionis] aut aliud quodcumque, semper debet distribui [per] electionem, et hoc penes pluralitatem vocum.

Q. Littera de privacione magistri Christiani de Elst per nacionem et facultatem.

R. Littera compromissi super reparacionibus factis in *domo Lincopie* tam pro parte na[cionis], quam pro parte illorum de illo episcopatu.

S. Aliud statutum de habitibus portandis per bedellum et subbedellum.

T. Instrumentum continens statutum facultatis de concordia nacionum intra se.

Item quedam alia instrumenta inclusa, nichil deservientia nisi pro memoria de factis in futurum habendis.

(*Fol. 1b*) *Sequuntur ea que reperta sunt in archa stante in ecclesia beatorum Cosme et Damiani, ubi celebrantur divina nacionis, et pertinent eidem nacioni.*

Primo quidam liber in asseribus et rubeo corio coopertus, continens omnia ewangelia tocius anni incipiendo a dominica prima Adventus, et inchoatur secundo folio : *citare filios*, et terminatur in penultimo folio : *de Jhesu*.

Item liber epistolarum in consimili volumine, incipiens 2° folio : *confirmandas*, et terminatur penultimo : *de dormientibus*.

Item duo libri continentes psalmos vesperorum et cantus vesperorum et missarum festorum communium

1. *Primo scriptum fuisse videtur* sex, *ut quando Hermannus determinavit, ejus bursa erat (sicut Bernardi* quatuor*). Caeterum nomen illud potius e conjectura damus, nam pro* ulan *litterae evanidae superesse videntur* insari.

2. *Hoc etiam folium vetustate tritum est et in media parte laceratum.*

3. *Hoc instrumentum anni* 1358 *vid. in* Auctar. I, p. 233.

4. *Latine* de Celseto, *de quo in tom.* I Auctar.

5. *An.* 1412.

6. *An.* 1408, *Maii* 25.

7. Innocentii VII, *de quo in tom.* I Auctar.

nacionis, et sunt ligati in corio albo; quorum unus inchoatur 2° folio : *nomen Domini*, et terminatur in penultimo : *fecit redem[ptionem]*; alter inchoatur 2° folio : *quievi si*, et terminatur in penultimo : *patre*, et sunt isti libri de novo facti a nacione.

Item quidam liber ad usum ecclesie Salisberiensis continens cantum vesperorum et matutinarum et aliarum horarum plurium sanctorum, incipiens 2° folio : *Eadmundum*, terminatur penultimo : *communicamus vere*.

Item alter ejusdem forme in asseribus sine corio ad eundem usum continens legendas pro matutinis; incipit 2° folio : *ex gucris*, et terminatur penultimo : *virgo pia*.

Item unus [liber] continens legendam sancti Eagmundi incipiens 2° folio : *dit nox*, et terminatur penultimo .....*ma*.

Item habemus [unam ca]ppam pro vesperis, unam casulam magnam pro missa, duo tunicalia pro dyacono et [subdiaco]no, de rubeo panno serico, bruderata [1] floribus et rosis, et sunt eciam albe [2], stole et omnia ad dictam casulam et tunicalia pertinentia.

Item sunt ibidem due alie cappe pro servitoribus in vesperis et missis de serico rubeo, et in circumferencia ponuntur *arma imperatoris*.

Item sunt duo superpellicia pro eisdem cappis.

Item est ibi unus calix deauratus cum patena et duabus ampullis argenteis.

Item corporale in sacculo suo.

Item una mappa figurata diverse, ad ponendum supra pulpitrum dum cantatur ewangelium et epistola.

Item una pecia panni serici pro ponendo coram sancto Eagmundo [3] in festivitatibus.

JOHANNES JOHANNIS.

(*Fol. 2*) *Sequuntur quedam alia eciam nacioni pertinentia, que conservantur apud Boemundum principalem bedellum nacionis.*

Primo una archa bona et nova, bene ferrata, cum quadam parva archa intra eam existente ad ponendum thesaurum nacionis, et consuevit poni archa prefata in Sancto Mathurino, ubi ponuntur arche eorundem in thesauro. Et fuit extracta ab eodem loco, quia nacio non habet thesaurum ad ponendum et ne amitteretur.

Item quidam liber continens cantum vesperorum, matutinarum et aliarum horarum plurium sanctorum, incipiens 2° folio : *Euouae. Gloria*, et finitur penultimo folio : *pascimus*.

Item quidam antiphonarius cum hymnis et cantibus missarum et vesperorum sive psalmis, incipiens 2° folio : *patrem omnipotentem* cum notis, et incipit penultimo folio : *kyrie leyson* cum notis.

Item quoddam missale sine epistolis et ewangeliis, incipiens post kalendarium 2° folio : [*le*]*ticia cordis*, et finitur penultimo folio : *animabus famulorum*.

Item quedam longa mappa figurata sicud illa que continetur in alia archa, que ponitur supra pulpitrum, dum legitur ewangelium et epistola.

Item Boemundus habet cappam rotondam pro procuratore in processionibus et pro intrantibus ad eligendum rectorem.

Item habet virgam magnam deauratam.

Hermannus [4] subbedellus habet epitogium pro procuratore dum associat rectorem ad concilium [5] aut alias, ubi cum rectore per Universitatem incedit.

Item etiam habet virgam suam que non est ubique deaurata.

1425

[Continuatio Johannis Johannis.]

(*Fol. 3 b*) Facta [6] congregacione nacionis in vigilia Pasche, que tunc fuit septima Aprilis, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem aut ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, et supplicavit quatenus haberetur gratus et avoatus, et ita habitus est. Supplicavit eciam magister Johannes de Arnem quatenus nacio vellet scribere magistris Guillelmo Lochem et magistro Guillelmo Bloc, quatenus pecunie per eosdem [7] debite nacioni et sibi tradite alias in procuratoria magistri Johannis Flicke et in congregacione facta

1. *I. e.* broderata.
2. *I. e.* vestes sacerdotales lineae.
3. *I. e.* coram imagine *ejusdem, de qua saepius supra, et an.* 1450, *Octob.* 26.
4. *Ea paragraphus et sequens lineis deletae sunt, apposita nota manu procuratoris* Jacobi Winthorst : Inspiciatur scriptura procuratoris super ista, infra anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono, xviij a d[ie] S[eptembris]. *Sed nunc mancus est ibidem liber mstus. Postea* (*Fol.* 2 b -3 b) *sequuntur* Statuta, *supra ad an.* 1423, p. 296-300, *edita.*
5. *I. e.* consilium.
6. *A Martii* 24 *usque Jun.* 23 Guillelmus de Fossato *rector fuit, ut ex infra dictis ad Jun.* 2, *collatis cum dictis ad an.* 1426, *Febr.* 11 *certum fit.* BUL., V, 920 *perperam affert* Albertum Yverden (*leg.* Vorden), *qui solum an.* 1429 *in art. licentiatus est et incepit.*
7. *Ms.* eundem.

anno 1423, 12ª mensis Aprilis, eidem traderentur, et nacio dictos magistros quitaret, dummodo idem magister Johannes sit de eisdem contentus. Et ita conclusit nacio. Et tradite sunt sic littere ad magistrum Guillelmum Bloc, sed non ad magistrum Guillelmum Lochem.

(*Fol. 4*) [1] Facta congregacione nacionis apud Sanctum Mathurinum die XXVª Aprilis anni millesimi CCCC XXV post Pascha super duobus articulis. Primus ad audiendum relacionem deputatorum in facto appunctuacionis et concordie magistrorum in nacione simul. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus. Quoad primum facta fuit relacio eorum, et quia non videbatur eisdem modus, per quem bono modo possent facere dictam concordiam, supplicaverunt, quatenus nacio eos absolveret ab onere et haberet gratos quoad facta per eosdem. Et hoc ita conclusit nacio concorditer.

1425

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione quinta Maii super duobus articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus est antiquus et supplicavit, quatenus in actis per eum haberetur gratus, etc. Cujus supplicacio fuit concessa concorditer.

Die 24ª Maii facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum super tribus punctis. Primum de locagio scolarum antiquarum et reparacionibus earundem. Secundus (*sic*) super solucionibus reddituum scolarum prefatarum, eciam sco[larum] *septem arcium*. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum locate sunt scole antique Guillelmo Figuli [2], tam superiores quam inferiores, pro quatuor francis, incipiendo in festo sancti Remigii instantis usque ad idem festum anno futuro millesimo CCCCº vicesimo sexto, hoc pacto quod illos quatuor francos una cum XX solidis debitis occasione locagii inferiorum scolarum in festo instanti sancti Remigii ponet simul ad reformaciones faciendas in prefatis scolis infra Augustum inclusive. Quoad secundum, placuit nacioni quod cum illo scutifero [3], cui debentur XXVI solidi annuatim de scolis *septem arcium*, fieret concordia pro annis preteritis usque ad annum presentem et sibi traderentur per receptorem tres franci mediantibus quibus traderet quitanciam de toto tempore preterito. Quoad scolas alias, pro quibus debentur Sancte Genovefe XXX solidi et septem solidi cum sex denariis de scolis septem arcium eisdem (et actu sunt eis debiti redditus duorum annorum), voluit quod cum eisdem fieret concordia, videlicet quod contentarentur de medietate, si esset possibile, et eis tradatur pecunia capiendo quitanciam. Quoad tercium recitavit procurator qualiter magister Paulus de Sclavonia sibi supplicaverat, quatenus de discordia inter ipsum et magistros Joh. Flicque et magistrum Martinum Berech facerem in nacione mensionem, ut videlicet nacio traderet aliquos, et idem magister Paulus alios eligeret, qui ipsos concordarent. Super quo deliberatum exstitit conformiter, quia magister Paulus eos notavit, quod non recte scripserant aliquas conclusiones, quod liber visitaretur per magistros nacionis et corrigerentur si defectuose reperirentur. Noluit tamen nacio, ne aliqui extranei a nacione capiantur, ut servetur statutum de descordantibus alias satis in nacione lectum et scriptum. Supplicavit eciam Hermannus subbedellus, quatenus nacio sibi vellet tradere licenciam eundi ad partes [4] et se absentandi per spacium trium aut quatuor mensium pro factis suis faciendis, eciam ad laborandum, *ut magistri et scolares de nacione Parysius redirent pro studendo* [5]. Et concessit nacio suam supplicacionem, tradendo sibi terminum quatuor mensium, dummodo tamen Boemundus faciat ea que facienda sunt, et emolumenta que superevenire possunt eidem tradantur.

1425

(*Fol. 4b*) Acta in procuratoria magistri Rogeri de Edinburg Scoti.

Facta congregacione nacionis die secunda mensis Junii anno 1425 super quatuor articulis. Primus ad eligendum procuratorem; secundus ad audiendum compotum receptoris; tercius super visitacione registri et scripturarum procuratorum magistri Martini et magistri Joh. Flicke ad requestam magistri Pauli de Sclavonia, et super facto ejusdem magistri Pauli, qualiter nacio procederet ulterius in prefato

1. *In margine superiore legitur* : In procuratoria Joh. Johannis alias Johannis Reyneri de Leydis in medicina licenciati, anno 1425.
2. Guil. Figuli, *tabernario* in tribus candelabris. *Vid. infra ad* 1429, *Decembr.* 5, *not.*
3. Colnet de Villetain.
4. Hermannus *fuit de* Wesalia.
5. *Qui an.* 1418 *et postea Parisios reliquerunt, ut supra,* p. 247, *not., et sqq. vidimus.*

facto ad correctionem, et alias prout expedire videretur et oportunum. Quartus super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum, concorditer fuit electus magister Rogerus de Edinburgh in procuratorem. Quoad secundum, audito compoto remansit dictus receptor omnibus hinc inde deductis debitor nacioni in somma quinque scutorum auri, sexdecim librarum, XV solidorum parysiens. cum decem denariis. Quoad tercium, scripture dictorum procuratorum visitate fuerunt per nacionem solemniter congregatam et correcte sufficienter ad intentionem nacionis per manus procuratoris precedentis in presencia tocius nacionis et lecte [1] sicut (prout fertur) correcte in presencia prefati magistri Pauli. Et requisitus idem Paulus per nacionem, ut contentaretur, cum de eadem correccione nacio contentabatur et videbatur quod similiter debebat contentari : quibus lectis et per eundem Paulum auditis et requesta et summacione prout fertur super eisdem dicto Paulo factis, respondit quod contentari non poterat, et nisi aliter nacio procederet, sic provideret quod materia nacionis ad manus deduceretur alienas. In quo facto notabat dictos magistros Martinum et Johannem Flicke de falsa scriptura in suis procuratoriis. Eapropter partibus recedentibus ad preceptum et ordinacionem nacionis, iterato visitavit prefata nacio dictum registrum ex habundanti, ne dictus Paulus occasionem haberet querulandi et ulterius perturbandi prefatam nacionem. Deliberacione matura et per juramentum indictum a procuratore repperit nacio omnia scripta a dictis procuratoribus esse vera et a nacione conclusa, eo modo quo correcta sunt et ea que correcta sunt ex negligencia dictorum scribentium fore facta et non malicia.

Preterea ad exemplum posteris tradendum, ne levi occasione surgant contra supposita et nacionem supposita futura, consideravit nacio acta prefati Pauli, offensiva suppositorum et enervativa statutorum, fore presentibus inserenda, prout tunc in nacione fuerunt declarata; videlicet primo, dictus Paulus infregit aliqua statuta contra suum juramentum prestitum procuratori et (*Fol.* 5) procuratorie *ad quemcumque statum devenerit*. Secundo, quod dictus Paulus revelavit secreta nacionis aliis extra nacionem, inducendo extraneos non graduatos ad perturbandum eandem nacionem et alios aliarum nacionum et facultatum conformiter. Tercio, quod dictus non ignorans statutum super discordantibus, in quo expresse cavetur, quod discordans debet stare ordinacioni nacionis, etc., laboravit per vias indirectas discordias inter ipsum et supposita prefata, non obstante declaracione nacionis, coram aliis quam nacione producere. Quapropter istis consideratis et pluribus aliis, eciam considerato quod alias deputati solemnes traditi erant per nacionem ad apunctuandum dictum Paulum cum suppositis nacionis, videlicet magister Johannes de Arnhem, licenciatus in theologia [2], et magister Johannes Johannis, licenciatus in medicina, et magister Jacobus de Gouda, receptor prefate nacionis, qui per spacium duorum mensium laborarunt, ut finis isti discordie apponeretur, quod facere nequierunt, dicto Paulo reclamante et resistente : ordinavit nacio, ut iterato summaretur in presencia nacionis, quatenus servaret ordinacionem nacionis, videlicet quod de prefatis commissis veniam peteret a procuratore et nacione, alias nacio contra eum tamquam contra membrum inutile et putridum procederet, invocando eciam adjutorium facultatis artium et tocius Universitatis. Et exinde partibus convocatis ex habundanti, petitum fuit partibus, an vellent servare statuta in sua forma, et responderunt quod sic. Quo audito ego magister Rogerus de Edinburg, procurator, eisdem conclusionem nacionis intimavi, prout superius scriptum est, et magister Martinus, quia presens contentabatur, magister vero Paulus respondit sicud prius, quod contentari non posset, ymo adjunxit quod non displiceret si materia per ipsum traheretur alibi extra nacionem; magister autem Johannes Flicke michi procuratori et nacioni dixit quod de ordinacione prefata contentabatur. Quoad quartum supplicacione facta, fuit antiquus procurator acceptatus ratus et gratus in suis actis et scriptis. — Ita est.

Rogerus de Edynburch, procurator.

(*Fol.* 5 b) Facta congregacione nacionis die martis, quinta Junii, anno etc. XXV, super duobus articulis, quorum primus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis, et continet ille articulus 2as partes. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primam partem primi, procurator retulit aliqua facta et gesta per magistrum Paulum contra statuta et honorem nacionis, videlicet qualiter idem Paulus die prescripte congregacionis de nocte post solis occasum comitatus duobus viris laicis accessit ad ipsum procuratorem stantem in vico

1. *Vid. supra ad an.* 1424, *April.* 6, *et* 1425, *Febr.*

2. Joh. de Arnheim *an.* 1423 (1424), *Martii* 15 *licent. est in theol. sec.* Catal. licent., *ubi* Harnam, Harvain. *Fuit etiam Sorbonicus, sed deest ap.* Franklin, La Sorbonne, p. 228. *Magister in theol. factus est solum hoc anno,* 1425, *Jun.* 26 (Lib. bedelli fac. theol., p. 35).

coram domo sua, dicens quod habebat aliqua dicere sibi procuratori, que volebat proferre in presencia illorum laicorum. Et exinde incepit lingua gallicana aliqua dicere, que idem procurator non clare intellexit propter ineptum et barbaricum modum suum loquendi; tamen procurator percepit effectum sue mentis per tonum verborum, et quod nitebatur verbis suis aperire et ostendere coram illis laicis secreta nacionis acta in congregacione nacionis celebrata de mane precedente. Quibus perceptis recessit incontinenter idem procurator dicens illis laicis quod non bene intellexit, quid ille Paulus dicere volebat. Et hec fecit ne haberet argumenta cum illis laicis super secretis nacionis. Ulterius retulit idem procurator qualiter idem de Sclavonia venit ad ipsum die lune post prandium, videlicet [1] quarta Junii, petens quod idem procurator daret sibi copiam omnium articulorum tangencium personam suam, quos magister Martinus et magister Johannes Flickem [2] scripserant in suis registris pro tempore suarum procuracionum. Ad que respondens procurator dixit quod non daret copiam deliberacionis nacionis, nisi consulta nacione.

Quibus relatis ac eciam recitatis conclusionibus prius habitis super facto magistri Pauli, posuit procurator in deliberacione qualiter vellent ulterius procedere contra dictum Paulum et eciam quid vellent agere circa premissa, attento quod idem Paulus, jam pertinax nacioni et conclusionibus ejusdem, erat dispositus ad trahendum facta nacionis ad alias manus in contemptum nacionis et sui juramenti lesionem et statutorum nacionis infrictionem; attento ulterius quod idem Paulus fuit legitime monitus per Bomundum bedellum ut compareret in prefata congregacione. Unde per juramentum oneravit procurator singula supposita, ut postpositis favoribus et rancoribus ad honorem nacionis et statutorum manutenenciam secundum Deum et justiciam deliberarent in hac parte. Quibus dictis et auditis ac singulis scripturis eundem magistrum Paulum tangentibus visitatis, et similiter attentis multiplicibus favoribus dilatoriis et exortacionibus plurimis pie matris ab anno transacto et ultra; similiter attenta dura et incorrigibili pertinacia ejusdem Pauli semper resistentis ac verisimili malicia ejusdem disposita ad ulterius turbandum ipsam matrem nacionem in dedecus nacionis et subversionem statutorum; ac attentis perjuriis quibus sepius incurrit; ac attento quod per statutum nacionis tales sunt a nacione privati, nacio eundem magistrum Paulum privatum a nacione per statutum declaravit, ac pro majori cautela ex habundanti propter premissa eundem Paulum a nacione privavit et resecavit, tamquam membrum putridum, ab ejus societate, privilegiis et honoribus, et a singulis ejusdem nacionis commoditatibus in casu, quo eadem die cum nacione se non pacificaverit, petendo veniam secundum conclusionem nacionis.

Quantum ad secundum punctum ejusdem articuli procurator fuit ordinatus ad respondendum pro nacione in congregacione Universitatis, que erat celebranda eodem die in nona hora, contra magistrum (*Fol. 6*) Paulum, in casu quo aliqua proponeret contra nacionem.

Quantum ad articulum supplicacionum magister Martinus supplicavit quod in libro nacionis, ubi amplius scriberetur nomen magistri Pauli, *non nominetur de Hungaria*, quia ipse natus est de Sclavonia; et ejus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione Universitatis die prescripto in nona hora ante prandium, ac congregacione nacionis facta ad deliberandum super positis in deliberacione per dominum rectorem [3], etc., idem Paulus in congregacione Universitatis publice declinavit nacionem in omnibus prius deliberatis super facto suo, ac petivit deputatos sibi dari ab Universitate, imponendo nacioni et certis suppositis nacionis indirecte et maliciose contra ipsum processisse, imponendo eciam crimen falsi magistro Martino et magistro Johanni Flyckem [4] in scripturis suis super punctis certis ipsum tangentibus, dum essent procuratores. Ad que objecta respondit procurator etc., et supplicavit, quod causa illa que tangebat secreta nacionis et infrictionem statutorum remitteretur nacioni, vel ad minus duo magistri de facultate theologie essent deputati, qui in nacione et cum nacione haberent hujusmodi causas terminare. Super quibus conclusit mater Universitas per organum domini rectoris, quod causa illa esset remissa nacioni et in eadem terminanda, vocatis duobus magistris per facultatem theologie deputandis [5] seu deputatis. Ulterius dum nacio esset in deliberacione super positis per dominum rectorem in eadem congregacione, supervenit magister Paulus, se disponens ut in nacione haberet locum et vocem ad deliberandum, contra quem nacio providit ac vocari fecit scribam Universitatis [6] cum 2 bedellis, videlicet nacionis Francie et nacionis matris Anglicane, in

1. *Ms. postea add. vocem* vicesima.
2. *Ms.* Flichem.
3. Guillelmum de Fossato.

4. *Ms.* Flichem.
5. *Vid. infra Jul.* 1.
6. *In margine charactere antiquo :* Nota, isto tempore erat

quorum presencia de ordinacione nacionis procurator declaravit eidem magistro Paulo suam privacionem in forma, ut prescribitur. Super quibus petiit procurator nacioni fieri unum vel plura publica instrumenta. Et inde dominus receptor nacionis Anglicane requisivit procuratorem, ut faceret citari magistrum Paulum coram domino rectore ad solvendum bursas suas et alia que debebat nacioni racione suorum graduum in magisterio arcium per juramentum paupertatis ab ipso factum, que requesta a nacione videbatur de jure rigorosa, attento quod idem Paulus jam erat a nacione privatus.

(*Fol. 6*[b]) Facta congregacione nacionis Anglicane prima Julii anno suprascripto super duobus articulis. Primus super facto magistri Pauli de Sclavonia nacionem perturbantis. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum procurator retulit in nacione qualiter idem Paulus semper accumulans mala malis nitebatur manutere in contemptum et confusionem nacionis ad adnullandum et penitus exstirpandum omnes conclusiones nacionis deliberatas circa facta sua, ut apparuit per cedulas suas datas dominis deputatis, videlicet magistro Rolando [Berguel][1] et magistro Johanni Pulcripatris in sacra pagina professoribus per Universitatem in hac causa assignatis. Unde procurator in deliberacione posuit, ut de novo considerarentur in nacione omnes conclusiones deliberate super facto ejusdem Pauli et indi[c]to juramento, quod quilibet in nacione visitatis conclusionibus, sublatis odiis et favoribus, se offerret paratum ad manutenendum conclusiones nacionis absque vacillacione seu retractione quacumque. Quibus propositis in nacione solempniter congregata, et avisatis omnibus conclusionibus deliberatis super facto magistri Pauli deliberavit nacio in quolibet supposito precedente juramento, quod manuteneret omnes et singulas conclusiones deliberatas in facto ipsius Pauli contra quemcumque et quoscumque opponentes se in hac parte, ac si oporteat, ad appellandum ad apostolicam sedem, ne statuta nacionis infringantur.

(*Fol.* 7) Facta congregacione nacionis Anglicane decima die Julii anno quo supra, super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras missas nacioni per magistrum Guillelmum[2] Lochem; secundus super aliquibus tangentibus honorem nacionis; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum littere misse fuerunt lecte; quibus lectis et intellectis, nacio ordinavit, quod rescriberetur respondendo ad puncta, et fuit commissus magister Johannes Johannis ad formandum litteram responsalem, et fuit deliberatum, quod illa littera foret expedita per deputatos. Item fuit dicta littera missa deliberata in custodia magistri Johannis Arnem, in sacra pagina professoris, et fuit ordinatum in nacione, quod de cetero omnes procuratores nacionis in die suarum cessionum apportent nacioni omnes litteras pro suis temporibus nacioni missas et alias cedulas quascumque factum nacionis tangentes, et quod ponantur in archa secundum formam. Quantum ad secundum articulum, proposuit procurator qualiter officium temptatorie Nostre Domine jam vacat per promocionem magistri nostri magistri Johannis de Arnem ad gradum magisterii in pagina sacra, ac ostendebat propter honorem nacionis quod expediens erat scribere *illi domino*[3], *qui haberet conferre officium illud*, ut non faciliter provideret de illo officio nisi consulta nacione. Et quoad istam partem conclusit nacio scribere, et commisit formam scribendi magistro Johanni Johannis et expediendas litteras per deputatos. Quantum ad tercium articulum, supplicavit magister Johannes de Arnem, ut nacio scriberet magistro Guillelmo[4] de Lochem, ut sibi solveret pecuniam quam debet nacioni, ex quo nacio illam pecuniam sibi (Arnem[5]) assignaret pro expensis suis ad Consilium Papiense. Nacio suam supplicacionem concessit et vult ut sibi solvatur, et quod illa littera per deputatos expediretur sine nova convocacione nacionis.

(*Fol.* 7[b]) Facta congregacione apud Sanctum Maturinum XIX[a] mensis Julii, pro parte venerabilis nacionis Normannie per organum magistri Jacobi du Tartre associati cum pluribus notabilibus magistris, fuit expositum, quod in collegio Sancti Martini, alias de Plexeio vulgariter nuncupato Parisius, in magno vico Sancti Jacobi fundato, possent et debent esse sex scolares percepturi bursas secundum modum aliorum scolarium dicti collegii de quibuscumque mundi partibus, de quibus collator hujusmodi bursarum noluerit eos eligere et assumere, et quod fun-

scriba in Universitate. *Jam tunc* Michael Heberti *scriba fuit* (Lib. bedelli fac. theol., p. 16 *ad an.* 1422).

1. *Jam an.* 1410 *licent. est in theol., et saepius de eo in processu contra* Joh. Parvi.

2. *Ms.* Johannem.

3. *Officium temptatoris conferebat cancellarius Nostrae Dominae. Sed* Johanne Gersone *absente munus cancellarii cum omnibus adjunctis mox ille, mox alius exercebat. Tunc semper adhuc* Reginaldus de Fontanis, *episc. Suessionensis officio cancellarii per procuratores suos* Johannem Pulchripatris *et* Dominicum Parvi *exercuit. Vid. ad an.* 1422, *Maii* 10, *et an.* 1426, *Febr.* 9.

4. *Ms.* Johanni.

5. *Inter lineas.*

dator dicti collegii, cujus anima requiescat in pace, sic voluit, statuit, ordinavit et disposuit in ejus ultima voluntate, quam piam voluntatem insequendo seu immitando prefatus collator contulit quatuor de dictis sex bursis dudum vacantes quatuor suppositis dicte nacionis Normannie, videlicet magistris Jacobo du Tertre, Petro Gloriant, Petro Vatel et Johanni Olive[1], quibus hujusmodi burse spectant illo medio et sunt in bona possessione et saisina earundem ac jurium et emolumentorum ad easdem pertinencium. Nichilominus cum procurator nationis Francie, instantibus magistris Petro de Valle et Roberto de la Couche, adjunctis et consortibus ejusdem procuratoris, inquietant et tenent in processu coram dominis requestarum regis in suo pallatio regio dictos quatuor scolares super hujusmodi bursis et per predictum processum nituntur excludere a dicto collegio nedum dictos scolares, ut premissum est, super hujusmodi bursis, verum eciam naciones Picardie, Normannie et Anglie, que possunt ibidem habere scolares, ut premissum est, nam ipse procurator et dicti sui consortes in dicto processu dicunt et allegant, quod omnes scolares dicti collegii debent esse de provincia Turonensi et de episcopatibus Maclovensi et Leonensi ejusdem provincie, preter sex scolares, qui possunt esse in dicto collegio de episcopatu Ebroicensi, si quarta pars reddituum dicti collegii valeat sustinere dictos sex scolares et non alios, et quod nulli alii scolares a supradictis possunt morari nec emolumentum accipere in dicto collegio, quod est directe contra piam voluntatem memorati fundatoris et prejudicium nacionum predictarum : unde prefata nacio Normannie sentiens suum habere interesse in hujusmodi causa, et ne excludatur a dicto collegio, adjunxit se cum dictis suis suppositis in hujusmodi processu. Supplicavit quod dicta nacio Normannie per organum dicti exponentis nacioni, quod conformiter vellet se adjungere in hujusmodi causa pro suo interesse, scilicet, ne excludatur a dicto collegio; et ad docendum et informandum nacionem super premissis exhibuit litteras publicas et autenticas, per quas apparuit nacioni suum habere interesse in dicto processu. Unde nacio concessit supplicacionem venerabilis nacionis Normannie, et se adjunxit cum prefata venerabili nacione et suis suppositis antedictis, et reservavit nacio copias litterarum presentatarum pro sua informacione super interesse pro futuris temporibus.

1425

(*Fol. 8*) Procuratoria Johannis Johannis alias Reyneri.

Facta congregacione die 27 Augusti anni quo supra apud Sanctum Maturinum ad eligendum vel continuandum procuratorem, et super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus est magister Johannes Johannis, alias Johannes Reyneri, licenciatus in medicina, in procuratorem. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus, et ita habitus est, et concedebatur sua supplicacio.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die quinta Septembris ad supplicacionem magistri Reyneri de Wael, quatenus nacio vellet pro eo scribere quibusdam prelatis, coram quibus habebat agere in factis ipsum tangentibus. Cujus supplicacio fuit concessa, et fuerunt littere in forma communi sibi tradite. Habuit eciam unam aliam specialem, cujus copia remansit in archa nacionis.

Facta congregacione apud Sanctum Mathurinum die sancti Mathei apostoli, ut moris est, super quatuor articulis. Primus ad eligendum receptorem novum vel continuandum antiquum; secundus ad audiendum statuta seu lecturam eorundem; tercius ad distribuendum scolas regere volentibus; quartus super supplicacionibus. Quoad primum electus est concorditer magister Johannes procurator protunc, qui officium procuratorie dimisit magistro Rogero de Eydenburch ad voluntatem nacionis. Quoad secundum placuit lectura statutorum. Supplicaverunt, quoad tercium articulum, magister Johannes Johannis et magister Bernardus de Emeda pro scolis et regenciis, et fuerunt eis concesse scole, et promiserunt regere per majorem partem ordinarii tradendo fidejussores. Auditus eciam fuit compotus antiqui receptoris, et omnibus deductis remansit obligatus nacioni in summa quinque coronarum auri, septem librarum IX solidorum, II denariorum parysiens., quam sommam tradidit receptori novo. Quoad quartum articulum supplicavit Boemundus, quatenus in actis suis *visa sua paupertate* nacio sibi et subbedello graciose subveniret. Supplicavit eciam receptor antiquus, ut haberetur gratus et avoatus et sibi concederet sallarium consuetum, et ita concessit sibi nacio tres libras, et bedellis similiter duos francos, et ita fuerunt supplicaciones eorum concesse. Supplicavit eciam magister Martinus, quatenus sibi servarentur

1. *Non confundendo cum* Joh. de Oliva (Olivae), *Parisino, mag. theol., de quo ad an.* 1440. *Supranominatus fuit Normannus, et jam an.* 1431, *Parisiis in decr. licentiatus, paroch. B. Mariae de Dulcimaresco affertur* (Supp. Eug. IV, n° 261, *fol.* 87 b; n° 263, *fol.* 74 b), *an.* 1447 *in* Univers. Cadomensi (Suppl. Nicol. V, n° 417, *fol.* 97 b).

scole in casu quo regere vellet, quamquam non erat adhuc dispositus. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo tamen dicat antequam scole aliis nacionibus locentur.

Sequuntur regentes istius anni 1425.

Mag. Johannes Johannis; fidejussor ejus mag. Joh. de Arnhem.

Mag. Bernardus de Emeda; fidejussor ejus mag. Jacobus de Gouda.

1425

(*Fol. 8*[b]) Procuratoria Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum 24ª Septembris anno Domini millesimo etc. vicesimo quinto super 3^bus^ articulis. Primus ad eligendum procuratorem. Secundus ad avisandum qualiter magister Paulus de Sclavonia constringeretur ad solvendum nacioni bursas et reliqua que debet nacioni racione sui gradus in artibus per juramentum paupertatis, attento quod jam est dives et bene beneficiatus [1]. Tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum Rogerus de Edynburch concorditer fuit electus procurator. Quantum ad secundum ordinavit nacio, quod in casu quod non contentaret idem Paulus nacionem secundum formam statuti nacionis facti super jurantibus paupertatem, quod sta[tu]tum fuit declaratum duobus commissariis per curiam rectoris commissis ad compellendum eundem Paulum ad satisfaciendum nacioni, quod nacio procederet coram facultate theologie supplicando eidem facultati, ut compellat eundem Paulum racione juramenti, antequam eum licenciet, ad satisfaciendum nacioni. Quantum ad tercium articulum antiquus procurator fuit avoatus, ratus et gratus in suis actis.

Facta[2] congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum propter electionem novi rectoris Xª Octobris, et dabantur ab antiquo rectore 2 articuli. Primus ad dandum intrantem ad eligendum novum rectorem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, procurator pro tunc fuit intrans, et fuit electus via Spiritus Sancti magister Johannes Johannis [3] in rectorem. Quantum ad secundum antiquus rector habebatur ratus, gratus et avoatus.

1425

Continuacio prescripti procuratoris.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 22ª Octobris anni precedentis super 3 articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus ad scribendum certas litteras regi Dacie et certis prelatis et aliis, quibus expediens esset pro facto domus Dacie Parisius; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, antiquus procurator fuit continuatus. Quantum ad secundum fuit ordinatum, ut littere scriberentur et sigillarentur, ad que expedienda erant commissi magister Johannes Johannis, tunc rector Universitatis, et magister Johannes Flykhem. Quantum ad tercium antiquus procurator fuit ratus, gratus et avoatus.

Facta congregacione nacionis Anglicane in capella Sarbone 27ª Octobris super 2 articulis. Primus fuit de facto magistri Pauli contumaciter nacioni resistentis; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum procurator retulit nacioni, qualiter in proximo magister Paulus se disposuit pro licencia optinenda in facultate theologie, ac qualiter idem Paulus nondum satisfecit nacioni de injuriis nacioni publice illatis ac diversis suppositis nacionis, propter quas a nacione exstitit privatus. Item requisivit procurator per juramentum, ut deliberare[n]t super hoc facto magistri ad honorem nacionis. Super quo nacio deliberavit concorditer quod omnibus viis ex parte nacionis impediretur licencia illius magistri Pauli, et ordinavit nacio quedam puncta scribi in quadam cedula super offensis factis nacioni et ejus suppositis, et quod illa cedula ostenderetur facultati theologie ex parte nacionis per magistrum Johannem Johannis tunc rectorem et procuratorem nacionis, et ad constructionem (*Fol. 9*) illius cedule fuerunt commissi magister Johannes de Harnem magister in theologia, dicte nacionis suppositum, et procurator nacionis, qui per ordinacionem nacionis onus assumpserunt. Ordinatum eciam fuit ex deliberacione, quod idem magister Johannes de Harnem adiret magistrum Paulum una vice, et in presencia Bomundi

1. *In* rotulo *an.* 1424, *Mart.* 29, *obtinuit canonicatum S. Andreae Colon. atque majorem praebendam vet. eccl. S. Pauli Monasteriens., quam vis etiam ad can. in eccl. Frisingensi aspiraverit* (Suppl. Mart. V, n° 254, *fol.* 1, *part.* 3; Suppl. Eug. IV, n° 260, *fol.* 264).

2. *Haec rubrica invenitur etiam fol.* 7, *sed jure ibidem deleta est.*

3. *Perperam igitur* Bul. *in sua* Nomenclatura, V, 920, Robertum de Belloforti, *Suessionens. affert.*

bedelli ipsum Paulum summaret, quod ante vigiliam Omnium Sanctorum exclusive proximo futuram ex parte nacionis compareret in nacione ad petendum veniam de commissis, antequam nacio ulterius contra ipsum procederet. Quantum ad secundum articulum nulli fuerunt supplicantes.

1425

Continuacio prescripti procuratoris.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum decima nona Novembris super 3bus articulis. Primus ad eligendum seu continuandum procuratorem; secundus ad providendum de festo sancti Edmundi et de loco, etc. Quantum ad primum fuit continuatus antiquus procurator. Quantum ad secundum erant assignati provisores ad ordinandum de loco etc. Tamen de consensu nacionis fuit locus festi assignatus in domo magistri Johannis Johannis tunc rectoris propter honorem *rectoris, qui non poterat cum honore in tabernis prandere*. Quantum ad tercium articulum antiquus procurator fuit avoatus, ratus et gratus habitus a nacione. Fuit insuper in nacione tactum eodem die et ulterius deliberatum pro quarto articulo, quod nacio requireret adjunctionem facultatis arcium in suo processu contra magistrum Paulum de Sclavonia, et quod prius requireret naciones in particulari super hoc, et posterius facultatem arcium, ut instaret una cum nacione penes facultatem theologie ad impediendum licenciam ejusdem Pauli, quousque satisfecerit nacioni de offensis.

Facta congregacione nacionis Anglicane XVta Decembris anno supradicto, pro electione novi rectoris, apud Sanctum Julianum, fuerunt duo articuli. Primus ad eligendum novum rectorem et ad dandum intrantes. Super quo articulo nacio dedit magistrum Jacobum de Suesya[1] pro intrante, et via Spiritus Sancti fuit electus magister Johannes de Insula[2] rector. Quantum ad secundum articulum antiquus [rector], magister Johannnes Johannis, fuit avoatus, ratus et gratus a nacione et tota facultate.

1425

(*Fol. 9 b*) Procuratoria Jacobi Röödh de Abo, alias Petri.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Mathurinum decima sexta Decembris anno quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit Jacobus Röödh in procuratorem. Quoad secundum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus et avoatus, et concedebatur sua supplicacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Mathurinum XXIXa die mensis Decembris super duobus articulis. Primus ad audiendum ea que facta sunt in facto magistri Pauli et ad providendum de modo ulterius procedendi; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum narravit dominus receptor ea que per ipsum facta fuerunt in vigilia sancti Thome apostoli in collegio Soletorum[3]. Narravit eciam dominus antiquus procurator ea que facta fuerunt per eum in collegio Sorbone. Quibus auditis deliberavit nacio quod voluit copiare conclusionem Universitatis, submisionem et sentenciam arbitrorum, et tradere copiam dominis judicibus, supplicando ipsis, quatenus vellent laborare ut illa in facultate theologie legantur. Male eciam contentabatur nacio de magistro Paulo, qui adhuc in sua pertinacia persistens, dixit in collegio Soletorum, ubi supra, in presencia trium magistrorum in theologia, domini receptoris prefati et subbedelli nacionis post aliqua verba prolata, quod non posset contentari de nacione, quousque illud nequam scriptum de libro nacionis esset remotum. Deputavit eciam nacio magistrum Johannem de Ernem[4], receptorem et antiquum procuratorem ad faciendum ea que facienda posterius videbantur, et ad avizandum ea que huic rei sunt utilia, precipue ad adeundum decanum[5] facultatis theologie et alios magistros pro predicto negocio, prout expediens fuerit et oportunum. Quoad secundum articulum supplicavit magister Johannes Flikke, quatenus nacio sibi vellet tradere litteram magno sigillo sigillatam, per quam haberetur gratus et avoatus in factis et scriptis per eum tempore suarum procuracionum, quam supplicacionem nacio concessit, dummodo legatur littera in nacione.

(*Fol. 10*) Annus Domini 1426 more Romano.

Facta congregacione Universitatis aput Sanctum

1. *I. e.* Jacobum Röödh de Abo.
2. *Perperam* Bul., V, 920, *ut rectorem* Jacobum de Celeriis *affert*. Joh. de Insula, *rector par. de Sarcellis, an.* 1426 *ut licent. in decr. nominatur* (Suppl. Mart. V, n° 187, *fol.* 226 b).
3. *I. e.* Choletorum.
4. *I. e.* Arnheim.
5. *Mag.* Dominicum Parvi *seu* Petit.

Mathurinum die 2da Januarii anni Domini MCDXXVI eadem hora in congregacione nacionis, supplicavit magister Johannes Flikke per medium nacionis in Universitate pro litteris recommendariis ad regem Dacie[1], archiepiscopum Upsalensem[2], episcopum Aboensem[3] et ad capitulum Aboense. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo littere in proxima congregacione Universitatis legantur vel saltem in fine ejusdem. Item porrexit minutas littere prius petite nacioni, que per nacionem lecte admittebantur, ipsis tamen prius in modico variandis.

1426

Continuacio ejusdem procuratoris.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum die XIIIIa Januarii super duobus articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus et recommendatus, et fuit concessa sua supplicacio.

Facta congregacione facultatis arcium aput Sanctum Julianum Pauperem anno quo supra, XVIa mensis Januarii, super aliquibus articulis eandem facultatem tangentibus. Supplicacionem fecit nacio Anglicana per organum honorabilis viri, scilicet magistri Johannis Johannis, licenciati in medicinis, et ejusdem nacionis suppositi, quam supplicacionem concessit facultas. De quo dicta nacio scedulam sive litteram fecit confici et signari sigillo rectorie et signeto manuali procuratorum aliarum trium nacionum, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis :

« Anno Domini MCDXXV°, die XVIa mensis Januarii, veneranda facultate arcium in alma Universitate studii Parisiens. aput Sanctum Julianum Pauperem super nonnullis arduis ipsam facultatem tangentibus, ex parte venerabilis nacionis Anglicane exstitit propositum : Cum dudum quedam controversia mota fuisset inter venerabilem nacionem Anglicanam prefatam ex una et inter magistrum Paulum Nycolai suppositum ejusdem nacionis partibus ex altera, dati fuerunt deputati, videlicet venerandi magistri magister Rolandus Berguel et Johannes Pulcripatris, sacre theologie professores, per Universitatem (*Fol. 10*b) super dicta controversia terminanda, qui deputati partibus hinc inde auditis super facto debite informati sentenciam tradiderunt pro nacione et contra dictum magistrum Paulum; postmodum quoque Universitate congregata in Sancto Mathurino tempore novissime rectorie magistri Gwillermi de Fossato[4], veneranda facultas arcium dicte sentencie acquieverit ipsam approbando : ideo premissis attentis prefata nacio supplicavit dicte facultati, quatenus dignaretur et vellet in prosecucione hujusmodi sententie se adjungere et assistenciam dare ad ejus plenum consequendum effectum. Que quidem facultas post maturam singularum nacionum deliberacionem inter cetera per organum venerande circumspectionis et magne sciencie viri magistri Johannis de Insula, magistri in artibus, et licenciati in decretis, ejusdem Universitatis rectoris, et in ipsa congregacione presidentis, conclusit quod dictus magister Paulus primitus ante omnia iret ad suam matrem nacionem Anglicanam prefatam cum humilitate et satisfactione, ut reconcilietur eidem. Quod si facere neglexerit aut recusaverit, prefata facultas concordi deliberacione supplicacionem nacionis prefate in modo et forma superius expressis concessit ».

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Mathurinum XXIXa Januarii ad requestam magistri Martini ejusdem nacionis suppositi, supplicavit idem magister Martinus, ut nacio ipsum haberet recommissum et recommendatum ad officium temptatorie in Nostra Domina. Idem eciam supplicavit magister Johannes Flikken. Nacio vero desiderans concordiam suppositorum, ne alteri eorum magis videretur favor fieri quam alteri, dedit deputatos ad avizandum aliquem bonum modum super supplicacionibus eorundem et officio temptorie predicte. Deputati vero fuerunt procurator nacionis, magister Johannes de Arnhem sacre theologie doctor, magister Johannes Johannis, magister Rogerus, magister Bernardus, qui avizata per ipsos referre habebunt in proxima congregacione nacionis.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Mathurinum IXa mensis Februarii super duobus articulis. Primus pro aliquibus tangentibus honorem nacionis; secundus super supplicacionibus et inju-

1. Ericum.
2. Joh. Haquini, *ab an.* 1422, *Mart.* 23 (Reg. Lat. Mart. V, *an.* 5, provis., *fol.* 129).
3. Magnum, *ab an.* 1412, *Oct.* 21 (Reg. Lat. Joh. XXIII, *an.* 3. prov., *fol.* 225). *In* Arch. nat. Paris., M 65A, n° 147, *exstat epist. Universitatis ad illum episcopum pro* Johanne Flicke.
4. *An.* 1425, *Martii* 24 *usque Jun.* 23 (*vid. ad an.* 1425, *April.* 7). Novissime *supra dicitur, quia Guillelmus jam an.* 1424, *Jun.* 23, *rector fuit.*

riis. Quantum ad primum articulum primo proposuit procurator, quomodo duo magistri nacionis, scilicet magister Johannes Flikken et magister Martinus, die predicta in Nostra Domina ambo intraverunt ad temptandum ex parte nacionis, et uterque eorum asserebat sibi officium esse collatum. Unus, scilicet magister Johannes Flikken, sibi collatum asseruit a magistro Johanne Pulcripatris, doctore sacre theologie, et commissario et procuratore domini episcopi Suessionensis [1] *auctoritate apostolica commissi ad exercendum factum licenciarum in qualibet facultate* studii Parisiensis. Super quo secum in congregacione habuit litteram cum sigillo ejusdem magistri Johannis Pulcripatris de data anni Domini MCDXXV^ti. Alter vero, scilicet magister Martinus, asserebat sibi officium collatum a magistro Dominico Parvi, sacre theologie professore, similiter commisso [2] et procuratore domini episcopi Suessionensis et decano facultatis theologie. Quocirca nacio desiderans concordiam suppositorum deliberavit, ut procurator cum aliquo magistro vel aliquibus magistris nacionis irent ad dominum decanum predictum supplicando, ut ipse una cum magistro Johanne Pulcripatris ordinarent aliquem modum concordie de officio predicto inter supposita nacionis. Secundo proposuit procurator et in deliberacione posuit, an expediens esset adire facultatem theologie, cujus congregacio fiebat eadem die, scilicet pro facto magistri Pauli, precipue propter unam scedulam, quam supplicatoriam debuisset porrexisse nacioni; attamen porrexit eam diffamatoriam et ostensivam sue pertinacitatis incorrigibilis; et deliberavit nacio, quod facultas esset adeunda et scedula ibidem porrigenda.

1426

(*Fol. 11*) Continuacio ejusdem procuratoris.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Mathurinum XI^a mensis Februarii anno quo supra, super aliquibus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem, sed tamen continuatus fuit antiquus. Secundus articulus ad eligendum examinatores bachalariorum secundum formam statuti nacionis, et electi sunt procurator, dominus receptor, magister Johannes Flikken et magister Bernardus. Tercius articulus ad audiendum ea que facultas theologie fecerit in facto magistri Pauli propter rebellionem suam et scedulam diffamatoriam quas exhibuerat nacioni. Unde retulit dominus receptor, qui cum procuratore super facto isto ivit ad facultatem predictam, quod scilicet scedula ista lecta in facultate theologie juxta requestam predicti magistri Pauli, scedula ipsa tamquam fatua non inmerito deridebatur, et idem magister Paulus pro illis in quibus facultatis persuasioni non acquievit in factis suprascriptis, ac eciam pro illis in quibus nacionem incorrigibiliter offenderat, non est admissus ad licenciam in theologia pro illo anno, sed injuncta est sibi expectacio pro licencia in theologia per duos annos, et postea facultas, si viderit ejus emendam et humiliacionem, deliberavit de promocione sua ulteriori [3]. Quartus articulus super supplicacionibus et injuriis. Quoad illum articulum supplicavit procurator, primo ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus, et concessit nacio supplicacionem suam. Secundo proposuit, quomodo duo magistri nacionis ejusdem ipsum verbis injuriosis offenderant, et supplicavit, ut nacio apponeret remedium de injuria tali et quod hujusmodi sibi non fierent ammodo, quia conquestus est, nacionem per ipsum tamquam per caput et se in persona esse lesos in hujusmodi verbis injurie invasivis; et quia non erant presentes illi duo magistri, nacio dedit deputatum venerabilem virum magistrum Johannem de Arnhem sacre theologie professorem, qui se habebit informare de hoc, et nacioni referre in proxima congregacione ejusdem.

Sequuntur nomina determinancium ejusdem anni.

Determinavit dominus Conradus [Henrici] de dyocesi Aboensi, sub magistro Johanne Flikke, cujus bursa VIII sol.

Det. dom. Nycholaus [de Rin] [4], Ratisponensis [5] dyocesis, sub mag. Bernardo, cujus bursa XI sol.

Det. dom. Petrus de Gouda [6] natus de Leydis,

1. Reginaldi de Fontanis, *de quo an.* 1422, p. 287, *not.* 5.

2. *Ms.* commissi. *An.* 1425, *Octob.* 24, Dominicus Parvi « iterum receptus est ad cancellariam, cum protestationibus quod beneficia retineret » (Arch. nat. Paris., LL 113, p. 26).

3. *Revera nomen* Pauli de Sclavonia *in* Catal. licent., *et in* Regist. bedelli facultatis theologiae *an.* 1421 *usque* 1439 (Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5494) *non occurrit ante an.* 1439 (Paulus Nicolai). *Vid. de hoc infra ad an.* 1439, *Maii* 29. *Per* 13 *annos igitur, insolentia ejus semper reviviscente, exspectare debuit. Paulus facultati theol. etiam litem intendebat* (*vid. ad August.* 11); *rationes propter quas facultas theol. Paulum excludebat vid. in instrumento ap.* Bul., V, 380.

4. De Rin *e* lib. receptoris.

5. *Ms.* Ratispanensis.

6. *Ab an.* 1433 *can. Trajectens.* (Suppl. Eugen. IV, n° 339, *fol.* 163 b), *annoque* 1439 *supplicat ut eccl. paroch. de Rotterdam obtineat* (*ibid.*, n° 352, fol. 94 b).

Trajectensis dyocesis, sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IX sol.

Item det. dom. Godefridus Venatoris, Trajectensis dyocesis, sub mag. Bernhardo, cujus bursa VI sol.

Det. dom. Johannes Tungeris [1]. Trajectensis dyocesis, sub mag. Bernardo, cujus bursa VI sol.

Det. dom. Nycholaus Petri, Methensis dyocesis, sub mag. Bernhardo, cujus bursa IIII sol.

Det. dom. Rutgerus [Bloot] [2] de Huesdem, Trajectensis dyocesis, sub mag. Bernardo, cujus bursa IX sol.

1426

(*Fol. 11*[b]) Procuratoria Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno quo supra XI[a] die mensis Marcii super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Secundus continens duo puncta : primum ad audiendum relacionem magistri nostri mag. Johannis de Arnhem in facto appunctuacionis et concordie aliquorum magistrorum de nacione; secundum punctum erat ad audiendam cedulam magistri Pauli nacioni porrectam per procuratorem antiquum. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum concorditer fuit electus magister Johannes Flicke in procuratorem. Quoad primum punctum secundi articuli facta est relatio ejus et habita est concordia inter ipsos in nacione. Quoad secundum punctum ejusdem articuli lecta est cedula magistri Pauli, que fuit ista :

« Domine procurator ceterique domini et magistri mei reverendi, vos dicitis et vobis videtur, quod ego offendi nacionem Almanie matrem meam. Et quia [3] semper debeo esse filius obediencie, nec debeo preferre judicium meum judicio nacionis, idcirco humiliter de offensis peto veniam et quod michi parcere et indulgere dignemini, sic tamen quod per hanc humiliacionem meam erga matrem meam nullomodo minuatur auctoritas nacionis nec ledatur honor meus, et quod omnia per nacionem matrem meam quacumque causa et occasione contra me facta et in libro nacionis scripta de pensata humilitate per me vobis exhibita non cedant aut applicentur in detrimentum honoris mei ; et quod nacio mea de cetero me tamquam filium recommissum etc. me recommendare dignetur apud venerandam facultatem theologie et magistros dicte facultatis. »

Respondit nacio quod si cum debita humilitate ad nacionem venisset, nacio tamquam pia mater recepisset eum et gavisa fuisset de reditu filii sui deperditi ; sed quia appellaciones interposuit, ut procurator antiquus retulit, ideo nacio nichil deliberavit super cedula sua. Voluit bene, quod fieret diligencia de habendo copiam appellacionis sue.

Quoad tercium supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus, et habitus est et concedebatur sua supplicacio.

Facta autem congregacione facultatis arcium apud Sanctum Maturinum et similiter nacionis anno quo supra XVI[a] mensis Marcii super tribus articulis. Primus ad eligendum examinatorem in cameris, sive de distribucione mensium. Secundus ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum in cameris et bachalariorum examinandorum. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in examinatorem pro primo mense magister Jacobus Petri Röödh de Abo. Quoad secundum placuit audire juramenta eorundem, et audita sunt in plena facultate arcium. Quoad tercium nullus supplicavit.

Licenciatus est dominus Olavus Olavi sub magistro Johanne Johannis XXI[a] Marcii, cujus bursa VIII sol.

Eadem die facta est congregacio facultatis arcium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat incidentalis cum secundo articulo ; et sic erat unus articulus supplicacionum, et supplicaverunt duo magistri ad requestam domini cancellarii Francie reverendi in Christo patris ac domini domini episcopi Morinensis [4], quatenus placeret facultati dispensare cum quodam licenciato in artibus de nobili progenie orto, ut alia die immediate sequenti posset incipere, cum tamen statuta facultatis erant contraria. Placuit facultati dispensare secum et cum omnibus aliis licenciatis, attentis multis et consideratis, que ibidem fuerunt dicta.

(*Fol. 12*) Incepit dominus Olavus Olavi sub mag. Johanne Johannis XXII[a] mensis Marcii, cujus bursa VIII sol.

Eadem autem die facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum super electione novi rectoris, et datus fuit intrans per nacionem nemine reclamante, videlicet magister Johannes Flicke procu-

1. *Infra ad an.* 1428 *recte* Tongris. Mag. Joh. de Tongren *an.* 1440 Coloniae *intitulatus est* (Keussen, Matrikel, I, 324).
2. *E* lib. recept.
3. *Ms.* quod.

4. *Ms.* Murinens. *Ab an.* 1425, *Febr.* 7 (*vid.* Tuetey *ad* Journal d'un bourgeois, p. 210, *not.* 3) *cancellarius Franciae ex parte regis Angliae fuit* Ludovicus de Luxembourg, *episc. Morinensis.*

rator ejusdem nacionis. Electus fuit in rectorem magister Thomas de Cursellis[1].

Licenciatus est dominus Jacobus Potter sub magistro Johanne Johannis XXVIIa Marcii, cujus bursa VIII sol.

Eadem autem die facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Maturinum ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum in cameris et bachalariorum examinandorum pro secundo mense. Placuit facultati et nacioni, et electus fuit in examinatorem mag. Bernardus de Emeda.

Licenciatus est dominus Johannes [Wilhelmi] de Leydis, Trajectensis dyocesis, sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IIII sol.

Facta autem congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XXVI°, IIa die Aprilis post festum Pasche super duobus articulis. Primus super facto rotuli, videlicet ad eligendum inrotulatores, et an placeret nacioni, quod bursa capitalis currat per totam Universitatem, attento quod due naciones et due facultates superiores concluserunt pro expedicione ambasiate Universitatis mittende ad curiam Romanam[2] et acceleracione ejusdem in materia fidei[3]. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum eligit nacio duos magistros ejusdem nacionis, scilicet magistrum Jacobum Petri Röödh de Abo et magistrum Jacobum de Gouda, qui haberent recipere supplicaciones omnium volencium inrotulari; et placuit nacioni concorditer nemine reclamante, quod bursa capitalis currat. Placuit eciam, quod eam intimarem domino rectori Universitatis pro majori concordia habenda, et ita factum est. Quoad secundum supplicavit magister noster magister Johannes de Arnhem[4], quatenus nacio vellet scribere magistris Guillermo Lochem et Guillermo Bloc, quatenus pecunie per eosdem debite nacioni et sibi[5] tradite alias in procuratoria mea, ut patet in antiquo registro, adhuc eidem traderentur, et nacio dictos magistros quitaret, dummodo idem magister Johannes sit de eisdem contentus. Et dedit ei assistenciam, quod posset eos citare, ubi vellet, et ipsum adjuvare, ubi posset; et conclusit nacio, quod haberet litteras ad eos in eadem forma sibi alias traditas. Insuper supplicavit magister Johannes Johannis, quatenus nacio vellet scribere pro ipso domino nostro summo pontifici, cum citatus fuerat ad curiam Romanam in quadam causa beneficii, quod non extrahatur extra muros Parisienses, et quod causa sua remittatur Parisius. Placuit nacioni, attento quod esset et fuerat verus scolaris et continuus, et concedebatur ab omnibus. Placuit eciam quod procurator haberet supplicare nomine nacionis pro ipso in plena congregacione Universitatis.

Incepit dominus Jacobus Potter sub magistro Johanne Johannis VIIIa die Aprilis, cujus bursa VIII s.

Incepit eadem die dominus Johannes de Leydis sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa IIII sol.

1426

(*Fol. 12b*) Continuacio ejusdem magistri Johannis Flicke.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, VIIIa die mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum concorditer fuit continuatus antiquus in procuratorem. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa nemine reclamante.

1. *Perperam* BUL. *in sua* Nomenclatura, V, 920 : Radulphus Barnesse *Remensis.* Thomas de Courcellis *fuit nat. Picard., ut baccal. formatus in theol., can. Laudunens. et Morinens. an.* 1431 *missus ab Univers. Paris. Rotomagum contra* Johannam d'Arc. *An.* 1427, *Sept. usque* 1428 *Sententias legit* (Lib. bedelli fac. theol., p. 59); *an.* 1431 (1432), *Jan.* 25, *licent. in theol. per* Guillelmum Erardi, *cum esset* 32 *annorum. Postea in* Concilio Basileensi *per longum temporis spatium residebat et pro Felice antipapa decertabat. Sed jam an.* 1448, *Aug., ut* subdiaconus papae *occurrit* (Suppl. Nicol. V, n° 422, *fol.* 15b, 16), *eique de archidiaconatu de Gandavo in eccl. Tornacens. anno sequenti providetur* (*ibid.*, n° 427, *fol.* 92b). *Archipresb. de Metullo Pictavens. dioec.* (n° 456, *fol.* 23 *ad an.* 1452) *et canon. eccl. Paris. Saepius legatus Universitatis fuit. Tandem* 1458 *decanus Paris., post provisor Sorbonae. Vid. etiam* J. QUICHERAT, Aperçus nouveaux sur l'histoire de Jeanne d'Arc, p. 105; Gall. christ., VII, p. 214.

2. *Unum tantum* « nuncium per Universitatem studii Paris. ad sanct. destinatum » *invenimus,* Joh. Le Moustardier, *mag. in art. et in theol. bacc., qui supplica etiam ut recipiat can. Narbonens.* (Suppl. Mart. V, n° 210, *fol.* 196b), *sed solum ad an.* 1427, Nov.

3. *Tunc temporis Parisiis aliqui haeretici fuerunt, scil.* mag. Guillelmus Vigner clericus et sui complices laici, *qui carceribus mancipati erant. Contra episcopum et inquisitorem haereticae pravitatis Universitas sibimet attribuit jus haereticos judicandi, et contra ipsos ad Apostolicam sedem appellavit ambassiatoresque misit. Martinus V delegavit in hac causa episcopos Morinensem et Noviomensem. Interim Johanne de Nanton, episcopo Paris. defuncto, capitulum Nostrae Dominae mense Novembri Universitati Paris. se adjunxit contra inquisitorem* (*vid.* Arch. nat. Paris., LL 113, p. 67, 68, 72, *ad Novemb.* 6, 9, 11, 29. Journal d'un bourgeois de Paris, p. 209 *sq.*). *Facultas theologiae jam in fine anni* 1425 *litteras misit ad ducem Burgundiae et consilium ceperunt* super facto fidei (Lib. bedelli fac. theol., p. 50).

4. *Ms.* Arhnem.

5. Johanni de Arnheim.

Eadem autem die facta est congregacio facultatis arcium in eodem loco ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum in cameris et bachalariorum examinandorum. Placuit facultati et nacioni concorditer, et electus fuit per nacionem in examinatorem magister Jacobus de Gouda pro tercio mense.

1426

Substitucio magistri Jacobi de Gouda.

Facta congregacione facultatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XX^a die Aprilis, super duobus articulis. Primus ad audiendum juramenta bachalariorum examinandorum de quarto mense et magistrorum examinatorum ejusdem mensis. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit facultati et nacioni audire juramenta bachalariorum et magistrorum, et fuit electus pro illo mense concorditer magister Bernardus de Emeda. Quantum ad secundum articulum magister Johannes Stockelpot [1] nacionis Piccardie refutavit aliquibus incepturis *placet*, uni quia dixerat quod non esset magister in artibus, ideo supplicavit quod impedieretur (*sic*) et puniretur; aliis refiutavit (*sic*) propter juventutem. Quantum ad primam partem supplicacionis, placuit nacioni, quia alter negavit illa, que predictus magister Johannes dixit, quod inciperet, et dedit deputatos ad inquirendum de veritate; et secundum hoc facultas haberet procedere. Quantum ad secundam partem eciam placuit nacioni, quod deputati haberent inquirere causam opposicionis, si esset sufficiens ad impediendum vel non.

Facta congregacione facultatis apud Sanctum Maturinum XXII^a Aprilis super tribus articulis. Primus fuit ad deliberandum de uno, cui negatum fuit *placet* propter juventutem, utrum posset incipere. Secundus articulus fuit ad dispensandum, si aliquibus de causis oporteret facere congregacionem facultatis, quod fieret plus quam semel in ebdomada. Tercius articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, audita deposicione unius notabilis magistri de etate sua sufficienti, et dispensacione cancellarii, placuit, quod inciperet; verumtamen voluit nacio, ad evitandum futura pericula et lites futuras, quod inquireretur a cancellario, utrum haberet potestatem dispensandi cum talibus juvenibus. Quantum ad secundum placuit nacioni dispensare. Quantum ad tercium nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXIX^a die Aprilis super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum procuratores in Castelleto ad procedendum contra magistrum Paulum, qui citaverat [2] nos quoram judice Castelleti, et eciam ad ordinandum deputatos, qui haberent ire cum domino procuratore ad prosequendum factum contra magistrum Paulum. Secundus articulus fuit super supplicacionibus. Quantum ad primam partem primi articuli placuit nacioni constituere procuratores, et erant constituti Guillelmus de Richel, Petrus de Castillon, Nicolaus de Larbroye, Guillelmus Le Fer, Johannes Porier, Johannes Salio, Guillelmus de Bien, Guillelmus Le Mien, Arnoldus Dariot, Vincent Le Fourlier. Quantum ad secundam partem nacio tradidit deputatos, scilicet magistrum Johannem Johannis, magistrum Jacobum Petri Röödoth de Abo, magistrum Martinum Berich, magistrum Johannem Leydis [3]. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1426

(*Fol. 13*) Procuratoria Jacobi de Gouda.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1426°, 6^a die mensis May super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer magister Jacobus de Gouda. Quantum ad secundum supplicavit predictus magister Jacobus substitutus in officio, ut haberetur gratus et avoatus in omnibus actis per ipsum tempore substitucionis, et concessa fuit sua supplicacio.

Facta fuit congregacio nacionis XXIIII^a mensis May super uno articulo, scilicet supplicacionis, et quantum ad illum articulum supplicavit dominus Hermannus Fabri, subbedellus noster, ut nacio vellet supplicare pro ipso in Universitate ad habendum officium librariatus, quod habebat magister Michael de Rivo [4] pie memorie, et concessit nacio supplica-

1. Lovaniens. *An.* 1428 Lovanii *procurator fac. art.*, *an.* 1432 *rector Universitatis, et medic. licent.* (Fasti academici stud. gen. Lovaniens., p. 35, 77 *et* 225). *Vid. praeterea* Reusens, Promotions de la faculté des arts de l'Université de Louvain, p. 18, *et* Analectes pour servir à l'hist. ecclés. de la Belgique, XXV, p. 355.

2. *Ms.* sitaverat.

3. *Ms.* heydis.

4. *Fortasse idem, qui gallice vocatur* Michael du Riez *vel* du Ris. *Vid.* Delalain, Etude sur le libraire Parisien, p. XXXIX, *not.* 3, *et* p. 69.

cionem suam et dedit sibi notabilem supplieantem, scilicet magistrum Rogerum.

1426

Continuacio antiqui procuratoris.

Faeta fuit congregacio naeionis III[a] die mensis Junii super duobus articulis. Primus artieulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Seeundus fuit super supplieacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum eontinuatus fuit antiquus eoneorditer nemine contradieente. Quantum ad seeundum artieulum, supplicavit proeurator, ut haberetur gratus et avoatus, et eoncessa fuit supplicacio sua.

Faeta fuit congregaeio naeionis Anglicane apud Sanctum Maturinum VI[a] die mensis Junii super tribus artieulis. Primus fuit super factis magistri Pauli actis in euria Castelleti eoram domino preposito Parisiensi contra naeionem, ubi proposuit, quod nacio Anglicana privavit ipsum, et petivit quod rex vellet ipsum ponere in naeionem. Secundus articulus fuit super quadam appellacione facta per eundem magistrum Paulum ab Universitate ad sanctam sedem apostolieam; et eadem appellacione appellavit a nacione, quia pars Universitatis. Tereius articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum deliberavit nacio, quod procurator haberet ire cum duobus deputatis, seilieet magistro Rogero et magistro Martino, ad curiam Castelleti ad declarandum proeuratoribus nostris et advoeatis mentem nostram ad proeedendum eontra magistrum Paulum. Quantum ad seeundum articulum deliberatum fuit, quod naeio deberet loqui cum aliquibus jureperitis petendo consilium ab ipsis, si deberemus sibi dare apostolos; et consilio habito procurator faeeret congregaeionem et faceret vocari magistrum Paulum ad dandum sibi responsum de apostolis dandis. Eciam placuit naeioni mittere instrumentum proeuratoribus in euria Romana existentibus, in libro prescriptum, ad agendum contra magistrum Paulum in easu quod vellet procedere contra nacionem. Quantum ad tercium artieulum supplieavit magister Johannes Johannis receptor nacionis, ut haberetur gratus et avoatus in omnibus factis magistri Pauli ex parte naeionis, et si eontingeret ipsum ledi per dictum magistrum Paulum vel ab aliis, eciam alia supposita nacionis, quod naeio vellet aeeipere factum tamquam suum. Et quantum ad istum articulum naeio coneessit supplieaeionem suam, quia rigorosa est, et eciam hoc supposita naeionis alias juraverunt.

Facta fuit eongregaeio faeultatis apud Sanctum Julianum XXII[a] die Junii super duobus articulis. Primus artieulus fuit ad eligendum novum reetorem, et ad hoc naciones haberent dare intrantes. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, eleetus fuit novus reetor, seilieet magister Johannes Pottagi[1], et intrans nacionis Anglicane fuit procurator ejusdem nacionis. Quantum ad secundum articulum, supplicavit antiquus reetor, ut haberetur gratus et avoatus, et eoneessa fuit ejus supplicaeio.

(*Fol. 13[b]*) Facta fuit congregacio naeionis Anglicane XXVII[a] die Junii super duobus artieulis. Primus artieulus fuit super illis que tangunt factum magistri Pauli; 2[us] fuit super supplieaeionibus et injuriis. Quantum ad primum artieulum extraeti fuerunt aliqui articuli ex libro nacionis, quare magister Paulus fuit privatus, quos articulos advocatus noster haberet allegare coram judiee contra magistrum Paulum. Et ideo feci convoeare magistros naeionis ad videndum, utrum artieuli essent in bona forma et utrum placuit [illos] dare advocato nostro. Et quantum ad istum articulum, plaeuit nacioni tradere istos articulos advocato nostro; eciam plaeuit sibi forma articulorum, et voluit naeio, ut scriberentur in libro naeionis in eadem forma. Et ideo scripti sunt seeundum conelusionem naeionis. Quantum ad secumdum artieulum nullus supplieavit.

Sequuntur articuli quare magister Paulus fuit privatus, proponendi contra magistrum Paullum in Castelleto.

Primo qualiter contra statuta proeessit, que sunt indulta a saneta sede apostoliea et in jure eonfirmata, oeeasione eujus naeio ipsum privavit. Et de hoc posse habet et faeultatem per unam litteram sigillatam sigillis trium naeionum.

Item esto quod alias non fecisset naeio, adhue posset hoc faeere, quia non habet nacio aut quecumque alia eommunitas aliud, per quod potest puniere (*sic*) sua supposita malefacieneia, nisi per privaeionem.

1. *Perperam igitur* BUL., V, 920, *in sua* Nomenclatura *affert* Johannem Frogerii, *Cenomanens.* Johannes Potage, *presb. Ambianens. dioec., Normannus, mag. art. et baecal. format. in theol.*, « rector Universitatis studii Paris. », *eodem anno, Novemb.* 12 *petit de pluralitate benefic.* (Suppl. Mart. V, n° 196, *fol.* 59 b). *Possidebat eccl. paroch. S. Crispini prope Monsterolium Ambian. dioec. An.* 1428 *nuntius Universitatis ad Mart.* V (*ibid.* n° 219, *fol.* 171 b). *Vid. infra ad an.* 1429, *Jan.* 27.

Item, ab illa privacione appellavit, et ita cognovit nacionem judicem, et in Universitate petivit deputatos, qui contra eum sentensiaverunt confirmando facta per nacionem, et ita ibi non cadit novitatis causa.

Item, de factis quare privatus est.

Primo publice et palam dixit, quod nacio Anglicana non deberet habere vocem in Universitate, cum constituta fuit ex tribus juvenibus magistris. Ipse enim non debet ignorare, quando [1] eciam Universitas remanet in unico supposito, ita et nacio potest in tribus persistere suppositis.

Secundo publice dixit, quod conclusio nacionis per procuratorem tradita rectori non erat conclusio, quia a tribus juvenibus magistris tradita erat, contra suum proprium juramentum, expellendo procuratorem de sede sua in deputatis.

Tercio renuit obedire nacioni in licitis et honestis, ubi nacio sibi supplicabat, visa paucitate suppositorum nacionis, quod cum eo caperet in collegio, in quo moratur, duos scolares, dummodo tamen bene se regerent, et volebat nacio eum preesse illis, et ita dicti scolares requirebant, supponebant se correccioni dicti magistri Pauli, quod ipse recusavit [2].

Quarto publice in Universitate et alibi dixit scripta in registris nacionis esse falsa, que tamen nacio avoavit et adhuc avoat.

Et adhuc sunt plura alia que secreta sunt nacionis, que magis movent quam predicta; sed propter juramentum prestitum de non revelando, eciam non possunt revelari.

Super quibus requisitus pluribus vicibus fere per medium annum, et in pluribus congregacionibus specialiter super hiis factis, ut se humiliaret et cum humilitate ad nacionem suam matrem accederet, supponendo quod acta et dicta per eum non erant dicta intencione injuriandi, et ita peteret quod illa haberentur pro non dictis, noluit, sed in sua opinione permansit et adhuc permanet, et ita nacio ipsum privavit quinta Junii anni millesimi CCCC XXV, quousque cum humilitate, sicut decet filium, ad matrem veniat, et ita nichil aliud petit nacio quam illam humilitatem, quam ore predicat et signo exteriori gerit, actu compleat.

Facta fuit congregacio nacionis XX^a^ die Julii super duobus articulis. Primus fuit super factis magistri Pauli; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum XVIII^a^ die Julii auditi fuerunt articuli in Castelleto suprascripti de privacione magistri Pauli, et illis articulis auditis, magister Paulus petiit sibi quatuor puncta declarari. Primo petiit diem privacionis sue a nacione; secundo nomina et cognomina illorum duorum scolarium, quos rennuit recipere in *domo Dacie* [3]; tercio nomen procuratoris nacionis, qui tunc temporis erat procurator, quando dixit dictus magister Paulus quod conclusio habita a nacione non erat conclusio nacionis, sed erat conclusio trium magistrorum juvenum de nacione; quarto, nomina illorum magistrorum deputatorum per nacionem, qui ipsum monuerunt ad habendum concordiam. Et ideo super istis feci convocare nacionem, utrum placeret sibi tradere ista quatuor magistro Paulo; et quantum ad istum articulum placuit nacioni tradere. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus procurator, ut haberetur gratus et avoatus in hiis que fecerat tempore procuracionis sue, et fuit concessa supplicacio sua.

(*Fol. 14*) Facta fuit congregacio nacionis Anglicane nona die Augusti super duobus articulis. Primus fuit super factis magistri Pauli; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum magister Paulus replicavit contra articulos suprascriptos; ideo feci convocari nacionem ad ostendendum illos articulos, quos replicavit, ut nacio esset avisata, quid haberet dicere contra illos articulos. Et quantum ad istum articulum placuit nacioni quod fieret replica contra illos articulos et habita replica informaremus advocatum nostrum super illis replicis. Et quia magister Paulus inter ceteras replicas posuit, quod nacio Anglicana nec alie naciones et facultates possent facere statutum, preterquam Universitas, in quo ledit omnes facultates et naciones et frangit omnia statuta eorundem, voluit nacio, ut haberem ire ad dominum rectorem ad ostendendum sibi illum articulum et requirere ipsum ad faciendum congregacionem facultatis super illo articulo. Eciam magister Paulus intimavit michi appellacionem unam, qua appellavit ad curiam Romanam de privacione sua ab Universitate et de injuriis sibi factis. Cujus appellacionis petivi copiam et notarius tradidit. Habita copia monstravi nacioni ad avisandum, quid esset agendum super illa. Et quantum ad istud, quod postquam vidit nacio et legit copiam, et considerato quod non esset dies nec hora appellacionis sue,

1. *Legi potest* quin.
2. *Vid. de hoc supra ad an.* 1424, *Maii* 4.

3. *In margine add. manu posteriore :* Nota, isto tempore nacio possidebat domum Dacie.

injunxit michi nacio, quod deberem ire ad scribam Universitatis ad sciendum diem, qua privatus fuit ab Universitate; et eciam quod deberem ire ad dominum rectorem ad petendum qualiter vellet procedere in appellacione magistri Pauli, quia eandem intimat appellacionem domino rectori, sicut michi, ideo vellet procedere nacio secundum quod vellet procedere dominus rector. Quantum ad articulum supplicacionis nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio nacionis XI^a die Augusti super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum unum supplicantem, qui haberet supplicare in facultate et Universitate ex parte nacionis et eciam ad avisandum de forma supplicandi. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum magister Paulus inter replicas suas posuit, sicut patet superius, quod nulla nacio sive facultas haberet posse facere statutum preterquam Universitas, ideo nacio injunxit michi requirere rectorem ad faciendum congregacionem facultatis super illo. Et hoc feci. Et ideo feci convocare nacionem ad ordinandum unum supplicantem, qui haberet supplicare in facultate, ut vellet se nacioni adjungere et eciam haberet supplicare facultati, ut requireret rectorem ad faciendum congregacionem Universitatis super eodem articulo, eciam ut Universitas vellet ita se nacioni adjungere et supplicare cancellario Francie, ut vellet capere factum nacionis in consilio regis, secundum quod cepit factum theologorum [1]. Quantum ad istum articulum tradidit nacio supplicantem, scilicet magistrum Johannem Johannis in casu in quo non esset impeditus, et si esset impeditus, tunc magister Rogerus deberet supplicare. Et voluit nacio, quod ponerem illum articulum, scilicet quod nulla nacio posset facere statutum etc., in aliquibus cedulis dandis nacionibus et facultatibus. Quantum ad formam supplicacionis placuit nacioni, quod haberet supplicare in forma sicut dictum est. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio nacionis XIX^a die mensis Augusti super duobus articulis. Primus super aliquibus litteris conficiendis de domo Dachie regi Dachie [2] et episcopis illius regni destinandis, secundum quod alias erant destinate alique littere, ut superius patet. Secundus articulus est super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum venit unus notabilis homo de curia regine Dachie [3] ad dominum regentem Franchie, qui iturus erat in brevi versus Dachiam, et offerebat se nacioni prumptum et paratum portare litteras regi Dachie et aliis dominis quibus nacio vellet mittere, et eciam volebat portare responsum de illis litteris. Et quantum ad istum articulum placuit nacioni apperire archam ad habendum copias litterarum alias regi Dachie et aliis episcopis destinatarum, et in illa forma regi Dachie litteras mittere et episcopis, quibus misse erant alias littere. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1426

(*Fol. 14* ^b) Procuratoria magistri Bernardi Emeda.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1426°, xxvj^a die mensis Augusti super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit magister Bernardus Emeda. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus, et concessa fuit supplicacio ejus.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane XVI^a die mensis Septembris super duobus articulis. Primus articulus fuit ad requestam magistri Jacobi Petri [4] pro domino Laurencio scolari ejusdem nacionis; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, magister Jacobus Petri supplicavit pro domino Laurencio pro littera nacionis ad reverendum in Christo patrem nostrum Upsalensem episcopum, et lecta fuit littera, et supplicacio concessa. Quantum ad secundum nullus alius supplicavit.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI^a die mensis Septembris super quinque articulis. Primus fuit super ulteriori processu in factis magistri Pauli. Secundus fuit ad eligendum novum receptorem. Tercius ad audiendum compotum. Quartus ad distribuendum scolas regere volentibus et ad audiendum statuta. [Quintus fuit super supplicacionibus]. Quantum ad primum ordinavit nacio, ut advocatus nacionis in Castelleto,

1. Paulus *enim dupliciter litigabat : primo cum natione sua, deinde cum facultate theologica, quae eum a licentia in theol. exclusit.* Factum theologorum, *i. e. lis a Paulo facultati theol. illata a Castelleto seu a praeposito Paris. ad consilium regis revocata est, ut apparet ex instrumento an.* 1426, *Sept.* 17, *ap.* Bul., V, 377-381 (*ubi perperam* Carolo regi *pro* Henrico regi *ascriptum est*), *et mag. Paulus condemnatus. Natio Anglicana voluit eorum* factum *etiam ad Consilium regium venire. Vid. infra ad Novemb.* 19.

2. Erico de Pomerania.

3. Philippinae, *filiae Henrici IV regis Angliae.*

4. Jacobi Petri Röödh de Abo.

magister Nycolaus, vocaretur ad prandium nacionis et ibi nacio informaret ipsum. Quantum ad secundum electus fuit magister Jacobus Petri de Swecia. Quantum ad tercium, auditus fuit compotus antiqui receptoris, magistri Johannis Johannis, et ascendit summa per ipsum exposita a die ultimi compoti, que fuit XV^a^ Aprilis anni M^i^ CCCC^i^ XXVI, ad duodecim libras, septem denarios, que summa defalcata ab illo quod debebat in ultimo compoto, restant quatuordecim libre, tres solidi, unus denarius cum quinque coronis, in quibus idem receptor remanet obligatus, et eam tradendo receptori novo erit absolutus. Quantum ad quartum articulum supplicaverunt magister Johannes Johannis, magister Martinus et dominus procurator magister Bernardus Emeda pro scolis et regencia; et fuerunt eis concesse scole, et promiserunt regere per majorem partem ordinarii tradendo fidejussores. Et placuit lectura statutorum, et ordinavit eciam nacio ut colligerentur antiqua vadia et debita. Quantum ad quintum supplicavit antiquus receptor magister Johannes Johannis, ut haberetur gratus et avoatus, et concessa fuit supplicacio sua. Similiter supplicavit dominus Hermannus subbedellus nacionis, qui obligabatur magistro nostro magistro Johanni Arnim in una corona, ut nacio de pecuniis debitis per dictum magistrum nostrum ab eo reciperet unam coronam et ei ad tempus expectaret, et concessa fuit supplicacio ejus.

Sequuntur regentes istius anni 1426.

Mag. Johannes Johannis; fidejussor ejus mag. Martinus.

Mag. Martinus; fidejussor ejus mag. Johannes Johannis.

Mag. Bernardus Emeda; fidejussor ejus mag. Jacobus de Gouda.

1426

(*Fol. 15*) Continuacio ejusdem.

Facta fuit congregacio nacionis XXIII^a^ die mensis Septembris super duobus articulis. Primus ad continuandum vel eligendum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus, et concessa fuit sua supplicacio [1].

1426

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane XX^a^ die mensis Octobris super duobus articulis. Primus ad continuandum vel eligendum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum, antiquus procurator supplicavit, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in hiis que acta per ipsum fuerunt, et concessa fuit supplicacio sua.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane IIII^a^ die mensis Novembris super duobus articulis. Primus fuit ad requestam aliquorum magistrorum super aliquibus tangentibus nacionem; secundus fuit [super] supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusit nacio, ut bona et debita illorum, qui tenerentur nacioni, arrestarentur per manum regiam, et quod scriberetur ipsis, quatinus darent nacioni plenam potestatem levandi et capiendi bona et debita ac exequendi coram quibuscumque judicibus, si oportunum fuerit. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis die sancti Martini super duobus articulis. Primus fuit ad requestam magistri Johannis Leydis; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Johannes Leydis, ut nacio scriberet pro ipso ad capitulum Leydense et eciam in speciali ad aliquos de capitulo, et lecte fuerunt littere, et copie in archa posite; et sua supplicacio fuit concessa.

Facta fuit congregacio nacionis die XVI^a^ mensis ejusdem super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de festo sancti Eadmundi et de factis magistri Pauli et super aliquibus aliis tangentibus nacionem. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum de provisione festi et factis magistri Pauli, facta fuit dilacio ad sequentem

1. *Octob.* 10 Guillelmus de Fossato *in rectorem electus est e* lib. receptoris, *fol.* 5. Bul., V, 920, *perperam* Adam de Braguelongue. *An.* 1427 *Maii* 20 *scribitur*, Guillelmum Universitatis Paris. jam trina vice rectorem *fuisse* (*quod utique verum est*) *et pro defensione libertatum Rom. eccl.* « possetenus » *laborasse* (Suppl. Mart. V, n° 207, *fol.* 269 b). *Fuit tunc mag. in art. et bacc. in theol. Ap.* Bul. V, 920, *semel tantum ut rector affertur. An.* 1433 (1434), *April.* 1, *licent. in theol., postea Romam profectus, an.* 1437 « Universitatis magistrorum facultatis theol., studii Rom. curie decanus » *vocatur* (Suppl. Eug. IV, n° 334, *fol.* 162). *Fuit tunc can. S. Oportunae Paris., atque cancellariae eccles. Rothomag. renuntiavit* (*ibid*, n° 335, *fol.* 271).

congregacionem, sed de aliis nacionem tangentibus lecte fuerunt due littere ad [Guillelmum] Locham mittende et sigillate, et copie in archa posite. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

1426

(*Fol. 15*[b]) Continuacio ejusdem procuratoris.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XIX[a] die mensis ejusdem super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem et ad providendum de festo sancti Eadmundi et super factis magistri Pauli. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum punctum primi articuli continuatus fuit antiquus procurator; sed quoad secundum punctum placuit nacioni provisio de festo, et quoad hoc voluit nacio, quod supposita nacionis venirent ad ecclesiam, et quod sic sufficeret sine cantoribus, sed quod haberemus organistam; sed de loco prandii nichil determinate conclusit. Quoad tercium punctum voluit nacio omnibus modis possibilibus laborare contra magistrum Paulum, et quoad hoc voluit, ut prima die consilii nacio associaret dominum rectorem pro eundo ad dominum cancellarium [Francie] supplicando ei, ut causam nacionis contra magistrum Paulum revocaret ad consilium regium a parlamento sicud causa theologorum fuit revocata a Castelleto [1], et quod advocatus nacionis informaretur de factis contra magistrum Paulum in Castelleto. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus, et concessa fuit supplicacio ejus.

1426

Procuratoria mag. Rogeri de Edynburgh.

Facta congregacione nacionis Anglicane XVI[a] Decembris anni Domini millesimi CCCC[mi] XXVI aput Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum magister Rogerus de Edynburgh fuit electus in procuratorem. Quantum ad secundum, antiquus procurator fuit ratus, gratus et avoatus. Deinde fuit facta congregacio facultatis eodem loco pro rectore eligendo, et magister Nicholaus Amici [2] fuit electus in rectorem.

Facta congregacione Universitatis aput Sanctum Maturinum tricesima Decembris, ac congregata nacione Anglicana ad deliberandum, comparuit magister Johannes Arnem in congregacione nacionis et presentavit certas litteras missas nacioni per magistrum Vilhelmum Lochem, que sunt hic in libro juncte in copertorio [3]. Quibus visis et lectis in nacione, nacio pro parte sua dedit deputatos ad audiendum una cum aliis commissis compotum domini Hermanni [4], videlicet procuratorem nacionis, mag. Johannem Johannis et mag. Jacobum receptorem.

1427

(*Fol. 16*) Continuacio precedentis procuratoris.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum decima tercia Januarii anno quo supra super II[bus] articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum antiquus procurator fuit continuatus. Quantum ad secundum antiquus procurator fuit avoatus, ratus et gratus in per ipsum factis pro nacione.

In ista continuacione, tercia die Februarii anni supradicti, magister Paulus de Sclavonia in curia domini rectoris habito processu prius satis longo fuit condempnatus ad solvendum bursas nacioni debitas per juramentum paupertatis. Similiter fuit condempnatus ad solvendum scolas secundum statutum nacionis, et curia taxavit pro qualibet XV bursarum XII sol. paris., sicut patere potest per litteram condempnacionis habitam.

1427

Continuacio ejusdem procuratoris.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum decima Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum antiquus procurator fuit continuatus. Quantum ad secundum antiquus procurator habebatur ratus, gratus et avoatus.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput San-

1. *Vid. supra* p. 351, *not.* 1.

2. *Perperam* BUL. V, 920 *in sua* Nomenclatura *affert* Johannem de Bena. *Nicolaus Amici* (*Lamy*) *au.* 1427 (1428, *Jan.* 12, *per* Petrum de Dierey *licent. est in theol.*, *e* Catal. licent. *Assistebat an.* 1431 *condemnationi* Joh. d'Arc (QUICHERAT, Procès, I, 92).

3. *Sed nunc desunt.*

4. *Qui fuit procurator* Guillelmi de Lochem. *Vid.* p. 360, 28.

ctum Maturinum XXV^ta Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit [ad] audiendum lecturam cujusdam sentencie late per curiam domini rectoris pro nacione contra magistrum Paulum Nicholai, in qua littera idem Paulus alias juratus nacioni per juramentum paupertatis ad solvendum bursas nacioni, etc., fuit comdempnatus ad solvendum quindecim bursas nacioni, et pro qualibet quindecim bursarum ad solvendum summam XII solidorum parisiens. Item fuit condempnatus ad solvendum pro scolis III libras, et X solidos parisiens. Qua littera lecta in nacione ordinatum fuit per nacionem quod illa summa exequeretur in curia domini episcopi Parisiens. vel alibi in curia ecclesiastica, et propter causam.

Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad istum articulum presentavit se Gerardus Leden, diocesis Osnoburgensis [1], et supplicavit, quatenus nacio reciperet ipsum ad gradum bachalariatus in artibus, ut exinde posset prosequi alios gradus usque ad magisterium in artibus, attento quod in Universitate Coloniensi jam a III annis transactis in eodem studio Coloniensi optinuit gradum bachalariatus in artibus, et optulit se paratus hoc probare et docere, et optulit satisfacere nacioni in omnibus ac si tunc assumpsisset Parisius gradus bachalariatus. Quibus auditis nacio sibi concessit suam supplicacionem, et ipsum admisit secundum formam sue oblacionis.

(*Fol. 16^b*) Gerardus Leden, diocesis Osnaburgensis, admissus per nacionem ad gradum bachalariatus, quem sumpsit Colonie, juravit in manus mei procuratoris solvere omnia et singula jura debita nacioni, ac si Parisius sumpsisset gradum bachalariatus. Cujus bursa X sol. par.

1427

Procuratoria magistri Jacobi de Gouda.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane decima die mensis Marcii super quatuor articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super factis magistri Pauli. Tercius fuit super electione examinatorum determinancium et distribucione mensium in cameris. Quartus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Jacobus de Gouda. Quantum ad secundum articulum voluit nacio, quod fieret prosecusio, ut magister Paulus solveret illa que deberet nacioni, et quod procurator haberet illud prosequi in curia conservatoris, ubi predictus magister Paulus est citatus. Quantum ad primam partem tercii articuli, electi fuerunt examinatores secundum formam statuti; et quantum ad aliam partem eciam electi fuerunt examinatores in cameris. Quantum ad quartum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus, et quantum ad istum articulum concessa fuit ejus supplicacio.

Sequuntur nomina determinancium anni Domini M. CCCC^i XXVI.

Determinavit dominus Mathias de Amsterdam Trajectensis dyoc. sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa X sol.

Det. Petrus de Alcmaria, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa VIII sol.

Det. Symon de Alcmaria, Trajectensis dyoc., sub mag. Joh. Johannis, cuj. bursa VIII sol.

Det. Severinus Holt, Aboensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa VI sol.

Det. Olavus Magni [2], Aboensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa VIII sol.

Det. Henricus Nicolay, Aboensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa X sol.

Det. Gregorius Haverlant, Aboensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa VIII sol.

Det. Benedictus Olavi, Aboensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa VI sol.

Det. Jacobus Hattem, Trajectensis dyoc., sub mag. Martino Berich, cujus bursa IIII sol.

Det. Nicolaus Vund [3], Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa XI sol.

Det. Engelbertus Andree, Trajectensis dyoc., sub mag. Martino Berich, cujus bursa IIII sol.

Det. Johannes Riem [4], Ratisponensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa X sol.

Det. Michael Cristiani de Trajecto, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa IIII sol.

Det. Nicolaus de Harlem, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa nichil.

1. *An.* 1423 Coloniae *intitulatus. Vid.* Keussen, Matrikel, I, 202.

2. *Ab Universit. Paris. ad Concilium Basil. destinatus* (*vid.* Chartul.). *An.* 1445, *cum jam esset in patria et praepos. Aboens., ab episcopo et capitulo Aboens., ad Eugenium IV missus est Romam pro gratiis impetrandis, quas vid. in* Suppl. Eugen. IV, n° 398, *fol.* 280. *Episcopus Aboensis ab an.* 1450, *Febr.* 4, *dum esset praepositus eccl. Aboens. et bacc. in theol.* (Arch. Vat., Obligat. n° 72, *fol.* 41; n° 75, *fol.* 39). *Fuit etiam bursarius Sorbonac. Vid.* Franklin, La Sorbonne, p. 228.

3. Lib. recept. *offert* : Nicholaus viid.

4. *Ib.* Reym.

Det. Teodricus Spanbroech, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa IIII sol.

Det. dominus Johannes Itstein[1], Treverencis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa nichil.

Det. dominus Johannes Everardi, dyoc. Wormacensis, sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes Mutzler, dyoc. Augustensis, admissus per nacionem ad gradum bacalariatus, quem sumpsit He[i]delbergae[2], juravit omnia juramenta in manus mei procuratoris ad gradum predictum requisita. Cujus bursa nichil.

(*Fol. 17*) Facta fuit congregacio Universitatis XXI[a] die mensis Marcii. Et dum nacio esset in deliberacione, presentavit se dominus Johannes Mutzler, dyocesis Augustensis, bacalarius Hadelbergensis, et supplicavit, quatinus nacio reciperet ipsum ad gradum bacalariatus in artibus, attento quod in studio Hedelbergensi optinuit eundem gradum. Et quantum ad istam supplicacionem concessa fuit et admissus est observatis observandis in talibus. Item secundo supplicavit dominus Hermannus subbedellus noster, ut posset habere bursas suas, que erant errestate in manu receptoris per dominum rectorem et eciam per magistrum Johannem Johannis, quousque faceret compotum suum quem debebat facere nacioni de pecuniis, quas debet nacioni ex parte magistri Guillermi Lochem. Et quantum ad istud deliberatum fuit quod procurator haberet convocare nacionem super supplicacione sua.

Facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum XXIIII[a] die mensis Marcii ad eligendum novum rectorem et intrantem ad hoc, et fuit electus in rectorem magister Petrus Mauricii[3] Normanus, et intrans fuit magister Bernardus Emeda.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Item primo licenciatus est dominus Nicolaus de Ryn, Ratisponensis dyoc., sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa XI sol.

Item lic. est dom. Petrus de Gouda natus de Leydis, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Johannis, cujus bursa IX sol.

Item lic. est dom. Gherardus Leden, Osnaburgensis dyoc., sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa X sol.

Item lic. est dom. Rutgerus Bloot, oriundus de Huesden, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernerdo Emeda, cujus bursa IX sol.

Item lic. est dom. Conradus Heynrici, Aboensis dyoc., sub mag. Johanne Johannis, cuj. b. VIII sol.

Item. lic. est dom. Godefridus Venatoris, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernerdo Emeda, cujus bursa VI sol.

Item lic. est dom. Nycolaus Petri, Methensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus b. IIII sol.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane XXVII[a] die mensis Marcij super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, sicut superius patet in precedenti congregacione, burse Hermanni errestate erant per dominum rectorem in manibus receptoris, eo quod male servivit, ex deliberacione deputatorum, eciam ex potestate sua quam habet super bedellis puniendis, ut patet in statutis facultatis tunc in nacione lectis. Item eciam magister Johannes Johannis opposuit se expedicioni bursarum suarum, donec redderet compotum coram aliquibus deputatis a nacione ex parte magistri Guillermi Locchem, qui obligatur nacioni in una summa, et ejus procurator erat Hermannus in recepcione et expedicione pecuniarum ex parte capellanie filiarum Dei, quam capellaniam consuevit habere predictus magister[4], de quibus pecuniis receptis nacio petit compotum, ut persolvatur de magistro Guillermo predicto. Item eciam male servivit nacioni, tum primo dum fierent licencie in Sancta Genovefa, ubi interfui, ad faciendum honorem nacioni et provisori nostro[5] tunc licentiando, sine epitogio propter negligenciam Hermanni[6], in quo scandalisabat nacionem et me; item eciam in vesperis et missa nacionis Nostre Domine interfui, ut moris est, sine epitogio, quod vicium et scandalum est propter negligenciam predicti Hermanni, in quo lesit honorem nacionis et procurato-

1. Joh. Rullonis de Itstein, *can. S. Barthol. Frankford.*, *an.* 1441 Heidelbergae *intit.* (Toepke, Matrikel, I, 232), *an.* 1444 Coloniae (Keussen, p. 360). *An.* 1433 *praemissariam eccl. SS. Petri et Alexandri Aschaffenburgens. obtinuit* (Suppl. Eug. IV, n° 282, *fol.* 279 b).

2. *Ubi an.* 1423 *intitul. ut* Joh. Muczler de Memmingen; *an.* 1425 *bacc.* (Toepke, p. 160).

3. *Perperam* Bul., V, 920, *in sua* Nomenclatura *affert* Aegydium Houdebin *Verdunens.* Petrus Mauricii (*Maurice*) *an.* 1428 (1429), *Jan.* 27, *licentiatus*, *Maii* 23 *mag. in theol. factus est*, *et quidem per* Johannem Pulchripatris, *e* lib. bedelli fac. theol. *Notus e processu contra* Jeanne d'Arc (*vid.* Quicherat, Procès, V, *Index*, p. 542).

4. *Vid. supra ad an.* 1418, *Aug.* 8, p. 249, *not.* 1.

5. Provinciae Alemaniae.

6. *Subbedellus conservabat epitogium procuratoris. Vid. supra* Inventarium, p. 322, 23.

ris. Item fui procurator octo diebus vel citra quod nonquam visitavit me ad inquirendum si indigerem, ipso ex parte nacionis, in quo lesit juramentum suum.

Quantum ad secundum articulum feci unam supplicacionem. Dum enim examinatores determinancium essent in capitulo Sancti Maturini ad examinandum [1] determinantes, requisiverunt Bomondus scilicet et Hermannus quod fieret provisio, quod illi qui non solverunt provinciam solverent. Responsum fuit ipsis quod nullos permitterent intrare vicum Straminis, donec satisfacerent. Respondit Bomondus, quod scolares non tenerent compotum de ipso nec obedirent sibi, sed esset melius quod procurator vel receptor non traderent sigillum suum ipsis nisi satisfacerent. Et tunc predicti examinatores precipuerunt michi, ut nullis darem sigillum nisi satisfacerent. Ultra istud venit Hermannus 2ª die in camera mea infestando me (*Fol. 17*ᵇ) irato animo in presencia unius notabilis magistri et multorum scolarium [2], prorumpendo in verbis, ad quid ego intromitterem me recipere pecunias provincie, cum non essem collector provincie. Cum responderem, quod essem ordinatus per magistros nacionis : adhuc de consensu ipsius, dixit, quod non deberent se intromittere de provincia. Unde sentii me scandalisatum et gravatum. Supplicavi in nacione, ut provideret de isto; alias vellem prosequi alibi.

Quantum ad primam partem primi articuli deliberavit nacio, quod burse sibi [3] non expedirentur, donec redderet compotum de receptis, expositis et resta ex parte cappellanie predicte, et ille compotus debet esse ordinatus et clarus quod scilicet recepta, exposita, resta primi anni ponantur ad partem per se, et recepta, exposita, resta secundi anni ponantur ad partem per se, et ita de aliis. Et ad hoc dedit sibi nacio octo dies ad ordinandum suum compotum.

Quantum ad alias partes istius articuli dedit nacio deputatos, scilicet magistrum Johannem Harnem, magistrum Johannem Johannis, dominum receptorem magistrum Rogerum, qui haberent ordinare punicionem de delictis suis. Eciam voluit nacio, quod statuta facultatis arcium de punicione bedellorum tunc lecta scriberentur in libro nacionis [4]. Quantum ad supplicacionem meam dederunt deputatos predictos, scilicet magistrum Johannem Johannis, etc. ad discernendum delicta per eundem facta et secundum hoc ordinare punicionem.

Sequuntur nomina incipiencium istius anni.

Item primo incepit dominus Nicolaus de Riin, Ratisponensis diocesis, sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa XI sol.

Item secundo inc. dom. Petrus de Gouda, natus de Leydis, Trajectensis dioc., sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa IX sol.

Item tercio inc. dom. Gherardus Leden, Osnaburgensis dioc., sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa X sol.

Item quarto inc. dom. Rutgerus Bloot de Huesden, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa IX sol.

Item quinto inc. dom. Conradus Henrici, Aboensis dyoc., sub mag. Joh. Johannis, cujus bursa VIII sol.

Item sexto inc. dom. Godefridus Venatoris, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa VI sol.

Item septimo inc. dom. Nycolaus Petri, Methensis dyoc., sub mag. Bernardo Emeda, cujus bursa IIII s.

1427

Substitucio magistri Jacobi Potter.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 2ª die Aprilis super duobus articulis. Primus fuit ad substituendum aliquem loco procuratoris cum ipse procurator acturus esset in partibus. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum presentavit procurator nacioni magistrum Jacobum Potter loco sui substituendum, qui cum communi concordia fuit substitutus loco predicti procuratoris. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus de actis in procuratoria sua; cujus supplicacio similiter concessa fuit. Supplicavit eciam dominus subbedellus ut nacio [5] vellet se adjungere sibi et supplicare pro ipso in congregacione Universitatis, quod Universitas vellet scribere versus summum pontificem litteram testimonialem de bacha-

1. *Ms.* determinandum.
2. *Haec verba probant, plures scholares saltem nationis Anglicanae tunc Parisiis fuisse, quamvis non multos graduatos et magistros.*
3. *Hermanno subbedello.*
4. *Quod fecerunt* (*Bibl. Nat. ms.* N. a. l. 535, fol. 150).
5. *Sequitur, sed lineis deletum :* daret sibi litteras dirigendas et recommendatorias versus summum pontificem de gracia quam accepit, et consimiles ad procuratorem suum et amicos suos in partibus, tangentes qualiter ipse predictus dominus Hermannus esset bachalarius in facultate arcium. Cui supplicacioni nacio concorditer annuit.

lariatu suo et officio bedellatus domini Hermanni, ipsum recommendando; consimiliter ad capitulum Embricense ubi quandam prebendam per sibi collatam graciam acceptavit; cui nacio concorditer annuit.

Facta congregacione facultatis arcium circa predictum tempus apud Sanctum Maturinum, nacione posita in loco suo ad partem, supplicavit magister Jacobus Roodh, alias Petri, receptor nacionis Anglicane, quod nacio vellet ipsum recommendare apud episcopum Suessionensem [1] pro officio temptatorie temptaminis Beate Marie; cujus supplicacio simpliciter fuit concessa.

1427

(*Fol. 18*) Acta in procuratoria Jacobi Potter de Loo anno Domini M° CCCC° XXVI^to secundum morem Gallicorum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum septima die mensis Aprilis anno XXVI^to super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum substitutum. Secundus fuit ad eligendum aliquem magistrum, qui proponeret proxima congregacione Universitatis ex parte nacionis domino rectori factum nacionis, quod habet cum magistro Paulo, in quo puncto essemus in parlamento, et quod promulgaretur et declararetur privacio magistri Pauli per sermones Universitatis et per singulas ecclesias Parysienses, eciam quod magister Paulus poneretur extra domum Dacie et quod poneretur domus illa in manibus nacionis, cum hoc regraciando domino rectori de diligencia facta in facto isto. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Jacobus Potter de Loo in procuratorem concorditer nemine reclamante. Quantum ad secundum eligerunt unanimiter omnes magistrum Johannem Johannis, qui obtulit se promptum ad omnia quecumque posset amore nacionis facere, unde regraciabatur sibi nacio, et in casu quo ipse non posset interesse congregacioni, quod magister Rogerus acciperet et teneret locum magistri Johannis Johannis. Qui eciam prebuit se promptum ad cuncta placita nacioni. Quantum ad tercium supplicavit substitutus, ut haberetur gratus et avoatus in per ipsum factis ex parte nacionis, quod concessum est ei concorditer. Supplicavit eciam magister Jacobus Roodh receptor ejusdem nacionis, ut nacio vellet capere suum factum, quod habebat protunc cum quodam magistro nacionis Normanie, tamquam factum proprium, et defendere ipsum in omni jure suo, quemadmodum nacio Normanie fecit de magistro suo. Cujus supplicacio nemine reclamante concessa fuit.

Eadem die fuit congregacio facultatis arcium in eodem loco ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum et bachalariorum examinandorum. Placuit facultati et nacioni concorditer audire juramenta et tradidit nacioni pro tunc magistrum Gherardum Leden examinatorem pro tercio mense. Supplicavit in eadem congregacione magister Johannes de Ponte [2] pro lectione *Ethice*, cum, sicud dominus rector dixerat, ordo tetigit protunc Picardos. Supplicacioni ejus tota facultas concorditer annuit.

Annus XXVII^us.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora 6^a in festo Pasche [3] super duobus articulis. Primus super aliquibus tangentibus honorem nacionis, et secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, verum est quod dominus rector in profesto [4] Pasche dederat in scriptis illos magistros, quos de nacione Anglicana desiderabat in festo suo [5] secum habere, inter quos dominum receptorem inter ceteros nominavit; attamen oretenus dixerat Boemundo dominus rector, quod ipse supplicaret dicto domino receptori, ut non veniret ad prandium suum, quia, si ipse veniret, multi alii recedere vellent, cum ipsum fore dixerunt excommunicatum. Quod grave multum videbatur nacioni, quod secundum membrum, quod de necessitate esset, separaretur a consorcio magistrorum. Quapropter feci convocare nacio[nem], et conclusit nacio pro tunc, quod dictus dominus receptor cum procuratore et magistro [Rogero de] Eydinbur[c]

1. *Quia episcopus Suessionensis*, Reginaldus de Fontanis, *semper adhuc vices* cancellarii Parisiens. *gessit. Vid. ad an.* 1422, *Maii* 10. *Commissarius ipsius Parisiis tunc erat mag.* Petrus de Dierey, *theol. mag., ut patet e* Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5494. p. 58 *et* Catal. licent. *ad an.* 1426 (1427), *Febr.* 22. *Anno sequenti* (1428) *solum, Septemb.* 12, *Martinus V cancellario substituit* Petrum de Dierey, *et* Guillelmum Erardi, *mag. theol., dummodo consensus facultatis theol. ad hoc accedat* (*vid.* Chartularium). *Facultas consensit quantum ad* Petrum. Tuetey *ad* Journal d'un bourgeois, p. XXIX, *not.* 1, *perperam asserit, Johannem Chuffart ab an.* 1426, *Sept.* 7, *fuisse cancellarium. Vid. infra ad an.* 1429, *Sept.* 20.

2. *Nat. Picard. Fuerunt duo eodem tempore, junior et senior. Noster, junior, an.* 1435, *Dec., lic. in theol.*

3. *April.* 20.

4. *April.* 19.

5. *I. e.* festo rectoris.

adirent dominum rectorem et darent fidem domino rectori de absolucione receptoris ostensa in congregacione nacionis, sicud eciam fecimus. Quo audito gavisus est multum rector, dicens quod non pro duobus scutis auri, quin sciret ipsum absolutum, et si placeret receptori venire ad prandium suum, ipse optime contentaretur. Quantum ad secundum supplicavit magister Johannes Arnem, ut nacio vellet dare litteras ad magistrum Guillelmum Lochem in forma consueta. Placuit nacioni concedere supplicacionem suam, quia racionabilis erat.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno XXVII^{mo}, 2^{a} die May super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum unum magistrum qui faceret proposicionem unam coram domino cardinali Vicestrie [1], congratulando sibi de beneficio accepto et de jocundo adventu ejus ad regnum Francie, supplicando ut vellet adire dominum regentem *pro collegio habendo pro nacione sua Anglicana* [2], offerendo sibi nacionem et singula supposita nacionis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ordinavit nacio magistrum Johannem de Alcmaria, cum ipse in illis multum expertus erat [3]. Ordinavit eciam nacio pro tunc, quod dominus receptor esset promptus ad reddendum computum suum, cum nacio intenderet dare unum prandium hiis, qui apud dominum regentem laborant pro collegio habendo ex parte nacionis, qui quidem receptor optulit se promptum, dum tamen nacio intimaret sibi per diem vel duas dies antequam computaret; quod promisit sibi nacio.

1427

(*Fol. 18*^{b}) Continuacio antiqui procuratoris.

Facta congregacione nacionis Anglicane quinta die mensis Maii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum antiquus procurator fuit continuat[us] in officio procuratorie. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut nacio ipsum haberet gratum et avoatum in per ipsum factis ex parte nacionis. Cujus supplicacio concessa fuit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 16ta die mensis Maii ad requestam aliquorum magistrorum super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, verum est quod erant aliqui magistri qui percipientes, qualiter aliqui particulares magistri nacionis particulariter laboraverunt apud aliquos dominos in factis nacionis *de collegio habendo sine scitu nacionis*, requisierunt me procuratorem, qualiter convocarem nacionem tempore predicto, quemadmodum feci. Ubi tunc conclusum fuit, quod de cetero nullus presumeret laborare particulariter nomine nacionis sine consensu nacionis, nisi esset de numero deputatorum, quos nacio pro tunc tradidit nominatim, videlicet magister Jacobus Roodh, qui protunc erat receptor ejusdem nacionis, magister Johannes de Alcmaria, magister Johannes Johannis et magister Rogerus de Eydinburch, ita tamen quod isti nichil agerent, nisi cum consilio nacionis in factis arduis et novis, quod eciam facta per ipsos ex parte nacionis intimarent nacioni in congregacionibus. Quantum ad secundum supplicavit dominus Hermannus Fabri [4], quod nacio vellet visitare computum suum et expedire bursas suas. Placuit nacioni, quod procurator convocaret deputatos ad audiendum computum dicti domini Hermanni, quandocumque videretur sibi expediens, et expedire[t] bursas suas.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die 18va Maii super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum [ad primum] exposuit procurator nacioni qualiter magister Rogerus dixerat sibi illo die de mane quod locutus erat cum domino cancellario domini Salisberiensis, qui dixit sibi, qualiter comes Salisberiensis [5] erat recessurus in brevi; viso quod *negocium nacionis in factis collegii erat in bono statu* [6] apud dominum comitem dictum, videbatur

1. Henrico de Beaufort, *an.* 1404, *Novemb.* 19 *a sede Lincolniensi ad Wintoniens.* (*Winchester*) *translato* (Reg. Lat. Innoc. VII, n° 119, *fol.* 48), *an.* 1426, *Maii* 24, *a Martino V creato card. S. Eusebii* (Contelori). *An.* 1427, *April.* 30, *Parisios venit* (*vid.* Journal d'un bourgeois de Paris, p. 214). *Fuit patruus Johannis ducis de Bedford, regentis Franciam.*

2. *Cum natio Anglicana videret, alias nationes isto tristissimo tempore sua supposita in suis collegiis solis fere conservasse, ut ipsa Universitas an.* 1415 *confessa est, natio fundatione collegii sua damna sanare intendebat. Vid. Maii* 18.

3. *Natio adivit cardinalem Maii* 13. *Vid.* p. 367, 25.

4. *I. e. subbedellus.*

5. Thomas de Montagu. *Sed anno sequenti, Octobr.* 24, *defunctus est. Vid.* Quicherat, Procès, IV, 100; Delisle *in* Bibl. de l'Ecole des chartes, t. XLVI, p. 656, 662.

6. *Ad an.* 1434, *Dec.*, *scribit adhuc receptor Olavus Magni*

sibi expediens, quod nacio adiret ipsum ante recessum suum et suplicaret dominacioni sue, ut in absencia sua vellet committere alicui vel aliquibus vices suas et auctoritatem suam, qui una cum aliis principibus et dominis haberent tractare materiam istam. Placuit protunc nacioni quod adiretur et visitaretur cum omni honestate et reverencia, quemadmodum visitavit dominum cardinalem Vicestrie, in epytogiis et in comitiva, et quod magister Johannes Johannis exponeret sibi verbis gallicis omnia exponenda et dicenda, secundum quod alias fecerat eidem comiti. Eciam placuit nacioni protunc quod deputati nacionis in factis collegii haberent unam quotam pecuniarum ad potandum in laboribus eorum, et quod receptor exponeret eis illam quotam.

Quantum ad secundum, supplicavit magister Johannes de Alcmaria, ut nacio haberet [eum] avoatum in proposicione facta per ipsum ante dominum cardinalem Vicestrie. Cujus supplicacio concessa fuit unanimiter ab omnibus et regraciabatur sibi multum nacio, quoniam laudabiliter fecerat in iis, et voluit nacio quod proposicio illa ingrossata poneretur in archa nacionis ad ostendendum in futurum posteris nostris diligencias factas in facto collegii; et fuit facta illa proposicio 13ª die mensis Maii anno Domini M° CCCC° XXVII° [1].

. . . .

1427

(*Fol.* 19) [2] Continuacio magistri Jacobi Petri alias Rodh, ymo potius electio ejusdem.

XXIIIª Septembris congregata fuit nacio apud Sanctum Mathurinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum prius substitutum, et quantum ad illum concorditer fuit electus prius substitutus. 2ᵘˢ articulus fuit ad avisandum de quantitate distribucionum fienda in festis nacionum, quia propter occasiones expensarum nacionis, quas magister Paulus de Sclavonia cum tribulationibus suis fecerat et eciam propter paucitatem suppositorum nacionis distribuciones consuete per deliberacionem maturam nacionis fuerunt minorate [3] ad tempus. Et quantum ad illum articulum deliberavit nacio, quod distribuciones adhuc fierent ad tempus sicut hactenus fiebant sine augmento, nec voluit eas adhuc ad pristinum statum redigere, quousque finis esset factus de litigiis, que habebat nacio adversus predictum magistrum Paulum de Sclavonia. Tercius articulus fuit super supplicacionibus et injuriis, et quantum ad illum articulum, supplicavit antiquus procurator, quod haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Item institit Bohemondus bedellus nacionis quod due ampulle parve argentee, que fuerunt in cista nacionis antiquate et destructe, quod meliorarentur aut mutarentur in aliud commodum nacionis. Super quo deliberavit nacio, quod pro illis ampullis fierent alie due ampulle nove, et cum hoc fierent duo candelabra erea pro usibus nacionis in servicio divino, que fienda commisit receptori et aliis duobus magistris.

Die IXª Octobris facta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernhardum, et nacione posita ad partem supplicavit venerabile suppositum nacionis ejus magister Johannes Johannis, magister in artibus et licenciatus in medicina, ut reputaretur regens illius anni intrantis in facultate arcium, viso quod multis retroactis temporibus continuo fuisset regens in vico Straminis, et quod pro anno intrante legeret in eodem vico dum tempus sibi et facultas adesset. Cujus supplicacio fuit unanimiter concessa.

Die decima Octobris facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem, et quantum ad illum articulum datus fuit intrans ex parte nacionis Anglicane venerabilis vir magister Jacobus Potter, et electus fuit in rectorem magister Petrus Maugerii [4] nacionis Francie. 2ᵘˢ articulus fuit super supplicacionibus et injuriis, et quantum ad

in lib. receptoris, *fol.* 20 : Item pro formatione supplicationis porrigende domino regenti pro fundatione collegii, etc.; et eciam in taberna *in tribus cyrotecis* in crastino b. Thome Canthuariens... V sol., 11 alb., 1 den. *Cum Angli non multo post expulsi sint et Carolus rex Universitati minime faverit, collegium, cujus nullibi mentio fit, non fundatum est.*

1. *Jun.* 23 *electus est in rectorem* Guillelmus Erardi *e* lib. receptoris, *fol.* 7. Bul., V, 920 *perperam* Aegydius de Stanno. *Eodem tempore duo* Guillelmi Eurardi *erant, unus* 1427 (1428), *alter* 1429 *lic. in theol.* Guillelmus Erardi *assistebat condemnationi Johannae d'Arc, et an.* 1431, *Maii* 24, *in praesentia Johannae* (*quae postea, nesciens quae fecit, abjuravit*) *sermonem pronuntiavit* (Quicherat, Procès, V, 515).

2. *Inter fol.* 18 *et* 19 *folium unum jamdiu avulsum est. Quod aegre ferendum. Interim* Johannes Johannis *procurator fuit, nam in* lib. receptoris, *fol.* 5 b *legitur :* Item in vigilia b. Trinitatis (*Jun.* 14) tradidi mag. Johanni Johannis procuratori pro clientibus incarcerantibus mag. Paulum... VI sol. *Deinde procurator fuit* Bernardus de Emeda (*ibid.*, *fol.* 5 b), *qui quidem Septemb.* 21 *in receptorem electus est* (*ibid. fol.* 6).

3. *Ms.* minoriarate.

4. Bul. V, 920 *perperam :* Johannes Maugerii, *qui etiam lic. in decr. fuit et an.* 1431 *contra Joh. d'Arc. De* Petro Maugier *legitur in* Suppl. Eug. IV, n° 275, *fol.* 267, *ad an.* 1433, *ipsum, jam lic. in decr., fuisse procuratorem generalem Universit. Paris.; an.* 1439, *adhuc lic., ut can. S. Marcelli Paris. et mag.*

illum articulum, supplicavit antiquus rector, quod haberetur gratus et avoatus in bene actis per ipsum et in illis in quibus executus fuerat conclusiones Universitatis, et quod in minus bene actis haberetur supportatus. Cujus supplicacio fuit concessa in forma. Supplicavit secundo in nacione dictus intrans, quod haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio similiter concedebatur in nacione. Supplicavit eciam in facultate procurator nacionis, videlicet magister Jacobus Petri alias Röödh, dyocesis Aboensis, quod racione lecture *theorice planetarum*, quam [1] incepit legere in mathematicis, reputaretur regens in facultate arcium, et quod facultas sibi determinaret diem, horam et locum legendi. Cujus supplicacio quoad primam partem fuit ab omnibus nacionibus unanimiter concessa, sed quoad 2^{am} partem, videlicet de die, hora et loco legendi, hoc remisit facultas simpliciter arbitrio et beneplacito dicti procuratoris, qui lecturus erat librum supradictum, qui et elegit locum pro lectura, videlicet scolas Charmelitarum, ubi et continuavit hora prima post prandium.

1427

(*Fol. 19*^{b}) Continuacio magistri Jacobi Rodhe.

XXI^{a} mensis Octobris facta fuit congregacio nacionis aput Sanctum Mathurinum super 2^{bus} articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; 2us super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum, supplicavit idem procurator, quod haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio fuit concessa.

XII^{a} mensis Novembris facta fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat super factis presentis magistri Pauli et aliis tangentibus honorem nacionis. 2us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, deliberavit nacio, quod in parlamento renovaretur procurator in factis nacionis, sicut eciam Universitas renovavit, quod et factum est. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1427

Continuacio magistri Jacobi Rodhe.

XVIII Novembris facta fuit congregacio nacionis super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us erat ad disponendum de festo nacionis, videlicet festo sancti Edhmundi regis et eciam de prandio nacionis. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, continuatus fuit unanimiter antiquus. Quantum ad secundum, deliberavit nacio quod festum solito modo fieret et de prandio disponendo commisit domino receptori et duobus aliis magistris nacionis. Item deliberavit nacio, quod unus honorabilis dominus de Anglia, magister Petrus videlicet familiaris domini regentis Franciam, invitaretur ad prandium nacionis, quod faciendum commisit procuratori. Quantum ad tercium articulum, supplicavit procurator, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicaverunt duo magistri nacionis, qui correxerunt libros cantus nacionis, ut eis aliquid pro laboribus provideretur. Quibus nacio tradidit unum francum. Item supplicavit honorabilis vir frater Johannes [2] etc. de Ordine Predicatorum et de nacione eadem, ut ipsa nacio sibi in aliqua summa pecunie subveniret, quia ipse, licenciatus existens in facultate theologie, processurus erat in proximo ad gradum doctoratus in facultate eadem. Cui nacio tradidit quinque francos.

1427

Procuracio Johannis de Leydis.

XVI^{a} die Decembris facta fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer magister Johannes de Leydis. Quantum ad secundum, supplicavit antiquus procurator, ut de actis per ipsum tempore sue procuracionis haberetur gratus, recommendatus et avoatus. Cujus supplicacio fuit concessa. Et in eadem die fuit congregacio facultatis ad eligendum rectorem et intrantes. Rector fuit magister Johannes Johannis alias Reyneri [3]. Intrans fuit in nacione Anglicana magister Jacobus de Gouda.

et administrator collegii Bonor. puerorum S. Honorati *affertur* (*ibid.*, n° 352, *fol.* 13^{b}); *an.* 1440 *jam doct. decr. et offic. Paris.*; an. 1443 *can. Tornac.*; *an.* 1445 *scholast. Atrebat.* (*ibid.*, n° 381, *fol.* 259; 399, *fol.* 170). *Fuit advocatus rehabilitationis Johannae d'Arc. Vid.* QUICHERAT, Procès, II, 93, 98; III, 451.

1. *Ms.* quem.

2. Johannes Grawerstein *seu* Gravenstein, *lic. in theol. an.* 1425 (1426), *de quo jam supra ad an.* 1418, *Septemb.* 25. *Anno eodem* 1427, *Nov.* 28, *factus est magister* (Bibl. nat. *ms. lat.* 5494, p. 56); *qua occasione natio ei dedit* V francos (Lib. recept., *fol.* 7).

3. *Quoad hunc tandem rectorem* BUL. V, 920 *non erravit.*

1428

(*Fol.* 20) Continuacio magistri Johannis de Leydis.

XIII^a^ die Januarii facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Mathurinum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et quoad istum continuatus fuit unanimiter procurator antiquus. 2us articulus erat de virga subbedelli, que tradita fuerat aurifabro pro aliquali reparacione virge, et quoad hoc vidit nacio reparacionem factam in virga, et eam restituit subbedello. Eciam tactum fuit in hoc articulo, qualiter aliqui bachallariandi, licenciandi et magistrandi hoc anno non poterant habere pecunias de partibus, de quibus solverent in nacione Anglicana suas bursas; qui libenter promittere voluerunt quod de primis pecuniis quos possent habere de partibus vel aliunde solverent suas bursas; et eciam magister Henricus de Dunghen [1], in cujus domo commorantur, promittere vellet quod nullam pecuniam ab ipsis de expensis caperet, nisi prius nacioni Anglicane solvissent, et si istud nacioni non placeret, tunc intenderent jurare paupertatem. Et quoad hoc placuit nacioni quod predicti scolares traderent pingnora in proporcione sesquialtera, vel quod darent fidejussores, qui pro ipsis responderent de dictis pecuniis et eis assignaretur terminus, infra quem si non solverent, possent vendi pignora per nacionem vel fidejussores moneri. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis, et quoad istum supplicavit antiquus procurator, ut de actis per ipsum tempore sue procuracionis haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam subbedellus pro continuacione officii, cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam idem subbedellus, ut esset in gracia nacionis et quod nacio vellet sibi dare aliquod sallarium; et quoad hoc voluit nacio quod fieret una specialis congregacio super hoc, in qua omnes magistri nacionis Anglicane comparerent, ut unusquisque diceret quid sibi super hoc videretur.

XXII^a^ die Januarii facta fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat ad videndum duas ampullas factas pro nacione, an illas vellet retinere, an vellet alias sibi fieri. Et quoad hoc videbantur dicte ampulle nondum deaurate bene, parve et debiles, et ideo dixit aurifabro, ut forciores et durabiliores alias duas faceret. Fuit ibi eciam dictum de supplicacione subbedelli in ultima congregacione facta, et quoad hoc dedit sibi nacio III francos. 2us articulus erat super supplicacionibus, et quoad hoc nullus supplicavit.

1428

Continuacio magistri Johannis de Leydis.

X^a^ die Februarii facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad hoc fuit concorditer continuatus antiquus. Et in hoc primo articulo ordinavit nacio dominos temptatores determinancium, et menses distribuit secundum antiquas ordinaciones. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et quoad hunc articulum supplicavit venerabile suppositum nacionis Angiicane Johannes Johannis, magister in artibus et licenciatus in medicina, protunc rector Universitatis, quod nacio se vellet sibi adjungere ad procedendum contra magistrum Roelandum [2] magistrum in medicina, qui in loco sacro, scilicet in ecclesia Sancti Mathurini, manus violentas injecit in corpus rectoris magistri Johannis Johannis sine aliqua causa; cujus supplicacionem nacio unanimiter concessit. Supplicavit eciam antiquus procurator, ut de actis per eum tempore sue procuracionis haberetur gratus et avoatus, cujus supplicacio simpliciter fuit concessa.

Sequuntur nomina determinancium anni 1427.

Item determinavit [3] dominus Ghiisbertus de Horn sub magistro Johanne Johannis, cujus bursa X sol.

It. det. dom. Phillippus Groen sub eodem, cujus bursa X sol.

It. det. Everardus filius Johannis de Harlem..... IIII sol.

It. det. dom. Arnoldus Naghel [4] sub mag. Bernardo de Emeda, cujus barsa IIII sol.

1. *Fuit* nat. Picard. *Leod. dioec. Pro ipso epist. Universitatis in* Arch. nat. Paris., M 65 A n° 76. *Postea in Universitate* Lovaniensi *docuit. An.* 1435 *bacc. formatus in theol.* (Suppl. Eugen. IV, n° 304, *fol.* 131 b), *et sic adhuc an.* 1449 *in Univers. Lovaniensi occurrit* (Suppl. Nicol., n° 427, fol. 230b).

2. Rolandus Scriptoris *tunc fuit decanus fac. medicinae. Ap.* Bul., V, 381, *hujus facti e* lib. procuratoris nat. Gallic. *mentio fit, minime tamen ibid. ratio injuriarum explicatur.*

3. *Primo ubique scriptum erat* subdeterminavit.

4. *Ad an.* 1444 *legitur in* lib. receptoris, *fol.* 32 : (Recepi) a venerando mag. Arnoldo Nagel, secretario civitatis Danzicke in Prusya, qui tempore promotionis sue juravit paupertatem, et misit nationi nostre unum nobile ...II lib., IIII sol. *Alios in diversis Universitatibus studentes, cognomine* Nagel, *e* Danzig *oriundos, vid. ap.* Perlbach, Prussia scholastica, Die Ost-u. Westpreussen auf den mittelalterl. Universitäten, p. 137.

It. det. dom. Johannes Diets sub mag. Martino Berich, cujus bursa X sol.

It. det. dom. Albertus Vorden [1] sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. det. dom. Everardus Bodelsŭardie [2] sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. det. dom. Henricus Scŭŭrsac [3] sub eodem, cujus bursa VIII sol.

(*Fol. 20*ᵇ) XVIª die Februarii facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus erat super aliquibus factis tangentibus nacionem. 2ᵘˢ erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fui requisitus a quibusdam magistris nacionis, quod non concederem vel concedi permitterem epitogium nacionis alicui nisi per deliberacionem nacionis. Et quia magister Martinus Berich michi supplicavit, ut sibi epitogium concederem, ideo super hoc congregavi nacionem, ut deliberaret, quid de hoc vellet fieri. Et quia tunc supplicaverunt magister Joh. Johannis et magister Martinus Berich et magister Jacobus de Gouda, ut aliquociens possent habere epitogium cum indigerent, idcirco concessit nacio eorum supplicaciones. Item in eodem puncto tactum fuit de antiquis libris procuratoris et receptoris et de quibusdam quitanciis quas habet apud se receptor. Et quoad hoc dedit nacio deputatos ad visitandum dictos libros, ut si ibi essent aliqua scribenda in novis libris receptoris et procuratoris, quod illa scribantur, et postea dicti libri cum predictis quitanciis in archa nacionis reponantur. Quantum ad secundum, supplicavit dominus Everardus [Bodelsŭardie] ut nacio contentari vellet de duobus solidis pro bursa; et quoad hoc placuit nacioni sibi facere graciam aliquam de scolis, videlicet quod tantum solveret XX solidos pro scolis, et quoad bursas voluit, quod pro unaquaque bursa solveret IIII sol.

1428

Procuracio Johannis de Alcmaria.

IXª die Marcii facta fuit congregacio super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum [procuratorem]. Secundus super supplicacionibus. Quoad secundum supplicavit antiquus haberi avoatus; supplicacio fuit concessa. Quoad primum electus fuit de Alcmaria [4].

1428

Procuratio Petri de Gouda nati de Leydis.

Anno XXVIII, VIª die Aprilis facta fuit congregatio nationis Anglicane super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad istum articulum electus fuit in procuratorem magister Petrus de Gouda natus de Leydis. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis; et quoad istum supplicavit dominus procurator antiquus haberi gratus, avoatus ac recommendatus; et ejus supplicatio fuit concorditer concessa. Eciam in eadem congregatione narravit sive retulit dominus receptor [5] de aliquibus bachalariis, qui protunc pecunias ad solvendum nationi non habebant; volebant tamen satisfacere brevius quo possent, et tempus assignabant. Et quoad hoc magister Henricus de Dunghen nationis Picardie fidem prestabat pro eis et respondit pro eis, dans receptori litteram obligatoriam propria manu scriptam, et placuit nationi concorditer modus ille, cum tamen receptor esset securus, quod talis, scilicet magister Henricus de Dunghen, Parisius esset permansurus. Eciam tetigit dominus receptor de quodam bachalario, qui volebat solvere pro bursa IIII sol., et pro scolis XX sol.; et quia ille, ut dixit receptor, pauper erat, placuit nacioni quod sic fieret, scilicet quod daret IIII sol. pro bursa, et XX sol. pro scolis.

XIª die Aprilis facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus aticulis. Primus articulus fuit ad consulendum super expeditione duorum bacallariorum ejusdem nationis, et habuit duo puncta. Primum punctum erat ex quo secundum conclusionem deputatorum Universitatis habitam nona die Aprilis apud Sanctum Maturinum declarantem, ipsos esse licenciandos et magistrandos, aliquibus tamen de natione Picardie reclamantibus, nichilominus ipsi licenciati fuerunt, et domini cancellarius et subcancellarius secundum conclusionem deputatorum cum ipsis processerunt. Quibus ad dominum rectorem venientibus, ut facerent sibi jura-

1. *Fuit postea bursarius Sorbonae. Vid.* Franklin, la Sorbonne, p. 228.
2. *Ad an.* 1429 Boelzwardia, *i. e.* Bolsward, *Traject. dioec.*
3. *Qui in* Lib. recept. *nominatur* Scuerzac, *et infra an.* 1429 *vocatur* Schuersack, *Trajectens. dioec.*
4. *Martii 24 electus est in rectorem* Joh. de Gomont, *e* lib. receptoris, *fol.* 7ᵇ. Bul. V, 920 *perperam* Thomas Fiene. *Johannes de Gomonte ad an.* 1435 *ut canon. Remens. et bacc. theol. affertur* (Suppl. Eugen., nº 301, *fol.* 84; 319, *fol.* 154ᵇ).
5. Bernardus de Emeda.

menta ad inceptionem in artibus requisita, dominus rector ad requestam illorum de natione Picardie, ipsorum juramenta capere negavit, dicens se non audere propter appellationem et oppositionem illorum de natione Picardie, ut natio vellet super isto tradere bonum consilium, ut possent expediri per dominum rectorem. Secundum punctum fuit, ut in casu quo predicti bachalarii possent habere sigillum rectoris de juramentis requisitis factis, natio vellet defendere dominum presidentem, si qui insurgerent contra eum ob istam causam, et injungere bedellis, ut introducerent eosdem ad vicum Straminis. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus, etc. (*Fol. 21*) Quoad primum punctum voluit natio consulere antiquiores et notabiliores singularum facultatum et precipue decretorum et theologorum, et secundum consilium istorum procedere et eorum consilium domino rectori intimare; et ad hoc assignavit magistros nationis indifferenter, qui haberent investigare a talibus supradictis consilium bonum pro expeditione sepedictorum bacalariorum. Quoad 2um punctum habito sigillo voluit natio defendere presidentem, qui scilicet predictis in cathedra magistrali presideret, et similiter injungere bedellis, ut antedictos bacalarios ad vicum Straminis introducerent. Quoad secundum articulum principalem, qui erat super supplicationibus et injuriis, nullus supplicavit.

Nomina licenciatorum anni XXVIII.

Item primo licenciatus est dominus Petrus de Alcmaria, Trajectensis dyocesis, sub magistro Bernardo de Emeda, cujus bursa VIII sol.

It. lic. fuit dom. Symon de Alcmaria, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. lic. fuit dom. Engbertus Andree, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. lic. fuit dom. Jacobus Hattem, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Severinus Holt, Aboensis dyocesis, sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa VI sol.

It. lic. est dom. Olavus Magni, Aboensis dyoc., sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. lic. est dom. Michael Christiani, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Mathias Johannis de Aemsterdam, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa X sol.

It. lic. est dom. Nicolaus Harlem, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Johannes Tongheris, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Theodricus de Harlem, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Huseti, cujus bursa IIII sol.

It. lic. est dom. Johannes Ebrardi Wormacensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Johannes Idstein[1], Treverensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa nichil.

It. lic. est dom. Benedictus Olavi, Aboensis dyoc., sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa VIII sol.

It. lic. est dom. Henricus Nicolay, Aboensis dyoc., sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa X sol.

It. lic. est dom. Johannes Mutzler, Augustensis dyocesis, sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa nichil.

XIII^a^ die Aprilis facta fuit congregacio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus fuit super expeditione bachalariorum duorum ejusdem nationis, ut scilicet possent magistrari, et quoad hoc, ut natio vellet adire nationaliter dominum rectorem, ut cicius quo posset vellet convocare Universitatem, que istam materiam determinaret. 2us articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum voluit natio, quod dominus rector adiretur, scilicet per procuratorem et tres alios magistros de natione, qui presentant nationem in casu oportuno, et quod idem rector supplicaretur et requireretur ut sine longa dilatione aut excusationis impositione vellet congregare Universitatem, ut materia expeditionis predictorum bacalariorum facilius posset terminari, quoniam ad eam spectaret terminacio sepedicte materie. Quoad 2um articulum supplicavit procurator et unus alius magister de natione, nomine magister Johannes Leydis, ex parte duorum bachalariorum licenciatorum[2] in Nostra Domina et ejusdem nationis, qui refutati fuerunt in petendo *placet* in vico Straminis, ut natio vellet supplicare pro ipsis in congregatione Universitatis, ut possent magistrari et quod ipsis fieret eadem gratia, que ante hoc tempus

1. *Sic e* lib. rec. *Ms. proc.* Istein.

2. *Diversorum ab istis supra nominatis. Causam refutationis vid. ad April.* 20.

nulli patienti similem defectum in tempore denegata est, aut ut ad minus Universitas vellet eos certificare de locis suis, ut scilicet loca eorum ipsis remanerent. Quorum supplicatio accepta fuit in natione, et voluit natio quod in articulo supplicacionum in congregatione Universitatis habenda unus magistrorum de natione specialiter super isto supplicaret.

(*Fol.* 21[b]) XX[a] die Aprilis facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis, de quorum duobus primis hic nichil recitandum est, sed quoad tercium articulum, qui erat communis super supplicationibus et injuriis, supplicavit unus magister de natione An[glicana] ex parte nationis pro duobus bachalariis ejusdem nationis Anglicane, qui impediti erant ab aliquibus de facultate artium, sic quod non poterant procedere ad magisterium, nulla alia causa interveniente, ut ipsi dicebant, nisi *quod predicti bachalarii non steterant Parisius integre duobus annis ante determinanciam*. Quare ab illis tamquam a facultate artium natio ad tres superiores facultates appellavit. Supplicavit igitur, ut Universitas dignaretur predictis bachalariis exhibere justiciam cum favore secundum formam statutorum nostrorum, viso quod *ante hoc tempus tanta illius allegati statuti rigorositas nondum fuit observata*, ut scilicet possent ad gradum magisterii procedere et promoveri, cujus supplicationem pro illis et pro omnibus aliis in simili morbo defectus laborantibus tres superiores facultates concorditer concesserunt, volentes quod pro illo anno omnes patientes defectum consimilem licenciarentur et magistrarentur, et ita fuit conclusum per dominum rectorem.

Sequuntur nomina incipientium anni XXVIII.

Item primo incepit dominus Enghebertus Andree, Trajectensis dyoc., sub magistro Jacobo Rood[1], cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Jacobus Hattem, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Severinus Holt, Aboensis dyoc., sub eodem[2], cujus bursa VI sol.

It. inc. dom. Olavus Magni, Aboensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Petrus de Alcmaria, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne de Alcmaria[3], cujus bursa VIII s.

It. inc. dom. Symon de Alcmaria, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Michael Christiani, Trajectensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Mathias Johannis de Aemstersdam, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Nicolaus de Harlem, Trajectensis dyoc. sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. incepit dom. Johannes Tongheris, Trajectensis dyoc., sub eodem, cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Theodricus de Harlem alias Spanbroc, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Huseti, cujus bursa IIII sol.

It. inc. dom. Johannes Ebrardi, Wormacensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Johannes Idstein[4], Treverensis dyoc., sub mag. Bernardo de Emeda, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Johannes Mutzler, Augustensis dyoc., sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Benedictus Olavi, Aboensis dyoc., sub mag. Jacobo Rood, cujus bursa VIII sol,

It. inc. dom. Henricus Nicolay, Aboensis dyoc., sub eodem, cujus bursa X sol.

1428

(*Fol.* 22) Continuatio magistri Petri de Gouda nati de Leydis.

Facta congregatione nationis Anglicane in Sancto Maturino IIII[a] die May super 4[or] articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus fuit ad consulendum, qualiter amplius natio vellet procedere in parlamento in causa magistri Pauli Nicolay de Sclavonia, privati a natione, a facultate et ab Universitate, utrum scilicet melius esset petere prolationem sententie, aut relevare scripta et munimenta nationis, et non petere sententie prolationem. Tercius articulus fuit ad acceptandum ampullas duas argenteas, quas natio fecit reformari de duabus antiquis ampullis nationis. Quartus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Et quoad istum articulum, supplicavit procurator, ut haberetur gratus in actis per eum tempore sue procuratorie. Supplicavit eciam quidam alius magister, nomine magister

1. Sub mag. Bernardo de Emeda *hic et sequens inceperunt, secundum* lib. receptoris.

2. Sub mag. Jacobo Petri [*de Rood*] *hic et sequens inceperunt, sec.* lib. rec.

3. Sub mag. Bernardo de Emeda *Petrus et Symon de Alcmaria inceperunt sec.* lib. recept., *qui magistros pro licentia memoratos* (*Vid. supra* p. 375, 32) *ad inceptionem affert.*

4. *Sic e* lib. rec. *Ms. proc.* Istein.

Johannes Potter de Loo, pro littera testimoniali sui gradus. Quoad primum articulum per concordes voces omnium magistrorum continuatus fuit antiquus procurator. Quoad secundum articulum voluit nacio, quod procurator cum aliquibus magistris deputatis consuleret procuratorem nostrum similiter et advocatum nostrum in curia parlamenti, et quod exprimeret eis motiva nationis, et si consilium eorum fuerit bonum et utile nationi, natio vellet secundum hoc agere, et quod fieret relatio in natione. Quoad tertium, natio acceptavit ampullas et voluit quod receptor iret ad aurifabrum, qui scilicet fecit istas ampullas, et quod diligenter inquireret de pondere istarum ampullarum et similiter antiquarum, et quod pondus excrescens ipse solveret, et similiter facturam precio minori quo possit. Quoad quartum articulum natio concessit ambas supplicationes. Habebat procuratorem gratum, avoatum et recommendatum in actis per eum tempore sue procuratorie nomine nationis. Concessit etiam magistro antedicto litteram testimonialem sui gradus.

1428

Continuatio magistri Petri de Gouda nati de Leydis.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum prima die Junii super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2[us] articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator. Et quoad secundum articulum supplicavit procurator, ut in factis per eum tempore sue procuratorie haberetur gratus, avoatus ac recommendatus; cujus supplicatio concorditer fuit concessa. Et in eadem congregatione proposuit procurator de aliquibus pecuniis, quas receptor exposuerat in taberna in precedenti continuatione, ubi procurator cum novis magistris contribuebant aliquam quotam, ut scilicet natio ordinaret quod pecunie predicte, quas receptor exposuerat, defalcarentur de longa procuratoria [1], in qua procurator consueverat habere XX solidos parisiens., et quod natio non potaret in electionibus procuratoris quousque predicte pecunie essent recuperate. Quod fuit permissum ab omnibus magistris uniformiter, et voluit natio quod sic fieret. Proposuit etiam procurator de jocalibus nationis, scilicet cappa et epitogio, ut scilicet natio ordinaret, quod predicta jocalia non sic per amplius uterentur, ubi non est factum nationis neque honor, secundum quod antea visum fuerit. Et quoad istud placuit nationi, quod in honesta custodia servarentur, et quod de cetero nullus utatur qui non est de natione, et nullus de natione eis utatur preter procuratorem, quin super hoc habuerit specialem [2] licentiam a procuratore, et hoc in causa speciali et rationabili et legitima, et quod istud procurator injungeret bedello, scilicet quod nulli concederet nec cappam nec epitogium, nisi haberet in mandatis a procuratore.

Facta congregatione nationis Anglicane X[a] die Junii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum receptoris de receptis et expositis per eum. 2[us] articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum, ex quo dominus receptor ut asseruit nondum omnes pecunias receperat, nec erat paratus, quamvis bis monitus, voluit natio sibi assignare 4[or] dies infra quas ipse haberet recipere pecunias nondum receptas, presertim pro quibus natio non receperat respondentes, et quod ipse prepararet se ad hoc, ut in fine 4[or] dierum posset tradere compotum, et voluit natio quod tunc computaret et presentaret pecunias receptas nationi et cautiones si quas habeat, et vadia si aliqua receperit, ut natio sciret in quo statu ipsa esset. Voluit insuper, quod pecunie superefiluentes ponerentur ad archam nationis, secundum quod dicunt statuta, reservata tamen sibi aliqua quota qua potest se juvare in factis et debitis nationis. Quoad secundum supplicaverunt duo magistri de natione, quorum uterque dicebat ei factas fuisse injurias ab alterutro ipsorum in presentia nationis, ut scilicet natio ordinaret, quod talia injuriosa omnia ammodo suppositis nationis non acciderent ab aliquo ejusdem supposito, et quod ordinaret de emenda fienda parti injuriate. Et quoad istud tradidit natio deputatos nominatos antiquiores, qui istos haberent pacificare et concordari si possent, et fieret relatio in natione, et quod non contenderent predicti extra nationem coram quocumque judice, conformiter ad statuta.

(*Fol. 22[b]*) Facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum XV[a] die Junii super duobus articulis. Primus articulus erat ad audiendum compotum receptoris super expositis et receptis; et quoad istum articulum auditus fuit compotus, et ascendit summa

1. *I. e.* de procuratoria *per vacationes. Vid. tom.* I, Introduct., p. LII, n° 4.

2. *Ms. potius* semper.

receptorum ad centum XXXVIII libras, XIII solidos parisiens., VI denarios; summa vero expositorum ad XXXIX libras, II solidos et IIII denarios, qua summa defalcata restant XCIX libre, XI solidi et II denarii. De qua summa magister Johannes Johannis tenetur vel obligatur in XIX libris, pro quo posuit vadium, scilicet Commentum librorum de animalibus secundum doctrinam venerabilis Alberti Magni, divisum in duo volumina. Obligatur etiam magister Henricus Dunghen de ista summa in XIX libris et X solidis, cui natio assignavit terminum solutionis in festo Johannis. Quibus defalcatis mansit summa LXI librarum, I^{us} solidi et II denariorum apud receptorem, in qua ipse mansit obligatus. Et placuit et voluit natio, quod iste pecunie venirent ad lucem et ponerentur ad archam nationis, reservata tamen aliqua quota domino receptori per nationem assignanda ad expediendum illa ex parte nationis, que spectant ad ejus officium. Secundum (*sic*) fuit super supplicationibus et injuriis. Supplicavit magister Jacobus Rood, qui etiam obligabatur nationi in aliquibus pecuniis, ut natio vellet supersederc et contentari de ipso quoad solutionem, quousque sue pecunie redirent, et tunc a maximo usque ad minimum vellet satisfacere nationi. Et quoad istud, eo quod non supplicaverat in natione debito tempore, voluit ipsa quod vel ipse traderet vadium quemadmodum magister Johannes Johannis fecit, vel cautionem sufficientem ad placitum nationis, vel refunderet pecunias. Insuper supplicaverunt duo magistri, qui juraverant paupertatem, ut natio vellet ipsis parcere in duobus francis pro jocundo adventu, et VIII sol. par. pro cappis rectorum, quousque venirent ad statum pinguiorem, et tunc libenter satisfacerent. Et quoad hoc interempta fuit supplicatio ipsorum, eo quod esset contra laudabilem ct solitam et a longis temporibus observatam consuetudinem nationis ct etiam statuta. Fuerunt etiam dati deputati in facto discordie inter aliquos magistros nationis secundum quod et prius, quia priores deputati nichil fecerant in facto concordie, eo quod alter contendentium non acceptaverat illos deputatos, et igitur secundum placitum uniuscujusque dabat natio deputatos, qui concordarent eos, si possent.

Facta congrcgatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVII^a die Junii ob requestam aliquorum magistrorum de natione super facto compoti domini receptoris, quod scilicet ipse declararet et ostenderet nationi, ubi et apud quem vel quos pecunie, vadia vel cautiones recepte erant reservate, et quod etiam ostenderet summam de debitis illorum, qui nationi obligantur et uniuscujusque sigillatim, ut secundum conclusiones habitas possent reponi ad archam nationis. Quoad istud placuit nationi continuare suam congregationem usque ad biduum, et quod tunc receptor sine omni dilatione majori haberet nationi presentare pecunias, vadia et cautiones apud cum existentes, et si pro debitis aliquorum adhuc nondum pecunias, vadia vel cautiones nationi complacentes receperit, quod ipse ad hoc laboraret ut haberet, et omnia simul nationi presentaret, etiam quod summationes debitorum aliquorum magistrorum obligatorum ordinaret et similiter presentaret, et tunc natio disponeret de quota apud eum reservanda ad expediendum negotia nationis ad eum spectantia.

Facta congregatione nationis Anglicane XIX^a die Junii apud Sanctum Maturinum super uno principaliter, scilicet super facto compoti domini receptoris, ut in precedenti congregatione expressum est. Et quoad hoc, quia dominus receptor nec vadia nec cautiones nec pecunias nationi presentaverat, voluit natio, quod infra terminum quinque dierum, cum tunc natio esset congregata, haberct ponere fidejussorem ydoneum et nationi sufficientem et placentem pro omnibus sive pro totali summa excrescente, illis demptis quorum vadia aut cautiones natio acceptavit, non tamen retractando delibcrata in quamplurimis aliis congregationibus habita.

Facta congregatione facultatis XXIII^a die Junii apud Sanctum Julianum Pauperem ad eligendum novum rectorem [1], ubi et natio specialiter erat convocata ad acceptandum, si placeret, fidejussorem ex parte domini receptoris; et quoad hoc quia dominus receptor dicebat, quod jam ille quem fidejussorem nationi presentaret, exiverat, voluit natio adhuc continuare suam congregationem usque ad XXV diem hujus mensis, in qua receptor haberet presentare nationi fidejussorem ydoneum et sufficientem secundum placitum nationis.

Facta congregatione nationis XXV^a die Junii apud Sanctum Maturinum super acceptatione fidejussoris ex parte domini receptoris; et quoad hoc receptor presentavit unum magistrum de natione nomine magistrum Severinum Holt, qui fidejuberet pro ipso ad satisfaciendum nationi, in casu quo receptor defecerit a primo usque ad ultimum, a maximo usque

1. *Qui fuit* Gerardus Gehe *e* lib. receptoris, *fol.* 9. Bul. V, 920, *perperam* Jacobus Galet, *qui tamen an.* 1422, *Octob.* 10-*Dec.* 16 *rector fuit* (Arch. nat. M 65^A, *n*^{o} 28^c). *De* Gerardo Gehe *vid. ad an.* 1429, *Dec.* 16.

ad minimum, de summa LXI librarum, I[us] solidi et II denariorum. Super quo deliberavit natio, quod placeret ipsum acceptare in fidejussorem, cum supradicta promitteret coram notario publico, et eligeret sibi domicilium in presentia nationis, quod et ipse fecit; promisit enim bona fide erectis digitis coram publico notario, scriba Universitatis, se satisfacturum, ubi receptor deficeret, ut supra expressum est, et hoc in termino sue receptorie, qui est in festo sancti Mathei apostoli proxime venturo. Venit et ad nationem unus magister, qui vocabatur magister Henricus de Dunghen, qui obligabatur nationi in certa summa pecunie, ut supra dictum est, petens a natione, cum jam suus terminus sibi prefixus a natione exspiraverat: cui traderet illam pecuniam, vel receptori, vel nationi? Et quoad hoc voluit natio, quod ipse traderet receptori, et postea ipsa recepta illa pecunia per procuratorem et receptorem et aliquos alios volentes interesse poneretur ad archam nationis. (*Fol. 23*) Proposuit etiam procurator, qualiter secundum turnum facultatum et nationum, natio haberet jam ordinare de receptore contributionum Universitatis. Et quoad hoc electus et ordinatus fuit magister Rogerus de Edynburch. Cum etiam instabat festum Visitationis gloriose Virginis Marie, quod festum per totam Almanniam et etiam Angliam celebratur [1], et etiam alias natio concluserat celebrandum, adhuc mansit in sua bona intentione et devotione, et voluit celebrare, et quod magistri presentes haberent suas distributiones, ut et in aliis festis, similiter de officiariis. Dicebat etiam bedellus superior, scilicet Boemundus, quomodo cappa nationis bene indigeret aliquali reformatione. Super quo deliberavit natio, quod cappa videretur per procuratorem et receptorem et aliquos alios, et ubi indigeret reformatione, quod facerent eam reformare per pellifarium et convenirent secum in reformatione. Supplicaverunt bedelli, ut secundum solitum morem natio vellet ipsis succurrere in aliqua quota, viso quod paucum lucrum habeant a suppositis nationis in respectu ad alias nationes. Voluit tunc natio tradere Boemundo VI francos, et Hermanno V francos.

Facta congregatione nationis 2ª die Julii apud Sanctum Cosmam et Damianum, ubi tunc natio celebrabat festum Visitationis Marie Virginis gloriose, super duobus. Primo ad distribuendum claves archarum nationis; et quoad hoc distribute fuerunt claves secundum formam statuti super hoc editi, scilicet magistro Petro de Gouda procuratori protunc, magistro Bernardo de Emeda receptori, magistro Johanni Johannis, magistro Hugoni Dodonis de Delf, magistro Martino Berich; et hoc quoad archam exteriorem [2]. Et quoad archam interiorem, magistro Rodgero de Edenburch, Scoto, magistro Johanni Guillelmi Wissonis de Leydis et magistro Rutgero Bloot [3]. Et voluit natio, quod omni anno predicte claves presentarentur bis in natione, semel scilicet in electione receptoris, et semel circa festum Pasce, et quod custodientes bene respicerent ad custodiam suarum clavium ne amitterent, quia forte ex perditione magnum detrimentum posset accidere. Secundum erat super supplicationibus et injuriis. Et quoad hoc supplicaverunt aliqui magistri de natione noviter graduati, ut secundum ordinem sue inceptionis loca ipsis assignarentur, et fuit supplicatio illorum admissa concorditer. Ista etiam die statim congregatione finita, fuerunt posite ad archam nationis XIX libre et X solidi parisiens., pro quibus magister Henricus de Dunghen nationi erat obligatus.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVIª die Julii super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum expositorum domini receptoris, ut ipse et ejus fidejussor possent exonerari a natione, quia fidejussor ejus ad partes suas vellet remeare. Et quoad hoc auditus fuit compotus et ascendit summa expositorum [ad] XXXII lib. et XVI sol., et sic restabant XXVIII libre, V solidi, II denarii, quam summam presentabat nationi, et natio acceptavit, et voluit natio illas pecunias ponere ad archam, sicut factum fuit. Tradidit tamen domino receptori III libras, XII solidos ad expediendum negotia nationis, sic quod summa posita ad archam ascendit ad XXIIII libras, XIII solidos, II denarios, et sic fidejussor domini receptoris, qui fuit magister Severinus Holt, et ipse erant exonerati a natione. Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Quoad hunc articulum supplicavit Boemundus principalis bedellus nationis, ut natio vellet tradere sibi aliquem vel aliquos magistros, qui haberent exequi factum injurie sibi illate a quodam magistro, nomine magistro Hugone Amici, eo quod Boemundus secundum ordinationem domini rectoris et sue curie

1. *Festum* Visitationis B. Mariae Virg. *ab Urbano VI*, 1389, *April.* 8, *eodemque anno, Nov.* 9, *a Bonifatio IX institutum, et in dioec. Colon. et Leodiens. jam an.* 1396 *celebratum est.*

2. *Sed in statuto de hoc edito quatuor, non quinque, claves destinatae erant ad archam exteriorem, et quatuor, non tres, ad interiorem. Vid. supra* p. 298, 30. *Sed cf. supra* p. 128, 37, 42. *Revera quinque claves pro archa exteriori, et tres pro interiori tunc exstabant, ut liquet ex infra dictis*, p. 387, 1 *sq.*, 46.

3. *Nullus Anglicus inter hos invenitur. Vid. ibid.*

cepisset vadia de domo predicti magistri pro solutione certe summe pecuniarum. Et quoad hoc natio tradidit sibi deputatos magistrum Johannem Johannis et magistrum Bernardum de Emeda.

Facta congregatione Universitatis apud Sanctum Maturinum IIII[a] die Augusti, etiam natione tracta ad partem, proposuit procurator, quomodo dominus receptor [1] iverat extra villam usque ad partes Flandrie, sine hoc quod alium in loco suo natio substituisset; et quia de reditu suo esset natio insecura, bonum ergo videbatur, ut unus in loco suo substitueretur, ne natio sine receptore esset. Et quoad hoc substitutus fuit magister Rodgerus [de] Edenburch Scotus in receptorem, qui exerceret officium usque ad terminum hujus receptorie, scilicet festum sancti Mathei apostoli et ewangeliste proxime venturum.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XI[a] die Augusti super duobus articulis. Primus erat super aliquibus que concernunt honorem, statum et utilitatem nationis, et specialiter quoad avisandum circa quedam statuta nationis minus bene explanata. Et quoad hoc voluit natio, quod procurator puncta per eum tunc expressa poneret in papiro et cum deputatis tunc assignatis haberet consilium ad avisandum super illis; et consilio habito convocaretur natio ad deliberandum circa eadem ad honorem nationis ejusdem. Facta etiam fuit mensio de libris magistri Joh. Johannis positi[s] in archa nationis pro vadio. Placuit nationi quod libri illi ponerentur in manibus receptoris, ne dampnum paterentur aut a vermibus folia corroderentur. Placuit etiam nationi, quod pecunie in auro existentes apud receptorem mitterentur ad cambium per bedellum, et caperetur de moneta tantum quantum inde haberi possit, quia aurum de se malum erat et moneta prohibita erat [2]. Et erant duo mutones [3] et una corona rupta.

(*Fol. 23* [b]) Facta congregatione nationis XVI[a] die Augusti super duobus. Primum erat ad audiendum relationem magistri nostri magistri Johannis de Arnhem, ambaciatoris Universitatis et nationis in curia Romana [4], jam reversi de curia. Et quoad hoc audita fuit ejus relatio et nationi grata. Secundum erat super supplicationibus, et supplicavit idem magister, ut natio pro suis laboribus et expensis vellet sibi subvenire in aliqua quota. Et quoad hoc dedit natio deputatos, qui haberent videre quid pro natione specialiter exposuerat, et hoc facto natio deliberaret. Supplicavit etiam magister Joh. Johannis, ut VII francos cum dimidio debitos aurifabro pro refactione virge subbedelli et ampullarum jam per eum solutos natio vellet sibi defalcare de summa in qua obligabatur. Et quoad hoc placuit nationi. Summa vero in qua obligabatur erat XIX libr., et istis defalcatis remanet summa XIII libr., in qua est obligatus. Supplicavit etiam Hermannus Fabri subbedellus, ut natio sibi vellet tradere litteram testimonialem de suo officio, et quod fuit deputatus bedellus cum ambaciatoribus missis cum primo rotulo ad curiam Romanam anno XXIII [5]. Et fuit ejus supplicatio concessa. Et per recessum unius magistri de natione, nomine magistri Hugonis Dodonis de Delft, custodientis unam clavem de archa interiori thesauri, tradita fuit illa clavis magistro Jacobo de Gouda.

Facta congregatione nationis per juramentum XIX[a] die Augusti apud Sanctum Maturinum super duobus. Primum erat ad audiendum avisata apud deputatos, et continet duo. Primum erat de avisatis circa factum magistri nostri Johannis de Arnhem, tunc reversi de curia. Et quoad hoc placuit nationi sicut et deputatis aliquam quotam tradere pro suis laboribus et expensis; et quia illa quota a deputatis nondum erat taxata, voluit natio sibi tradere sex scuta. 2[m] erat de avisatis circa statuta, quorum aliqua requirebant interpretationem, aliqua correctionem, aliqua ratificationem, ac etiam quedam erant statuenda.

[Moderatio statutorum.]

Primum erat ad exprimendum cautionem, ad quam receptor esset astrictus, ne receptor ad placitum suum posset tradere.

2[m] ad corrigendum statutum de clavibus archarum thesauri, quia habetur in statuto quod sunt 4[or] claves

1. Bernardus de Emeda.
2. *An.* 1426, *Nov.* 20, *Henricus VI rex Angliae et Franciae illas monetas auri et argenti designavit quae currere debebant* (Ordonn. des rois de France, XIII, p. 120). *Haec ordinatio Parisiis an.* 1427, *Jan.* 7, *publicata est.* « Omnes monete auri fuerunt prohibite recipi, preterquam salutes de cugno Anglie, de Burgundia, Flandria et Britannia, et sic cecidit omnis, que non habuit signum leopardi cum lilio » (Arch. nat. Paris., LL. 113, *fol.* 77). *In* lib. theol. (Bibl. nat. 5494, p. 58) : VII Jan. fuit moneta proclamata, vid. quod duplices ad conum Francie non [h]aberent amodo cursum, nec scuta aurea nec parvi mutones.
3. « Petis moutons d'or, pour ce qu'ilz estoient aux armes de France, furent mis à XII solz parisis » (Journal d'un bourgeois, p. 211).
4. *Et quidem propter* Paulum Nicolai de Sclavonia. *Vid. infra ad Octob.* 11.
5. *Pro Hermanno ille rotulus fuit primus. Vid. ad an.* 1423.

de utraque archa, et non sunt nisi tres de archa parva interiori et quinque de archa exteriori [1].

3m erat ad concordandum duo statuta contenta in juramentis procuratoris cum laudabili consuetudine facultatis et nationis. Jurat namque omnis procurator in creatione sua quod nullum baccalarium determinaturum, licentiandum, vel incepturum in artibus jurare permittet, nisi satisfecerit receptori. Jurat etiam, quod nullum bacalarium incepturum in artibus jurare permittet, nisi prius juraverit rectori Universitatis [2]. Consuetudo tamen est in oppositum, quia primo jurant procuratori, et cum ejus sigillo vadunt ad receptorem et rectorem.

4tum erat ad statuendum, ut claves archarum thesauri semel presententur circa Pascha post primam receptam, sicut et in festo Mathei presentantur.

5tum erat ad statuendum quod in casu quo receptor aliquibus crediderit vel vadia receperit sine consensu nationis, ipse tales debitores aut vadia nationi non presentet, sed simpliciter pro summa respondeat et nationi presentet, ne natio tale disturbium patiatur, sicut et aliquando visum est.

6tum erat ad ratificandum statutum de computando omni mense et pecuniam supereffluentem ad archam ponendo, aut quando requiritur per unum magistrum aut procuratorem.

7um erat ad restringendum statutum tangens, quod nemo lites seu jurgia cum aliquo suppositorum habeat, de quibus coram aliquo judice contendat, nisi coram natione [3], et hoc per appositionem hujus particule *primo*.

Et quoad ista voluit natio circa predicta providere, statuere et ordinare per tres congregationes, quarum una facta est, et per duas fiendas, specialiter et principaliter super istis ea, que sequuntur, et ea que tangunt receptorem et officium ejus, scribi in ejus juramentis et jurari ab eodem. Deliberavit ob hoc natio, voluit et ordinavit, propter cavillationes et conscientiarum remorsiones exstirpandas :

In primis quod receptor in sui creatione, antequam officium receptorie acceptet, tradat irrequisitus cautionem burgensem sufficientem pro tanta summa, quam pro illo anno credit se recepturum.

Item voluit, ut statutum illud de clavibus archarum corrigeretur ad conformitatem archarum, ut scilicet ponatur in statuto quod sunt quinque claves de archa exteriori, et tres de archa interiori, et altus Almannus sit custoditor quinte clavis exterioris arche.

Item voluit evellere illa duo statuta contenta in juramentis procuratoris obviancia laudabili consuetudini, nec de cetero procurator illa jurare haberet, et quod ibi ponatur signum et scribatur, quod propter non usum sunt dimissa.

Insuper placuit statuere, ut claves de archis thesauri presententur circa Pascha semel post primam receptam, scilicet determinantium, sicut et in festo Mathei presentantur.

Preterea placuit statuere, quod receptor nullo modo attemptet presentare debitores aut vadia sine consensu nationis captos vel capta, sed simpliciter et integre, omni contradictione semota, ipse receptor illam summam solvat et nationi presentet. Et hoc habebit jurare receptor in creatione sua.

Item placuit ratificare statutum de computando omni mense, aut quando requiritur per aliquem magistrum aut procuratorem, et pecuniam supereffluentem ad archam reponat, natione ad hoc specialiter convocata.

Item placuit restringere statutum cavens, quod nemo lites seu jurgia, etc., et voluit illam particulam *primo* apponere illi verbo *contendat*, ut scilicet nullus contendat cum aliquo supposito, nisi primo coram natione.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXIa die Augusti super duobus. Primum erat ad recipiendum pecunias in quibus magister Johannes Johannis obligabatur, et erat summa XIII libr., ut supra patet, et sibi tradendum sua vadia et ad eum quitandum. Et quoad istud recepte fuerant pecunie, scilicet XIII libre, et rehabuit sua vadia, scilicet libros de animalibus secundum viam [4] domini Alberti Magni, in duobus voluminibus distinctos, et natio ipsum ex integro quitavit de totali summa, scilicet XIX lib., quia ante sex libras dedit aurifabro pro virga et ampullis, et modo XIII. Et regraciabatur sibi natio eo quod sine monitione, sponte et voluntarie, solverat. 2m fuit super una obligatione, qua magister Guillelmus Scut obligatur nationi in una corona pro sua inrotulatione, que fuit XXIII° anno. Et quoad hoc placuit nationi sibi scribere, ut esset memor sue salutis et satisfaceret nationi, quia obligabat se sub pena camere apostolice, nisi satisfaceret anno predicto ante festum Remigii [5], quod tempus diu exspiraverat, et predicte pecunie posite erant ad archam nationis, demptis XVIII solidis paris., qui erant traditi domino recep-

1. *Vid. ad Jul.* 2, p. 384, 1 *sqq.*
2. *Vid.* Chartul., II, p. 672.
3. *Vid.* Statutum *supra ad an.* 1423, p. 299, 25.
4. *I. c.* doctrinam.
5. *Vid.* p. 301, 9 *sqq.*

tori, eo quod erant in moneta duplicium [1] et Britonum. Et quia predictus magister Johannes Johannis iverat ad partes Hollandie, clavis de archa nationis, quam custodiverat, tradita fuit magistro Jacobo Hattem. P. de Gouda.

1428

(*Fol.* 24) Sequuntur agenda in procuratoria magistri Martini Berech, cui originem prebuit regni Hungarie inclita tellus.

Facta igitur congregacione venerabilis nacionis Anglicane [2] apud ecclesiam Sancti Maturini super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus vero de aliquibus articulis, quibus nondum erat finis per deliberationem nacionis positus. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit magister Martinus concorditer nemine reclamante in procuratorem. Quoad 2^{m} conclusum fuit, ut materie seu articuli imperfecti prosequerentur. Quoad 3^{m} supplicacio domini antiqui procuratoris fuit concessa. Acta sunt hec loco ubi supra, M° CCCC° XXVIII° in crastino beati Ludovici dudum Francorum regis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 6^{a} die Septembris super duobus articulis. Primus erat ad videndum intencionem nacionis quoad Hermanum subbedellum, qui michi dicebat, quod nacio concesserat sibi octo francos, et quod de hoc erat conclusio habita per precessorem meum. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit nacioni, ut dominus Hermanus subbedallus haberet illos octo francos per modum mutui. Quoad 2^{m} supplicavit magister noster magister Johannes Arnhem [3], ut recompensaretur; et conclusum fuit, quod si contentaretur de sex scutis una cum alias traditis, nacio eidem libenter deliberaret; magister tamen noster noluit contentari de illis sex coronis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum vicesima prima die Septembris super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini substituti et eligendum novum receptorem. 2us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum compotus fuit auditus. Quo habito, deductis et defalcatis expositis, dominus receptor manet debitor nacioni in uno scuto et XII denariis paris. Item fuit electus in receptorem magister Rogerus de Edembourg.

[Magistri regentes hujus anni.]

Quoad 2^{m} supplicavit magister Johannes Leydis [4] pro scolis, cujus fidejussor est magister Rogerus de Edembourg [5].

Item supplicavit mag. P[etrus] Leydis [6], cujus fidejussor mag. Jacobus de Go[u]da.

Item supplicavit mag. Jacobus Hattem, cujus fidejussor mag. Petrus Leydis.

Item supplicavit mag. M[artinus], cujus fidejussor mag. Theodricus [Harlem].

Item placuit nacioni expectare mag. Imbertum pro regencia usque ad festum sancti Remigy.

Sequuntur nomina magistrorum habencium claves de arca nacionis, in qua thezaurus nacionis est depositus.

Dominus receptor; mag. Jacobus de Gouda; mag. Rutcherus Bloot; mag. Theodricus Herlam; dominus procurator. Isti habent claves exteriores.

Mag. Johannes de Leydis [7]; mag. P. de Gouda; mag. Jacobus Hatthen. Isti habent claves de arca interiori.

1428

(*Fol.* 24^{b}) Continuacio magistri Martini Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane [8] super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us ad concludendum quid fieret de expensis in festo nacionis expositis, an scilicet totam misiam nacio solveret vel partem, quoniam exposite fuerunt quatuo[r] libre cum medio. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quoad 2^{m} placuit nacioni, quod dominus receptor de dicta summa solvat unam libram more consueto, residuum vero nacio, scilicet tres libras cum dimidia.

1. « Duplices, quorum tres valebant album de cugno Francie, fuerunt omnino prohibiti » (Arch. nat. Paris., LL. 113, *fol.* 77). *Vid. supra ad Aug.* 11.
2. Vicesima sexta Augusti *e* lib. rec. (*fol.* 8).
3. *Ms.* Harlem.
4. *Ms.* Leudis.
5. *Ms.* Egembourg.
6. *I. e.* Petrus de Gouda, *quod supra lin. notatum est.*
7. *Ms.* Leudis.
8. *Verisimiliter* Sept. 23.

Quoad 3^m^, supplicacio domini procuratoris fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum undecima die Octobris super duobus articulis. Primus ad ordinandum de facto magistri nostri, magistri Johannis Arnhem[1]. 2us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit nacioni tradere magistro nostro supradicto sex scuta pro penis et laboribus in curia Romana per ipsum sumptis pro nacione contra mag. Paulum de Sclavonia. Placuit insuper nacioni tradere deputatos ad requestam magistri nostri nominatos, scilicet dominum procuratorem, qui pro tunc erit, et mag. Joh. Johannis et dominum receptorem, qui habebunt videre, an magister noster debeat contentari de duodecim coronis sibi traditis per nacionem, an non, pro penis et laboribus favore nacionis contra mag. P[aulum] de Sclavonia sumptis in Romana curia, sic tamen quod dicti deputati habebunt refferre in nacione suum avisamentum in hac materia. Et tunc erat electio rectoris[2].

1428

Continuacio ejusdem mag. M[artini] Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane vicesima prima die Octobris apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit procurator antiquus. Quoad 2^m^ supplicavit idem procurator, ut acta per ipsum in sua procuracione nacio haberet grata et avuata, et supplicacio ejusdem fuit concessa.

1428

(*Fol.* 25) Sequuntur acta in procuratoria magistri Petri de Gouda, nati de Leydis.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVIII^a^ die Novembris super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad hunc articulum electus fuit concorditer magister Petrus de Gouda, de Leydis natus. Secundus articulus fuit de ordinatione festi sancti Eadmundi tunc instantis et de prandio habendo eadem die; et quoad hunc articulum voluit natio solemniter festivare diem sancti Eadmundi; voluit et supplicare magistro nostro magistro Johanni Grawersteyn[3] Ordinis Predicatorum, ut missam celebraret, ipsumque ad prandium invitare, et constituit provisores prandii dominum receptorem, magistrum Johannem Johannis et magistrum Rutgerum Bloot. Tercius articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis; et quoad hunc articulum supplicavit antiquus procurator in actis per ipsum haberi gratus ac avoatus; cujus supplicatio fuit concessa. Supplicavit etiam magister noster magister Johannes de Arnhem, ut deputati conveniant sibi assignati per nationem in facto expeditionis sue de ulteriori summa, quam requisivit ex parte sue ambaciate facte in curia Romana in causa nationis contra magistrum Paulum de Slavonia. Etiam ut natio vellet scribere magistro Guillelmo Bloc, ut sibi satisfaceret de hiis que sibi debebat. Cujus supplicatio fuit concessa.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Julianum Pauperem, ubi et tunc facultas artium erat congregata, 11^a^ die Decembris super tribus. Primum ad restituendum domino receptori nationis predicte ea que ultra summam a natione receptam exposuit in factis nationis, et sibi tradendum aliquam quotam pro ulteriori expeditione factorum nationis, quod et placuit nationi. scilicet ut exposita summam receptam excrescentia sibi restituerentur, et aliqua quota superadderetur ad expediendum facta prefate nationis. 2^m^ fuit super aliquibus tangentibus statum, honorem et utilitatem nationis, et specialiter super provisione aliquorum statutorum superius expressorum. Et quoad hoc, quia materia facultatis artium tunc proposita grandis erat et ardua, similiter et ista, voluit natio quod fieret specialis convocatio nationis super predicto puncto, ut eo melius et maturius super eadem materia posset deliberare. 3^m^ fuit super supplicationibus; et quoad hoc nullus supplicavit.

Item septima die Decembris secundum deliberationem nationis Anglicane superius immediate expressam capta fuit certa quota pecunie ex archa nationis ejusdem tradita domino receptori presentibus procuratore, receptore, magistro Jacobo de Gouda, magistro Johanne [de] Leydis, magistro Jacobo Hattem

1. *Ms.* Herlam; *Lib. rec.* Hernem (*fol.* 8 b.)
2. *Octob.* 10 *in rectorem electus est* Hugo Majoris, *e* lib. receptoris, *fol.* 9. Bul. V, 920 *perperam* Joh. Danchy. *An.* 1428 (1429), *Jan.* 27, Hugo Majoris *fuit licent. in theol. et jam an.* 1429 *commissus ad licentias dandas in theol. et medicina. An.* 1433 *primus ambassiator Universitatis ad papam, et exspectavit canon. et decanatum eccl. Elnens.* (Suppl. Eug. IV, n° 277, *fol.* 187).
3. *Vel* Gravenstein, *de quo supra ad an.* 1418 *et* 1426.

et ambobus bedellis prefate nationis, Boemundo scilicet et Hermanno. Ista vero quota continet II libr. paris. in moneta cum IIII sol. paris., dimidium nobile[1] et quinque coronas aureas. P. DE GOUDA.

1428

(*Fol. 25*[b]) Sequuntur acta in procuratoria magistri Rutgheri Bloot, oriundi de Huesden.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum Pauperem XVI[a] die mensis Decembris super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad articulum primum electus erat in procuratorem magister Rutgherus Blooet de Huesden. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus antiquus procurator, ut de actis per ipsum tempore sue procuracionis haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Cujus supplicacio fuit ab omnibus magistris concessa nemine reclamante.

Item in eodem die fuit congregacio facultatis artium ad eligendum novum rectorem et intrantes. Quantum ad primum articulum electus fuit in rectorem magister Petrus Mauricii[2], et datus erat intrans magister Johannes Johannis, alias Johannes Reyneri. Et supplicavit antiquus rector, quod haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacio fuit concessa in forma.

Insuper supplicavit dominus antiquus procurator nomine magistri nostri magistri Johannis de Aernhem, ut expediretur de ulteriori summa et quod sibi fieret recompensacio condigna pro laboribus per ipsum captis in curia Romana. Voluit nacio et conclusit, quod ipse esset contentus cum pecuniis habitis et receptis, et quod merito deberet contentari et quod sibi nichil superadderetur.

1429

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum undecima die mensis Januarii, et ibidem supplicavit in nacione dominus Hermannus Fabri subbedellus venerabilis nacionis Anglicane, ut nacio sibi vellet dare licenciam propter causas multas imminentes sibi; primo quia pater suus obiit et decessit ab hac vita humana; 2° quia munimenta sua forte essent amissa et perdita propter pestilenciam regnantem in curia Romana, et ipse voluit libenter substituere alium, aut Boemundus faceret omnia facienda, [qui] pro ipso in sua absencia honus acceptavit, si et in quantum dictus Hermannus aliquo modo aliquem juvenem seu scolarem in coadjutorem in certis negociis ordinaret. Item dictus Hermannus se optulit promptum et paratum ad ea negocia facienda, in quibus dicta nacio preciperet sibi in quacumque execucione facienda, non solum in factis nacionis, sed eciam in factis suppositorum dicte nacionis. Facta autem supplicacione dicti domini Hermanni, supervenit Bomondus annuens supplicacioni et exponens certa negocia, dicens ipsum antiquum et flebilem[3], non omnia onera sufferre ac si dominus Hermannus faceret et presens esset; tamen in supportando ipsum acceptavit onus ex parte dicti Hermanni, dummodo ipse dominus Bomondus accidentalia[4] haberet in absencia ipsius, dempta bursa. Insuper dominus Hermannus optulit se promptum et paratum (*Fol. 26*) matri nacioni sue satisfacere de debitis pecuniis, scilicet de summa quinque scutorum in auro, et decem et octo sol. in moneta per ipsum seu per alios de quibus nacio erit bene contenta, et tenet eundem Hermannum gratum, avoatum et recommendatum ac continuatum in suo officio, ad quemcumque locum se direxerit. Et super isto nacio conclusit et eidem Hermanno licenciam dedit, dummodo alium presentaret, qui haberet adjuvare in factis nacionis usque ad suum reditum. Insuper nationi placuit quod virga ad archam poneretur, nisi substitutus vellet dare cautionem condignam.

1429

Continuacio magistri Rutgheri Bloot.

Acta autem sunt hec in sua prima continuacione.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum decima tercia die mensis Januarii, videlicet ipso die Firmini, super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum autem ad primum articulum continuatus erat antiquus procurator nemine reclamante. Et supplicavit idem procurator,

1. *Moneta Anglica, quae valebat* 60 *sol. turon. Vid.* Journal d'un bourgeois de Paris, p. 153.
2. *Recte* BUL., V, 920. *Rector ille fuit prov. Franciae, de quo jam supra* p. 359, *not.* 3.
3. *Cum jam fere a* 40 *annis, vel saltem ab an.* 1392 *fuisset bedellus. Vid. tom.* I Auctarii. *Et tamen per plus quam* 20 *annos postea bedellus remansit. Vid. infra et in* Introductione.
4. Incerta (*gallice* le casuel), *ut adhuc in quadam terra benedicta servitores aliique dicunt, ubi magis de incertis, quam de mercede eis debita vivunt.*

ut in factis et actis per eum nacio eum haberet gratum, avoatum et recommendatum. Cujus supplicacio erat concessa in forma. Insuper supplicavit magister Jacobus de Gouda nomine magistri Petri de Gouda [1], quod receptor vellet sibi dare quatuor solidos, quos magister Petrus exposuit in novissima sua procuratoria. Super isto nacio conclusit, quod si magister Petrus non habuit quatuor solidos a receptore in ultima procuratoria sua et exposuit pecunias ex propria bursa, quod rehabeat a receptore nacionis, et esset dignum.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum vicesima die mensis Januarii, et ibidem supplicavit dominus Hermannus Fabri subbedellus venerabilis nacionis Anglicane, ut nacio sibi vellet dare licenciam propter multa puncta alias tacta. Insuper dixit quod Boemundus faceret omnia facienda in nacione, dummodo haberet alium juvenem [2], qui haberet ipsum juvare et coadsistere. Et tunc in presencia nacionis dictus Hermannus presentavit unum juvenem nuncupatum Johannem Zandacker [3]. (*Fol. 26 b*). Insuper dominus Hermannus optulit se promptum et paratum ad satisfaciendum nacioni matri sue de debitis pecuniis, scilicet de summa octo francorum, et voluit presentare respondentem, videlicet Guerrinum [4] bedellum facultatis medicine; tamen propter absenciam suam nacio conclusit, quod dictus Hermannus una cum Guerrino accederet ad dominum procuratorem, et conficeret litteram obligatoriam coram notario publico, ut satisfaceret de dicta summa ante festum Pa[s]che. Insuper dictus Hermannus presentavit virgam suam in nacione et conclusit, quod poneretur in archa nacionis. Insuper dominus substitutus haberet prestare juramenta, ut haberet fideliter exercere officium subbedelli in absencia dicti domini Hermanni. Insuper dominus Boemundus haberet omnia accidentalia et omnia emolumenta domini Hermanni.

Insuper supplicavit magister Johannes Johannis, et eciam alii magistri, ex quo ipse et alii magistri singulares erant nominati in rescripto magistri Pauli, si contingeret ipsos ledi per dictum magistrum Paulum, aut ab aliis nomine sui, et eciam alia supposita nacionis, quod nacio vellet accipere factum tanquam suum. Cujus supplicacio erat concessa nemine reclamante. Eciam nacio dedit domino Hermanno licenciam usque festum sancti Johannis. Insuper supplicavit honorabilis vir frater Georgius [5] etc. de Ordine Augustinencium et de nacione eadem, ut nacio sibi in aliqua summa pecunie subveniret, quia nullum subsidium habuit a claustro, et monasterium suum erat combustum et destructum. Insuper excusavit se quare non venit ante festum suum, et quare non invitavit magistros de nacione, quia penitus nullam noticiam habuit cum illis de nacione, et erat graduatus in facultate theologie. Et nacio dedit sibi duas libras parisiens., videlicet quadringinta solidos parisiens.

Blooet.

Facta fuit congregacio nacionis vicesima septima die mensis Januarii super duobus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum novit nacio quomodo et qualiter magister Paulus propter multos excessus et arduas causas privatus erat non solum a nacione et facultate, sed eciam ab Universitate, tandem magister Paulus se personaliter transtulit ad curiam Romanam et ibidem ducens multa placita, tandem perpetravit rescriptum in curia Romana, quod poneretur in nacione in loco et honore pristino ac eciam esset licenciatus in theologia; et si nacio non consentiret, ipse habuit commissarios, qui habebant potestatem apostolicam, ut ipsum (*Fol. 27*) in nacione ponerent et ad gradum theologie esset acceptus [6]. Istud autem rescriptum presentatum et lectum erat in nacione.

1. *Ms.* Ganda.
2. *Ms.* iuuinem *hic et infra*.
3. *Seu* Santacker. *An.* 1426 Joh. Zantacker de Nerwen, *Traject. dioec. intitul.* Coloniae (Keussen, Matrikel, I, 226). *An.* 1430, *jam rector altaris S. Georgii sui loci natalis, petit ut ad omnes ordines non obstante defectu natal. possit promoveri* (Suppl. Mart. V, n° 257, *fol.* 31 b).
4. Guerinum de Roncuria, *subbedel. fac. med. ab an.* 1408, *Febr.* 4, *bedellus magnus ejusdem ab an.* 1417, *Dec.* 27.
5. Georgius de Valle speciosa, *qui an.* 1427 (1428), *Jan.* 12, *licent. est in theol.*
6. *Sed Universitas Romam misit mag.* Joh. Potage, *qui jam Julii* 1428 *in curia fuit, et nominatur* defensor in causarum palatio, *et* nuntius Universitatis (Suppl. Mart. V, n° 220, *fol.* 262) *ut nuntius adhuc Decemb. et postea ibi remansit* (ibid., n° 225, *fol.* 121; n° 227, *fol.* 137). *At* Paulus Nicolay *etiam interim incarceratus* (*vid.* p. 368, *not.* 2) *supplicavit papae, ut a jurisdictione episc. Paris. eximeretur, quod an.* 1429, *Febr.* 18 *obtinuit:* Beatissime pater. Cum S. V. devoti oratoris Pauli Nicholai in artibus magistri et in theologia bacallarii formati Parisius, presbyteri Zagrabiensis dioecesis, adversarii, Johannes scilicet Potage et Petrus Mauricii, olim rectores Universitatis studii Parisiensis successive, Rolandus Berguel, Johannes Pulcripatris, Johannes de Fonte, officialis Parisiensis episcopi ceterique (S. V. alias in commissionibus et appellacionibus expressi, quos dignemini habere hic pro sufficienter expressis suisque tempore et loco exprimendis) ipsum propter appellaciones ad sanctam sedem apostolicam et V. S. interjectas et sui juris prosequcionem unanimiter pertractando diris afflixerunt carceribus Parisius inique et sine ulla causa, et adhuc unus eorum, Johannes scilicet Potage, in Romana curia actu presens nuper publice dixerit, sibi displicere quod dictus orator in prefatis carceribus non manserit usque ad mortem, ne evadens vexaret eosdem, et quod si venerit Parisius, denuo non de facili veniet Romam; sepedicta vero S. V. causam inter predictos oratorem ex una et suos adversarios partibus ex altera pendentem remiserit

Quo audito et lecto voluit nacio, quod darentur deputati, qui haberent visitare una cum hominibus doctis et jurisperitis, et nacio dedit deputatos, videlicet magistrum Johannem Johannis, dominum receptorem, magistrum Martinum, magistrum Jacobum de Gouda, una cum procuratore, et eciam dedit unam minutam magistro Petro Maugier [1], ac eciam magistro Johanni Lohier [2], ut darent nacioni concilium et auxilium. Insuper nacio voluit conformiter laborare in ista materia, sicut facultas theologie. Insuper quantum ad articulum supplicacionum, supplicaverunt magistri nominati in rescripto, quod si contingeret ipsos gravari, aut si eciam vellet facere specialem actionem contra ipsos, quod nacio vellet factum capere tamquam suum. Cujus supplicaciones erant concesse in forma. Blooet.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Mathurinum quarta die mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum examinatores bachallariorum secundum formam statuti et ad distribuendum menses in cameris. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electi fuerunt examinatores, videlicet procurator, dominus receptor, magister Johannes Johannis et magister Martinus Berech. Insuper placuit nacioni, ut antiquior magister esset preferendus in distribucione mensium secundum formam statuti. Insuper magister Johannes Johannis presentavit duos antiquos libros nacionis [3], ut ponerentur ad archam nacionis. Quantum ad 2^m articulum nullus supplicavit.

1429

Sequuntur nomina determinancium anni 1428.

Item determinavit dominus Goswinus Lottini, Trajectensis dyoc., sub magistro Johanne Leydis, cujus bursa VIII sol.

Item det. dom. Henricus de Eylsich [4], Coloniensis dyoc., sub mag. Petro de Gouda, cujus bursa VIII s.

It. det. dom. Petrus Nicolay, Trajectensis dyoc., sub mag. Johanne Leydis, cujus bursa X sol.

It. det. dom. Johannes Zandacker [5], Trajectensis dyoc., sub mag. Petro de Gouda, cujus bursa nichil.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum quarta Februarii, et ibidem supplicavit magister Johannes Johannis nomine nacionis, qualiter nacio posset habere deputatos, quia dum in Constancia Concilium generale erat celebratum ultimate, virga nacionis erat missa cum ambaciatoribus, et tunc Universitas obligabat se, si virga esset perdita vel si indigeret aliqua reparacione, quod ipsa esset contenta satisfacere nacioni Anglicane. Et protunc in plena congregacione tunc celebrata idem magister Johannes presentavit instrumentum, in quo quidem instrumento continebatur, quod Universitas erat obligata; et modo nacio exposuit aliquam summam; supplicat ut dum deputati viderent instrumentum, Universitas retribuat nacioni. Cujus supplicacio erat concessa.

1429

(*Fol.* 27 b) Continuacio magistri Rutgheri Blooet.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum Pauperem decima die Februarii super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus erat antiquus. Quoad 2^m supplicavit idem procurator, ut acta per ipsum

Parisius, ubi non satis tutus accessus patet eidem, et juxta sacrorum tenorem canonum naturale quodammodo sit insidias inimici sub umbra judiciarie potestatis latitantis devitare : idcirco S. V. sepedictus orator supplicat humiliter, quatinus durante lite predicta dignemini eum eximere ab omni jurisdictione et potestate episcopi Parisiensis et cujuscumque ordinarii vel extraordinarii judicis citra sedis apostolice legatum aut in predictis causis delegatum, in omnibus et singulis causis et casibus, et quod hujusmodi exempcionis clausula inseratur predictarum causarum rescripto, privilegiis, statutis aut consuetudinibus non obstantibus quibuscumque, ne sepedicti adversarii prout alias fecerunt novas nugatoriasque non causas sed occasiones contra ipsum oratorem calumpniose confingendo, ipsum non modo a sui juris prosequcione impediendo involvant, verum et aliquid deterius contra eum machinentur, et predictarum causarum ad predictos adversarios remissio cedat in mortem ipsius oratoris, quod S. V. placere minime creditur, quam Pater eternus opimet feliciter et eve. — Fiat ad annum. O. Dat. Rome apud Sanctos Apostolos duodecimo kal. Marcii, anno duodecimo (Suppl. Martini V, n° 230, *fol.* 76).

1. *Seu* Maugerii, *de quo* p. 368, *not.* 4.

2. *Rotomag. dioec. An.* 1389 *ut baec. jur. can. Andegavis* Fournier, Statuts *etc.* I 300) *occurrit, cum jam an.* 1379 *stud. in leg. Aurelianis fuerit* (ibid., III, 467). *Ante* 1419 *jur. utr. licent., an.* 1431 *Rotomagi edixit, processum contra* Joh. d'Arc *nihil valere, et* « qu'ilz procèdent plus par haine que par autrement » (Quicherat, Procès, II, p. 11 *sq.*, 341), *noluitque interesse, immo Romam profectus est* (p. 380, 12), *ubi officio* s. palatii apost. causarum auditoris *fungebatur, ut saepe* in Suppl. Eugen. *affertur* (*v. g.* n° 321, *fol.* 136 b). *Alius est* Joh. Lohaer, *subdiac. Trecorens., an.* 1419 *baec. in decr., in secundo anno lecturae suae* (Suppl. Mart. V, n° 128, *fol.* 105 b), *an.* 1422 *jam licent.* (*ibid.*, n° 153, *fol.* 110 b).

3. *I. e. duos libros receptoris.*

4. *I. e.* Elsig.

5. *Qui tunc fuit subbedellus pro Hermanno Fabri.*

in sua procuracione nacio haberet grata, avoata et recommendata. Cujus supplicacio erat concessa in forma. Insuper supplicavit procurator, ut de illis quatuor solidis, de quibus ultimate erat difficultas, utrum magister Petrus de Gouda haberet aut nacio haberet. Nacio conclusit tunc pro finali conclusione, ut pro illa vice perpotarentur [1], et quod ammodo non fieret de eis mensio.

Eadem die fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum ad habendum novum temptatorem temptaminis Sancte Genofefe. Et a facultate receptus erat simpliciter magister Petrus de Gouda, oriundus de Leydis, presentatus per cancellarium Sancte Genovefe [2], et ibidem in presencia facultatis prestitit juramenta prestanda in manibus ejusdem cancellarii.

Facta fuit congregacio Universitatis eadem die, scilicet decima die mensis Februarii, et ibidem magister Johannes de Arnem, doctor in sacra pagina, accessit ad nacionem et fecit unam supplicacionem, ut nacio vellet scribere magistro Wilhelmo Bloc. Et habuit unam minutam et legit eam. Nacio voluit et conclusit, quod deputati haberent visitare minutam, et quod postea haberent concludere, minuta correcta, utrum haberent scribere ei aut non. Blooet.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum XV^a die mensis Februarii, et in deliberacionibus magistrorum procurator fecit mensionem de bursis Johannis Zandacker, qui tunc temporis subbedellus substitutus erat. Et procurator narravit quomodo Hermannus sibi promiserat omnia emolumenta ac bursas suas; in presencia vero nacionis idem Hermannus voluit quod non haberet, sed met [3] reciperet. Super isto autem nacio deliberavit quod nec dominus Hermannus bursas haberet nec eciam substitutus, sed voluit nacio isti Johanni dare inducias usque festum Pentecostes; in casu quo non solveret dictas pecunias, quod esset excommunicatus aut privatus a nacione.

(Fol. 28) Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Mathurinum vicesima prima die mensis Februarii super tribus articulis. Primus erat ad taxandum bursas Johannis Zandackars. Secundus erat super quodam modo novitatis. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum predictus Johannes juravit paupertatem, quia dixit se non habere pecunias, nec voluit se obligare ad hoc quod solveret infra festum Johannis Baptiste, sed, dummodo venerit ad pingwiorem fortunam, promisit satisfacere nacioni. Quantum ad secundum articulum Boemundus bedellus nacionis narravit, quomodo bacchallarii istius anni non faciunt ea que debent facere, et faciunt contra juramenta eorum, nam dummodo fuerint ad procuratorem et ad receptorem, debent accedere ad bedellum et satisfacere bedello, et postea bedellus habet ipsos introducere ad scolas, ut ibi disputent; oppositum autem fecerunt. Super isto autem nacio voluit quod satisfacerent infra duos dies inclusive tam bedello quam subbedello ac eciam hostiario scolarum; si autem recusaverint aut facere noluerint, nacio apponeret remedium. Insuper voluit, quod ab ista die non disputent nisi satisfecerint omnibus, quibus debent satisfacere in isto actu. Insuper dominus Boemundus narravit et recitavit quomodo *duo scolares de nacione nostra habitant ultra pontes* [4], *et superiores eorum estimant, quod habitant in Universitate* [5] et proficiunt in scolis. Super isto nacio dixit quod non potest compellere ipsos, ut *habitent* [6] *in Universitate*, sed voluit nacio, ut provisor Almanie una cum uno magistro et bedello accederent ad ipsos et requirerent, quod satisfacerent provincie; si autem recusaverint, intimabitur rectori, quod non dat ipsis sigillum Universitatis et quod non reputabuntur tamquam scolares seu studentes. Quantum ad 3^m nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum XXVI^a die mensis Februarii, et ibidem in deliberacionibus magistrorum supplicavit magister Johannes Johannis licenciatus in medicinis ut omnes magistri de nacione vellent ipsum honorare, et se vellent associare in die mercurii, que erat secunda dies mensis Marcii, quia tunc intendebat accipere gradum doctoratus in medicina [7], et ipsum honorare in scolis et accipere birretum et eciam in prandio interesse. Cujus supplicacio erat concessa nemine contradicente [8].

1. *Ms.* perpocerentur.
2. *Vix jam* Martinum Cate, *quanquam ad an.* 1437, *Mart.* 25, *scribitur, ipsum jam* per plures annos *officium cancellariae exercuisse* (Suppl. Eugen. IV, n° 326, *fol.* 239).
3. *I. e.* ipse Hermannus.
4. *I. e. in parte dextera Sequanae.*
5. *Quod bene notandum. Ut enim ex eo apparet, tunc etiam temporis, non tantum saeculis superioribus, scholares habitantes in parte dextera Sequanae fuerunt rari nantes in gurgite vasto; illi solum qui in insula vel in parte sinistra morabantur dicebantur* habitare in Universitate.
6. *Ms.* habitant.
7. *An.* 1434, *Jul.* 15, *affertur* (Joh. Johannis, alias Reyneri) *etiam ut bacc. formatus in theol., et presb.* (Suppl. Eug. IV, n° 289, *fol.* 200 b), *sed postea, an.* 1452, *solum ut art. et med. mag.* (Suppl. Nicol. V, n° 456, *fol.* 144).
8. *In pag.* 28b *et* 29, *a procuratore omissis nihil nisi quaedam sententiae per jocum adjectae, quas vid. in* Introductione.

1429

(*Fol. 29*^{b}) Substitucio magistri Jacobi Hattem de Campis, Trajectensis dyocesis, in procuratorem, in recessu antiqui procuratoris.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno mil^{mo} CCCC^{mo} vicesimo octavo, die quinta mensis Marcii super duobus articulis. Primus erat super substitucione alterius procuratoris. 2us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum magister Rogerus Bloet antiquus procurator protunc intendens recedere et accedere partes natales, proposuit nacioni, ut substitueret alium procuratorem, nondum enim dies determinatus electionis procuratoris aderat. Unde presentavit nacioni magistrum Jacobum Hattem de Campis, Trajectensis dyocesis, cujus presentacio placuit toti nacioni et omnibus suppositis ejus, nullo contradicente. Quare protunc antiquus dominus procurator conclusit quod predictus magister Jacobus esset procurator. Quantum ad secundum supplicabat antiquus dominus procurator, ut nacio haberet ipsum gratum et avoatum in hiis que nomine nacionis peregit, et subjunxit, ut ea que redigit in scriptis in sua procuratoria, legerentur, ne ipso absente sibi sinistra facta imputarentur. Quod erat factum et supplicacionem suam nacio concessit. 2° supplicavit magister Johannes Johannis, qui noviter erat doctorizatus in facultate medicine, ut nacio sibi vellet largiri aliquam quotam in alleviacionem sumptus sui festi, quemadmodum nacio consuevit subvenire suis suppositis ad altiores gradus promovendis. Et quia nacio protunc erat satis nûda et minime referta pecuniis, sibi concorditer respondit, ut adhuc aliquantum temporis dilacionem sufferret; pecuniis licenciandorum receptis, nacio ipsum sufficienter contentaret. Illo non obstante institit, ut haberet responsionem nacionis de certa quantitate summe, et quod tunc traderet nacio quando posset. Ad hoc dedit nacio in deputatos dominum procuratorem, dominum receptorem, magistrum Martinum et magistrum Jacobum de Gouda, qui haberent avisare de certa quantitate quote.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum die 7^{a} [1] mensis Marcii, magister Johannes Arnem accessit nacionem supplicans, ut nacio scriberet magistro Wilhelmo Block [2], ut eciam habetur supra in procuratoria magistri Rotgheri Bloet, et presentavit nacioni unam minutam. Nacio dedit deputatos ad visitandum ipsam, ut sigillaretur. Deputati erant dominus procurator, dominus receptor, magister Martinus Berich, magister Jacobus de Gouda. Littera visitata per deputatos inventa est sine defectu, quare sigillata, etc.

1429

(*Fol. 30*) Continuacio magistri Jacobi Hattem.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 10ma die Marcii hora 8va anno ut supra super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui substituti. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad 2um articulum mag. Jacobus Hattem in recessu magistri Rotgheri Bloet substitutus in procuratorem, fecit nacioni duas supplicaciones. Prima erat, ut nacio haberet ipsum gratum, recommendatum et avuatum in hiis que fecit. 2^{a}, ut ipse continuaretur. Que ambe erant sibi concesse in forma, nullo reclamante. 2° patet quid factum fuit ex consequenti ad primum. Sed dominus procurator fecit convocari eadem die et eodem mane, hora 7^{a}, deputatos, qui haberent avisare de certa quota postulata a magistro Johanne Johannis, de quo habetur supra, et cum non comparuerant omnes ad illam horam, magister Johannes Johannis supplicavit, ut tota nacio per juramentum convocaretur die sabbati sequente, que erat duodecima Marcii, ut si aliqui deputati forsan recusarent venire, vel saltem essent aliquantulum impediti, rigore juramenti ociarent se et disponerent ad veniendum, et in casu quo non venerint, tota nacio presens deliberaret de quantitate summe tradende predicto magistro Johanni. Que supplicacio erat eciam concessa.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die duodecima Marcii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super assignacione certe quote tribuende magistro Johanni Johannis, unde habetur supra. 2us erat communis super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum, quia tunc temporis magistri erant hinc inde impediti, aliqui in temptamine intrantium, aliqui aliunde, petiverunt dilacionem tractationis illius usque ad aliud tempus;

1. *Ms. prius* 6^{a}.
2. *Qui jam a tanto tempore debitor fuit, et tamen can. praebend. Tornac. erat, ut in* Suppl. Eugen. IV, nº 314, *fol.* 122, *ad an.* 1436, *quando jam defunctus erat, legitur.*

quare tunc temporis quoad istam congregacionem nichil fiebat.

Facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Maturinum die sextadecima Marcii super duobus articulis. Primus erat super ordinacione temptatorum baculariorum primi mensis temptaminis Sancte Genovefe, et super acceptacione juramentorum ad hoc consuetorum tam temptatorum quam temptandorum. 2us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nacio dedit ad temptatorem magistrum Johannem [de] Leidis, et erant coram facultate acceptata juramenta magistrorum et baculariorum. Quantum ad secundum supplicavit unus magister nationis Piccardie pro reservacione loci unius bacularii Piccardi 2^{e} camere absentis, existentis in Flandria. Que supplicacio erat sibi concessa, si ille bacularius se presentaverit ad introitum suorum sociorum ad cameram. In eadem congregacione supervenit magister Johannes Johannis, doctor in medicinis, multum commotus erga procuratorem, quod non fecerit finem de assignacione quantitatis quote sibi tribuende a nacione, unde habetur supra. Quare requisivit dominum procuratorem, ut convocaret nacionem, ut quilibet deliberaret de quantitate preneominata. Qui dominus procurator sibi tunc promisit, quod bona fide pro suo posse die sequenti nacione convocata factum terminaret secundum suum posse et vires.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die septima decima Martii super duobus articulis. Primus erat super assignacione certe quantitatis quote magistro Johanni Johannis tribuende. 2us erat communis super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum quilibet requisitus, ut juxta suam conscienciam deliberaret, an placeret ut magistro Johanni Johannis daretur illa quota que erat assignata per dominos deputatos, scilicet quota octo librarum parisiensium (*Fol. 30 b*), a maximo ad minimum, dixit et consensit quilibet sibi illam quotam fore tradendam, viso quod multociens Jacobitis, Augustinensibus et aliis in suis festis nacio succurrit, qui tamen nunquam fecerunt nacioni bonum [1] nec solent habere conventum in nacione, et magister Johannes Johannis multa bona nacioni diversis vicibus fecit. Et cum nullus reclamav[er]it, conclusum erat ut haberet summam pretactam. In ista congregacione hanc conclusionem erant deliberantes magister et dominus Hermannus de Sancto Dyonisio, magister Jacobus de Gouda, magister Petrus [de] Leidis, magister Theodricus Harlem. Quantum ad 2um nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum die 19^{a} mensis Marcii super tribus articulis. Primus ad eligendum novum rectorem, quia erat ultima dies legibilis ante festum Annunciacionis. 2us erat ad dispensandum, si oportunum esset quod fierent congregaciones, quod fierent, quia tempus erat inordinarium usque *Quasimodo* [2]. 3us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni Anglicane sicud et ceteris eligere rectorem, et ad hoc dedit in suum intrantem magistrum Jacobum de Gouda. Quantum ad 2um placuit dispensare. Quantum ad 3um nullus supplicavit.

Item intrantes perseveraverunt in conclavi quasi ultra horam propter discordiam, quam habuerunt inter se [3], quia intrantes nacionis Francie et Almanie consenserunt in magistrum Johannem de Gomonte, qui fuit nacionis Francie; intrantes vero Piccardie et Normannie in unum Normannum. Quare, ab ipsis pulsato hostio, rector [antiquus] intravit, capiens [4] primo juramentum, quod non descenderet ad aliquem nisi salva consciencia sua. Et quia in illo tempore arduissima negocia eciam diversa habebant tractari, que indigebant viro experto, descendebat ad magistrum Johannem de Gomonte Francigenam, quia fuit semel rector [5]. Magistro Johanne de Gomonte veniente ad facultatem, fecit facultati duas supplicaciones consuetas fieri. In reddicionibus deliberatorum per naciones, nacio Francie regraciata erat dominis intrantibus, quod elegerunt tam probum virum in rectorem, et concessit suas supplicaciones, et idem fecit nacio Almanie; sed nacio Piccardie et Normannie nec approbaverunt nec reprobaverunt electionem, nisi essent adhuc melius informate de modo electionis, quod erat propter unam cedulam directam ad dominum Almanum intrantem, inventam in ecclesia, intrantibus existentibus in conclavi, cujus tenor erat : « Magister Jacobe [6], rector non habet intrantem,

1. *Quia proprie ad nationem non pertinuerunt et non artibus studuerunt.*

2. *April. 3. Pascha fuit Martii* 27.

3. *In marg. cod. legitur :* Hujus quasi simile alias factum fuit de magistro Johanne de Landa Gallico et magistro Johanne Cranack Almanno, ut patet in libro antiquo in procuratoria magistri Thome de Lyn, anno Domini M° CCCC° XIII, XXIIII Marcii. *Vid. supra* p. 169 *sqq.*

4. *Pro* jurans *seu* praestans. *Ad haec* p. 169, *not.* 3.

5. Bul., V, 920, *ejus nomen perperam ponit ad an.* 1420, *Jun.* 23, *cum tamen solum an.* 1428 *primo rector fuisset* (*vid.* p. 374, *not.* 4), *et an.* 1429 *secundo in rectorem electus esset*, *posteaque saltem usque ad an.* 1435 *nunquam* (*vid.* Suppl. Engen. IV, n° 301, *fol.* 84, *ubi scribitur*, bina vice *rectorem fuisse*).

6. Jacobus de Gouda, *intrans nat. Anglic.*

quem credebat, non descendatis ad Normannum, sed statim ad magistrum Petrum [1]. » Antiquus rector non attendens deliberacionem nacionis Piccardie nec Normannie, processit ulterius et fecit novum [rectorem] jurare, imponendo sibi birretum supra caput. In qua imposicione procurator Piccardie se opposuit et appellavit. Istis factis, antiquus rector cum novo, cum procuratore Francie et procuratore Almanie iverunt ad domum novi rectoris. Alie due naciones manentes in ecclesia demandaverunt pro magistris omnium facultatum et pro aliquibus magistris nacionis Anglicane, qui de mane non fuerunt aut tarde venerunt ad Sanctum Julianum; unde isti inito consilio constituerunt novos intrantes ad eligendum novum rectorem, qui eligentes magistrum Gregorium Nicolai [2]; quo non volente acceptare officium, secundario eligerunt 3^{m}, nacionis Normannie [3], que electio fuit facta hora undecima de nocte. Istud percipiens magister (*Fol. 31*) Johannes de Gomonte de mane primo electus, fecit super isto fieri congregacionem Universitatis die sequente super cedacione tante confusionis. Facultatibus deliberantibus et causa discordie ab utraque parte expressa et percepta, concorditer habuerunt electionem magistri Johannis de Gomonte gratam et canonicam [4]. Similiter ad hoc erant due naciones, scilicet Francie et Almanie, quia in nacione Almanie solum duo erant sue electioni recalcitrantes. Et sic erat conclusum quod magister Johannes de Gomonte erat verus rector Universitatis Parisiensis. A qua conclusione nacio Piccardie appellavit ad curiam Romanam; et sic erat ibi separacio facultatum.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die vicesima 3^{a} mensis Marcii anno ut supra apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat principalis ad audiendum unum appunctuamentum avisatum per aliquos valens ad extirpacionem discordie suborte in officio rectorie, nam de die electionis rectoris, unde habetur supra, usque diem istius congregacionis erant in Universitate Parisiensi duo rectores statum rectorie tenentes; unde timebatur suboriturum magnum periculum et scandalum in Universitate, tam quoad Universitatem in se, quam quoad supposita ejus. Quare propter eundem articulum erant convocate eciam ibidem cetere alie naciones *per modum nacionum* a suis procuratoribus, et non *per modum facultatis* vel *Universitatis*. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Sed quia nacio Piccardie specialiter fuit tunc congregata in Sancto Juliano et ibi diu suam moram tenuit, videbatur bonum ambobus rectoribus in Sancto Maturino presentibus, quod nacio Francie et nacio Normanie et nacio Anglie cum ipsis eciam irent ad Sanctum Julianum, ut ibi lis et discordia extinguerentur, ubi suborte erant. Quod fuit factum, nam hiis duobus rectoribus precedentibus tres naciones eos sequebantur usque ad Sanctum Julianum. Nacionibus ibi modicum pausantibus, qualibet in suo deputato loco, magister Johannes Nicolai secundus rector postremo electus nacionis Normanie stans in loco sue nacionis, extollens vocem suam exorsus fuit materiam discordie, declarando causas sue electionis, subjungendo aliquas raciones persuasivas propter quas deberet teneri in rectorem. Quibus tamen non obstantibus ipse magis cupidus et affectivus concordie et pacis, quam sui honoris, quem habuisset de officio, supplicavit magistro Johanni de Gomonte primo electo, ut sibi vellet cedere hac vice in officio rectorie, quandoquidem si non esset voluntarius nec promptus, propter Deum et bonum pacis sibi pronunc cederet in officio prememorato, supplicans omnibus nacionibus, visis causis sue electionis, quod maneret in gracia ipsarum et haberetur recommendatus. Deinde magister Johannes de Gomonte primo electus, inchoans processum ejusdem materie perficiendo usque in finem, in mentem adduxit raciones et causas, quas scivit magis ydoneas ad declarandum electionem sui esse canonicam et ratificandam. Quare in fine sermonis sui supplicavit magistro Johanni Nicolai secundario electo, ut esset contentus de hoc quod perseveraret in officio rectorie. Et sic hinc inde per naciones erant facte multe et diverse supplicaciones pro concordia et pace, quia nacio Piccardie quasi semper apparebat stare in sua prima opinione. Sed finaliter protestata est, si magister Johannes de Gomonte humiliando se preberet magistro Johanni Nicolai eciam cessionem, quod ut cetere naciones ipsum teneret in rectorem. Quo per magistrum Johannem de Gomonte facto, quatuor naciones sub forma bone pacis cum secundario electo secuti sunt magistrum Johannem de Gomonte tamquam suum legitimum rectorem usque ad domum suam, capientes ibi vinum et species, ut est moris, de qua pace Deus sit benedictus in secula seculorum.

Quantum ad secundum articulum supplicavit domi-

1. *Intrantem nat. Gallic.*
2. *Qui fuit nat. Picard.*
3. Joh. Nicolai.
4. *Quem etiam* Bul. V, 920 *affert.*

nus procurator ex parte magistri Henrici de Dunghen, cum predictus magister Henricus habuit solvere bursas pro tribus licenciandis (*Fol. 31*b), et quia ipse non haberet pro nunc in prompto pecunias, ut daret sibi tempus dilacionis usque ad festum Johannis, in quo sui mercatores solent visitare nundinas de Lendyt[1], ad solvendum mediam partem, pro qua solvenda voluit tradere pignora, et aliam medietatem voluit solvere in prompto, que supplicacio erat sibi concessa. Ad idem supplicavit magister Petrus de Gouda pro duobus pro quibus eciam voluit dare pignora. Insuper supplicavit magister noster magister Johannes Aernem de sua littera sigillanda sigillo magno, unde habetur supra. Que supplicaciones erant concesse. Insuper erat requisitus dominus procurator, quod istam discordiam inter rectores subortam prehabitam redigeret in scriptis. Quod fecit, ut patet intuenti, magis sobrie loquendo quo potuit, scilicet non ledendo famam alicujus persone; quod si voluisset, faciliter fecisset. Item supplicaciones hinc inde facte protendentes ad concordiam erant concesse. Item nacio Francie supplicavit specialiter cuilibet nacioni, ut singulares discordie tunc temporis suborte inter singularia supposita alicujus nacionis et cause earum pertransirentur sub silencio propter bonam pacem. Ad quod nacio Anglie dedit deputatos pro discordia suorum suppositorum sedanda magistrum Johannem Aernem, dominum procuratorem magistrum Jacobum Hattem, magistrum Johannem Leidis. Item in ista eadem congregacione magister Martinus Berich stans erecto corpore supplicavit in communi alta voce singulis nacionibus, ut haberent ea que peregit grata et avoata, quia amore aliarum nacionum hoc fecit. Ad quod respondendo in reddicionibus deliberatorum, nacio Piccardie et nacio Normanie concorditer concesserunt supplicacionem magistri Martini, ita in casu quo magister Martinus propter ea que fecit calumpniaretur ab aliqua nacione, ipse naciones caperent factum magistri Martini sicud proprium[2].

Nomina licenciatorum anni XXIX.

Item primo dominus Albertus Vorden de Campis, Trajectensis dyocesis, incepturus sub magistro Jacobo Hattem; cujus bursa quatuor sol.

Item licenciatus fuit dom. Ghiisbertus Horn, Trajectensis dyocesis, incepturus sub eodem, cujus bursa X sol.

It. lic. fuit dom. Philippus Groen, Trajectensis dyocesis, incepturus sub mag. Johanne Leidis, cujus bursa decem solidorum.

It. lic. fuit dom. Henricus Schuersack, Trajectensis dyocesis, incepturus sub mag. Martino Berich, cujus bursa VIII sol.

It. lic. fuit dom. Johannes Dyets, Treverensis diocesis, qui incepit sub mag. Jacobo de Hattem, cujus bursa X sol.

It. lic. fuit dom. Arnoldus Clavi de Prucia, qui incepit sub mag. Jacobo Hattem, cujus bursa IIII sol.

It. lic. fuit dom. Everardus Johannis de Harlem Trajectensis diocesis, qui incepit sub eodem, cujus bursa nichil.

(*Fol. 32*) Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die sexta Aprilis super duobus articulis. Primus erat pro proficiendo alicui supposito nacionis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum tunc temporis per mortem magistri Wilhelmi dicti

1. *Sed jam ab an.* 1426 *usque ad an.* 1444 *cessarunt istae nundinae, restituitae a* Carolo VII *an.* 1444, *April.* 15. *Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 373, *et not.* 2.

2. *Interim quatuor ambasiatores ab Universitate Paris. ad partes Bohemiae, ut dicebant* (*vid. infra ad Maii* 27), *mittebantur, qui Martii* 28 *Vindobonae erant, et postea* Posonium *ad conventum iter arripuerunt. Relatio de congressu cum Universitate Vindobon. edita est in* Conspectu hist. Univers. Vienn. I. (1722), p. 131, *sed cum multis mendis. Nos eam edimus ex* Actis fac. art., II, *fol.* 95 *in* Arch. Univers. Vindob. *Fuerunt tres doctores theol., quorum duo saeculares, et unus Ord. Min.; doctor decretorum, Ord. S. Antonii* (*cum* T *caerulei coloris super habitum*) *verisimiliter* Petrus de Pruvino, *nisi* Aymericus Segaudi, *decr. doct., prior monast. S. Antonii Viennens. dioec., qui an.* 1432 *ad preceptoriam generalem domus S. Antonii Pontismontonis Metens. dioec. aspiravit* (Suppl. Eugen. IV, n° 277, *fol.* 155b). *In* Act. fac. *sic legitur* : Quinto kalendas Aprilis 1429 congregata fuit Universitas hora sexta ante meridiem super articulis duobus. Primus ad recipiendum et audiendum ambasiatores Universitatis studii Parisiensis et ad deliberandum, quid ulterius expediat. Et ibi fuit presentata quedam littera Universitatis predicte exhortatoria et credencie, in qua quidem ambasiata fuerunt tres doctores theologie et unus decretorum, duo seculares scilicet et unus de ordine Minorum; et quartus de Ordine sancti Antonii deferens thau blaveum. Prelibatusque Minor habuit verbum ad nostram Universitatem cum arenga. Qua expleta mag. Petrus de Pirichenvart doctor nomine Universitatis eosdem suscepit cum collatione, Universitatem nostram Universitati Parisiensi in eorum personis commendando. Postea fuit conclusum, quod deputati Universitatis, scilicet decanus theologie mag. Thomas de Haselbach, dominus Johannes Seld decretista, decanus facultatis medicine mag. Erasmus de Lantshut, de facultate arcium mag. Narcisus de Perching, mag. Nicolaus de Grecz, visitarent sepedictos ambasiatores in eorum habitatione, dicentes deliberacionem Universitatis eisdem, fuitque predictis deputatis posse datum de honorancia si qua eis fieri deberet quod disponerent. Venientibus igitur premissis deputatis ad domum ambasiate sepenumero memorate, mag. Thomas d[ecanus] doctor ibidem fecit collacionem, et ipsi viceversa responderunt.

Pinguis Avis [1] vacaverant una cura [2] et una cappellania [3], quas Universitas habuit conferre, unde nacio intendens laborare pro bono suppositorum nacionis, requirebat procuratorem ut faceret istam congregacionem ad videndum de modo instandi cum Universitate pro istis beneficiis. Quare magister Johannes [de] Leidis supplicavit nacioni, ut aliquod suppositum nacionis nomine nacionis supplicaret Universitati congregande in hora nona illius diei, quod visa sua multiplici paupertate, quam exposuerat pro tunc nacioni, quod Universitas vellet sibi predicto magistro Johanni Leidis conferre capellaniam. Que supplicacio in nacione erat sibi concessa, unde magister Martinus Berich ob instanciam magistri Johannis pretacti indutus epitogio fecit pretactam supplicacionem pro magistro Johanne Universitati. In eadem congregacione venit ad nacionem magister Johannes Haze [4], lector *Ethice*, consulens nacionem, nam ut ipse retulit, claviger scole Jacobitarum, ubi ipse Ethicam legebat, petiit ab ipso ut inter scolares pro suis laboribus sibi fieret una collecta. Nacio sibi consuluit (viso quod talis collecta nonquam fuit visa pro lectione Ethice, licet claviger esset pauper), ne in usum traheretur, videretur sibi melius quod talem collectam sibi negaret.

Item in eadem hora fuit congregacio facultatis super dispensacione fienda de duabus cathedris magistrandorum in studio Normannie eodem mane vicibus successivis; et quia incepturi multum nobiles erant, qui nitebantur facere sua festa simul, facultas concessit duas cathedras pro illa sola vice.

1429

Continuacio secunda magistri Jacobi de Hattem.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die 7ma Aprilis super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, aut ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum erat continuatus antiquus nullo reclamante, unde procurator regraciabatur nacioni. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator, ut ea que facta erant per ipsum in sua procuratoria, haberentur grata, avoata et recommendata; eciam ut ea que redacta erant in scriptis legerentur; eciam ut in peragendis nacio daret sibi consilium, auxilium et favorem. Que supplicaciones erant sibi concesse. Verumptamen magister Martinus Berich reddidit se difficilem de avoacione procuracionis quoad unam conclusionem, scilicet superius habitam de tradicione certe quote assignate et tribuende magistro Johanni Johannis, eo quod in illa conclusione non erat presens; quare requirebat procuratorem, ne daret magistro Johanni aliquam cedulam signatam sigillo procuratorie de predicta quota. Sed residua pars nacionis reputabat suam requisicionem frivolam et causam requisicionis nullam, eo quod sufficienter et debito tempore erat convocatus, sicud et alii; quare a residua parte [procurator] erat requisitus, ut expediret conclusionem pretactam, quando fuerit requisitus, quantum esset in ipso. Secundo supplicavit magister Petrus de Gouda pro assignacione scole, et ut nacio reputaret ipsum regentem, quia intenderet legere et continuare suam regenciam. Ad quod nacio respondendo dixit Boemundo, quod assignaret sibi scolam si esset aliqua vacua. Insuper supplicavit magister Engelbertus Andree, ut nacio reputaret ipsum regentem et assignaret eciam sibi scolam, nam de festo Remigii non legit in vico Straminis ad tempus presens. Quod nacio sibi concessit in quantum possibile esset apud nacionem reputare aliquem regentem, qui prius non fuit regens. Insuper supplicavit magister Henricus de Dunghen nacioni pro Everardo de Boelzwardia, qui per duos annos fuit Pariseus (*sic*) et audivit libros debitos audiri a baculario, qui eciam temptatus fuit pro gradu bacularíatus et admissus, ut nacio reputaret ipsum bacularium, nam propter penuriam non potuit solvere bursas in gradu baculariatus solvendas; quare post disputaciones quadragesimales ivit ad partes, (*Fol. 32* b) manendo ibi per totam estatem et hyemem. Et quia jam reversus erat et voluntarius ad solvendum suas bursas, ne nacio frustraret suum tempus per quod fuit Pariseus, nam ad nichil stetisset Pariseus, nisi nacio sibi graciam contulerit. Que supplicacio erat concorditer concessa, etc.

1. *Seu* Grasoisel, *mag. in theol.*, *licent. an.* 1411. *An.* 1428, *Octob.* 13, *ipse* « qui senex existit, Rothomag. dioc. oriundus, rector paroch. eccl. S. Germani vet. Paris. », *petit*, « ut quoad vixerit valeat dicere horas canon. ad usum eccl. Rothomag. » (Suppl. Mart. V, n° 222, *fol.* 152 b).

2. *Cura S. Germani veteris Vid.* Mém. sur les bénéfices. p. 140.

3. *In Castelleto. Vid. ibid.*

4. *Nationis Normann. Vid. infra ad an.* 1429, *Dec.* 5, p. 425, *not.* 1.

Sequuntur nomina incipiencium anni XXIX.

Item primo incepit dominus Albertus Vorden de Campis, Trajectensis dyocesis, sub magistro Jacobo Hattem, cujus bursa quatuor sol.

It. inc. dom. Ghiisbertus Horn, Trajectensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa decem sol.

It. inc. dom. Philippus Groen, Trajectensis dyocesis, sub mag. Joh. Leidis, cujus bursa decem sol.

It. inc. dom. Henricus Schuersac, Tkrajectensis dyocesis, sub mag. Martino Berich, cujus bursa VIII sol.

It. inc. dom. Johannes Dyets, Treverensis dyocesis, sub mag. Jacobo Hattem, cujus bursa X sol.

It. inc. dom. Arnoldus Clavi de Prucia sub mag. Jacobo Hattem, cujus bursa IIII [sol.].

It. inc. dom. Everardus Johannis, Trajectensis diocesis, sub mag. Jacobo de Hattem, cujus bursa nichil.

Facta fuit congregacio facultatis die undecima Aprilis super ordinacione bacalariorum ad cameras. Venit ad nacionem magister Georgius [1] Augustinensis noviter doctorizatus in theologia, cui nacio concessit in alleviacionem sumptus sui festi duas libras, regraciando nacioni de concessis, petens ut ille due libre sibi pie per nacionem elargite expedirentur, quia maxime protunc pecuniis indigeret. Nacio sibi respondit, quod exhortaretur dominum receptorem ad hoc, ut sibi prestaret libras pretactas, et voluit ut sibi expederentur (*sic*) cicius quo possint.

(*Fol. 33*) Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die quarta May apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad acceptandum et audiendum juramenta unius bacularii licenciandi, qui voluit jurare paupertatem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum dominus Everardus Johannis de Harlem, bacularius in artibus licenciandus, juravit in facie nacionis quod facta omni diligencia quam quis tenetur facere, se protunc non habere facultatem satisfaciendi nacioni pro bursis nec habere vadia, que possint ascendere ad valorem bursarum; et in casu quo ad fortunam pinguiorem pervenerit, ipsum satisfacturum nacioni, preveniendo requestam nacionis. Et sic patet quid factum erat quantum ad primum, quia placuit audire juramenta sua et audivit. Quantum ad secundum nullus supplicavit, sed ego procurator eram requisitus, ut requirerem dominum receptorem ad prestandum compotum nacioni de receptis, viso quod magistrandi anno presenti erant expediti et per consequens recipienda venerunt ad manus suas, et sic protunc erat conclusum. Ja. de Hattem.

1429

Continuacio mag. Jacobi de Hattem.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die quinta mensis Mai apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, aut ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus erat antiquus concorditer nullo contradicente, unde antiquus regraciabatur nacioni. Quantum ad secundum antiquus fecit nacioni duas supplicaciones. Prima erat, ut ea que fecit in sua procuratoria nomine nacionis haberentur grata, avoata et recommendata; secunda, ut in peragendis per ipsum nomine nacionis, nacio dignaretur sibi conferre consilium, auxilium et favorem. Que ambe concorditer erant sibi concesse.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die vicesima quarta Mai super duobus articulis. Primus erat concernens honorem nacionis; secundus communis [super] supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum dominus Hermannus Fabri subbedellus nacionis protunc existens in curia Romana in quadam sua littera supplicavit nacioni matri sue tria: primum, ut esset et maneret semper in gracia nacionis; secundum, quia debebat nacioni ipso recedente a Pariseus quinque coronas in auro, et XVIII sol. paris., ut nacio defalcaret debitum ad bursas sibi a nacione pro illo anno debitas, et in casu quo summa bursarum suarum non ascenderet ad quantitatem debiti, promisit se satisfacturum nacioni quoad residuum cicius quo sibi fuerit notorium et certificatum; tercium, ut nacio vellet intercedere pro ipso ad Universitatem pro littera testimoniali de hoc, quod fuit nuncius deputatus missus ad Consilium generale [2] ex parte Universitatis, quia hoc cavebatur in suis litteris apostolicis. Quas supplicaciones omnes et singulas nacio concessit. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio Universitatis in Bernarditis die vicesima septima Mai super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras domini impera-

1. De Valle speciosa. *Vid.* p. 396, 10, *et not.* 5. *Mag. seu doctor theol. factus est eodem anno, Januar.* 18. *Vid.* Lib. bedelli fac. theol., p. 77.

2. *I. e. ad* Concilium Senense *an.* 1424.

toris [1], domini cardinalis [2], domini ducis Austrie [3] et Universitatis Wiennensis [4], quas apportaverant domini *ambaciatores de partibus Bohemie* [5]. Secundus articulus ad disponendum de beneficiis tunc vacantibus per mortem magistri Wilhelmi Pinguis Avis. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad istum tercium articulum supplicavit dominus procurator magister Jacobus de Hattem Universitati duo : primum ex parte nacionis, ut Hermannus Fabri sub[be]dellus nacionis Anglicane haberet litteram testimonialem de hoc quod alias fuit missus ad Consilium generale tamquam bedellus ad hoc deputatus ; secundo supplicavit dominus procurator, ut haberet unam litteram recommendatoriam pro ipso ad scolasticum ecclesie et scole Daventriensis, ut sibi conferret studium. Que supplicaciones erant ambe admisse, vel eciam ad alium locum.

(*Fol. 33*[b]) Facta fuit congregacio Anglicana apud Sanctum Maturinum die prima Junii super duobus articulis. Primus erat ad visitandum et ad sigillandum duas litteras recommendatorias, pro quibus dominus procurator mag. Ja. de Hattem supplicavit, ut habetur superius. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, litteris visitatis, erant sigillate. Quantum ad secundum nullus supplicavit. JA. HATTEM.

1429

Procuratoria mag. Jacobi de Gouda.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane in Sancto Maturino anno Domini millesimo CCCC° XXIX°, mensis Junii 2ª die, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Qantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Jacobus de Gouda. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus in suis actis, et fuit concessa ejus supplicacio. JA. DE GOUDA.

Facta fuit congregacio facultatis arcium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum rectorem et ut [6] naciones haberent dare intrantes. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in rectorem magister Gregorius Nicolai [7] nacionis Piccardie, et intrans fuit magister Martinus Berecht. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus rector, ut haberetur gratus et avoatus ; et concessa fuit ejus supplicacio. Acta sunt hec in profesto Johannis [8].

Facta fuit congregacio nacionis super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus fuit super debitis magistri Pauli. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum auditus fuit compotus domini receptoris, et somma per ipsum recepta se extendit ad LX et XIII libras, XI sol., VIII den., et somma per ipsum exposita se extendit ad XLII libras, IX sol., II den., et omnibus persolutis et hinc inde traditis mansit receptor nacioni debitor in somma XXXI librarum, II sol., VI den. Quantum ad secundum articulum voluit nacio, quod laboraremus ad hoc, quod nacio persolvatur per magistrum Paulum, qui adhuc debet bursas de bachalariatu, licencia, inceptione, et dedit deputatos, scilicet magistrum Martinum, magistrum Johannem Tongheris una cum procuratore et receptore, qui habebunt ire ad loquendum cum procuratoribus nostris in parlamento ad capiendum cum ipsis concilium, qualiter possemus venire ad persolucionem dicti magistri Pauli, qui dictus Paulus a sentencia domini rectoris in causa dicte solucionis ad curiam parlamenti appellavit. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus Boemundus bedellus noster, ut nacio sibi subveniret in aliqua cota pecunie. Cui nacio tradidit quatuor libras. Supplicavit eciam dictus Boemundus pro Johanne Santdacker substituto domini Hermanni, ut nacio similiter sibi vellet in aliqua somma subvenire. Cui unus magistrorum se opposuit, donec repararet injurias sibi illatas, dicendo quod non haberet nisi dimi-

1. Sigismundi.

2. *Scil.* Henrici de Beaufort, *episc. Wintoniens., qui fuit legatus in Germania contra Husitas.*

3. Alberti V[ti] de Austria, *an.* 1438 *imperatoris.*

4. *Vid. not. sequentem.*

5. *Per hoc, ut opinamur, deciditur ad quem annum illae* Instructiones pro ambassiatoribus Universitatis Paris. ad partes Bohemiae *pertineant, quas* BUL. V, 268, *ex* Arch. Univers. Paris., thec. I, A, 1, v, *perperam ad an.* 1414 *edidit*, CREVIER, Hist. de l'Université, IV, 51, *an.* 1431, JOURDAIN, n° 1209, *circa an.* 1430 *compositas esse asserunt. Utique ad an.* 1429 *pertinent, et agitur de destructione haeresis Bohemorum i. e. Husitarum, et de acceleratione Concilii Basileensis, de quo etiam infra ad Aug.* 3. *Jam supra*, p. 407, *not.* 2, *observavimus, quatuor ambasiatores Universitatis Paris. Martii* 28 *Vindobonae fuisse, qui ab April.* 4 *usque* 9 *conventui* Posonii *celebrato assistebant, ubi etiam erant Husitae, plures episcopi, Sigismundus, doctores Universit. Vindobonens. Vid.* ANDREAS RATISBONENS. *in* Fontes rer. Austr., Scriptores, II, 580, *sq.*; PALACKY, Gesch. v. Böhmen, III, 2, p. 475; Deutsche Reichstagsakten, IX, p. 291 *sq.*

6. *Ms.* ad.

7. *De quo supra* p. 405, 15. BUL. V, 920, *perperam in sua* Nomenclatura *affert* Joh. de Ponte *Picardum.*

8. *Jun.* 23.

diam vocem in nacione et quod non esset nisi dimidius magister. Cui opposicioni nacio acquievit et deliberavit quod nichil haberet, donec predictus magister esset de ipso contentus, et tunc haberet duos francos. Insuper supplicavit dominus receptor, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Acta sunt hec XXV[a] die mensis Juni.

(*Fol.* 34) Facta fuit congregacio nacionis anno Domini 1429° in Sancto Cosma post vesperas, in vigilia [1] Visitacionis beate Marie, super tribus articulis. Primus fuit super provisione beneficiorum vacaturorum per obitum pie memorie magistri Wilhelmi Pinguis Avis ad collacionem Universitatis spectancium. Secundus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum nulla concordia haberi potuit in Universitate super beneficiis predictis collandis, quia aliqui voluerunt ea conferre simpliciter, aliqui via turni, veruntamen finaliter tres facultates, videlicet theologie, decretorum et medicine descenderunt in turnum et ipsum concluserunt, et de illo confecerunt instrumenta [2], que instrumenta predicte facultates obtulerunt se communicaturas una alteri et similiter nacionibus, et volebant turnum incipere a facultate theologie, et sic consequenter descendendo per si[n]gulas facultates et naciones. Ideo ad nos concordandum cum predictis facultatibus, conclusit nacio conformiter ad illas turnum et ipsum incipiendo a facultate theologie, et sic descendendo, et de hoc voluit conficere instrumenta ad tradendum aliis facultatibus et nacionibus, in casu quo nobis traderent instrumenta conformiter de turno. Quantum ad secundum articulum, ad honorem beate Virginis Marie et eciam nacionis, voluit nacio emere unum candelabrum ad ponendum cum candela coram nostra Domina in ecclesia Sancti Cosme in missis suis et vesperis. Eciam voluit nacio officium vesperarum et misse de Visitacione beate Marie, quod habetur in sextarno papireo, inscribi in pergameno in bona rotunda littera et cum magnis notis consimilibus notulis librorum nostrorum, et ligari in libris nostris principalibus; et ad ista procuranda dedit deputatos nacio dominum Bomondum nostrum bedellum, magistrum Martinum una cum procuratore.

1429

(*Fol.* 34[b]) Procuratoria magistri Johannis Tongris, Trajectensis dyocesis.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane in domo domini receptoris decani [3], anno Domini 1429, mensis Julii die 26[a], per dominum receptorem, quia procurator tunc recessit *propter periculum sibi visum permanendi tunc Parisius* [4], ad eligendum novum procuratorem. Et quantum ad hoc electus fuit concorditer magister Johannes Tongris in procuratorem prefate nacionis. Et quia nacionem desolatam dimiserat precedens procurator, super quo male contentabatur nacio, ideo predictus Johannes Tongris hoc officium acceptavit supplicando, ut nacio sibi in peragendis per ipsum nomine nacionis dignaretur dare consilium, auxilium et favorem. Quod sibi concesserat. Deinde facta fuit congregacio nacionis in eodem tempore super assignacione cote procuratori et advocato nacionis, que pro tunc habuit agere contra magistrum Paulum. Et ad hoc assignavit nacio procuratori unum francum, et advocato dimidium francum.

Jo. Tongris.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum die 3[a] Augusti super 3 articulis. Primus articulus erat ad audiendum relata proponentis apud reverendum in Christo patrem cardinalem Anglie [5] ex ordinacione Universitatis super congratulacione sui adventus cum supplicacione Universitatis, ut dignaretur scribere summo pontifici de Consilio generali celebrando [6] et super reformacione ecclesie Gallicane, cum oblacione oracionum et processionum fiendarum pro ipso. Secundus articulus erat de

1. *Jul.* 1.
2. *Instrumentum Universitatis est Junii* 11. *Vid.* Mém. sur les bénéfices, p. 140 *sq.*
3. *Hic* decanus *idem valet ac* antiquissimus.
4. *Tunc temporis* « les Arminalx », *i. e. cohortes pro rege Carolo VII dimicantes, Parisiensi civitati minabantur. Jam Junii* 21 *Parisienses timebant ne intrarent. Diu noctuque instantius vigilabant et muros custodiebant. Julii* 11 *regiae cohortes civitatem Trecensem occupabant. Circumcirca Parisios habitantes Parisios fugerunt, domibus vacuis relictis. Regii occupabant* Luzarches *et* Dompmartin. « Et ceulx de Paris moult avoient grant paour, car nul seigneur n'y avoit » (Journal d'un bourgeois, p. 242). *Jul.* 25 *tamen cardinalis Winthoniens. et dux Bedfordiae Parisios intraverunt cum* 5000 *armigeris, cum quibus aliisque dux Bedfordiae Carolo VII, Jul.* 17 *Remis in regem consecrato, obviam ivit, cum audisset, Carolum, instigante* Johanna d'Arc, *la Pucelle, in animo habere Parisiis potiri, de quo vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. II, 234 *sq.*
5. *Card. Winthoniens., qui hac ipsa die Rotomagum reversus est.*
6. *Jam in Concilio Senensi civitas Basileensis, in qua futurum Concilium generale celebraretur, eligebatur* (*vid.* Hefele, Conciliengesch., VII, 404 *sqq.*), *et Martinus V, quamvis* « in immensum nomen Concilii abhorrebat » (Joh. de Ragusio *in* Mon. Concil. general. saec. XV, t. I, p. 66), *an.* 1424, *Martii* 12, *loci electionem, i. e. Basileae, propositumque ibi Concilium generale* « inde ad septennium celebrandum » *approbavit* (Reg. Vat. Mart. V, n° 355, *fol.* 12, 13).

requesta facta Universitati per reverendissimum in Christo patrem cardinalem super materia decime. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum regraciebatur nacio domino cardinali de favorabili acceptacione Universitatis cum benigna responsione. Insuper regraciata est domino rectori de sua diligencia adhibita cum dominis deputatis ipsum associantibus. Quantum ad 2^{m} dominus rector in creacione rectorie sue juravit quod amplius de materia decime non poneret in deliberacione [1], quia protunc conclusio illa terna vice data et confirmata, ideo rector petiit consilium quid faciendum, et ad hoc fuit datus unus proponens domino cardinali mentem Universitatis circa materiam decime. Quantum ad 3^{m} [2] supplicavit nacio Francie, ut Universitas sibi daret adjunctionem contra episcopum Parisiensem [3], qui requisierat decem libras super qualibet ecclesia Gallicana causa visitacionis ecclesie; et ad hoc erant dati deputati.

1429

Continuacio magistri Joh. Tongris.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane die 26^{a} mensis Augusti super 3 articulis. Primus super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Secundus ad avisandum quid faciendum foret circa *domum Dacie provincie*, quia illa protunc erat proclamata ad vendendum sive alienandum [4]. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus erat magister Johannes Tongris antiquus nullis reclamantibus. Quantum ad secundum dati erant deputati ad avisandum quid faciendum. Quantum ad tercium antiquus procurator supplicavit, ut in actis per ipsum nomine nacionis nacio dignaretur ipsum habere gratum et recommendatum, quod sibi fuit concessum in forma, nullis reclamantibus.

Facta congregacione nacionis Anglicane die 20^{a} Septembris [5] apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad ordinandum super electione novi receptoris in crastino, et de compoto. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ordinatum erat in nacione quod cum dispensacione in crastino ista fierent in domo domini receptoris propter infirmitatem sui, quam protunc patitur. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator, ut nacio sibi dignaretur dare auxilium et adjunctionem contra unum de nacione bachalarium in decretis, qui sibi injuriatus erat in propria camera. Et hoc sibi erat concessum, et exinde nacio fecit eum vocari ut audiretur, ut ageret contra eum.

(*Fol. 35*) Facta congregacione nacionis 21^{a} die Septembris super 5 articulis. Primus ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum. Secundus ad audiendum compotum nacionis. Tercius ad audiendum statuta nacionis. Quartus ad distribuendum scolas regere intendentibus. Quintus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus est antiquus magister Rogerus de Eydenburch nullis reclamantibus magistris et concorditer. Quoad secundum auditus est compotus ejusdem, qui a summa 31 lib., 2 sol., 6 den. de omnibus hinc inde persolutis et deductis remansit nacioni debitor in summa 17 lib., 5 sol., et 6 den. Quoad tercium placuit lectura statutorum. Quoad quartum supplicaverunt magister Martinus Ber[e]ck, magister Albertus Vorden pro scolis et regencia; eciam magister Albertus Vorden supplicavit pro magistro Jacobo Hattem pro scolis in casu quo reveniret, qui protunc erat in partibus. Et concedebantur eis scole; promittentes se velle regere, et tradiderunt fidejussores. Quantum ad 5^{tum} Bomundus supplicavit pro continuacione officii bedellatus, presentando nacioni virgam suam, et submisit se nacioni, promittendo melius serviturum, supp[l]icando exinde, viso quod lucrum suum erat parvum, ut nacio sibi assignando aliquam cotam dignaretur subvenire. Et quia in brevi [6] nacio sibi providerat, sibi pro vino dedit unum francum.

1. *In* Concilio provinciali *hoc anno Parisiis apud S. Bernardum Martii et April. celebrato decimae de novo praescribebantur. Vid.* Hefele, *l. c.*, p. 416, nº 31. *Universitas se exemptam esse opinabatur.*

2. *Ms.* 2dum.

3. Jacobum de Castellari (du Chastelier), *ab an.* 1427, *Febr.* 17, *qui fuit thesaurar. eccl. Remens. et lic. in decret.* (Reg. Lat. Mart. V, *an.* 10, *provis.*, *fol.* 202). *De electione vid.* Grassoreille *in* Mém. de la soc. d'hist. de Paris, IX, p. 164, 168, 170.

4. *Ut plura collegia hujus temporis. De* domo Daciae, *quam Collegium Laudunense obtinuit, vid. infra ad an.* 1430.

5. Johanne Gersono, *hoc anno*, *Jul.* 12, *Lugduni defuncto, cancellaria eccl. Paris. tandem vacabat, et* Joh. Chuffart, *mag. art. et licent. in decret., can. Paris., Sept.* 7, « virtute sue gracie apostolice, vigore cujus obtinuit alias canonicatum et prebendam eccl. Paris. et etiam vigore literarum dom. Paris. episcopi receptus est ad officium cancellarie ejusdem eccl. Paris. » (Arch. nat. Paris., LL 113, p. 173). *Sed pluribus contendentibus de cancellaria, primo* Johanne Saunerii, *cancellaria nihilominus usque ad an.* 1433 *vacabat* (*vid. ad an.* 1433, *Maii* 7); *immo* Joh. Chuffart *an.* 1431, *Dec.* 16, *in rectorem electus est* (*vid. infra*), *quod non evenisset, si fuisset cancellarius. Capitulum interim officium licentiandi* Hugoni Majoris, Guillelmo Erardi *aliisque commisit.*

6. *Vid.* p. 414, 35.

1429

Continuacio magistri Joh. Tongris.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 23ª die Septembris super tribus articulis. Primus articulus ad eligendum novum procuratorem sive continuandum antiquum. Secundus ad audiendum scolarem in facultate decretorum studentem, contra quem antiquus procurator habuit agere in nacione. Tercius ad videndum de pecuniis, que debebantur more consueto in nacione in electione procuratoris perpotari, et eciam de 10 albis magistri Martini expositis in nacione, cum 7 albis procuratoris similiter expositis. Quoad primum continuatus fuit antiquus concorditer nullis reclamantibus, supplicavitque quod in actis nomine nacionis haberetur gratus et recommendatus, et in agendis dare[n]tur sibi subsidium, auxilium et favores. Que sibi erant concessa. Quantum ad secundum dati erant deputati, qui haberent avisare modum concordie, scilicet magister Martinus Ber[e]ck, magister Albertus Vorden cum domino receptore. Quantum ad tercium dominus receptor requisitus per bedellum, ut mitteret pecunias procuratori, respondit quod veniremus penes eum, ut eciam potaret; ipso tamen non existente in electione, et istud bina vice in electione contingebat, visum erat nacioni, quod unus magister eum audiret super intencione sua. Cui eodem modo respondit, et ideo istud redactum est in scriptis ad requestam magistrorum, ut ejusdem haberetur memoria.

Facta congregacione facultatis arcium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum rectorem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum more solito dedit nacio intrantem magistrum Joh. Itsteyn, qui cum aliis elegerunt in rectorem magistrum Joh. Hanron [2], qui se excusando cum consilio nacionis sue istud officium non acceptavit. Processum est insuper ad novam electionem, et electus est magister Nicolaus Amici in rectorem [3]. Quantum ad secundum supplicavit antiquus rector, ut in actis per ipsum haberetur gratus; quod sibi concessum erat. Exinde novus rector supplicavit, ut facultas sibi in agendis dignaretur dare subsidium, auxilium et favorem, et eum associare ad accipiendum species et vinum. Que sibi [4] erant concessa.

1429

(Fol. 35ᵇ) Procuratoria magistri Petri de Gonda, nati de Leydis.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXIª Octobris anno ut supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; et quoad illum electus fuit unanimi consensu magistrorum magister Petrus de Gouda, natus de Leydis. Secundus erat super supplicationibus. Supplicavit antiquus haberi gratus et avoatus, quod concessum erat. Et quia in quadam electione novi procuratoris receptor cum difficultate voluerat tradere quatuor sol. par., quos natio in singulis eleccionibus assignavit perpotari, placuit nationi quod ubi hoc magis accideret, vellet tunc prius super hoc specialiter deliberare. Et quia propter *recessum plurium magistrorum nationis a villa Parisiensi* claves archarum thesauri erant hinc inde disperse, voluit natio, quod super hoc fieret inquisitio et postea distribuerentur magistris secundum statutum circa hoc positum.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane XXIIª Octobris apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum quamdam litteram missam nationi a subbedello nationis, Hermanno Fabri scilicet, et ad deliberandum circa contenta, et quoad istum articulum continebat littera specialiter duas supplicationes : prima, ut natio vellet ipsum habere excusatum de hoc, quod non accesserat ad villam Parisiensem postquam negotia sua in curia Romana expediverat. Super quo natio ipsum habebat excusatum propter maliciam temporum et viarum pericula. Secunda fuit ut natio vellet ipsum adhuc continuare in officio subbedellatus, quousque natio alia nova ab eo perciperet, quod et placuit nationi. Secundus articulus fuit super aliquibus tangentibus statum nationis. Et quoad hunc, visa temporis malicia et nationis inopia, ac eciam *scolarium nationis non existentia* [5], placuit nacioni suspendere sua convivia et suas distributiones magistrorum per tempus, cum tamen modificatione, ne laudata consuetudo simpliciter aboleretur, sic scilicet quod in conviviis nationis magistri presentes contribuerent. Placuit etiam nationi visitare archas thesauri et distribuere claves, cum essent reperte.

1. *Octob.* 10.
2. *Seu* Haneron, *fuit nat. Picard., et ad an.* 1453 *ut canon. Atrebatens. in art. mag. et in theol. licent.* (*an.* 1445, *i. e.* 1446, *Febr.* 7) *affertur* (Suppl. Nicol. V, nº 462, *fol.* 285). *Alius est* Antonius Haneron, *in Universitate Lovaniensi, ap.* Reusens, Promotions de la faculté des arts de l'Université de Louvain, p. 23 *sqq., de quo saepe, in* Suppl. *Arch. Vat.*
3. *Recte* Bul. V, 920.
4. *Ms.* sibe.
5. Existentia *ut substantivum sumitur.*

Facta congregatione nationis Anglicane XXVIIIa Octobris super duobus apud Sanctum Maturinum. Primum ad eligendum *ambaciatorem iturum ad Consilium generale, quod esset celebrandum prima Martii proximi*[1]. Et quoad illud, ex quo plures magistri nationis erant absentes, placuit et voluit natio suam electionem prolongare, quousque magistri in majori numero essent congregati, nisi major oportunitas immineret, licet tamen alie nationes jam suas fecerint electiones, similiter et facultates[2]. Secundum fuit commune super supplicationibus et injuriis; et quoad hoc nullus supplicavit neque se deplanxit.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum VIIa Novembris super duobus. Primum super aliquibus tangentibus statum et honorem nationis, et potest tripartiri : primo super facto magistri Pauli, fuerat nam[que] quesitum procuratori a bedello facultatis theologie, quis sollicitat causam facultatis contra magistrum Paulum, utrum scilicet natio vellet contribuere et subvenire facultati in expensis fiendis in causa contra magistrum P., et si sic, vellet etiam defendere causam nationis contra eundem ut propriam, et si non, vellet solum pro se certare. Ad quod visum fuit expedire, propter multa que natio tangebat, scilicet quod vellet secundum facultatem suam contribuere. Secundum fuit de electione ambaciatoris; ad quod, quia tunc nullus magistrorum presentium supplicavit, adhuc distulit natio suam electionem quousque magistri essent in majori numero congregati, ac etiam quousque esset repertus modus de habendo pecunias pro ambaciatoribus ituris. Tertium erat super requesta quadam facta procuratori propter quandam difficultatem exortam inter magistros nacionis quoad disputandum in vico Straminis, quorum magistrorum unus erat regens, alius non regens; erant tamen ambo simul uno mane pronunciati, et erat non regens antiquior, regens vero junior. Ad quod voluit natio servare antiquam consuetudinem nationis. P. DE GOUDA.

(*Fol. 36*) Facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum XIIIIa Novembris super duobus articulis. Primus erat ad distribuendum claves archarum thesauri. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum distribute fuerunt claves magne arche, sic quod custodes earum sunt procurator, receptor, magister Martinus Berech, magister Albertus de Vorden et magister Joh. Itstein[3]; claves vero parve arche, eo quod non fuerunt plures magistri presentes, manserunt in custodia Boemundi bedelli nationis; voluit tamen natio quod Boemundus daret unam magistro Johanni Tongheris.

1429

Continuatio magistri Petri de Gouda, de Leydis nati.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane XVIIIa Novembris apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, ad quem continuatus fuit concorditer antiquus procurator. Secundus articulus erat super aliquibus concernentibus honorem et statum nationis. Primo super ordinatione festi sancti Eadmundi, quod est festum nationis, et quod natio semper solemniter festivare consuevit. Et quoad hoc voluit natio hoc festum solemniter in divinis celebrare; sed quoad prandium fiendum propter multa motiva tunc multum apparencia et specialiter propter inopiam ejus noluit aliquos extraneos invitare ad interessendum festivitati et prandio, sed in seipsa voluit graciose convenire, ne in aliquo natio posset gravari. Secundo super facto receptoris, qui nondum cautionem responsoriam aut fidejussorem nationi tradidit. Ad quod lectis et visis statutis eundem concernentibus, visa eciam temporum malicia, ac eciam permaxima visa, qua languens detinebatur, egritudine, voluit natio quod sibi intimaretur, ut presentaret nationi pecuniam receptam apud eum existentem, qua habita poneretur ad archam. Quam tamen pecuniam, si in promptu non haberet, licet sit contra statutum et juramentum ejus, prestaret fidejussorem sufficientem et potentem respondentem nationi pro ipso usque ad summam centum librarum, ad quod intimandum deputavit II magistros, scilicet magistrum Johannem Tongheris et magistrum Albertum de Vorden una cum Boemundo. Isti eciam haberent de presenti exigere ab eo, scilicet receptore, pecunias pro expeditione solemnitatis, scilicet ad minus II lib. par. Quoad supplicationes supplicavit

1. *Ast non an.* 1430, *Martio, celebratum fuit, sed an.* 1431, *septennio peracto post Concilium Senense. Ex hoc apparet confusionem tunc temporis viguisse circa Concilia generalia, quae etiam sine consensu seu convocatione summi pontificis celebrari, vel saltem sine ipso accelerari posse aestimabant.*

2. *Octob.* 11 *in Universitate conclusum est,* « quod mitterentur tres theologi, duo decretiste, unus medicus, quatuor artiste cum uno bidello » (BUL., V, 387) *Pro stipendiis quilibet theologorum et decretistarum haberet quotidie* 20 *sol., medicus et artista* 16 *sol., bedellus* 8 *sol. Ambassiatores tunc electi sunt; at minime statim Basileam profecti sunt, sed solum anno et dimidio peracto. Vid. ad an.* 1431, *April.* 13.

3. *Ms.* Ilstein.

procurator haberi in actis gratus, avoatus et recommendatus, quod concessum fuit sibi concorditer. Voluit eciam natio sibi in agendis dare auxilium, consilium et favorem.

Facta congregatione nationis Anglicane XIXª Novembris, que fuit profestum sancti Eadmundi, apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani post vesperas super duobus. Primum ad audiendum relationem magistrorum deputatorum ad loquendum receptori, quorum relationem placuit audire. Unde dixerunt quod paratus et promptus erat receptor ad omnia mandata nationis, et quoad factum dixit se velle assignare quotam apud se existentem et nationi matri sue restituere, sicut et utique tenetur; sed quod una dierum magistri venirent ad eum, et se prepararet ad commode hoc faciendum. Super quo deliberavit natio, quod satis benivole respondit; sed ne dilatio diei assignande detrimentum esset nationi, ordinavit, quod eidem magistri, qui ante sibi locuti erant, irent ad eum in crastino sancti Eadmundi, requirentes ut hoc compleret, quod promiserat ante. Et ut hoc commodosius fieret, fecit sibi hoc intimari per Boemundum, scilicet ut illa die esset paratus. Tradidit et ipse receptor magistris predictis pecuniam ad expediendum festum, scilicet unum nobile monete Anglicane. Secundum fuit commune super supplicationibus et injuriis; et quoad hoc nullus supplicavit neque deplanxit.

(*Fol. 36*ᵇ) Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXIIIª Novembris super duobus articulis. Primus ad audiendum relationem magistrorum deputatorum ad loquendum cum receptore super restitutione pecunie detente adhuc per eum, relatio quorum audita erat. Retulerunt namque pro responso, quod adhuc nondum preparaverat se, sed infra mensem daret responsum et ad hoc vellet dare cedulam certificatoriam; quod natio non acceptavit neque contentabatur de illo. Deliberavit ob hoc et voluit, quod procurator una cum aliquibus magistris et bedello adiret ad eum, et isti explanarent sibi simpliciter totam nationis intentionem et peterent, ut super petendis et requirendis responderet secundum statuta et juramenta, que ipse juravit observare. Haberent et eciam isti requirere eum, ex quo satis antiquus erat et multa in natione vidit, quod si haberet aliqua apud se scripta vel munimenta que possent nationi proficere, quod illa sibi communicaret. Similiter eciam sibi peterent, si aliquid sciret de instrumento obligativo Universitatis nationi de reparatione virge deportate ad Consilium Constanciense, quod redderet et diceret nationi. Quod eciam diceret de locationibus scolarum, quia in compotu suo non facta fuit mensio de illis, an scilicet recepit pecuniam pro illis vel non, tempore sue prime receptorie. Et haberent isti magistri responsa istorum referre nationi. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Supplicavit procurator quod in continuatione istius facti receptoris natio vellet ipsum habere recommissum, gratum, avoatum et recommendatum, et si forte in posterum aliquis sibi obloqueretur vel injuriaretur ob hanc causam, ut natio ipsum defenderet et facta confirmaret tamquam se ipsam. Ad quod, viso juramento procuratoris, quod et legebatur ibidem, habuit natio ipsum recommissum, gratum, avoatum et recommendatum in hac continuatione, ipsumque voluit defendere et facta sua confirmare, ubi esset oportunum; et eundem requisivit, ut non desisteret quousque esset finis optivus, laudabilis et intentus acquisitus hujus materie. Et quo habito voluit natio providere circa futura, ne talia ammodo contingerent, nec quisquam talia facere presumeret in futurum.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctos Cosmam et Damianum post vesperas in profesto sancti Nycolay, que fuit Vª Decembris [1], super duobus. Primum ad audiendum relationem procuratoris et magistrorum deputatorum ad dominum receptorem. Fuit ibi relatum pro responso super hiis que supra expressa sunt, quod idem receptor in dies suam exspectat pecuniam, qua habita in instanti vellet solvere nationi de pecuniis apud se reservatis; post eciam quatuor vel quinque dies voluit in presencia notarii ostendere librum suum nationi et compotum factum. Apud eum credebat fore instrumentum obligativum Universitatis nationi in reparatione virge, et libenter quereret et nationi monstraret. Pro scolis sui temporis nichil recepit, ut dicit. Vellet eciam libenter communicare nationi, si que haberet scripta aut munimenta que possent nationi in futurum proficere. Vellet eciam et verbo libenter explicare que sciret esse in commodum nationis. Super quibus deliberavit natio, quod sine ulteriori dilatione visis statutis, visis juramentis, viso eciam dulci processu habito in isto facto, visa eciam infirmitate ejus, visa eciam calamitate temporum, tota natio ipsum adiret et instanter pecuniam suam postularet et fidejussorem pro futuro; et secundum ea que idem receptor posset respondere, vellet procedere. Vellet eciam

1. *Ms.* VII decemb., *sed corr.*

apud se tenere instrumentum et ponere ad archam, ne perderetur. Vellet eciam inquirere de scolis [1] a receptore Normannorum, si ita esset sicut receptor dixit; et ad hoc, congregatione facta, misit Boemundum bedellum. Supplicavit procurator, quod natio vellet ipsum habere excusatum in hoc quod non cicius super isto eam convocavit. Ad quod natio ipsum habebat simpliciter excusatum et gratum, ne sibi vel alicui magistrorum in posterum fuisset dictum, quod nimis rigorose hanc materiam duxisset. Eciam per aliqualem istam dilationem ostenditur processus et requesta fuisse multum dulcis et pius, sic quod nec receptor nec quicumque alter contra nationem, procuratorem vel aliquem magistrum obloqui possit in futurum.

Item VII^a^ Decembris magistris nationis Anglicane, scilicet procuratore, magistro Petro de Gouda, magistro Joh. Itstein, magistro Alberto de Vorden et Boemundo bedello existentibus in domo receptoris, tunc fortiter languentis, fuit facta comparatio misiarum per eundem receptorem ad receptam contentam in suo libro, et singulis deductis misiis usque ad festum Conceptionis inclusive, manet idem receptor nationi debitor in XII francis, III solidis, II denariis. Ita est. P. de Gouda.

(*Fol.* 37) Facta congregatione nationis Anglicane IX^a^ Decembris apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum id est substituendum novum receptorem. Secundus fuit ad eligendum ambaciatorem iturum una cum ambaciatoribus aliarum nationum et facultatum *ad Consilium generale celebrandum in Basilia* Martio proximo. Tertius fuit communis super supplicationibus, etc. Quoad primum necesse erat substituere receptorem novum propter decessum antiqui receptoris [2], qui obiit VIII^a^ Decembris (cui Deus parcat); et ergo quia nec natio sine receptore sicut nec sine procuratore esse potest, substitutus fuit magister Albertus de Vorden Trajectensis dyocesis, qui juravit juramenta receptorem concernencia, et exhibuit se daturum fidejussorem sufficientem pro summa recipienda secundum statutum nationis super hoc editum. Ubi tamen fuisset pertinens et possibile, quod procurator per aliqua tempora exercuisset officium receptoris, placuisset bene quod ita fuisset factum; sed procurator dixit, sicut et verum est, quod officium procuratoris et receptoris sunt incompassibilia, nec in uno possunt simul deputari, et ergo conclusum fuit, sicut supra patet. Quoad 2um electus fuit in ambaciatorem magister Petrus de Gouda natus de Leydis [3], protunc procurator. Sed et circa primum articulum injungebatur bedello, ut talem faceret diligenciam apud executores defuncti receptoris et apud venditores suorum bonorum, ut natio nichil perderet quoad pecuniam apud se detentam, de qua supra est facta mensio; eciam de repetendo instrumentum quo Universitas obligatur nationi de reportatione et reparatione virge deportate ad Constanciam; eciam de repetendo octo francos aut circiter, quos de contributionibus sibi retinuit, quando fuit receptor contributionum ad usum nationis pro solutione hujusmodi reparationis virge; eciam de habendo librum nationis quoad facta receptoris, similiter et claves et alia quecumque essent concernencia nationem. P. de Gouda.

1429

Continuatio secunda magistri Petri de Gouda de Leydis nati.

Facta congregatione nationis apud Sanctum Julianum Pauperem XVI^a^ Decembris super duobus. Primum erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, qui et continuatus fuit. Secundum super supplicationibus. Ad quod antiquus procurator supplicavit avoari, recommendari, etc., quod fuit concessum; habitus est gratus, avoatus et recommendatus in omnibus actis sue procuratorie nemine reclamante. Deliberavit insuper natio, quod littere misse a bedello Hermanno nationi ponerentur ad archam, sicut et consuetum est, ut proposuit procurator. Et eadem die, loco et hora fuit electio novi rectoris, ubi dabatur procurator intrans ex parte nationis, et fuit electus rector via Spiritus Sancti magister Gherardus Gehe [4] Parisiensis.

Facta congregatione nationis Anglicane apud

1. *Revera nondum pecuniam illam receptor receperat, nam successor ejus* Alhertus Vorden *circa finem anni* 1429 *notat, se accepisse* a Guillelmo Figuli tahernario *in tribus candelabris* pro locagio *antiquarum scolarum magnarum* nacionis pro anno incipiente in festo S. Remigii anni 28 et finiente in festo Remigii anni 29, II lih.; a mag. Johanne Hase receptore nac. Normannie pro locagio trium scolarum nac. nostre pro anno 1428-29, III fr.; a mag. Joh. Hase pro conductione 4 scolarum an. 1429-30, IIII fr.; a Guil. Figuli tahernario, pro medio anno incipiente in festo Remigii 29, pro locatione *magnarum scol. antiquarum* nac. XX sol. (Lih. recept.)

2. *I. e.* Rogeri de Edinhourgh. *Cum ipso ultimus Scotorum in nat. Anglicana pro tunc ablatus est. Iste Scotus e parte Anglorum potius erat, et in Normannia sua beneficia possidebat. Fuit curatus eccl. S. Germani de Tyllio Ottonis, Ebroic. diocc., et can. eccl. collegiatae de Salceio, Rotomag. dioec.* (Suppl. Mart. V, n° 159, *fol.* 6 b, *ad an.* 1423), *ct bacc. in theol.*

3. *Sed non ivit, ut videbimus infra.*

4. *Ms.* Jehe. Bul., V, 920, *perperam :* A... Palene, Angl. nat. *Suppositum talis nominis praeterca in nat. Anglic. non invenitur. Equidem* Alardus Palenc, *scd alius nationis, rector fuit an.* 1432, *vid. infra.* Gerardus Gehe, *cler. Paris., jam an.* 1419

Sanctum Maturinum ultima die Decembris super tribus articulis. Primus ad audiendum quandam requestam et supplicationem venerabilium nationum Francie scilicet et Normannie. Secundus ad acceptandum fidejussorem domini receptoris substituti, magistri Alberti de Vorden. Tertius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum accesserunt domini procuratores predictarum nationum cum quibusdam aliis magistris ad nationem supplicantes, ut natio in causa sue oppositionis circa levationem burse capitalis pro ambaciata Universitatis *ad Basiliam* vellet se ipsis adjungere, et rationabiliter et sufficienter vellent nationes predicte subvenire ambaciatori nationis Anglicane, ex quo sciebant *nationem jam esse pauperem et in suppositis et pecuniis*[1]. Quibus recedentibus et extra nationem existentibus voluit natio, antequam super principali deliberaret, quod magis de plano et de pleno explicarent isti domini procuratores mentem suarum nationum de rationabili et sufficienti subventione ambaciatoris nostri. Quibus vocatis non bene scientibus totalem intentionem suarum nationum, deliberavit natio ipsis existentibus extra nationem, quod isti domini procuratores circa hoc melius se informent a suis nationibus, et hoc facto procuratori denuncient vel nationi, et tunc natione convocata, deliberaret super principali requesta et supplicatione. Regraciabatur tamen natio predictis nationibus et procuratoribus de magna affectione quam ostendunt se habere ad nationem et de grata oblatione. Quantum ad secundum articulum secundum statuta nationis et juramenta receptoris dominus receptor substitutus presentavit nationi fidejussorem magistrum Michaelem Francisci nationis Normannie, qui respondit et fidejubebat secundum formam et modum nationis hactenus observatum pro tanta summa, quantam idem receptor hoc anno creditur recepturus. Qui et acceptatus fuit. Et quia idem receptor secundum distributionem clavium archarum thesauri ante suam substitutionem custodiebat quandam clavem, licet presentaverit nationi, voluit natio quod adhuc eam custodiret *propter defectum magistrorum*. Quantum ad tertium articulum, nullus supplicavit.

P. de Gouda.

1430

(*Fol.* 37[b]) Continuatio tertia magistri Petri de Gouda, de Leydis nati.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra XIII[a] Januarii super duobus articulis. Primus ad eligendum sive continuandum procuratorem. Secundus communis super supplicationibus [et injuriis]. Quoad primum propter paucitatem magistrorum presentium, licet procurator diu tardaret antequam ad locum nationis accederet, necessario continuatus fuit per presentes, quamquam mallet idem procurator protunc alium fuisse electum. Et quia per bedellum venerande facultatis theologie expressum fuit, quomodo magister Paulus contra nationem et magistros nationis nominatos fortiter ageret, deputabatur magister Martinus Berech, quia solus inter magistros nationis de facto magistri Pauli noscens, ut sollicitaret in curia parlamenti, ne natio et magistri nationis nominate aliquomodo confusionem paterentur, et que fierent digna communicatione nationi demandaret in propriis. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Supplicavit procurator avoari, recommendari et haberi gratus, quod fuit concessum. Habitus est procurator gratus, avoatus et recommendatus, et acta per eum sunt habita grata, rata, avoata et recommendata. Supplicavit eciam Boemundus bedellus nationis, ut natio sibi satisfaceret de expositis per eum in reparatione pulpitri in scolis et factione clavis arche deperdite per magistrum Johannem [de] Leydis absentem; similiter quod natio vellet sibi dare residuum de franco sibi concesso et dato a natione in ultimo compoto pro vino suo, cum non recepit a receptore nisi VIII sol., ut dixit. Ad quod dixit et voluit natio, quod, si hec predicta sunt computata a receptore magistro Rogero defuncto et scripta ut soluta et exposita per eundem receptorem, interemit natio suam supplicationem; si vero non sunt ibi scripta neque computata, eam admittit, et ad hoc injunxit receptori substituto, magistro Alberto de Vorden, ut scripta diligenter inspiceret et secundum quod ibi reperiret, sibi Boemundo ministraret.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI[a] Januarii super tribus articulis. Primus fuit super facto magistri Pauli. Et quoad illum articulum, ex quo in multis ante habitis con-

canonicatum Noviomens. petivit (Suppl. Mart. V, n° 122, *fol.* 163; n° 127, *fol.* 140). *An.* 1439, *Dec.* 22, *lic. in theol. An.* 1448, *Jun.*, *supplicat ut canon. Paris. recipiat* (Suppl. Nicol. V, n° 421, *fol.* 265).

1. *Et magis quidem quam quaelibet alia natio.*

clusionibus natio conclusit hoc factum esse factum nationis et ex parte nationis prosequendum, voluit natio, manens in suis conclusionibus, adhuc ita prosequi, et dabatur magister Martinus Berech sicut et alias deputatus pro natione, ut haberet sollicitare de hac materia, et voluit natio dare unum francum ad habendum copiam libellorum presentatorum judicibus per magistrum Paulum, sicut et factum fuit. Secundus articulus erat ad visitandum archas nationis thezauri, quod et placuit nationi, et si aliqua clavis deficeret, placuit deponere ceram. Omnes tamen inveniebantur. Tertius fuit super supplicationibus et injuriis, et quoad illum nichil factum fuit, quia nullus supplicavit.

Summa reperta in archa nationis die et anno quo supra immediate, in primis V nobilia Anglie, II nobilia Bourgundie, IIII corone nobiles, II salucia auri [1] et II scuta Francie, et dabatur unum salucium domino receptori ad expediendum, etc.

1430

Continuatio quarta ejusdem magistri Petri de Gouda.

Facta congregatione nationis Anglicane decima Februarii anno quo supra apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum sive continuandum procuratorem, et fuit antiquus adhuc continuatus. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis, et supplicavit procurator avoari, recommendari, etc., quod fuit concessum; habitus est procurator gratus, avoatus et recommendatus, et acta per eum sunt grata, avoata et recommendata.

Facta congregatione nationis Anglicane XXII^a Februarii anno quo supra apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad ordinandum de examine scolarium volentium determinare hoc anno; et quoad hoc voluit natio servare antiquam ordinationem nationis super hoc editam, et licet aliqua difficultas esset de die et hora quibus examinatores deberent convenire ad examinandum, conclusit tamen procurator, quia potuit, quod convenirent in crastino [2] sancti Mathie post prandium hora quarta in Sancto Maturino, et Boemundus bedellus hoc haberet pronunciare per singulas scolas vici Straminis.

2us articulus fuit de resta magistri Rogeri defuncti, quondam receptoris nationis, in qua idem post mortem mansit nationi obligatus sub cautione suorum executorum et specialiter unius eorum de Ordine Carmelitarum [3], qui pro hac resta respondit. Voluit natio quod idem Carmelita adhuc una vice sola amicabiliter moneretur ad solvendum, et ubi non solverit, voluit natio procedere contra eum vel in curia rectoris vel conservatoris, ubi cicius natio finem posset optinere votivum.

3us articulus erat communis super supplicationibus et injuriis. Supplicaverunt tres scolares nationis, qui inceperant Logicam in festo Remigii ejusdem anni, qui libros requisitos ad bachalariatum non audiverint nec Parisius nec alibi, licet alibi, ut dicebant, audivissent II libros Phisicorum et librum Elencorum, nullam tamen aliam certitudinem faciebant, ut natio eos admitteret ad gradum bachalariatus et reciperet. Quam supplicationem procurator interemit simpliciter, eo quod est contra statuta, ordinationes et usus incorruptos facultatis, et hoc forte magnum disturbium induceret in natione et facultate, sicut et alias visum est de similibus. Fuit eciam hec supplicatio interempta sub conditione a domino receptore, scilicet si natio in hujusmodi auditione librorum dispensare non posset. Et sic conclusit procurator interemptioni hujusmodi supplicationis, a qua tamen conclusione et domino procuratore unus magistrorum nationis, nomine Martinus Berech, appellavit ad Universitatem.

(*Fol. 38*) Item XXV^a die Februarii facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad taxandum bursas scolarium determinaturorum, quod et placuit facere secundum antiquam consuetudinem hactenus observatam et statutam. Et juraverunt examinatores determinantium juramenta consueta, et illi scolares de quibus fit mensio immediate supra recepti sunt ad examen bachalariorum certis ex causis, cum tamen antequam ad querendum sigillum procuratoris venirent, certificarent procuratori de libris restantibus per cedulas suorum magistrorum.

Sequuntur nomina determinantium hujus anni.

Dominus Hilbrandus Koskul de Prucia sub magistro Alberto Vorden, cujus bursa VIII sol.

Dom. Oliverius Ghent, Trajectensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Conrardus Prepositi, Maguntinensis dyocesis sub eodem, cujus bursa IIII sol.

1. *I. e.* saluts d'or.
2. *Febr.* 22.
3. Gerardi Fortis, *ut infra* p. 432, 16 *dicitur*.

Dom. Henricus Bosch [1], Constanciensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Johannes Nestlin, Constanciensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Conrardus Setzendran, alias Wild [2], Saltzburgensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum tertia Marcii super duobus articulis. Primus ad avisandum circa factum magistri Pauli, qui jam fecit citari dominum procuratorem et receptorem. Ad quod voluit natio quod consulerentur procurator noster et advocatus de modo respondendi et procedendi, et semper natio hunc processum appellat et vocat ac vocavit *suum*. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis; et quoad illum supplicaverunt aliqui scolares, ut reciperentur ad juramentum paupertatis pro bursis bachalariatus, quia, ut dicebant, jam facultatem solvendi habere non possent. Ad quod deliberavit natio, propter multa eos non esse recipiendos ad hujusmodi juramentum, sed tamen intuitu pietatis ipsis tradidit terminum solutionis usque ad primam May proximo venturi. Similiterque voluit natio contentari [3] de minori bursa et XX solidis pro scolis, licet pro scolis, antequam vicum ad disputandum intrarent, voluit natio quod solverent, et nisi infra hoc tempus May bursas solverint, pro non bacalariis reputabuntur.

1430

Continuatio quinta ejusdem.

Facta congregatione nationis Anglicane Xª Marcii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum sive continuandum procuratorem, et fuit procurator continuatus. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis, et supplicationem qua supplicavit procurator avoari, recommendari, etc. concessit natio. Habitus est procurator ratus, avoatus, gratus et recommendatus [4].

P. de Gouda.

1430

(*Fol. 38ᵇ*) Sequitur procuratoria magistri Martini Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane die septima Aprilis anno Domini Mº CCCCº XXIX apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in procuratorem mag. Martinus Berech de Hungaria. Quoad secundum supplicavit antiquus procurator, ut acta per ipsum nomine nacionis essent avuata; que supplicacio fuit concessa in forma. Item supplicavit mag. Joh. I[t]sten, ut nacio reputaret ipsum regentem, viso quod actu regit; et quoad hoc nacio voluit, ut super hoc fieret congregacio specialis.

Facta congregacione nacionis Anglicane XIª Aprilis super tribus articulis. Primus fuit super facto Carmelite et magistri Pauli Nicholavi. Et quoad factum fratris Gerardi Fortis, Carmelite, quia dictus frater tenebatur in certa summa nacioni occasione execucionis mag. Rogeri de Edenburg, defuncti receptoris nacionis matris nostre, ipso vivente, dictusque frater supplicavit Boemundo, ut velit nacioni nomine suo supplicare, quatenus nacio velit eundem fratrem expectare usque ad festum Pasche proximo venturum sine ulteriori dilacione, in quo festo summam nacioni debitam per mag. Rogerum et dictum fratrem tamquam ejus executorem esset paratus refundere nacioni, quam supplicacionem dicta nacio admisit. Voluit tamen nacio ut sententia domini rectoris nichilominus staret in robore, que fuit data contra dictum Carmelitam, ut de summa nacioni per dictum Carmelitam debita manus domini rectoris muniretur. Quoad factum mag. Pauli placet nacioni viriliter prosequi, prout pluries alias extitit conclusum; dedit insuper deputatos qui haberent loqui cum nostris procuratore et awocato eos rogando, ut factum nacionis diligenter prosequantur, et quod nacio per Dei gratiam bene eosdem remunerabit.

Secundus articulus erat de compoto fiendo prout hactenus extitit observatum, ut videlicet expeditis scolaribus bachalariandis et licentiatis magistrandis, dominus receptor in facie nacionis computaret, etc. Quoad hoc placuit nacioni, quoad transactis festis paschalibus nacio super hoc specialiter convocaretur, ut moris est.

3ᵘˢ articulus erat super discordia orta inter venerabiles viros magistrum Johannem Itstein [5] ex una, et magistrum Albertum Vorden ex altera partibus, et [super] supplicacionibus et injuriis. Et quoad hoc

1. De Wil.
2. *Fuit de* Ratenberg, *ut infra scribitur*.
3. *Ms.* contentare.
4. *A Martii* 24 *usque Jun.* 23 Guillelmus Eurardi *Lingonens. rector fuit* (*vid.* Bul., V, 389 *et* 920), *qui eodem anno licent. est in theol.*
5. *Ms.* histein.

placuit nacioni, ut se submitterent nacioni hinc inde partes, qui [1] ut filii obediencie et pacis se submiserunt simpliciter et pure ordinacioni nacionis. Qua submissione facta, dicta nacio tamquam mater pia, *considerans dies in quibus existebamus*, necnon et pacem filiorum affectans, injurias hinc inde factas remisit; voluit tamen ut unus alteri rogaret veniam hinc et inde. Quo facto districte precepit ut amodo ea que pacis essent tamquam fratres totis viribus desiderarent, insuper quod a verbis injuriosis se abstinerent; quod si secus contingeret, nacio alias per viam rigoris una cum jure intendit jus suum unicuique trahere. Item magister Joh. I[t]stein supplicavit quatenus nacio reputaret eundem esse regentem, viso quod actu regebat. Nacio dictam supplicacionem concessit, voluit tamen ad finem quod ejus regencia esset majoris roboris, ut in facultate artium supplicaret, et nacio eidem libenter assisteret.

1430

Continuacio ejusdem.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane sexta Maii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum antiquus procurator extitit continuatus. Quoad secundum supplicavit idem ut bene acta ejusdem et ipsum nacio haberet grata et recommissa. Que supplicacio fuit concessa.

(*Fol. 39*) Facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum compotus domini receptoris fuit auditus, qui placuit nacioni. Et quia dominus receptor in suis misiis computavit pro suo salario quatuor lib. paris., ideo quibusdam videbatur, visa ejus recepta et temporis malicia, satis absurdum. Ideo super hoc habita speciali congregacione nacionis decrevit nacio, quod si dictus receptor tantum deberet habere de rigore, scilicet IIII lib., in Dei nomine haberet tantum. Quoad secundum supplicavit dominus receptor, ut haberetur gratus et recommendatus. Et ejus supplicacio fuit concessa. Die eadem magistri nacionis pransi fuerunt ad *intersignium sancte Katherine* in vico Cithare, et natio exposuit duos francos una cum uno franco, quem dominus receptor nacioni propinavit. Et hec acta fuerunt anno Domini M° CCCC° tricesimo, die vero 15ª mensis Maii.

Facta congregacione nacionis Anglicane XVIIIª Maii super duobus articulis. Primus fuit super facto *domus Dacie*, que stabat in proclamacionibus, et si non fieret opposicio, quia finis anni infra breve exspirabat, dicta domus alienaretur. Et quoad hoc placuit nacioni se opponere proclamacionibus, habito tamen prius consilio cum juris peritis de modo et forma opposicionis. Secundus erat communis super supplicacionibus, etc. et quoad hoc nullus supplicavit.

1430

Secunda continuacio ejusdem.

Facta congregacione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum secunda Junii super IIII^or^ articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus de renovacione juramentorum. Tertius de opposicione fienda in Castelleto pro domo Dacie adversus dominum abbatem Sancte Genovefe. Item in eodem articulo continebatur requesta nostri procuratoris contra magistrum Paulum de Sclavonia. Quartus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quoad secundum placuit nacioni renovare juramenta fideliter modo consueto et observato ab antiquis patribus; voluit tamen maturius deliberare, an nomina suppositorum daret in scriptis, in hoc se conformando aliis nacionibus. Quoad tertium placuit nacioni, quod opposicio fieret ex parte ejusdem nacionis, ut jus scolarium regni Dacie quantum fieri poterit observaretur. Quoad requestam procuratoris placuit ut dictus procurator contentetur, dando eidem bonam spem quod cum nacione nichil perdet, et super hoc datus fuit deputatus procurator cum mag. Petro [de] Le[i]dis. Quoad quartum supplicavit procurator ut acta per ipsum haberentur grata et recommendata. Que supplicatio concessa extitit. M. Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis, decima quinta Julii M° CCCC° XXX°, super duobus articulis. Primus fuit super facto domus Dacie, an nacio eandem vellet in sua manu capere; et quoad hoc nacio dedit deputatos, qui haberent consilium cum juris peritis. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis.

Facta congregacione nacionis Anglicane vicesima die Julii super duobus articulis. Primus erat super facto domus Dacie. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum nacio voluit omnibus modis domum manutenere et solvere arraragia (*sic*) et

1. *Ms.* que.

ideo voluit proclamacionibus opponi. Quoad secundum supplicavit dominus procurator, quod eidem summa quatuordecim alias persolverentur, quam exposuit occasione illius domus Dacie. Que fuit concessa.

(*Fol. 39*ᵇ) Facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus fuit de domo Dacie; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis, anno Domini M° CCCC° XXX°, die vero decima nona Augusti. Quo igitur ad primum articulum fuit propositum per procuratorem diligencia facta per eundem pro dicta domo Dacie, primo quidem erga dominum abbatem Sancte Genovefe, qui dictam domum fecit proclamari virtute privilegiorum burgensibus Parisiensibus concessorum, et hoc occasione arreragiorum ab octo annis citra, que arreragia ascendebant fere usque ad summam quadraginta lib. paris. tam pro principali quam pro expensis. Et quamvis procurator iteratis vicibus per se [1], et eciam cum magistro Petro [de] Leidis [2] et Beomundo supplicas[s]et dicto domino abbati, quatenus arreragia vellet dictus dominus abbas moderare, alegantes dicti domini, quod [abbas] aliis non solum arreragia moderaverat, ymo eciam de denario turonum fecerat propter maliciam temporis, et multo magis hoc illi domui pauperum scolarium facere deberet, offerentes eciam ipsammet nacionem eidem, ut intuitu ejusdem nacionis micius ageret, et alias quamplures raciones alegantes, quas esset lungum hic enarrare : nichil tamen ab eodem optinere potuit dictus procurator, sed respondit quod nichil remittere vellet de arreragiis dictis, etc. Item dictus procurator fecit diligenciam aliunde querendo aliquem burgensem cum magna diligencia, qui dicta arreragia vellet solvere et domum reparare, offerens eandem domum locare, etc., usque ad spatium octo vel novem annorum, promittens garantizare ex parte nacionis sub ypotheca omnium bonorum presentium et futurorum nacionis. Et quamvis multis hanc formam expressisset, nullum tamen potuit reperire, etc. Idcirco consulebat nacionem quid in facto istius domus esset agendum, quia ex precepto nacionis opposicionem fecerat contra proclamaciones factas ex parte domini abbatis, et ideo restabat munire manum justicie de summa quadraginta librarum supradictarum vel opposicioni renunciare. Et quia nacio non habebat pecunias paratas nec est consuetum in talibus tradere vadia, etc., ideo nacio voluit ut virga subbede[l]li traderetur in vadio alicui burgensi pro illa summa, etc., si aliquis reperiri possit. Et quamvis fuisset magna diligencia, nullum tamen reperire potuerunt, qui summam supradictam vellet concedere nacioni supra dictam virgam, etc. Et quia collegium Laudunense eciam se opposuerat proclamacionibus domini abbatis et eciam ex eo, quia dicta domus Dacie obligata et ypothecata erat dicto collegio in summa LX lib. par. ex una parte, et ex alia in summa (*Fol. 40*) viginti lib. paris. a sexaginta annis citra occasione quarundam reparationum [3], etc. : ideo nacio videns quod non poterat munire manum judicis de supradicta summa, voluit quod tentarentur illi de collegio Laudunensi, si cum eis aliquod apunctuamentum reperiri posset. Tandem illi de illo collegio, credentes nacionem esse satis pecuniosam, ac materiam istius domus in curia Castelleti prosequi volentem, dicti magistri et scolares collegii supradicti pro concordia et pace habenda et evitacione expensarum utriusque partis, ut in littera super hoc confecta latius potest apparere, optullerunt nacioni ad utilitatem *scolarium de regno Dacie et de provincia alte Almanie*, dum tamen opposicionem suam removeat, quandam domum sitam in vico de la Galandre prope vicum Straminis, que domus est amortizata. Debet tamen IX lib. paris. cum X sol., et IIII sol. cum II den. pro fundo terre, promittentes eandem domum garantizare erga omnes, ultra supradicta obligantes eciam et ypothecantes corpus collegii et bona ejusdem presentia et futura ad garanthizandum, etc. Sic igitur nacio considerans, ut supra dictum est, quod pecunias pro municione manus non habebat et quod nisi infra quatuor dies judicis manum munivisset, domus in manus abbatis renowisset (*sic*) sine hoc quod aliqua utilitas venisset scolaribus regni Dacie et illis de provincia nec nacioni in se : nacio acceptavit apunctuamentum collegii Laudunensis modo et forma in litteris super hoc confectis contentis et declaratis [4], viso eciam quod dicta domus Dacie tam ruinosa existebat, quod centum et quinquaginta lib. paris. non sufficerent [5] pro reparacione ejusdem.

Quoad 2ᵐ procurator supplicavit quatenus nacio vellet habere ipsum awatum de supplicacione facta per ipsum in Universitate occasione dicte domus. Que fuit concessa in forma.

1. *Ms.* per e.
2. *Ms.* Leudis.
3. *Vid. tom.* I Auctarii.
4. *Apunctuamentum est Aug.* 23, *ed. a* Bul., V, 390-392.
5. *Ms.* sufficuissent.

(*Fol. 40*ᵇ) Procuratoria magistri Petri de Gouda nati de Leydis.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVIª die Augusti, anno quo supra, super duobus articulis. Primus ad eligendum seu continuandum procuratorem; et quoad istum electus fuit concorditer magister Petrus de Gouda natus de Leydis. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis; et quoad istum primo supplicavit antiquus procurator, ut in bene actis haberetur gratus et avoatus; quod fuit concessum. Supplicavit eciam Boemundus bedellus nationis pro domino Hermanno Fabri subbedello absente, ut natio eundem Hermannum adhuc vellet continuare in officio, viso quod per eum non stat sua absencia, sicut petivit in littera quam eidem Boemundo predictus Fabri misit. Quod placuit nationi, et ipsum adhuc continuavit in officio propter causas tactas in littera et alias.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum IIIIª Septembris super tribus articulis. Primus super ulteriori expeditione transmutationis domorum, scilicet Dacie et domus ante vicum Straminis pertinentis collegio Laudunensi ac eciam reparatione ejusdem. Ubi placuit nationi quod visitaretur predicta domus ante vicum Straminis per operarios, et si oporteret facere aliquas parvas reparationes, fierent cum illis quinque libris parisiens., quas illi de collegio Laudunensi dabunt nationi et nichil magis ultra exponeretur pro nunc. Secundus fuit super facto cujusdam scutiferi habentis certos annuos redditus, scilicet XXXVI sol. super *magnis scolis* nacionis, qui petivit solvi pro anno receptorie magistri Rodgeri de Edenburch, cum, ut dixit, nondum de illo anno fuerat persolutus, licet magister Rogerus predictum scutiferum esse solutum affirmet in compoto suo. Ad quod dixit natio nichil velle dari predicto scutifero ob hanc causam, cum in talibus natio consuevit credere suis receptoribus. Tercius fuit communis; et quoad hunc nichil.

Facta fuit congregatio nationis Anglie apud Sanctum Maturinum XVIª Septembris super duobus articulis. Primus super aliquibus tangentibus honorem nationis et continet duo specialia puncta. Primum de bonis et utensilibus conservatis in domo *cornu cervi*, quorum aliqua sunt domus, aliqua Boemundi et aliqua aliquorum scolarium absentium. Et quoad hoc placuit nationi, ex quo magister Georgius licentiatus in decretis, procurator et incola illius domus, detinebatur in carceribus episcopi Parisiensis, quod procurator una cum aliquibus aliis magistris aut nationis, aut alterius nationis, aut simul, intrarent predictam domum *cornu cervi*, et bona que ibi possent reperiri registrari in inventario et ponere ad partem, ubi essent tuta et salva, absque tamen aliqua deportatione, nisi presentibus visum fuerit conveniens. Secundum punctum fuit ad transferendum diem computationis receptoris que fieri deberet in festo Mathei ad ejusdem vigiliam, quod placuit ob multas causas. Secundus articulus principalis fuit communis, ad quem nichil.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum in profesto beati Mathei apostoli super tribus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris, qui fuit auditus et habitus gratus et avoatus, et receptor habebatur gratus, et ascendebat sua misia ad V lib. paris., IX sol., VI den., et sua recepta ascendebat ad XX lib. paris., XVIII sol. Et defalcata summa misie manet debitor ipse receptor in XV lib. paris., VIII sol., VI den., quam [summam] presentavit nationi et voluit natio illam summam ponere ad archam. Mansit tamen tota summa in manus domini receptoris protunc; verumtamen quia adhuc fuit difficultas de salario receptoris, voluit natio, quod si esset rigorosum quod receptores haberent quatuor lib., in nomine Domini iste similiter haberet; si vero non esset rigorosum, dedit sibi natio tres francos pro suo salario. Secundus articulus fuit super visitatione littere passande in Castaleto de transmutatione domus Dacie, que littera fuit visitata. Et deliberavit natio quod in nullo voluit prejudicari illis de regno Dacie, et ergo si esset aliquid in littera, quod esset reprehensivum nationis aut magistrorum vel eciam prejudicativum juri illorum de Dacia, quod hoc deponeretur, antequam passaretur. Tertius articulus fuit communis; ad quem nichil nisi ut supra patet.

(*Fol. 41*) Facta congregatione nationis Anglicane in die sancti Mathei apud Sanctum Maturinum super quampluribus articulis, quorum unus fuit ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum; et quoad istum articulum fuerunt plures supplicantes; tres videlicet, quorum duobus reservantibus suas voces, et procuratore habente simpliciter vocem unius magistri, poterat et potuit sicut et de facto conclusit pro se ipso, supplicansque presentibus et in deliberatione proponens ut ad substitutionem procederent; quod ipsis facere rennuentibus, idem procurator pro bono pacis et exspectando concordiam omnium commisit antiquo receptori exercicium officii receptoris. Ipso vero exercituro officium pro-

curatoris, quousque totalis concordia magistrorum super isto posset haberi, sine tamen prejudicio hujusmodi conclusionis prescripte. A quo modo concludendi quidam, qui similiter supplicaverunt, appellaverunt ad Universitatem postquam procurator surrexerat.

Alius articulus fuit super lectura statutorum, que fuerunt audita et placuerunt presentibus. Alius articulus fuit super distributione clavium archarum, que manserunt et manent apud eos, qui eas habuerunt. Alius articulus fuit super distributione scolarum pro volentibus regere in vico Straminis hoc anno, et fuerunt scole concesse procuratori, cujus fidejussor magister Albertus Vorden, et eidem Alberto Vorden, cujus fidejussor procurator, et magistro Johanni I[t]stein, cujus fidejussor magister Martinus Berech. Alius articulus fuit ad providendum circa officia bedelli et subbedelli. Et quia subbedellus fuit absens et extra villam, solus bedellus presentavit suam virgam aureatam nationi, et supplicavit idem pro continuatione in officio; quod sibi fuit concessum. Supplicavit idem, ut natio sibi dignaretur subvenire in sua indigencia, visa paucitate sui lucri; quod et placuit nationi, et voluit sibi tradere duas lib. paris. Alius articulus fuit ad deliberandum circa exposita hesterna die, que ascendunt ad XXXVIII sol.; et voluerunt magistri, quod natio totum solveret. Alius articulus fuit communis super supplicationibus, que patent superius.

Sequuntur nomina regentium hujus anni.

Petrus de Gouda, natus de Leydis, cujus fidejussor mag. Albertus Vorden.

Johannes Itstein, cujus fidejussor mag. Martinus Berech.

Albertus Vorden, cujus fidejussor mag. Petrus de Gouda, natus de Leydis.

1430

Continuatio magistri Petri de Gouda.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XXIII^a Septembris super tribus articulis. Primus super electione novi procuratoris. Et quantum ad istum volentibus magistris continuare antiquum procuratorem, licet dumtaxat super electione essent convocati, conclusit procurator suam continuationem, sine tamen prejudicio conclusionis superius capte de electione ejusdem procuratoris in receptorem. Secundus articulus fuit super cedanda discordia orta inter magistros nationis aliquos et procuratorem, ratione cujus aliqui appellabant ad Universitatem. Et quantum ad istum articulum, visis statutis nacionis, scilicet de non revelando, etc., et de modo concordandi magistros litigantes etc., dixit natio illam appellationem esse frivolam et inanem, et quod illa materia non deberet exire gremium nationis. Erat tamen unus de appellantibus presens, qui in sua appellatione dixerit se permansurum. Tercius fuit articulus communis super supplicationibus et injuriis. Et quantum ad istum supplicavit primo procurator, ut in actis per eum haberetur gratus, avoatus et recommendatus et facta ejus grata et rata; quod fuit concessum. Supplicavit etiam Boemundus bedellus nationis, ut bona sua alias magistris habitantibus in *cornu cervi* per eundem Boemundum concessa natio vellet sibi restituere, si contingeret nationem illam domum visitare. Quod fuit concessum, si ipse Boemundus posset probare illa esse sua vel juramento vel alias, scilicet scripto.

Item congregatis deputatis Universitatis in Sancto Maturino die sancti Michaelis anno quo supra ad cedandum discordiam ortam inter procuratorem nationis Anglie et certos magistros ejusdem nationis super officio receptorie, conclusit dominus rector ex deliberationibus deputatorum, quod adherendo hiis que per procuratorem exstiterant relata, ordinant deputati, quod procurator sit receptor, et antiquus receptor, scilicet magister Albertus Vorden, sit procurator. A qua ordinatione magister Martinus Berech iterum appellavit ad Universitatem.

1430

(*Fol. 41^b*) Sequitur substitutio magistri Alberti Vorden nati de Campis in procuratorem.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane die XXX^a [1] Septembris super tribus articulis. Primus ad substituendum procuratorem loco magistri Petri de Leydis, electi in receptorem; et quoad istum articulum concorditer fuit substitutus magister Albertus Vorden in procuratorem, qui fuit antiquus receptor. Secundus articulus fuit ad dispensandum de uno statuto, ubi cavetur, quod nemo debet admitti ad officia principalia, etc. Ad quod fuit dispensatum de illo statuto ob amorem unius magistri, vocati magister

1. *Ms.* XXXI^a.

Johannes Hytsten [1]. Tertius fuit super supplicationibus et injuriis. Supplicavit antiquus procurator et jam receptor ut in actis per eum in factis nationis haberetur gratus, avoatus et recommendatus; quod fuit concessum. Et post juramentum a me receptum, ut solitum est, exhibuit natio se michi daturam consilium, auxilium et favorem in agendis per me. Et post hec sedens in loco procuratoris recepi juramenta receptoris, antiqui procuratoris, et juravit ut consuetum est.

Facta congregatione nationis Anglicane die VI^a^ Octobris super duobus articulis. Primus super reparatione *scolarum antiquarum* nationis futilium et super expeditione littere confecte de permutatione domus Dacie in domum sitam juxta vicum Straminis. Et quoad hoc voluit natio, ut dominus receptor haberet onus providendi de scolis, et quod adiret tectores visitaturos illas scolas et reparaturos. Voluit etiam natio, quod dominus receptor haberet onus providendi isti domui habite pro domo Dacie, sic tamen quod exponeret de pecuniis receptis ab illis de collegio Laudunensi et quod solveret scriptoribus littere istius permutationis et laboraret ad ulteriorem istius littere expeditionem. Et ex quo receptor retulit qualiter recepit quinque libras ab illis de collegio Laudunensi occasione istius domus, et dedit quitanciam, regratiabatur sibi natio de laboribus acceptis per eum et avoavit illam receptionem et quitanciam, et avoavit ipsum in tali receptione. Secundus articulus erat super supplicationibus et injuriis. Et quoad hoc supplicavit Bomundus bedellus, quod ex quo arrestavit bona cujusdam rustici commorantis in domo *cornu cervi*, qui voluit aliquas dare pecunias uni de pallacio, qui dicitur esse procurator illius domus, qui tamen non est de gremio nationis, avoavit natio illam arrestationem et voluit natio, quod Bomundus omnibus debentibus illi domui inhiberet, ne aliquid traderent illis, qui non sunt de gremio nacionis, et hoc injunxit bedello. Et voluit laborare natio omnibus viribus, quod ista domus veniret in custodiam nationis, viso quod ista domus Dacie erat alienata a natione, ex quo natio non habuit de illa domo custodiam, et viso quod procuratores domus *cornu cervi* non fecerunt aliquas reparationes de pecuniis receptis.

Facta congregacione facultatis X^a^ Octobris apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus ad eligendum novum rectorem. Et quantum ad illum fuit electus magister Thomas de Courcellis [2], qui officium acceptavit. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad illum nacione sedente in loco suo, istis articulis repetitis per procuratorem, supplicavit nacioni magister Jacobus Potter, ut sibi provideret de scolis, quia illo anno regere intendebat. Et quantum ad illam concessit nacio suam supplicacionem.

Sequitur nomen regentis supplicantis pro scolis post festum sancti Mathei.

Magister Johannes Potter, cujus fidejussor mag. Petrus Leydis.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XX^a^ Octobris super tribus articulis. Primus ad disponendum de *Consilio generali futuro*, et ad excitandum principes et prelatos, ut ad acceleracionem illius Consilii laborarent. Et quantum ad hoc fuerunt lecte littere tam destinande ad prelatos quam principes, et conclusum erat, quod illis litteris correctis per deputatos, si quid corrigendum esset, ipse transmitterentur. Secundus erat de collatione officii procuratoris in parlamento, quod tunc vacabat per obitum magistri Guillelmi Camus [3]. Et ex quo episcopus Parisiensis supplicavit nacioni specialiter, ut magistri darent vota sua in personam magistri Johannis Bailli [4], ideo nacione existente in loco suo ad partem, posui illud eciam specialiter in deliberacionibus magistrorum. Et quoad hoc, ex quo alias natio convenit in personam magistri Johannis Pariis [5] et sibi istud officium contulit, ideo natio adhuc remansit in alias deliberatis. Tercius articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis, etc. VORDEN.

1430

(*Fol.* 42) Sequitur electio magistri Alberti Vorden nati de Campis, Trajectensis diochesis, in procuratorem.

Facta congregacione nacionis Anglicane XXI^a^ Octobris apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Et quoad illum fuit concorditer electus magister Albertus Vorden. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Et quoad illum supplicavit antiquus procurator magister Albertus, ut in actis per eum in factis nationis in precedenti procuratoria haberetur gratus, avoatus et recommendatus, quod fuit concor-

1. *I. e.* Itstein.
2. *Quem etiam* BUL., V, 921, *affert.*
3. *De hoc etiam* lib. procurat. nat. Gallic. *ap.* BUL., V, 393 *sq.*
4. *Seu* Baillivi.
5. *Seu* Paris. *Pro ipso etiam nat. Gallic.*

diter concessum, unde habebantur acta sua grata, avoata, etc. et ipse habebatur gratus, avoatus, etc. Supplicavit insuper ut natio in actis in hac procuratoria instante vellet sibi dare consilium, auxilium et favorem; quod eciam conformiter fuit concessum. Dixit eciam natio per modum avizamenti quod bonum esset, ex quo jam nacio non erat opilenta (*sic*) in pecuniis, quod et ex quo erant multi debitores nationis tam in partibus quam alibi, quod nacio de hoc provideret de remedio oportuno, vel scribendo illis qui sunt in partibus aut alias, etc. Et super hoc fuit procurator requisitus, ut faceret tempore congruo unam congregacionem specialem super ista materia, ubi omnes magistri convenirent de natione. Et ita fuit conclusum. VORDEN.

1430

Continuatio magistri Alberti Vorden in procuratorem, nati de Campis, Trajectensis diochesis.

Facta fuit congregacio XVIIIª die Novembris per juramentum apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et quoad illum concorditer fuit continuatus procurator antiquus nemine reclamante. Secundus erat super provisione festi sancti Eagmundi a natione celebrandi, ut consuetum fuerat, et quantum ad hoc elegit natio magistrum Petrum de Gouda receptorem et magistrum Jacobum Potter in provisores circa prandium habendum. Voluit insuper natio, ex quo istud festum specialiter a natione erat reservatum absque quota certa, quod natio solveret omnia exponenda in illo festo tam in probatione vini aut aliunde per provisores. Tercius articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad illum supplicavit procurator ut acta sua in precedente procuratoria haberentur grata, avoata et recommendata, et ipse gratus, avoatus, etc. quod fuit tamquam justum in forma concessum. Retulit eciam magister Jacobus Potter, quod ex quo erant octo claves de archa nationis, *et non nisi quinque magistri*, et ipse nullam haberet clavem, videbatur sibi, ut ipse eciam haberet unam clavem. Et quantum ad hoc, ex quo receptor magister Petrus de Gouda habebat duas claves, ordinavit natio sibi unam clavem de illis. Et ita fuerat conclusum.

1430

(*Fol.* 42^b) Acta in procuratoria Jacobi de Loo, alias Potter.

Facta congregatione nacionis Anglicane aput Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis anno XXX^{mo}, die XVIª Decembris. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et quantum ad istum articulum electus fuit magister Jacobus de Loo alias Potter concorditer ab omnibus, unde et ipse regraciabatur nacioni et singulis suppositis. Et quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut nacio haberet ipsum cum actis in procuratoria sua avoatum et recommendatum, ut moris est. Supplicavit eciam noviter electus, ut nacio sibi dignaretur dare auxilium et consilium in agendis in procuratoria sua. Quorum supplicaciones ambe simpliciter fuerunt concesse [1].

1431

Facta congregacione Universitatis aput Sanctum Maturinum die 12ª Januarii anno XXXº secundum cursum ecclesie gallicane super certis articulis. Et nacione sedente et posita in loco suo consueto, inter cetera facta Universitatis ratificavit et confirmavit nacio et magistri nacionis tunc presentes electionem ambassiatoris [ad Consilium generale] magistri Petri de Gouda [2] electi alias per nacionem, eo quod magistri predicti in presenti congregacione presentes eotunc non intererant, sed a villa Parisiensi absentes.

1431

Continuatio Jacobi de Loo, alias Potter.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum die 13ª Januarii anni 30^i secundum cursum ecclesie gallicane, super 4^{or} articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Deliberavit nacio uniformiter continuando antiquum.

Secundus articulus fuit super positione pecuniarum ad archam nacionis, et hoc ex requesta aliquorum magistrorum nacionis. Et ad istum articulum deliberavit nacio, primo quod illa summula apud receptorem existens, visa paucitate summe, remaneret apud dictum dominum receptorem, quia, ut exposuit in nacione idem dominus receptor, illa summa

1. *Tunc etiam rector electus est, quem* BUL. V, 921, *fuisse* Joh. Haveron *asserit.*

2. *At non ipse, sed* Martinus de Berech *postea designatus est, Vid. infra ad April.* 13.

quam habuit a nacione non sufficiebat pro festo Purificationis et distribucionibus in festo Annunciacionis, sed oporteret quod ipse receptor concederet nacioni vel quod nacio iret ad archam. 2° injunxit nacio procuratori, quod ipse nomine nacionis moneret magistrum Johannem Y[t]steyn, quatenus ipse satisfaceret nacioni de bursis suis pro bachalariatu, licencia et magisterio, quoniam, ut referebatur in natione, ipse mag. Johannes non veretur dicere publice, quod nunquam fuit Parysius, quin semper vixerat de propriis, et consimiliter idem procurator haberet dicere magistro Martino Berech, quod ipse Martinus satisfaceret nacioni de sibi creditis a nacione vel faceret fidem cui, qualiter et quando satisfecerit per juramentum; quod nisi facerent, tam iste quam ille, nacio vellet ulterius procedere contra ipsos et eciam contra alios debitores nacionis omni modo possibili usque ad integram solucionem. Et circa istum articulum deliberavit nacio, quod ex quo anno preterito aliquibus bachalariis datus fuit terminus solutionis suarum bursarum usque ultimum Maii sub pena rescriptionis a libro, quoniam non solverunt adhuc, nisi satisfacerent nacioni, quod pena posita super hoc infra mensem curreret. Et quia recitatum fuit in nacione, quod horum aliqui jam actu recessissent, nisi posuerint respondentem sufficientem, delerentur eorum nomina de libro nacionis, quoniam hospite non salutato recesserunt.

(*Fol. 43*) 3us articulus fuit super disposicione domuum existentium in manibus nacionis. Et quantum ad istum articulum nacio constituit magistrum Petrum suum receptorem procuratorem domus habite in permutacione domus Dacie, site ante vicum Straminis, et dedit sibi potestatem disponendi de illa domo ad utilitatem illorum de regno Dacie et dicte domus. Secundo circa eundem articulum recitavit procurator nacionis, qualiter alias ipse cum domino receptore et Boemundo ad requestam inhabitantium domum de *cornu cervi*, idem procurator dictus cum aliis dictis invenit ibidem et aliqua magna reparatione indigencia. Quapropter convocavit nacionem, ut nacio circa hoc avisaret, si vellet dictam domum reparare vel non. Super quo recitavit Boemundus bedellus nacionis, quod illo mane locutus erat uni de pallacio, qui dicitur procurator illius domus constitutus per magistrum Jacobum Roodh, qui dicebat Boemundo quod alias visitaverat domum dictam *cornu cervi* cum lathomo, et optulit se virtute procurationis libenter velle facere reparari istam domum, quamquam constaret multas pecunias, ut asseruit, supplicans idem, quod Boemundus dictus sibi in reparacionibus faciendis vellet assistere, ut melius posset reddere compotum, ubicumque esset faciendum. Super quo deliberavit nacio regraciando illi de bona voluntate sua, et placuit nacioni quod repararet, dum Boemundus adesset nomine nacionis et tamquam comprocurator, et non tantum sicud coassistens. Quartus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Ad istum supplicavit procurator, ut nacio avoaret acta et scripta per ipsum nomine nacionis tempore sue procurationis; cujus supplicationi annuit concorditer nacio.

Facta congregacione Universitatis Parisiensis aput Sanctum Maturinum die decima nona Januarii anno quo supra, super certis articulis. Et nacione posita ad partem in loco suo, venit Boemundus bedellus nacionis et ostendit quoddam procuratorium, virtute cujus petiit ut nacio vellet concedere litteram testimonialem gradus magistro Johanni Nycolay de Harlem, et consimiliter magistro Johanni Wermer si opus esset; pro isto tamen intendebat supplicare in Universitate postea pro littera presencie anni XVIII, sicud in proxima congregacione Universitatis sequente fecit, et de illa presencia testificaverunt magister Joh. de Ponte et quidam alius magister, cujus nomen ignoro. Quas supplicaciones concesserunt tam nacio quam Universitas.

1431

Continuacio Jacobi de Loo, alias Potter.

Congregata nacione Anglicana apud Sanctum Maturinum anno tricesimo secundum morem gallicanum, decima Februarii, super quatuor articulis. Primus fuit super electione sive continuatione procuratoris. Secundus fuit [ad] ordinandum diem pro tentamine bachalariorum. Tertius fuit ad distribuendum menses pro examine Sancte Genovefe, et quartus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuit concorditer continuatus antiquus procurator. Quantum ad secundum articulum ordinavit nacio, quod tentamen determinantium aperietur die lune sequente post prandium, et quod domini determinatores vocarentur per bedellum in Sancto Maturino die et hora prescriptis, et quod essent tentatores nominati in statuto. Quantum vero ad tercium dederunt magistri tunc presentes magistro Johanni Y[t]steyn primum mensem. Sed quantum ad ultimum articulum non erat alius supplicans, nisi procurator antiquus, qui supplicavit nacioni, ut nacio vellet ipsum cum actis et scriptis per eundem tempore sue procuratorie et nomine

nacionis habere gratum, ratum et avoatum; supplicacioni cujus nacio concorditer annuit. Dixit eciam magister Martinus Berech, qualiter ego procurator inscriberem libro nacionis, quod ipse certificaverat nacioni de solucione bursarum suarum facta magistris Johanni Johannis et Jacobo de Gouda, sicuti tunc in nacione recitavit.

(*Fol. 43*[b]) Sequuntur nomina determinancium anni hujus.

Item primo determinavit dominus Arnoldus de Wouda dyocesis Trajectensis, cujus bursa VIII sol.

Item sub determinavit dom. Cosmas Symonis, dyocesis Zagrabiensis, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, anno XXX secundum morem Gallicorum, die XXI[a] Februarii, super tribus articulis. Primus ad admittendum quendam determinantem ad bachalariatum per juramenta paupertatis; et quia scolaris ille tunc non erat presens in nacione, ideo quoad illum articulum deliberavit nacio quod procurator die sequente haberet convocare nacionem super isto, et quod ad illam congregacionem vocaretur dictus scolaris juraturus in plena nacione paupertatem. Secundus articulus fuit ad audiendum relacionem Boemundi bedelli nacionis de responsione sibi facta per procuratorem domus *cornu cervi*[1] commorantem in pallacio regio. Facta autem relacione Boemundi, quod prócurator ille, ex quo erat procurator ecclesie Lincopiensis, non voluit renunciare procuratorie, sed libenter ad reformacionem[2] vellet concedere unum salucium[3] et recipere postea de locagio domus, si tamen nacio vellet removere procuratorem a manibus in nomine Domini, sed sponte nolebat dimittere, deliberavit nacio quod adhuc incitaretur per Boemundum, quatenus vellet apponere 4 lib., 5 francos, et nacio tantum una cum locagio domus, et tunc fieret reparacio. Quod si non vellet facere, tunc nacio vellet capere consilium cum juris peritis quid esset agendum. Quoad tertium articulum supplicavit dominus receptor, quod nacio vellet dare uni scolari nomine Arnoldo[4] de Wouda spacium solucionis bursarum suarum de bachalariatu, quoniam pro nunc non habuit neque pecunias neque pignora usque ad festum Assumptionis beate Marie. Supplicacioni cujus nacio annuit concorditer.

Facta congregacione nacionis apud Cordigeros die sancti Petri ad cathedram post sermonem, que fuit 22[a] Februarii[5], super duobus articulis. Primus erat ex deliberacione nacionis habita die precedente ad audiendum illum bachalarium qui voluit admitti ad bachalariatum mediante juramento paupertatis quique vocatus et interrogatus per procuratorem more solito juravit in anima sua, quod nec hic nec alibi erat potens solvere aliquas bursa[s] eciam minimas. Quo audito nacio admisit ipsum ad bachalariatum mediante juramento paupertatis secundum formam contentam in libro procuratoris. Quoad secundum articulum non fuit supplicatum, etc.

Sequuntur nomina licenciatorum anni XXX[mi].

Item primo licenciatus est dominus Oliverius de Gent, Trajectensis dyocesis, incepturus sub magistro Petro de Gouda, cujus bursa nichil.

It. dom. Henricus de Eylsich, Coloniensis dyocesis, incepturus sub mag. Johanne Y[t]stein, cujus bursa VIII sol.

It. dom. Hilbrandus Koskul, dyocesis [Rigensis], incepturus sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa VIII sol.

It. dom. Conrardus Setzendran, dyocesis Salizburgensis, incepturus [sub] mag. Johanne Y[t]stein, cujus bursa nichil.

1431

(*Fol. 44*) Quarta continuacio magistri Jacobi de Loo, alias Potter.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum decima Marcii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum sive continuandum procuratorem; et quantum ad istum articulum continuatus est antiquus concorditer ab omnibus. Secundus fuit super supplicacionibus; et quantum ad istum supplicavit procurator ut haberetur avoatus a nacione in actis per ipsum tempore sue procuratorie; quod sibi unanimiter concessum fuit. 2° dominus receptor retulit, quod in libro receptoris habebantur aliqui bachalarii inscripti cum 4[or] solidis pro bursis, quibus nacio alio anno dederat terminum solucionis, et nundum solverunt, quod nacio vellet de illo, ita quod loco illorum 4 solid. receptor haberet illis

1. *Ms. hic et pluries* servi.
2. *Ms. postea iterum* libenter.
3. *I. e.* salut d'or.
4. *Ms.* Arnoldus.
5. *Ms.* 2[a] secunda februario.

depositis scribere « cujus bursa nichil », vel alio modo sicud vide[re]tur nacioni expediens, viso quod propter maliciam temporum ipsi *jam aliqui recesserant*, alii autem superstites non possent solvere. Quare tunc ordinavit nacio, quod demoveretur taxa 4 sol. et poneretur « nichil », et quod procurator haberet illos in licencia bis facere jurare juramenta paupertatis, semel videlicet pro bachalariatu, et semel pro licencia. Finaliter supplicavit quidam scolaris quod nacio amore pietatis vellet ipsum admittere ad bachalariatum cum juramento paupertatis tam quoad bursas, quam quoad scolas. Super [quo] ordinavit pietatis intuitu ipsum admittendum ad paupertatem de bursis bachalariatus dumtaxat; sed quantum ad scolas disposuit eadem nacio (viso quod statutum esset in contrarium, quare simpliciter non posset ipsum admittere ad quitacionem scolarum; ne tamen scolaris propter hoc perderet[1] studium suum, ut eciam statutum in suo robore permaneret) quod ipse scolaris in remuneracione pro scolis solvendis faceret nacioni aliquod servicium sibi per procuratorem vel aliquem magistrorum assignandum, et sic subdeterminaret in nomine Domini.

Sequuntur [nomina] incipientium anni predicti.

Item primo incepit dominus Oliverius Gent, Trajectensis dyocesis, sub magistro Petro de Gouda, cujus bursa nichil.

It. inc. dom. Henricus de Eylsich, Coloniensis dyocesis, sub mag. Johanne Y[t]steyn, cujus bursa VIII sol. par.

It. inc. dom. Hilbrandus Koskul, dyocesis Rigensis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa VIII sol. par.

It. inc. dom. Conrardus Setzendran, diochesis Saltburgensis, sub mag. Martino Berech, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die decima nona Marcii anni tricesimi super duobus articulis. Primus super quadam requesta magistri Alberti Vorden; secundus communis super supplicacionibus. Quantum ad primum facta fuit requesta magistri Alberti per bursas cujusdam bachalarii licenciandi in Sancta Genovefa, ut nacio vellet eidem dare terminum solucionis bursarum tam pro licencia quam pro inceptione, ac eciam jocundo adventu ad nacionem. Cui nacio dedit terminum festum Johannis Babtiste proximum. Quantum ad secundum unus supplicavit, scilicet magister Petrus de Gouda, quod nacio vellet dare terminum solucionis II librarum parisiens. cui[dam] scolari licenciato, scilicet Oliverio Ghent, pro jocundo adventu ad nacionem et cappis rectoris usque ad festum sancti Johannis Babtiste proximum. Quod fuit concessum[2].

1431

(*Fol. 44*ᵇ) Sequitur electio magistri Alberti de Vorden nati de Campis, Trajectensis diochesis, in procuratorem.

Facta congregacione nacionis die VIIª Aprilis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; et quantum ad [istum] retulit magister Petrus de Gouda, rector Universitatis, qualiter antiquus procurator magister Jacobus Potter, partes visitavit, et ipso nesciente diem determinatum sui recessus, nacionem ad substituendum novum procuratorem non convocavit. Si enim scivisset diem determinatum, ipsam libenter convocasset; quapropter nacioni supplicavit, ut nacio in hoc vellet ipsum habere supportatum et excusatum. Ex quo antea magistrum Martinum Berech rogavit, quod in casu quo contingeret ipsum recedere, ipse vellet officium procuracionis loco sui usque ad novam electionem procuratoris exercere; quod et ipse fecit. Et quoad istum articulum fuit concorditer electus magister Albertus Vorden in procuratorem nemine reclamante; qui post juramenta solita in loco procuratoris sedens supplicavit, ut nacio vellet sibi dare consilium, auxilium et favorem; quod sibi concorditer fuit concessum. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quantum ad illum supplicavit magister Martinus, quod in factis nacionis loco procuratoris absentis haberetur gratus, avoatus, etc.; quod erat concessum.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum die XIIIª Aprilis super tribus articulis. Primus erat ad eligendum ambassiatorem sive portitorem rotuli[3], qui in precedenti congregacione Uni-

1. *Ms.* preter *vel* preteriret.
2. *Mart.* 24 *electus est in rectorem mag.* Petrus de Gouda, *nat. Anglic., ut patet ex infra scriptis, et* J. Quicherat, Procès de Jeanne d'Arc, I, 411. Bul., V, 395, *bene eo loco affert rectorem; sed in* Nomenclatura rectorum, p. 921, *perperam* Guillelmum de Gouea Batavum, *nomen quod frustra quaeres inter supposita nostrae nationis.*
3. *Vid. de ipso et de ambassiatoribus ad papam* Eugenium IV, *defuncto Martino V Febr.* 20, *infra.*

versitatis erat conclusus a tota Universitate. Et quoad illum supplicavit dominus procurator mag. Albertus Vorden pro officio ambassiatoris; supplicavit eciam pro eodem mag. Martinus Berech, tandem dominus rector, mag. Petrus de Gouda, eciam supplicavit pro eodem. Et pro modo concordie mag. Martinus Berech voluit cedere domino rectori, dummodo dominus rector vellet sibi resignare officium *ambassiatoris ad Consilium generale*. Dominus eciam procurator voluit cedere domino rectori, dummodo haberet a nacione, quod si rector non vellet ire cum rotulo, quod tunc procurator iret. Et quoad istum articulum conclusum erat, quod rector esset ambassiator ad portandum rotulum, et in casu quo non iret propter aliqua impedimenta, dominus procurator mag. Albertus Vorden esset portitor rotuli, et mag. *Martinus Berech esset ambassiator ad Consilium generale in Basilia* celebrandum [1], et quod procurator in prima congregacione Universitatis haberet presentare Universitati mag. Martinum Berech tamquam de novo electum in ambassiatorem ad generale Consilium. Voluit eciam, quod dominus procurator mag. Albertus Vorden esset inrotulatus in capite nacionis et primus de omnibus suppositis ejusdem, et quod esset inrotulator omnium inrotulandorum de nacione.

Secundus articulus erat de taxacione quote inrotulandorum, et quoad hoc voluit nacio quod regentes presentes nichil darent, ut consuetum erat, et presentes non regentes darent VIII sol., et absentes darent unum salucium.

Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Et quoad istum nullus supplicavit preter pretactos, de quibus dictum est. Voluit [2] eciam [nacio], quod procurator esset receptor burse pro ambassiatoribus ad Consilium destinatis ordinate.

A. Vorden.

1431

(Fol. 45) Continuacio magistri Alberti Vorden nati de Campis.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum die quinta Maii super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad istum continuatus fuit antiquus procurator nemine reclamante, ipso tamen non supplicante pro eodem. Secundus articulus erat super probacione presencie inrotulandorum in rotulo per Universitatem concluso, et quoad illum approbavit tota nacio hos presentes, videlicet:

Magistrum Hermannum de Colonia,
Mag. Martinum Berech,
Mag. Jacobum Potter,
Mag. Petrum de Gouda, protunc rectorem Universitatis,
Mag. Johannem Eitstein [3],
Mag. Albertum Vorden, protunc procuratorem nacionis,
Mag. Oliverium Ghent,
Mag. Henricum de Eylsich [4],
Mag. Hilbrandum Koskul,
Mag. Conrardum Setzendran.

Tercius articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad istum supplicavit procurator, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum nomine nacionis, et facta sua haberentur grata, etc.; que supplicacio erat concessa in forma. Supplicavit insuper procurator, ut nacio vellet

Mag. Jacobum Hatten

reputare presentem absque prejudicio presencium, et supplicavit rector mag. Petrus de Gouda ad idem pro

Magistro Jacobo de Gouda,

Et supplicavit mag. Martinus Berec ad idem pro

Magistro Johanne Mutzeller,

Que tres supplicaciones erant concesse. Unde isti

1. *Ut notum est, alii ambassiatores Universitatis Paris. ad* Concilium Basileense, *jam April.* 11 Basileae *fuerunt, et quidem* Nicolaus Amici, Guillelmus Eurardi, *ambo art. mag., in theol. licent.*; Egidius Canniveti, *med. mag. April.* 12 *ibid. fuit* Dionysius de Sabrevois (*vid. ad an.* 1441, *Jan.*) *mag. theol.* (*licent. an.* 1425, *i. e.* 1426). *Eodem mense ibidem inveniuntur praecipuus omnium*, Johannes Pulchripatris, *mag. theol.*, *et* Thomas Fieve (Mon. Concil. general. saec. XV, t. I, p. 5 *et passim* : Siene, II, 18 : Fresie; p. 43 : Frene), *juris utr. doctor, de quo sicut de aliis in* Suppl. Martini V *et* Eugenii IV. *Reliqui tardius advenerunt. Cursu temporis diversi alii ab Universitate missi sunt. An.* 1434 *et* 1435 *omnes praescripti, et* Nicolaus Hermecent, *mag. art., bacc. theol. et licent. in decret., nominantur* (Suppl. Eugen. IV, n° 293, *fol.* 188 b; n° 296, *fol.* 219). *An.* 1435 *etiam* Thomas Francisci, *art. et theol. mag.* (*licent. an.* 1431, *i. e.* 1432, *Jan.* 25) *affertur* (ibid., n° 300, *fol.* 39 b), *et cum istis omnibus* Jacobus Galet, *in art. mag. et decr. licent.* (ibid., n° 307, *fol.* 216 b). Jacobus Galet *non ambassiator, sed promotor Universitatis erat. Nunquam, ut nec etiam ap.* Joh. de Ragusa *et* Joh. de Segovia, *mentio fit* Martini Berech, *qui vix ad Concilium ivit. Utique tamen Universitas mag.* Olavum Magni, *bacc. theol.*, « suis exigentibus meritis in oratorem ad s. Basileense Concilium pro Alemanie veneranda natione decrevit destinandum » (*vid.* Chartul. IV).
2. *Quae sequuntur, postea addita sunt.*
3. *I. e.* Itstein.
4. *Ms.* Helst.

tres fuerunt reputati presentes, absque tamen prejudicio presencium, et ita conclusum erat [1].

1431

Continuacio magistri Alberti Vorden de Campis.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum duodecima Junii super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad illum continuatus fuit antiquus procurator cuncorditer, ipso tamen non supplicante pro officio. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, etc., et acta sua grata, etc.; quod concorditer fuerat concessum.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum quinta decima Junii super duobus articulis. Primus ad audiendum quandam requestam fiendam ab uno magistro nacionis; et quoad illum mag. Petrus de Gouda, protunc rector Universitatis, supplicavit nacioni, quod ex quo mag. Oliverius Ghent debebat nacioni duas libras paris. pro jocundo adventu et capis rectorum, de quibus nacio dedit sibi terminum solucionis festum sancti Johannis Baptisti proxime futurum, ex quo eciam dictus mag. Oliverius nondum receperat pecunias de partibus, et intendebat propterea ire ad partes, ut nacioni satisfaceret, quia nundum facultatem habebat solvendi. Supplicabat ergo dictus mag. Petrus pro magistro Oliverio, ut nacio sibi prolongaret terminum solucionis usque ad festum sancti Remigii, supposito quod daret fidejussorem sufficientem; et dixit tunc rector, quod ubi opporteret, ipse vellet esse ejus fidejussor. Et quoad illum articulum voluit nacio sibi dare terminum festum sancti Remigii exclusive de duobus francis, quos debebat pro jocundo adventu, dummodo tamen solveret octo solidos pro capis rectorum. Que conclusio facta fuit a majori parte. A qua conclusione mag. Martinus Berech appellavit ad facultatem. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum [2] nullus supplicavit, preter quam predictum erat.

(*Fol. 45*ᵇ) Facta congregacione decima octava Junii [3] nacionis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad audiendum lecturam quarumdam litterarum nacioni transmissarum, et quoad illum fuerant lecte littere Hermanni Fabri subbedelli nacionis in curia Romana existentis, in quibus supplicavit, ut nacio ipsum continuaret in officio subbedellatus. Supplicavit eciam, ut nacio sibi procuraret litteram testimonialem Universitatis de hoc quod fuerat bedellus ambasciate secundi rotuli Universitatis ad papam Martinum quintum destinati, et annuit nacio utrique sue supplicacioni in forma. Secundus articulus erat ad disponendum de primo computo receptoris; et quoad illum voluit nacio, quod ex quo receptor, qui tunc erat rector [4], impeditus erat pro rectoria sua, quod computus suus defferretur ad diem lune [5] post festum sancti Johannis, si possibile esset per ipsum tunc fieri cumpotum. Tercius articulus erat communis super supplicacionibus etc. et quoad illum nullus supplicavit [6].

Facta congregacione nacionis prima [7] Julii super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris, et quoad illum computavit et recepta sua ascendit usque ad XXVII libras paris., octo solidos et sex denarios; misia vero ascendit ad sedecim libras quindecim solidos et decem denarios. Restabant igitur decem libre, duodecim solidi et octo denarii, quam summam integre tradidit nacioni, et voluit nacio ipsam summam pro aliqua parte ponere die compoti [8] ad archam nacionis. Quoad istum eciam articulum dictum fuerat per dominum receptorem, quod nisi mag. Oliverius Ghent solveret nacioni duos francos, quos debebat pro jocundo adventu, intra festum Assumptionis nostre Domine proxime futurum, quod idem receptor faceret debitum magistri Oliverii suum proprium debitum. Retulit eciam

1. *Rotulus ad Eugenium IV Romam portatus, seu potius* Articuli communes, *signati sunt* Romae, 5 kal. Jan., an. primo, *i. e.* 1431, *Dec.* 28 (Suppl. Eugenii IV, nº 268, *fol.* 112-114ᵇ). *Ambassiatores Universitatis et portitores rotuli erant* Johannes Lohier, *pro fac. decret.* (ibid., *fol.* 78ᵇ); Henricus Thihout, *pro fac. med.* (nº 266, *fol.* 171), *tunc canon. Paris., ab an.* 1436 *poenitentiarius Paris.* (Arch. Paris. LL. 114, p. 251); Petrus de Credulio, *nat. Gall.* (ibid. *fol.* 204ᵇ); Thomas de Courcellis, *Ambianens., Picard., qui vocatur* rector ambassiate (ibid. *fol.* 170ᵇ); Nicolaus Bessy, *lic. in theol.* (ibid. *fol.* 170ᵇ) *Normann.*; Petrus de Gouda, *Anglic. Ut ex infra scriptis ad Sept.* 18 *concludimus, illo circiter die recesserunt. Cum mense Mart.-April. an.* 1432 *redirent, omnes, vel saltem* Petrus de Credulio, Joh. Hocheti *et* Thomas de Courcellis *viam per* Basileam *arripuerunt, unde recesserunt April.* 16, *ut liquet e docum. April.* 21 *ap.* Bul., V, 415. *Ex iis postea quidam* Basileam *reversi sunt, ut* Thomas de Courcellis, *qui quamvis vix licent. in theologia, in Concilio primus auctor fuit et omnia perturbavit.*

2. *Ms.* nullum.

3. *Ms.* Maii.

4. *Quod alias vix permittebant.*

5. *Jun.* 25. *Sed Jul.* 1 *computus auditus est.*

6. *Jun.* 23 Johannes de Ponte *in rectorem electus est, e* lib. bedelli theol., p. 103. Bul. V, 921, *perperam* Petrus Maugerii.

7. *Quae erat dominica.*

8. *Ms. iterum* ponere.

receptor, qualiter nacio alias per procuratorem suum sibi per mutuum tradidit summam XXV lib., II sol., quam summam credidit semper se protunc traditurum nacioni, sed propter impedimentum superveniens, quia nundum pecunias receperat a suo cognato, quem ad partes miserat pro pecuniis, quia nundum revenit, miserat eciam suum clericum ad Sanctum Dionisium pro pecuniis, qui in reveniendo ad Parisius erat *captus ab illis de parte adversa* [1]. Supplicavit ergo receptor, ut nacio ipsum haberet supportatum in hoc, quod tunc non tradidit pecunias illas, et optulit fidejussorem sufficientem pro illis pecuniis vel pignora sufficientia. Et voluit nacio quod in casu quo ille pecunie non venirent cito, quod traderet pignora ponenda in archa nacionis. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum supplicavit Bomundus, quod ex quo diu servierat nacioni et modica receperat, quod nacio sibi in aliquo vellet subvenire; et quoad hoc dedit sibi natio unum antiquum nobile anglicanum. Et eadem die solemniter convivavit nacio. Supplicavit eciam receptor in sua computacione, ut ipse haberetur gratus et acta sua grata, etc. Quod concessum erat in forma.

1431

(*Fol. 46*) Substitutio magistri Martini Berech.

Facta congregacione nacionis Anglicane die septima Augusti apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad substituendum aliquem in locum procuratoris. Et quoad istum articulum procurator dicte nacionis, qui tunc erat, narravit quod pro certis rebus propter nova supervenientia oportebat ipsum repatriare; idcirco requirebat, quod alius in procuratorem assumpmeretur. Et sic magister Martinus loco ejusdem fuit per nacionem substitutus. Secundus articulus erat super facto pecuniarum ablatarum de archa nacionis tempore rectorie magistri Petri de Gouda [2] ad requestam ejusdem magistri Petri de Gouda, scilicet viginti quinque lib. paris. et II sol. Et quoad hu[n]c, quia alias dictus magister Petrus tunc receptor dicte nacionis obtullerat sufficiencia pignora, aut fidejussores cum suis obligacionibus nacioni presentaret, [requisivit] an placerent eidem nacioni. Sed predictus magister Petrus dicebat, quod habebat quamplures bonos libros, ut eciam alias dixerat in nacione, hinc inde concessos suis amicis, et quod quamvis ab aliquibus ipsorum repetisset hujusmodi libros, ipsi tamen dixerunt quod adhuc indigebant ipsis [3]. Item dicebat ultra quod, si hujusmodi libri ad archam nacionis ponerentur, forsan destruerentur. Ideo dicebat quod mallet quod nacio acciperet fidejussores et quod ipse esset paratus tradere notabiles, qui debitum illud, si esset opus, eciam ut suum proprium essent recepturi. Quo autem ad istum articulum, ob reverentiam predicti mag. Petri de Gouda placuit nacioni, quod poneret fidejussores; et quia mag. Petrus obtullerat magistrum Henricum de Dungen et Gosvinum suum compatrem pro fidejussoribus, sic scilicet quod nisi dictus mag. Petrus de Gouda predictam summam viginti quinque lib. et II sol. par. infra instans festum Purificacionis persolveret nacioni, predicti fidejussores, scilicet mag. Henricus de Dungen et Gosvinus, promitterent persolvere nacioni tamquam proprium suum debitum summam predictam XXV lib. et II sol. paris., suum proprium debitum facientes hujusmodi summam, sigilatim et in solidum unusquisque eorum. Et quoad hoc placuit nacioni predicta forma obligacionis et modi dati in eadem. 3us articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit antiquus procurator ut esset avoatus in suis factis pro nacione. Supplicavit eciam, quod, si non veniret tempestive ad supplicandum pro scolis, quod ex nunc nacio sibi reservaret scolas pro regencia, et utraque ejus supplicacio fuit concessa, et ejus fidejussor est mag. Petrus de Gouda.

1431

(*Fol. 46^b*) Electio magistri Martini Berech.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane vicesima octava Augusti super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; et quoad hoc fuit electus in procuratorem mag. Martinus Berech. 2us erat super facto pecuniarum pro placitis nacionis contra magistrum Paulum de Sclavonia. Et quoad istum articulum, quia procurator et awocati nacionis plangebant se, dicentes quod diu non habuerunt pecunias pro suis salariis seu penis aut laboribus, ideo placuit eidem nacioni, quod procurator et awocati secundum facultatem nacionis persolverentur, et quod dominus receptor daret eis pecunias sine ulteriori et ampliori congregacione magistrorum

1. *I. e. ab illis ex parte Caroli VII.*
2. *Ms. hic et postea* Gauda *vel* Ganda.
3. *Omnino tunc ut hodie fiebat.*

nacionis. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit suppstitutus (*sic*), ut haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacio fuit concessa in forma.

Decima octava Septembris.

Facta congregacione nacionis Anglicane super tribus articulis decima octava Septembris. Primus erat ad providendum de *domo Dacie* et aliis nacioni spectantibus; et quoad hoc placuit nacioni quod magister Martinus Berech haberet curam de illis; et quod si esset opus, haberet procuratorium ad hoc faciendum. Placuit insuper quoad hoc quod dictus mag. Martinus faceret diligenciam erga mag. Henricum de Dunghen quatenus quinque lib. receptas per mag. Petrum de Gouda in alienacione domus Dacie juxta Carmelitas site pro reparacione alterius domus, dictus mag. Henricus eidem magistro Martino traderet. Placuit eciam quod computaret cum locatore dicte domus et persolutis redditibus dicte domus residuum pecuniarum poneretur pro reparacione domus predicte et purgacione ejusdem.

2us articulus erat super facto pecuniarum, scilicet duodecim solidorum *in jocundo recessu magistri Petri de Gouda* [1] expositarum, utrum videlicet quilibet solveret suum scotum, aut nacio acciperet super ipsam. Et quoad hoc placuit nacioni, quod summa XII solidorum parisiens. ex pecuniis ejusdem persolveretur, et si ultra aliquid ibi fuerit expositum, dominus substitutus cum aliis solveret. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quoad hoc mag. Conradus Wild, alias Setzendran, supplicavit, quod, sicut in duabus precedentibus congregacionibus nacionis celebratis decima sexta et septima die Septembris, nacio cum eodem dispensavit de statuto dicte nacionis, ut videlicet non obstante quod idem magister non satisfecisset nacioni, nichilominus tamen possit eligi ad officia principalia dicte nacionis et eadem exercere. Et quoad hoc nacio predicta cum eodem magistro Conrado tribus vicibus specialiter convocata apud Sanctum Maturinum, ut premittitur, videlicet in decima sexta, septima et octava diebus Septembris misericorditer dispensavit, promittens idem magister bona fide, quod non obstante tali dispensacione, cum venerit ad pinguiorem fortunam, nacioni matri sue satisfaciet, et idem magister pro eadem dispensacione de sua gracia solvit bonum vinum nacioni. M. Berech.

1431

(*Fol.* 47) Sequitur electio in procuratorem magistri Conrardi Wild, alias Sezendran, [oriundi] de Ratenberg [2], Saltzburgensis dyocesis.

Facta congregacione *Almanie nacionis* anno Domini M° CCCC° 31°, vicesima die mensis Septembris, aput Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum receptorem et procuratorem. 2us erat ad audiendum compotum predicti receptoris, puta magistri Conradi Wild, qui quidem reddidit compotum predicte nacioni. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum mag. Martinus fuit electus in receptorem predicte nacionis et pro eodem officio supplicavit, et electus fuit novus procurator prelibate nacionis, puta magister Conradus Wild. Quantum vero ad secundum articulum prelibatus magister reddidit compotum predicte nacioni. Et quoad hoc voluit nacio, ut moris est, facere unum prandium; et quoad hoc prandium exposuit III lib. et V sol. Quantum vero ad tercium articulum supplicavit dominus procurator, puta mag. Martinus Berech, ut haberetur gratus, recommendatus, etc. Ad hoc idem supplicavit predictus receptor, puta mag. Conradus Wild. Quibus supplicacionibus nacio annuit eas admittendo. Et quoad istum articulum fuit requisitus *more solito* in festo sancti Mathei Boemundus bedellus, ut supplicaret pro continuacione ejus. Ipse autem tamquam nacionem spernens supplicacionem refutavit, dicens non posse plus servire ad placitum nostrum propter ejus antiquitatem et eciam propter ejus salarium, quia tunc temporis nacio non erat multum potens propter guerram in regno Francie, et ita non potuit sibi multum subvenire. Et dicens, si placeret nacioni, quod provideret sibi de uno aliquo juvene serviente nacioni, vel quod continuaremus ipsum, et quod ipse faceret juxta possibilitatem; sed non posset currere per gradus hinc et inde, et tamen non habebat in nacione sua nisi duos magistros [3], puta mag. Martinum Berech et mag. Conrardum Wild prefatum. Idcirco relinquitur, quia de facili poterat eisdem servire, etc. [4]. Conradus W.

1. *Scil. Romam cum rotulo. Vid. supra* p. 451, 13 et 453, *not.* 1.
2. *In* lib. receptoris, *fol.* 17, *adjungitur :* in fine Bavarie, prope Ytaliam.
3. *Quibus scil. servivit. Plures tamen quam duo in natione erant, ut* Albertus Vorden, Johannes Itstein *etc.*
4. *Octob.* 10 *in rectorem electus est* Guillelmus Echocard,

1431

Continuacio magistri Conradi Wild de Ratenberg.

Facta congregacione *nacionis Almanie* aput Sanctum Maturinum anno prelibato, mensis Octobris die 21ª, super tribus articulis. Primus namque erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, et quoad hoc continuatus fuit antiquus procurator concorditer, ipso tamen non supplicante. Secundus vero articulus erat de facto *scolarum* in vico Straminis existentium, et hic *antiquarum*; nam ibidem voluit edificare unus burgensis unam domum prope easdem scolas antiquas, et asserebat esse medietatem muri scolarum nostrarum pro ipso, et sine nostro consensu perforavit illum murum cum tribus trabibus sive lignis in tribus locis, et volebat edificare supra murum nostrum. Et quoad hoc nacio concessit, ut resisteremus juxta possibilitatem nos defendendo et jura nostra, et ita pluries dictus procurator et receptor tunc temporis existentes fuerunt citati ad Castelletum ante prepositum ex parte dictarum scolarum, et ibidem fecimus magnas expensas, ut notorium extitit. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis; et quoad istum supplicavit prelibatus procurator, ut haberetur gratus, etc. Cui supplicacioni annuit veneranda nacio mater ejusdem in forma ipsam admittendo.

1431

Continuacio magistri Conradi Wild de Ratenberg.

Facta congregacione *nacionis Almanie* aput Sanctum Maturinum anno prefato mensis Novembris die 19ª super tribus articulis. Primus enim erat de eleccione vel continuacione procuratoris prelibati. 2ᵘˢ erat de modo procedendi in festo sancti Eadmundi. 3ᵘˢ erat de supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antedictus procurator. Quo vero ad secundum articulum placuit nacioni, ut sollempniter expediretur *festum Alamanorum*, puta sancti Eadmundi, et eciam quod magistri predicte nacionis sollempne facerent prandium; et quoad hoc fuit electus provisor dominus receptor [1] una cum Boemundo, ut providerent de requisitis ad prandium; et quoad hoc eciam placuit nacioni ut exponerent... [2]. Quantum ad tercium supplicavit procurator, ut haberetur gratus et recommendatus; que supplicacio fuit concessa unanimiter.

Facta congregacione nacionis prefate anno predicto mensis Decembris die 10ª aput Sanctum Maturinum, super duobus articulis. Primus erat, quoniam dominus rector et Universitas intendebant visitare regem ad nemus extra villam Parisiensem, coram eo propositiones Universitatis proponendo cum habitibus decentibus et virgis Universitatis [3], et quia erat periculum hujusmodi virgas portare extra villam; idcirco procurator posuit in deliberacione nacionis, quid peragendum. Et quoad hoc placuit nacioni quod si cetere naciones portarent virgas suas, quod eciam nostra haberet unam, una cum cappa nacionis. 2ᵘˢ erat communis super supplicacionibus et injuriis, etc. [4].

1431

Continuacio magistri Conradi Wild.

Facta congregacione nacionis prefate aput Sanctum Maturinum anno prelibato mensis Decembris die 19ª super duobus articulis. Primo ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit predictus procurator et supplicavit ut haberetur gratus, etc.; cui supplicacioni annuit nacio in forma.

1432

Continuacio magistri Conradi Wild, etc.

Facta congregacione nacionis prefate aput Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° 32°, mense Januarii die 20ª, super duobus articulis. Primus erat ad continuandum vel eligendum procuratorem.

e lib. receptoris, *fol.* 16ᵇ. Bul. V, 921 *perperam* Jacobus Gallet. Guillelmi Estocart (*sic scribendum*) in Suppl. Mart. V, n° 131, *fol.* 293ᵇ, *et* Chartul. IV *mentio fit; aliorum, scil. mag.* Johannis, *in* Chartul. t. IV; Philippi Estoquart, *ap.* Spirgatis, Personalverzeichnis der Pariser Universität von 1464, p. 43.

1. Martinus Berech.

2. *Quam summam non scribitur.*

3. *Henricus rex Angliae, puer novem annorum. Decemb.* 2 *cum magna et splendida comitiva, plaudentibus populo, magnis et nobilibus atque Universitate. Parisios solenniter intravit, ut ibi rex Franciae ungeretur, quod et Decemb.* 16 *in Nostra Domina a card. Winthoniensi factum est* (*vid.* Monstrelet, V, 1 *sqq.* Journal d'un bourgeois de Paris, p. 274 *sqq.*). *Ut e superioribus patet, rex Henricus inter Decemb.* 2 *et* 16 *non continuo in civitate remansit. Universitas eum adivit ad salutandum; sed et ut privilegia Universitatis ab ipso confirmata reciperet. Revera Henricus rex, Decemb.* 26, *tam privilegia confirmavit, quam Universitatem ab omnibus impositionibus liberavit* (Ordonn. des rois, XIII, 16; 171; Longnon, Paris pendant la domination anglaise, nis 155, 156).

4. *Decemb.* 16 *in rectorem electus est* Joh. Chuffart *e* lib. receptoris, *fol.* 16ᵇ. Bul. V, 921 *perperam* Joh. de Courcellis.

Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum fuit continuatus antiquus procurator. Quoad secundum supplicavit idem, ut haberetur gratus una cum suis factis. Que supplicacio fuit concessa in forma [1].

1432

(*Fol.* 47[b]) Continuacio magistri Conradi Wild.

Peracta congregacione nacionis prefate aput Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° 32°, mensis Februarii die 17ª, super duobus articulis. Primus erat ad continuandum antiquum procuratorem vel eligendum novum. Quoad primum predictus procurator fuit continuatus. Quoad secundum supplicavit, ut haberetur gratus una cum peractis suis; que concessa fuit in forma.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno quo supra super duobus articulis, mense Februarii, in die sancti Matthie [2]. Primus erat ad ordinandum de examine scolarium volentium determinare hoc anno. Et quoad hoc voluit nacio conservare antiquam consuetudinem, et ita examinati fuerunt hora 2ª post prandium in Sancto Maturino. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit unus scolaris quod assumeretur ad juramentum paupertatis; cujus nomen est Henricus Horen. Cui supplicacioni nacio annuit, dum tamen juraret in manu procuratoris prefate nacionis.

Secuntur nomina determinantium hujus anni.

Dominus Johannes Clipston oriundus de Anglia Lincolniensis [3] dyocesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa X sol.

Dom. Johannes de Merode, Coloniensis dyocesis, qui determinavit sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa V sol.

Dom. Johannes Magni, dyocesis Aboensis, qui determinavit sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Henricus Medenbach de Maguncia [4], dyocesis Maguntenensis, sub mag. Johanne Etsten, cujus bursa IIII sol.

Dom. Judocus Bernardi de Alta Almania, dyocesis Maguntenensis, sub eodem, cujus bursa IIII sol., et 30 pro scolis.

Dom. Henricus Horen de Holandria, dyocesis Trajectensis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis prefate aput Sanctum Maturinum anno supradicto, mense Marcii die sexta, super communem articulum supplicacionis. Et quoad istum supplicavit Johannes de Merode, ut examinaretur pro baccalariatu; et ita factum fuit. Item supplicavit unus alius, ut nacio remitteret sibi de scolis solvendis X sol.; que concessa fuit. Item unus alius qui supplicavit, ut nacio daret sibi terminum solucionis bursarum et scolarum, puta quinquaginta solidorum usque ad festum sancti Remigii, que fuit concessa; cujus nomen est Judocus Bernardi; ut tamen daret pignus; et ipse dedit unum librum, in quo continentur 30 codices [5], et primo sunt [6] dicta supra metaphysicam, liber de causis, et multa alia; qui quidem liber erat pro magistro Johanne Ytsten, qui continetur in archa aput Sanctum Maturinum. Supplicavit insuper unus alius, ut nacio daret sibi terminum solucionis XX solidorum usque ad festum Pasce proximum; que concessa fuit. Supplicavit eciam unus alius, ut minoraretur bursa ipsius solvenda, qui debebat solvere X sol.; supplicavit ut solveret octo; que non concessa fuit nec interempta, etc.

1432

Continuacio magistri Conradi Wild.

Facta congregacione nacionis prefate aput Sanctum Maturinum anno pretacto mensis pretacti die decima super duobus articulis. Primus articulus erat ad continuandum antiquum procuratorem vel eligendum novum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, et supplicavit ut haberetur gratus et recommendatus et facta ejusdem; que supplicacio unanimiter fuit concessa.

1. *Postea lineae* 17, *scil. ultima fol.* 47 *et priores* 16 *fol. versi adeo cancellatae sunt ut legi nequirent. Superest nota in margine addita :* Natio concorditer deliberavit qualiter istud deleretur. *Hoc tantum erui potest : aliqui accusaverunt Conradum Wild, cum* « non esse ydoneum ad officia principalia exercenda », *nisi secum dispensaretur, et* Albertus de Vorden *voluit exercere officium procuratorie. De hoc fuit congregatio. Deleta est tota rubrica April* 7.

2. *Ms.* Mathei.

3. *Ms.* regione. *Correximus e* lib. recept. *Primus Anglicus in tanto annorum spatio.*

4. *Sitne ille, qui an.* 1424 Coloniae *intitul. est* (KEUSSEN, Matrikel, I, 205).

5. *I. e.* tractatus. *Liber erat cod. miscellaneus.*

6. *I. e. liber incipit cum uno tractatu continente* Dicta supra metaphysicam.

(*Fol. 48*) Nomina licenciandorum in artibus anni 31mi.

Item primo licenciatus est dominus Arnoldus de Wouda, Trajectensis dyocesis, incepturus sub magistro Alberto Vorden, cujus bursa VIII sol.

It. secundo licenciatus est dominus Henricus Bosch de Wil, Constanciensis dyocesis, incepturus sub mag. Conrado Wild, cujus bursa IIII sol.

Nomina incipientium anni 31mi.

Item primo incepit dominus Arnoldus de Wouda, Trajectensis dyocesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa VIII sol.

It. 2° incepit dom. Henricus Bosch de Wil, Constanciensis dyocesis, sub mag. Conrado Wild, cujus bursa IIII sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Julianum anno prelibato [24a die Martii] super duobus articulis. Primus ad eligendum rectorem; secundus super supplicacionibus, etc. Quoad primum nacio dedit intrantem mag. Conradum Wild, tunc temporis procuratorem prefate nacionis [1]. Quoad secundum supplicavit mag. Martinus tunc temporis receptor ejusdem nacionis pro domino Johanne de Merode, quatenus nacio daret sibi terminum solucionis pro scolis usque ad festum Pentecosten. Que fuit concessa unanimiter.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° tricesimo primo, die sexta mensis Aprilis, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris et providendum de festo racione computacionis peragendo. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum computavit dominus receptor omnia recepta et exposita; et quantum ad hoc habebatur gratus, avuatus et recommendatus; que fuit supplicacio ejus. Quo vero ad secundum articulum supplicavit Boemundus, quod nacio velit sibi subvenire in aliquo; et quoad hoc nacio conclusit, quod darentur sibi viginti duo solidi. Deinde supplicavit mag. Albertus pro isto, quod ipse lusit in organis in festivitatibus nacionis; et quoad hoc attribuit sibi libere sex sol., quos quidem solidos libere nacioni propinavit. Demum autem nacio considerans quod procurator tunc temporis existens habuit magnos labores per spacium septem mensium, volens eidem recompensare labores suos sibi libere concessit dari dimidium francum pro pena sua et labore.

1432

Electio mag. Alberti de Vorden, nati de Campis in procuratorem, Trajectensis diocesis.

Facta fuit congregacio nacionis 7a Aprilis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad istum concorditer fuit electus mag. Albertus Vorden in procuratorem, ipso tamen pro eodem supplicante minime. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis; et quoad istum supplicavit mag. Albertus, ut aliqua scripta in procuratoria magistri Conrardi, que videbantur non bene sonare, delerentur; que supplicacio concorditer erat concessa [2]. Supplicavit insuper magister Henricus Bo[s]ch, qui debebat nacioni aliquam summam pro suis bursis, quod nacio deferret sibi solucionem istarum pecuniarum usque ad tempus, quo congrue posset istas pecunias de partibus nacioni mittere, vel alio modo nacionem contentare; que supplicacio fuerat concessa. Ordinavit insuper nacio de compoto primo domini receptoris, quod si aliquid non fuisset tam debite ad utilitatem nacionis expositum et computatum, sicud fortasse bene fieri potuisset, nacio tamen voluit bene, quod sua misia ascenderet usque ad summam viginti duarum librarum, sicud computatum erat per illum, et de illis si fuerint aliqua non tam congrue exposita, nacio sibi remisit in sublevamine sue necessitatis. Voluit insuper quod mag. Conrardus illos octo solidos suprascriptos in presenti procuratoria haberet in sublevamine sue necessitatis, et quod mag. Albertus haberet sex solidos pro ludo organorum. Supplicavit insuper procurator antiquus, quod haberetur gratus, etc.; que fuit concessa, presuppositis ordinacionibus prescriptis.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum quotam solvendam magistro Radulpho Barnesse [3] pro exercicio officii procuratoris contra

1. Nicolaus Coquerel *Picardus in rectorem electus est e* Lib. receptoris, *fol.* 16, *et e* Gall. christ., VII, 300. Bul. V, 921, *perperam* Albertus Hole, Anglic. nat. *Sed suppositum hujus nominis non exstat in nat.* Nicolaus Coquerel, *presb. Ambianens. dioec., an.* 1446 *ut bacc. theol. et praepositus eccl. Ambianens. occurrit* (Suppl. Eugen. IV, n° 403, *fol.* 248; n° 404, *fol.* 105 b). *An.* 1450 *bacc. format. in theol.* (Suppl. Nicol. V, n° 437, *fol.* 69). *Vid. etiam infra ad an.* 1450, *Jan.* 19.

2. *Vid. supra* Januarii 20, p. 461, *not.* 1.

3. *Infra ad an.* 1436 : de Brossis, *de quo ibid. ad mens. Martii.*

mag. Paulum [1] pro parte nacionis, qui petiverat novem francos, et fecerat citari dominum procuratorem et receptorem nacionis ad curiam conservatoris pro tali summa; et quantum ad illum, considerans nacio, quod in curia episcopi Parisiensis procurator non habet pro dieta nisi III albos, et ipse computavit triginta sex dietas, libenter voluit sibi tradere triginta sex solidos. Si vero cum illis non fuerit contentus, ex superhabundanti voluit sibi tradere III libras, quas si refutaverit, nacio bene volebat tradere arbitros et obligare se sub certis penis stare ordinacioni illorum. Quod si refutaverit, voluit nacio se defendere contra ipsum in curia conservatoris, etc.

1432

Continuatio [ejusdem].

Facta congregacione nacionis 7^{a} May super electione procuratoris aut continuacione, continuatus fuit antiquus procurator, qui supplicavit ut haberetur gratus, etc., quod fuit concessum, etc.

1432

Continuatio in longa procuratoria.

Facta congregacione 6ta Junii ad eligendum novum procuratorem aut continuandum antiquum, et super supplicacionibus et injuriis, continuatus fuit antiquus, qui supplicavit, ut haberetur gratus, quod fuit concessum, etc. [2].

Facta fuit congregacio 3^{a} Augusti apud Sanctum Maturinum super duobus. Primum ad substituendum subbedellum loco Hermanni absentis. Secundum super supplicacionibus. Et quoad illum supplicaverunt duo nominati nomine Nicolaus pro substitucione, et ex quo nacio non erat ex tota congregata, ideo voluit se melius consulere antequam aliquem predictorum substitueret.

1432

Continuatio [ejusdem].

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum 26^{a} Augusti super tribus [articulis]. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad hoc fuit continuatus antiquus. Secundus ad substituendum subbedellum loco Hermanni, et substitutus fuit Almanus nomine Nicolaus, casu quo daret sufficientem caucionem. Tercius super supplicacionibus. Supplicavit procurator, ut haberetur gratus, etc.; quod fuit concessum.

(*Fol. 48* b) Facta congregacione nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum die sancti Mathei [3] apostoli, anno XXXII, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem et audiendum compotum receptoris antiqui. Et quoad hunc electus fuit mag. Conrardus Zetzendran in receptorem, et computacio facta per antiquum receptorem fuerat grata et avoata. Secundus erat super supplicacionibus, etc. Et quoad hoc supplicavit mag. Conrardus pro officio [temptatoris in Nostra Domina], et mag. Martinus ut haberetur gratus, quod factum fuit. Supplicavit Nicolaus substitutus in subbedellum loco Hermanni, ut nacio sibi aliquid in subsidium tribueret; que sibi liberaliter tribuit francum, et voluit nacio, ut procurator haberet X solidos.

1432

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis alia [4] die post compotum ad eligendum novum procuratorem et super supplicacionibus, continuaverunt magistri concorditer antiquum procuratorem, qui supplicavit ut haberetur gratus, etc.; quod concessum fuit.

VORDEN.

1. *Contra mag.* Paulum Nicolai *tunc continue agebatur. Anno sequenti in Parlamento* Jacobus de Touraine, *Ord. Min., mag. in theol. propositiones contra ipsum fecit.* Paulus Nicolai, *qui antea incarceratus erat* (*vid.* p. 368, *not.* 2; 395, *not.* 6), *Martii* 2, *Universitatem accusabat*; *sui adversarii* « l'eussent fait morir en prison, se ne feust l'ayde de Dieu et la bonne justice de la court ». *Dixit praeterea* « que ses adversaires, lui estant en prison, sua bona rapuerunt et vendiderunt, et de illis magnos baustus potaverunt, dicentes : nunquam evadet, et pour plus delaier la justice et pour plus longuement empeschier maistre Paoul, ont baillié requeste pour mettre la cause ou grant Conseil ». *Ut e relatione Martii* 5 *apparet, episcopus etiam et ejus officiarii causam contra ipsum egerunt, quem accusabant, quod, quamvis* « excommunié, celebroit chacun jour », *propter quod a promotore citatus est*, « dont maistre Paoul indigné et en injuriant le promoteur forma ung sillogisme en disant, que ung juif n'estoit recevable ad accusationem, et que le promoteur estoit juif. Pour ce l'official le blasma de ce qu'il injurioit le promoteur en jugement; mais maistre Paoul n'en fist compte ». *Contra ipsum etiam dixerunt, quod* « fu maistre Paoul mis en une bonne prison avec ung prestre, et depuis on lui changa prison pour ce *qu'il ne faisoit que ronffler*, et estoient incompatibles ». *Jacobus de Touraine afferebat etiam*, « quod sprevit matrem Universitatem et suam nationem... et comparavit se Marie Magdalene, et Universitatem turbe, dicendo : credendum est magis soli Marie veraci, quam Judeorum turbe fallaci » (*vid.* Arch. nat. Paris., X^{1a} 4797, *fol.* 44-47).

2. BUL. V, 921 *a Jun.* 23 *usque Octob.* 10 *affert ut rectorem* Martinum Berech, *nat. Angl., et sic* QUICHERAT, Procès de Jeanne d'Arc, I, 421, *not.* 3, *quod fortasse verum est; saltem in* lib. receptoris, *fol.* 16 b, *Martinus scribit* : Item pro cappa mea...

3. *Ms.* Mathie.

4. *I. e.* Sept. 22.

1432

Electio magistri Martini de Berech.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane XXI[a] Octobris M° CCCC° tricesimo secundo super duodus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum extitit electus in procuratorem mag. M[artinus] de Ber[e]ch. Quoad secundum antiquus procurator supplicavit, ut haberetur gratus; cujus supplicacio fuit concessa. M. Berech.

1432

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis Anglicane XV[a] mensis Decembris super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad hoc continuatus fuit antiquus. 2[us] erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quia antiquus supplicavit pro avuacione, ejus supplicacio fuit concessa [1]. M. Berech.

1432

[Substitutio procuratoris.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super tribus punctis. Primus erat ad substituendum novum procuratorem; et quoad hoc fuit substitutus mag. Albertus Vorden, quia antiquus intendebat recedere. 2[us] erat super recommendacione magistri Conrardi Vild ad officium temptatoris in ecclesia Nostre Domine loco mag. Martini de Berech tanquam procuratore ejusdem magistri Martini. Et quoad hoc placuit eciam ipsum recommendare, ubi erit oportunitas, etc. Tercius erat communis; et quoad hoc supplicavit antiquus procurator, quatenus habeatur semper recommissus apud nacionem matrem suam; que supplicacio fuit concessa in forma. Supplicavit eciam dominus receptor, quatenus habeat solarium de quatuor lib. a nacione, visis laboribus et penis ejus, quas capit in et pro nacione. Que supplicacio eciam fuit concessa. Acta fuerunt hec anno Domini M° CCCC° tricesimo 2°, xxvj[a] Decembris. M. Berech.

1433

(*Fol. 49*) Sequuntur acta in procuratoria magistri Alberti de Vorden.

Facta congregacione nationis in camera procuratoris super duobus articulis. Primus ad examinandum baccalariandos; et quoad hoc examinati sunt duo baccalarii, qui ad gradum baccalariatus erant admissi. Secundus erat super supplicacionibus; et quoad illum nullus supplicavit. Item in recessu magistri Mertini, fuit Albertus de Vorden substitutus in procuratorem loco magistri Mertini, ipso eciam absente, qui non juravit juramenta ad officium procuratoris pertinentia; *et ex quo tunc tantum remanserunt duo magistri, quorum unus erat receptor* [2], *ideo ex necessitate oportebat alium exercere officium procuratoris*, et ideo non sunt facte speciales congregaciones ad eligendum procuratorem temporibus consuetis, nec hoc procuratori presenti intimatum erat.

Item ex speciali gracia II[a] post brandones nacio admisit dominum Symonem Osquart [3] ad baccalariatum, etc.

Sequuntur domini determinantes anno 1432.

Dominus Arnoldus de Somere, Trajectensis dyocesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa V sol.

Dom. Albertus de Scriver [4], Trajectensis diochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa IIII sol.

Nomina licenciatorum in artibus anno Domini 1432.

Primo Eddicus [5] Hoern, Trajectensis diochesis, qui incipiet sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa nichil.

Dom. Johannes de Merode, Coloniensis diochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa X sol.

1. *Sec.* Bul., V, 921, Olavus Magni *in rectorem Univers. electus est; at perperam, cum tunc minime Parisiis is esset, et solum an.* 1433, *mense Novemb. redierit. Vid. ad an.* 1433, *Novemb.* 18. *In* lib. receptoris, *fol.* 17-18 *pro an.* 1432 (Jun.) *usque* 1433, *Jun. duo rectores afferuntur :* Alardus Palene *et* Jacobus Galet, *pro quibus* Bul. *l. c. alios substituit. Sed* Jacobus Galeti *verisimiliter etiam an.* 1432, *v. g. Octob.* 10 *rector factus est, nam postea fuit promotor in curia conservatoris, et tamen cum* Radulphus Barnesse *promotor factus esset*, 1435-1436, *jam defunctus erat. Vid. ad an.* 1436, *ante Martii* 18.

2. *Scil.* Conradus Wild.

3. *Dioce. Bremensis, ut e quadam linea mox cancellata scimus.*

4. *I. c.* Scriptoris, *ut etiam postea semper nominatur. In natione multa mala perpessus est, nihilominus honoribus cumulatus. Verisimiliter de illegitimo toro natus erat. Vid. infra ad an.* 1448, *April.* 23.

5. *Qui supra et in* lib. recept. *vocatur* Henricus Horen.

Dom. Johannes Clipston, Anglicus, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa X sol.

Dom. Henricus Medenbach, Maguntinensis diochesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Johannes Magni, diochesis Aboensis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Cosmas Symonis sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa nichil.

Nomina magistratorum.

Edicus Horen, Trajectensis diochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa nichil.

Dom. Johannes de Merode, Coloniensis dyochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa X sol.

Dom. Johannes Clipston, Anglicus, sub eodem, cujus bursa X sol.

Dom. Henricus Medenbach, sub mag. Alb. Vorden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Johannes Magni, Aboensis diochesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Cosmas Symonis, diochesis Zagrebiensis, sub eodem, cujus bursa nichil.

(*Fol. 49*[b]) Item dedi Bomundo bedello nacionis in facie nacionis pro bursis magistri Johannis de Merode, magistri Johannis Clipston, magistri Henrici Medenbach et magistri Johannis Magni summam quinquaginta quatuor solidorum parisiens., et parvo bedello summam viginti septem. Item mag. Johannes de Merode solvit pro licencia, magisterio, jocundo adventu et capis rectorum septem libras parisiens.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum anno CCCC XXXII°, die XXVIII[a] mensis Marcii, super duobus articulis. Primus articulus ad audiendum compota receptoris nacionis et concernentia illa; et quoad hoc voluit nacio audito compoto domini receptoris et magistri Conrardi et Alberti Vorden, quod pecunie de cetero levande ex parte nacionis et exponende usque ad tempus electionis novi receptoris levarentur per manus Alberti de Vorden protunc procuratoris. Eciam computavit mag. Conrardus, qui pro sallario suo computavit quatuor libras, quas sibi nacio dedit pro sallario, et remansit nacioni obligatus in duobus solidis et in vino occasione sui officii et sallarii. Voluit insuper quod procurator secundum statutum haberet unam libram; et quoad hoc eciam omnes pecunie recepte per procuratorem erant per eundem presentate in facie nationis cum pecuniis, quas mag. Johannes de Merode pro tunc solvit nacioni pro licencia, magisterio, jocundo adventu et capis rectorum, et voluit quod ex illis pecuniis ponerentur in archa nacionis decem libre (quod et factum fuit), et residua pecunia in quantitate trium librarum et XXVIII solidorum parisiens. remanserunt in manu procuratoris ad expediendum facta nacionis. Voluit eciam nacio, quod ex quo mag. Conrardus receperat in vadio cujusdam libri provincie Almanie IIII francos, quod illi sibi defalcarentur de suo sallario et quod nacio haberet reddere illos francos pro libro. In qua eciam computacione nacio solvit Bomundo bedello pro bursis IIII magistrorum, scilicet magistrorum Joh. de Merode, Joh. Clipston, Henrici Medenbach et Joh. Magni quinquaginta quatuor sol., et Nicolao bedello XXVII sol. et IIII sol. pro capis de Ponte [1]. Quoad secundum articulum supplicavit receptor mag. Conrardus, ut haberetur compotus gratus, etc., quod concessum fuit. Supplicaverunt insuper beddelli, quod nacio vellet ipsis contribuere de aliqua quota, supposito quod proventus ipsorum de servicio esset exiguus; et quoad hoc nacio liberaliter contulit ipsis unum francum. Et eodem die convivavit nacio, in qua exposuit XXXIX solidos parisiens. Supplicavit insuper dominus Cosmas Simonis, ut supposita paupertate ejus, nacio vellet sibi remittere unam quotam de jocundo adventu, etc.; et quoad hoc nacio voluit sibi libenter graciam facere, puta recipiendo fidejussorem pro XL solidis, puta magistrum Joh. de Castellione vel consimilem, etc.

1433

Electio magistri Johannis de Merode, sancte Coloniensis dyocesis, in procuratorem venerande nacionis Alamannie.

Facta congregacione *nacionis Alamanie* apud Sanctum Maturinum septima Aprilis anno Domini millesimo quadringentesimo XXXII° more gallicane ecclesie, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Quoad primum articulum nemine reclamante concorditer electus fuit magister Johannes de Merode, ipso tamen pro eodem officio minime supplicante. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator mag. Albertus Vorden, ut habe-

1. *I. e. rectoris* Johannis de Ponte, *de quo supra* p. 454, *not.* 6.

retur gratus in factis; cujus supplicacio fuit concessa. Jo. Merode.

(*Fol. 50*) Facta congregacione apud Sanctum Maturinum magistrorum venerabilis *nacionis Alamanie* anno Domini millesimo CCCC^{mo} XXXIII°, XX^{a} Aprilis, super tribus articulis. Primus erat ad visitandum *antiquas scolas* quia indigebant coopertura, quia futiles [1] erant. 2us articulus erat ad visitandum quandam domum regni Dacie, quam nacio alias acquisivit ex permutacione cujusdam domus alterius cum quodam collegio [2]. Et quoad istos articulos placuit nacioni visitare scolas prefatas et domum; et de facto visitavit una cum procuratore et ceteris magistris ejusdem nacionis, et ordinavit nacio illa que sibi videbantur proficua et utilia pro conservacione scole prefate et domus. 3us articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Item placuit nacioni, quod mag. Albertus Vorden esset procurator quantum ad negocium domus; et de facto nacio ordinavit eum et constituit suum procuratorem ad faciendum singula ex parte nacionis concernentia illam domum, quam nacio, ut prefatum est, acquisivit ex permutacione cum quadam alia domo ejusdem collegii. Et ut negocium esset majoris roboris, nacio ordinavit fieri instrumentum super illa constitucione a scriba Universitatis in facie nacionis. Acta sunt hec ut supra exstat explicatum.

1433

Continuacio magistri Johannis de Merode.

Facta congregacione solempniter penes Sanctum Maturinum anno quo supra, die mensis Maii sexta super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus. Quantum ad primum articulum placuit nacioni continuare magistrum Johannem procuratorem supradictum. Quantum ad secundum articulum mag. Johannes de Merode procurator supplicavit nacioni, ut haberetur gratus et avoatus in factis per eum; et quantum ad istum supplicacionis articulum concessus fuit articulus in forma pro domino procuratore nemine reclamante. Item ego procurator nomine quo supra supplicavi nacioni quatenus associaret me ad aliquem honestum locum, et annuit peticioni mee nemine reclamante, cum graciarum actione, ad capiendum vinum et panem, etc.

1433

Sequuntur acta in continuacione mag. Johannis de Merode.

Facta congregacione solempniter penes Sanctum Maturinum anno quo supra septima Maji super tribus articulis. Primus erat ad substituendum procuratorem, cum oportuerit magistrum Johannem de Merode propter quedam ardua negocia ipsum tangencia partes natales visitare. Et quantum ad istum articulum substitutus fuit mag. Albertus Vorden. Secundus articulus fuit super sedacione litis et discordie. Et quantum ad istum articulum lis et discordia orta inter aliquos magistros fuit sedata et sopita per dominum procuratorem et magistrum Cosmam. Tercius articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad istum articulum supplicavit dominus procurator, ut haberetur gratus et avoatus, et supplicacio domini procuratoris fuit concessa in forma nemine reclamante [3].

1433

[Procuratio magistri Alberti de Vorden.]

(*Fol. 50*^{b}) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die 25^{a} Augusti super electione procuratoris et super supplicacionibus et injuriis, electus fuit mag. Albertus de Vorden in procuratorem nacionis qui supplicavit, ut in actis per eum in precedentibus haberetur gratus; quod fuit concessum.

Facta fuit congregacio nacionis in profesto Sancti Mathei super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum domini procuratoris, qui constitutus fuit ad recipiendum pecunias nacionis loco magistri Conrardi Wilt receptoris. Et quoad hoc auditus fuit compotus domini procuratoris, cujus recepta ascendit ad summam XX librarum et quinque alborum, et misia sua ascendit usque ad summam XVII librarum et quinque alborum, et sic remanserunt in manibus domini procuratoris tres libre parisiens. ad solucionem redditus scolarum et aliorum, etc. Secundus articulus fuit communis super suppli-

1. *I. e. inutiles magistris, quia tunc cuidam tabernario locabantur.*

2. Laudunensi.

3. *Hoc anno solum, Maii* 20, Joh. Chuffart *admissus est ad cancellariam Paris.* (Arch. nat. Paris., LL 114, p. 45), *quamvis jam an.* 1431, *Maii* 29, *Joh. Saunerii defuncto* (*vid. supra ad an.* 1429, *Septemb.* 20), *ab Eugenio IV cancellariam obtinuisset* (Suppl. Eugen. IV, n° 259, *fol.* 245 b). *Sed alius adversarius, scil.* Braulart, *can. Paris. obstitit, et solummodo accordo an* 1433 *inito* Joh. Chuffart *victor evasit.*

cacionibus et injuriis. Et quoad hoc supplicavit procurator, ut compotus suus haberetur gratus, avoatus et recommendatus, et ipse eciam haberetur gratus, avoatus et recommendatus; quod concorditer fuit concessum presentibus mag. Henrico Horn et mag. Cosma Simonis et duobus bedellis et procuratore.

Facta fuit congregacio nacionis in die Sancti Mathei [1] super duobus articulis. Primus ad audiendum lecturam statutorum nacionis et ceterorum concernencium statuta, et eciam super electione receptoris; et quoad istum electus fuit mag. Albertus Vorden in receptorem nacionis, cum nullus aliorum esset capax istius officii; et fuerunt lecta statuta nationis. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit mag. Albertus pro scolis ad regendum in vico Straminis; quod fuit concessum.

Item immediate post festum Sancti Mathei recesserunt omnes magistri nationis Almanie de Parisius preter solum mag. Albertum Vorden [2], qui tenuit in absencia locum nationis usque ad festum beati Martini, et ideo infra hoc tempus nulle sunt facte congregaciones nationis [3]. VORDEN.

1433

Procuratio mag. Olavi Magni de regno Swecie, [de] civitate Aboensi.

Facta congregacione venerabilis nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in octavis sancti Martini [4] episcopi et confessoris super duobus articulis, scilicet super electione procuratoris et supplicacionibus et injuriis, electus fuit concorditer in procuratorem mag. Olavus Magni [5] qui supplicavit, ut in agendis nacio dignaretur eum dirigere procurando sibi auxilium, assistenciam et favorem; quod fuit concessum. Item mag. Albertus Worden procurator antiquus supplicabat, quod haberetur gratus, avatus et recommendatus super factis per ipsum tempore sue procuratorie. Concedebatur supplicacio in forma, et relate erant sibi a nacione magne graciarum actiones, quod se fideliter exhibuit et plurimum laudabiliter in manutenendo et defendendo jura et privilegia nacionis ejusdem, que juribus suis et privilegiis omnino fortassis destituta fuisset propter defectum et carentiam suppositorum, nisi dicti mag. Alberti industria, qui solus tunc Parisius remanserat, extitisset sagaciter gubernata.

(*Fol. 51*) Facta congregacione nacionis aput Sanctam Genovefam ipso die Katherine [6] super duobus articulis. Primus articulus ad audiendam requestam Bohemundi bedelli nacionis. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum exposuit idem Bohemundus nacioni paupertatem subbedelli nacionis, scilicet Colini [7], quod scilicet propter paupertatem suppositorum in nacione nulla eidem Colino vel satis pauca provenirent emolimenta, et quod ipsum oporteret *more aliorum bedellorum noviter assumptorum antiquis bedellis facere quandam propinam cum prandio*, quia, ubi hoc non faceret, ad participandum cum ceteris illa que communitati eorum jure vel gracia largiuntur, non admitteretur. Et ideo annectendo secundum articulum cum primo supplicavit, ut nacio vellet sibi, scilicet Colino, in aliqua parva summa graciose subvenire ad faciendum predictas expensas. Unde nacio consideratis singulis circunstanciis, paupertate scilicet Colini predicti, ipsius prompta voluntate serviendi nacioni eciam effectualiter jam probata, et quod injuste suis parvis emolumentis propter causam superius expressam privabatur, concessit supplicacionem pro presenti, etc., et dedit sibi unum francum.

1433

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum XVI^a Decembris super duobus articulis. Pri-

1. *Ms. hic et infra* Mathie. *Idem procurator jam an.* 1432 *similiter erravit.*

2. *Similia etiam in* lib. receptoris, *fol.* 17 b. *Ultimus qui ante festum S. Matthaei recessit, fuit* Henricus Horn. *Plures hujus discessus causae erant. A mense Martii usque ad an.* 1434 *gravis epidemia Parisiis viguit, qua praesertim juvenes attingebantur* (Journal d'un bourgeois, p. 295). *Praeterea eodem mense Septembri Parisiis aliqui conspirabant ut quaedam cohortes Scotorum cum tribus vel quatuor millibus regiis Parisios clam occuparent, quod utique sine effusione sanguinis fieri non potuit* (ibid. p. 296 *sq.*). *Tandem omnia tunc incerta erant, cohortes regiae, i. e. Caroli VII, continue minabantur,* « les seigneurs [estoient] fort divisés les ungs contre les autres, et n'estoient Dieu, l'Eglise ne justice obéys ne crémus » (MONSTRELET, V, 74), *Anglique, Parisiorum domini, hanc villam ejusque habitantes ad miseriam redegerunt, ut Parisienses ipsi an.* 1432, *Martii* 20, *coram rege Angliae conquesti sunt* (DELPIT, Collection gén. des documents français qui se trouvent en Angleterre, I, 250). *Vid. etiam* Instructiones pro legatis Universitatis *ad Philippum ducem Burgundiae ejusdem anni ap.* JOURDAIN, n° 1238. *Quae omnia cordibus extraneorum juste metum et terrorem incusserant. Caeterum vid. supra* Introductionem.

3. *In* lib. receptoris, *fol.* 18 *et* 18 b *pro an.* 1433 *et* 1434 *annotantur* Guillelmus Pommier *et* Petrus Maugier *ut rectores, quos* BUL. V, 921 *hoc temporis spatio omittit.*

4. *Novemb.* 18.

5. *Duo magistri nunc in natione erant.*

6. *Novemb.* 25.

7. *Seu* Nicolai.

mus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit procurator antiquus. Quoad secundum supplicavit idem, ut in actis et scriptis per eum haberetur gratus, avuatus et recommendatus. Supplicacio sua fuit concessa, etc.

1434

Continuacio ejusdem aput Sanctum Maturinum in octavis Epiphanie [1].

Continuacio ejusdem mag. Olavi Magni aput Sanctum Maturinum ipso die Scolastice [2].

Continuacio ejusdem mag. Olavi Magni aput Sanctum Maturinum decima die Marcii.

Facta congregacione nacionis in collegio de Ave Maria sabbato sancto Pasche [3] specialiter super supplicacionibus, supplicavit dominus Simon Osquart licenciandus in artibus sibi dari terminum solucionis bursarum pro licencia et magisterio. Unde concorditer fuit conclusum, quod ipse haberet terminum solucionis bursarum suarum usque festum Remigii proxime futurum, et nisi infra illum terminum solucionem procuraret, pena excommunicacionis innodaretur per conservatorem Universitatis vel ejus vices gerentem infligenda, nec obstante hujus termini prolixitate idem Simon promisit medio suo juramento se efficaciter laboraturum, quatenus ante prefixum terminum nacioni quantitas suarum bursarum Parisius solveretur.

Nomina licenciatorum anni Domini MCDXXXIII°.

Dominus Simon Osquart, dyocesis Bremensis, sub mag. Alberto Worden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Arnoldus de Zommere sub eodem, cujus bursa V sol.

Item ex consensu nacionis indultum fuit bachalariis licenciatis, scilicet Simoni Osquart et Arnoldo de Zomere, quod possent incipere, licet tamen pro bursis suis non satisfecissent, ista tamen condicione previa quod se obligaverint coram scriba Universitatis soluturos nacioni summam suarum bursarum, Simon quatuor lib. par. et Arnoldus III lib. cum IIII sol., et hoc infra festum Remigii sub pena excommunicationis, quam ipso facto incurrerent, si terminum pretergrediantur.

(*Fol. 51*[b]) Nomina incipiencium hujus anni, scilicet MCDXXXIII.

Dominus Simon Osquart, dyocesis Bremensis, sub magistro Alberto Worden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Arnoldus de Zomere, dyocesis Trajectensis, sub eodem mag. Alberto, cujus bursa V sol.

1434

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregacione nacionis apud Sanctos Cosmam et Damianum septima die Aprilis super duobus articulis, scilicet ad eligendum procuratorem novum vel continuandum antiquum et super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator, qui supplicavit ut in actis per ipsum in sua procuracione haberetur gratus etc., et ut in agendis nacio dignaretur sibi dare auxilium, etc., et ambe supplicaciones fuerunt concesse. Item supplicavit mag. Symon Osquart pro littera testimoniali gradus magisterii sub sigillo magno nacionis; que fuit concessa.

1434

Continuacio ejusdem aput Sanctum Maturinum die quarta mensis Maii.

Continuacio ejusdem secunda die Junii aput Sanctum Maturinum.

Facta fuit congregacio nacionis XIII[a] die mensis Junii in collegio de Ave Maria super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum domini receptoris. Et quoad istum articulum auditus fuit compotus ejusdem domini receptoris, cujus recepta in singulis ascendit usque ad summam XVI lib. par. et VI sol.; misia vero ascendit ad summam XVII lib. XVIII sol. et VIII den.; et sic misia excedit receptam in summa XXXII sol. et VIII den. Qui quidem compotus fuit gratus, avoatus, etc. nacioni, et consimiliter receptor habitus est gratus, etc. Et ultra pretaxatam summam misiarum ex ordinacione nacionis idem receptor dedit duobus bedellis, scilicet Bohemundo et Colino, I[um] francum, et pro prandio nacionis

1. *Januarii* 13.
2. *Febr.* 10.
3. *I. e.* sabbato sancto ante festum Paschae, *i. e. Martii* 27. Sabbato Pasche *esset* sabbato post Pascha.

exposuit unum francum. Et sic nacio debet receptori quatuor francos et VIII den. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus. Et quoad istum supplicabant bedelli nacionis pro aliquo subsidio, quibus conclusit nacio dari unum francum, de quo mencio facta est superius in compoto receptoris, etc.

Facta fuit congregacio nacionis aput Sanctum Maturinum secunda die Augusti super duobus articulis. Primus erat ad avizandum et deliberandum modum super modo disponendi de beneficiis ad collacionem vel presentacionem Universitatis spectantibus quantum ad interesse nacionis, utrum videlicet esset de eisdem beneficiis providendum per modum turni vel alias. 2us erat communis super supplicacionibus. Quantum ad primum, placuit nacioni quantum ad suum interesse, concorditer ad venerandas facultates decretorum et medicine, disponere de beneficiis supradictis per turnum, ut videlicet ad beneficia, quorum collacio vel presentacio pertinet ad Universitatem dum vacant, presententur persone apte et ydonee per modum turni, incipiendo a facultate theologie et consequenter per ordinem trium sequentium facultatum, scilicet decretorum, medicine et arcium, et quod in facultate arcium servetur ordo nacionum primo incipiendo a nacione Francie, et sic consequenter descendendo ad singulas naciones ordine suo [1]. Et hec ordinacio visa est utilis propter supposita nacionis, que vix aut nunquam ad talia beneficia promoveri possent nisi per hunc modum. Quantum ad secundum nulle erant supplicaciones.

Facta fuit congregacio nacionis aput Sanctum Maturinum in vigilia [2] beati Laurencii ad deliberandum super eodem articulo quo in proxima congregacione, et stabat nacio in alias deliberatis placuitque disponere de beneficiis illis, etc., per modum turni.

1434

Mag. Olavus Magni, dyocesis Aboensis de regno Swechie.

Facta fuit congregacio aput Sanctum Maturinum in crastino [3] beati Ludovici super tribus articulis. Primus ad eligendum procuratorem novum vel continuandum antiquum; et quoad hunc articulum continuatus fuit antiquus, videlicet mag. Olavus Magni. Secundus articulus fuit ad deliberandum et concludendum super provisione beneficiorum de qua actum est in duabus congregacionibus proximis. Unde placuit nacioni providere et ordinare quantum ad suum interesse de beneficiis, quorum provisio quovismodo pertinet ad Universitatem per turnum, voluitque et conclusit sic deinceps observari. Et super hoc ordinavit ut tradantur dominis decanis decretorum et medicine littere patentes sub magno sigillo nacionis, casu quo ipsi viceversa tradant nacioni litteras consimiles de observacione ejusdem turni sub sigillis suarum facultatum. Tercius articulus communis super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit procurator haberi gratus in actis, et pro assistencia et consilio in agendis. Concessa est supplicacio, etc.

1434

(*Fol.* 52) Electio magistri Alberti Vorden, Trajectensis diochesis, de Campis, in procuratorem.

Facta fuit congregacio nacionis in festo beati Mathei [4] 21 Septembris in collegio de Ave Maria super tribus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris et super disposicione sui officii et eciam procuratorie, si opus esset; et quantum ad hoc auditus fuit compotus ejus, cujus recepta ascendit usque ad IIII lib., IX sol.; misia vero usque ad II lib., XVI alb. et convivavit solemniter tunc nacio in ejus camera, ubi exposuit XVI [sol.] et dedit liberaliter bedellis I^{um} salucium, et remansit dicta nacio receptori suo magistro Alberto Vorden obligata in summa II francorum. Qui quidem compotus fuit habitus gratus, avoatus et recommendatus, similiter eciam dominus receptor. Et protunc natio disposuit de officio procuratorie et elegit in procuratorem magistrum Albertum Vorden, et in receptorem magistrum Olavum Magni. Secundus articulus fuit ad distribuendum scolas regentibus, et protunc fuerunt magne scole *septem artium* distribute magistro Alberto Vorden, superiores vero magistro Olavo Magni. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis; et quantum ad illum supplicaverunt bedelli, quod haberent aliquam quotam pro ipsorum subsidio caritativo; de quo ut supra.

Iteratis [5] vicibus natio mense Septembris fuit congregata super remedio contra aliquos turbantes nacionem in suis juribus adhibendo. Fuerunt namque aliqui de natione Normanie, qui propter paucitatem

1. *Ut jam an.* 1429 *stabilitum erat. Vid. supra* p. 415, 24.
2. *Aug.* 9.
3. *Aug.* 26.
4. *Ms.* Mathie.
5. *Hic manus saec. XVI notavit :* Natio confirmata in suis privilegiis, quamvis essent duo tantum magistri tunc temporis, contra Normaniae nationem.

suppositorum nationis nostre, *que protunc erant tantum duo*, conati sunt procurare, ut amplius non pone[re]tur in numerum cum aliis nationibus, et quod non haberet vocem deliberativam sicud alie; quod remediatum fuit per conclusionem nationis, levando casum novitatis de cancellaria, qui fuit executatus in plena congregatione facultatis artium, et isti fuerant citati ad Sanctum Cosmam, et postea ad Castelletum, in quo Sancto Cosma natio fuit manutenta in omnibus suis juribus et possessionibus, inhibendo illis de natione Normanie unicuique sub pena 100 marcarum argenti, ne quicquam innovarent in factis nacionis [1]. Qui de natione Normanie non opposuerunt se dicte inhibitioni, et ideo non processum fuit ulterius, sed solum habuimus relationem executionis sub suo sigillo cum magnis tamen expensis nationis, ut patet in hoc receptorio, et nichilominus porrexit nacio supplicationem domino regenti Francie in tantum quod in una reponsione super propositione facta per Universitatem dixit, quod nullomodo voluit quod aliquid innovaretur in facto nationis.

Regentes :

Procurator Albertus Vorden, cujus fidejussor mag. Olavus Magni.

Receptor mag. Olavus Magni, cujus fidejussor mag. Albertus Vorden.

Duodecima die Octobris facta est congregacio nacionis apud Sanctam Genovefam ad recipiendum quendam baccalarium Lovaniensem in baccalarium Parisiensem; et quantum ad hoc supplicavit Robertus Esschinc, Trajectensis diochesis, qualiter, ex quo gradum baccalariatus in studio Lovaniensi susceperat, quod nacio vellet eundem admittere ad gradum baccalariatus, solutis tamen bursis; et circa hoc recepit nacio per deposicionem duorum testium, qualiter idem fuerat effectus baccalarius Lovaniensis; quapropter suam admisit supplicacionem in forma et taxavit suas bursas ad octo solidos paris.

Sequitur baccalarius receptus per nacionem.

Robertus Esschinc, Trajectensis diochesis, receptus est determinans sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa octo sol.

1434

23ª Septembris continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

21ª Octobris continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

18ª Novembris continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

16ª Decembris continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

1435

13ª Januarii continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

10ª Februarii continuatus fuit dictus procurator mag. Albertus Vorden.

Die quarta Marcii anni 34ⁱ facta fuit congregacio in camera domini procuratoris ad examinandum baccalarium vel baccalarios dicte nacionis; et quantum ad hoc fuit examinatus dominus Georgius Swinsmars, diochesis Trajectensis, qui admissus determinaturus fuit sub mag. Alberto Vorden; cujus bursam taxavit nacio ad 8 solidos.

(*Fol.* 52ᵇ) Sequitur nomen baccalarii istius anni.

Dominus Georgius Swinsmars, Trajectensis diochesis, determinavit sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa 8 sol.

Item ex deliberacione nacionis conclusum fuit qualiter ex quo epitogium nacionis prehabitum jam fuerat antiquum, ut nacio honeste cum epitogio procedere posset, conclusit emere quoddam aliud epitogium, et ideo emit procurator dicte nationis nomine nationis epitogium violetum novum, quod pertinere solebat magistro Alardo Palenc defuncto, a collegio Sorbone, pro summa octo francorum, quos eadem natio eidem procuratori debet.

Item conclusit natio dare terminum solutionis bursarum pro licencia et magisterio Roberto Esschinc usque ad [festum] Remigii proxime futurum.

1. *Utique natio Anglicana magis quam quaelibet alia natio quasi ad nihilum redacta erat. Sed Universitas ipsa anno sequenti confessa est* depopulationem suorum suppositorum et proximam, si non provideatur, futuram ejus dissipationem (*ap.* Jourdain, n° 1247, p. 259 a). *Unde plus minusve omnes nationes et facultates ad statum miserrimum devenerunt, jureque facultas artium suas manus adjutrices nationi Anglicanae porrexit.*

1435

10ª Marcii continuatus est idem procurator mag. Albertus Vorden [1].
Sequitur nomen licenciati :

Dominus Robertus Esschinc, Trajectensis diochesis, licenciatus est sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa 8 sol.

Sequitur nomen incipientis :

Dominus Robertus Esschinc incepit sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa 8 sol.

1435

5ª May continuatus est magister Albertus.

2ª Junii continuatus est idem procurator [2].

Facta fuit computatio in domo receptoris penultima Junii, cujus recepta XII lib., X sol., misia XV lib., VII sol., VI den., II dupl., et excedit misia receptam in summa II lib., XVII sol., VI den., II dupl., qui fuit habitus gratus et receptor gratus et avoatus [3].

1435

26ª Augusti continuatus est idem procurator.

Facta fuit congregacio nacionis in camera procuratoris in die sancti Mathei apostoli super tribus articulis. Primus ad audiendum statuta nacionis ex statuto nacionis quolibet anno illo die legenda. Et quantum ad illum articulum placuit legere eadem statuta, que eciam fuerunt lecta. Secundus fuit ad disponendum de officio receptorie et distribucione scolarum et compoto receptoris. Et fuit factus compotus per eundem, cujus recepta XI lib. par., II sol., et misia ascendit ad decem libras, sex den. et II dupl. in qua misia implicata summa II librarum parisiens., XVII sol., VI den., II dupl., que sibi debebatur ex resta prioris compoti cum ista misia faciunt XIII lib., XVIII sol., I alb. et I dupl., et sic deductis deducendis et defalcatis defalcandis remanet sibi nacio obligata in summa II lib., XVI sol., IIII den. et unius dupl., qui compotus fuit habitus gratus, avoatus, etc. Quantum ad officium receptorie fuit concorditer collatum mag. Alberto Vorden. Quantum ad distribuciones scolarum erant tres meliores scole collate magistris Alberto Vorden, Olavo Magni et Roberto Esschinc, inter quos erat data optio Alberto Vorden quoad electionem scolarum propter antiquitatem sue regencie. Tercius erat articulus communis super supplicacionibus et injuriis. Et quoad istum articulum supplicavit receptor mag. Olavus, ut haberetur gratus, etc.; quod fuit concessum. Supplicavit Albertus Vorden pro officio receptorie; quod erat concessum. Supplicaverunt Albertus Vorden, Olavus Magni et Robertus Esschinc pro scolis; quod erat concessum. Supplicavit Bomundus bedellus, ut nacio dignaretur sibi solvere de residuo bursarum sibi debitarum a graduatis dicte nacionis, qui tempore consueto non solverunt bursas nacioni, sed tantum postea miserunt pecunias. Quod nacio concessit. Et eodem die sollemniter convivavit nacio in camera magistri Alberti Vorden, et exposuit XIII sol., II albos. VORDEN.

(*Fol. 53*) Regentes pro ordinario incipiente in festo sancti Remigii anni 35.

Mag. Albertus Vorden procurator, cujus fidejussor mag. Robertus Esschinc.

Mag. Olavus Magni, cujus fidejussor Albertus Vorden.

Mag. Robertus Esschinc, cujus fidejussor Albertus Vorden.

1435

Electio magistri Olavi Magni.

Anno Domini MCDXXXV, die XXIIIª Septembris, congregata fuit nacio in collegio Navarre super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem, et electus fuit concorditer mag. Olavus Magni, dyocesis Aboensis, de regno Suechie. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad istum supplicavit antiquus procurator haberi gratus, etc. et concessa est ejus supplicacio.

1. *Postea legitur in ms. :* 7ª Februarii continuatus est idem procurator.

2. *Jun.* 23 *electus est in rectorem* Philippus de Longolio, *nat. Franciae, eodemque anno licent. in jure can., ex* Mem. fac. decr. I, 167, *et* LL 114, p. 117. *Recte* BUL., V, 921. Philippus *an.* 1448 *adhuc licent. in decr. dicitur regis Caroli et Ludovici delphini consiliar. et mag. request.* (Suppl. Nicol. V, nº 422, *fol.* 129).

3. *Cum tunc tres tantum magistri in natione essent, natio nullum legatum ad* Conventum Atrebatensem *mittere potuit, ubi tamen erant* Guillaume Breton, Jehan le Moustardier, Thomas de Coureellis, Robert Poitevin *ut ambassiatores Universitatis praesentes* (MONSTRELET, V, 137; BUL., V, 429). *De ipso conventu vid.* BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. II, p. 526 *sqq.; quae post* tractatum Atrebatensem *consecuta sint, vid.* t. III, p. 67 *sqq. Inter alia tunc pax inita est inter regem Franciae et ducem Burgundiae.*

Supplicavit eciam procurator novus sibi dari consilium, auxilium, etc. in agendis; concessa est sua supplicacio.

1435

21 Octobris continuatus fuit idem procurator mag. Olavus Magni.

Eodem anno, XIXa Novembris, congregata fuit nacio in vico Straminis super tribus articulis. Primus ad disponendum de officio procuratoris; et quantum ad istum articulum continuatus fuit procurator antiquus mag. Olavus Magni. Secundus articulus fuit ad disponendum de festo nacionis, quod futurum erat die dominica mox sequenti [1]; et quoad istum articulum ordinavit nacio, quod solemniter et honorifice secundum facultatem nacionis festum in ecclesia celebraretur, sicut hactenus facere consuetum est, et sic similiter fieret de prandio nacionis. Tercius articulus fuit super supplicacionibus. Supplicavit procurator in actis per ipsum haberi gratus, etc. et quod in agendis per ipsum in futurum daretur sibi assistencia et consilium et favor. Concessa fuit ejus supplicacio quoad singulas partes ejus.

1435

[Continuatio ejusdem.]

(*Fol. 53b*) Eodem anno XVIa Decembris congregata fuit nacio in Sancto Juliano ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et continuatus est concorditer et habitus gratus, etc. in actis per ipsum, etc. MAGNI.

1435

Sequitur substitutio magistri Roberti Esscinch de Zwollis in procuratorem, Trajectensis dyocesis.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane apud sanctum Julianum Pauperem anno M° CCCC° XXXV°, XVIa die Decembris super duobus articulis. Primus erat super substitutione alterius procuratoris. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum magister Olavus Magni, antiquus procurator, electus est in die continuationis sue [2] in rectorem; ideo nationi proposuit, ut substitueret alium procuratorem, et concorditer substitutus est magister Robertus Esscinch in procuratorem, de Zwollis oriundus, nullo contradicente. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut natio ipsum haberet gratum et avoatum in hiis que nomine nationis peregit, et ut natio sibi concilium et auxilium et favorem daret in agendis per ipsum in sua rectoria; et concessit natio ambas ejus supplicationes conformiter aliis nationibus, supplicans ut domino rectori electo concilium, auxilium et favorem in agendis per ipsum sincero corde darent, et est etiam hec supplicatio ab aliis nationibus concessa. Supplicavit deinceps substitutus, ut natio sibi vellet dare concilium, auxilium et assistentiam in hiis que nomine nationis in sua procuratoria esset acturus, et concessit natio ejus supplicationem.

1436

Electio magistri Roberti Esschinc in procuratorem.

Electus fuit magister Robertus Esschinc in procuratorem tredecima die Januarii, anno XXXV°, et supplicavit modo solito, et concesse erant ejus supplicationes in forma, et fuit congregatio in collegio Navarre.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane XXIXa die Januarii in camera domini rectoris super duobus articulis. Primus est super electione temptatorum pro bacalariis temptandis, si aliqui sint, et ad disponendum de aliquibus recipiendis in bacularios. Secundus articulus est communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum, *quia protunc non erant aliqui temptandi*, nichil fuit dispositum de temptatoribus baculariorum, sed fuerunt aliqui bacularii aliarum Universitatum, de quibus natio voluit ordinare. Quoad secundum articulum supplicavit Johannes de Palacio, ex quo gradum baculariatus Lovanii suscepit, quod natio eundem admittere vellet ad eundem gradum Parisius, solutis tamen bursis; et ad idem supplicavit Johannes Buscus, salvis juribus nationis. Et quoad hunc articulum placuit nationi eos recipere, prehabita tamen debita probatione sui gradus; et quoad hoc ambo juraverunt se recepisse in aliis Universitatibus suos gradus, et primus cum hoc ostendit suam cedulam de baculariatu. Ideo visis multis periculis ulteriorem probationem impedienti-

1. *Novemb.* 20.
2. *I. e. eodem die Decemb.* 16. BUL., V, 921, *perperam Novemb.*

16. *Ultimo usque ad an.* 1443, *Jun.* 23, *e nat. Anglic. seu Alemanniae rector electus est. Vid. ibid.*

bus, admisit supplicationes eorum in forma, solutis bursis, et taxavit bursas cujuslibet ad octo solidos, et pro Johanne de Palacio respondit simpliciter dominus receptor mag. Albertus Vorden et in theologia bacularius, quia ille protunc non habuit pecunias. De cujus responsione contenta fuit natio. Sed alter Johannes Busch supplicavit nationi, ut sibi terminum solutionis suarum bursarum daret usque ad festum sancti Michaelis, et juravit fideliter solvere in illo termino vel prius, si sibi esset possibile. Cujus supplicationem natio concessit multis adtentis et consideratis, etc.

Sequuntur bacularii recepti per nationem nominatim.

Receptus est determinans dominus Johannes de Palacio, Trajectensis dyocesis, Lovaniensis bacularius, sub magistro Roberto Essinch, cujus bursa 8 solidos.

Receptus est dominus Johannes Busch determinans, dyocesis Nuemburgens., bacularius Lipezensis, sub eodem, cujus bursa 8 solidos.

1436

[Continuatio ejusdem.]

Eodem anno Xª Februarii continuatus fuit idem procurator mag. Robertus Esschinc in domo domini rectoris, et supplicavit modo consueto, ut haberetur gratus, etc., cujus supplicacio concorditer erat concessa, etc.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane super duobus articulis. Primus est ad eligendum examinatorem pro primo mense in Sancta Genovefa; et quoad hunc electus fuit mag. Robertus Esschinc tunc procurator. Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis; et quoad hunc nullus supplicavit. Que congregatio facta fuit die tercia Marcii apud Sanctum Maturinum, etc.

(*Fol. 54*) Sequitur nomen licenciati, videlicet anno Domini M° CCCC° XXXV^to more gallicano.

Dominus Johannes de Palacio, dyocesis Trajectensis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa 8 solidos.

1436

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio nationis Anglicane in camera domini rectoris die nona Marcii super duobus articulis. Primus est ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum fuit concorditer continuatus antiquus procurator magister Robertus Esschinc. Quoad secundum articulum supplicavit procurator, ut haberetur gratus et avoatus in actis per ipsum nomine nationis et in agendis similiter sibi natio prestaret concilium, etc., et concesse sunt ejus supplicationes.

Sequitur nomen incipientis anno quo supra.

Dominus Johannes de Palacio, dyocesis Trajectensis, incepit sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa 8 solidos.

Licenciatus sequitur.

Dominus Albertus Scriptoris [1], dyocesis Trajectensis, sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa IIII sol.

Sequitur nomen incipientis.

Dominus Albertus Scriptoris, dyocesis Trajectensis, incepit sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa IIII sol.

Item ex communi et concordi deliberatione nationis Anglicane indultum fuit domino Alberto Scriptoris, dyocesis Trajectensis, quod posset licenciari et incipere, licet tamen bursas suas non solvisset, ista tamen conditione previa, quod se obligaret coram notario curie conservatoris [se] soluturum jura nationis ante festum Nativitatis Domini proxime venturum sub pena excommunicationis, si terminum pretergrederetur. Quod ita factum est; obligavit enim se modo dicto debere nationi XL sol. pro bursis, XXXII sol. pro jocundo adventu, et 8 sol. pro cappa rectoris, et unum francum pro pretio bidellorum coram de Brossis [2], presente me Roberto Esschinc tunc procuratore.

1. *I. e.* de Scriver, *ut ad an.* 1433.

2. *I. e.* Radulpho Barnesse, *Remens. dioec., qui, mag. art. et licent. in decr., promotor Universitatis in curia conservatoris privileg. Universitatis fuit.* Jacobo Galeti *defuncto, ipse an.* 1435-1436 *a Joh. Juvenal. des Ursins, episc. Belvacens., in promotorem assumptus est, et an.* 1447, *Jan.* 21 *solum ab Eugen. IV confirmatus* (Suppl. Eug., n° 407, *fol.* 197).

Facta fuit congregatio nationis Anglicane XVIIIa die Marcii in camera domini rectoris super duobus articulis. Primus est ad audiendum compotum domini receptoris. Secundus est communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum auditus fuit compotus Domini receptoris, et extendit se misia facta per ipsum ad XII lib. par., XV sol., II den. et unum dupl. et XXXVI sol., et recepta ad XXIII lib. et II sol., et sic recepta excedit misiam in VIII libris X sol. et VIII den. Cujus compotus fuit gratus omnibus. Quantum ad secundum articulum supplicavit receptor, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus et similiter compotus ejus, et concesse sunt supplicationes ejus in forma regraciando sibi de laboribus [1].

Nomen licenciati.

Dominus Georgius Zvinemars, dyocesis Trajectensis, incepturus sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa 8 sol.

Nomen incipientis.

Dominus Georgius Zvinemars, dyocesis Trajectensis, incepit sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa 8 sol.

1436

[Continuatio ejusdem.]

Sexta die Aprilis continuatus fuit dictus procurator mag. Robertus Esschinc.

Facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum iteratis vicibus et conclusive 22a die Aprilis super duobus articulis. Primus erat ad providendum suo ambaciatori ituro ad dominum nostrum regem [2]. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit per Universitatem, quod mitteretur integra ambaciata, unus scilicet de qualibet natione et facultate. Et quia propter brevitatem temporis de promptis pecuniis tunc non potuit Universitas suis ambaciatoribus providere, ordinatum fuit per Universitatem quod quelibet facultas et natio provideret suo de prompta pecunia, obligavit tamen se Universitas ad solvendum eandem pecuniam. Ideo natio Anglie quantum ad hoc ordinavit et conclusit quod suus ambaciator haberet in recessu XV fr., quos sibi natio expedivit, et recepit obligationem a suo ambaciatore de solutione hujusmodi summe. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus ambaciator mag. Olavus Magni nationi, ut sibi concederet suum epitogium melius. Quam supplicationem concessit sibi natio, habita obligatione restitutionis epitogii vel valoris, et erat valoris 8 fr., et ita factum est. ESSCHINC.

1436

(*Fol. 54 b*) Procuratoria magistri Roberti Esschinc de Zwollis, diocesis Trajectensis.

Non fuit facta congregatio nationis Anglicane 4a die May ad eligendum novum procuratorem, quia *protunc fuit solus antiquus procurator Parisius* [3] mag. Robertus Esschinc, qui in absentia aliorum tenuit locum nationis.

Similiter prima Junii non fuit facta congregatio nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, quia adhuc idem magister Robertus Esschinc antiquus procurator fuit solus magister Parisius de natione, etc.

Continuatus fuit idem Robertus Esschinc XXVIIa Augusti, cujus acta erant grata, recommendata, etc. [4].

1. *Rector a Martii 24 usque Jun. 23* Nicolaus Danehy, *e* lib. receptoris, *fol.* 22, *et* BUL., V, 439.

2. *Scil. ad* Carolum VII. *Eodem anno, scil. April.* 13, Richemont, *constabularius Franciae ex parte dicti regis, cum suis civitatem Parisiensem intravit, et civitas a jugo Anglorum liberata est* (*vid.* Journal d'un bourgeois, p. 314 *sqq.*). *April.* 20, *Universitas Paris., quae tempore transacto sui honoris oblita, quasi serva Anglorum erat, processionem solemnem ad S. Catherinam Vallis Scholarium fecit in gratiarum actionem, pro liberatione urbis, et erant plus quam 4000 Universitatis supposita congregata* (ibid., p. 320). *Cf. etiam* BUL., V, 435, *e* lib. procurat. nat. Picard. *Ex eodem fonte ibid. relata sunt, quae supra de ambassiata ad regem narrantur, qui tunc Biturigis morabatur. Ambassiatores erant dom. episcopus Paris.* « et alii notabiles viri civitatis », *qui April. 27 recesserunt, et Jun. 1 reversi erant* (Arch. nat., LL 114, p. 208). *Inter* « notabiles viros » *connumerandi sunt ambassiatores villae et Universitatis, inter quos erat* Joh. Chuffart, *cancellarius* (ibid., p. 215). Instructiones *pro ambassiatoribus ap.* BUL., p. 436. *Carolus VII mense Maio privilegia Universitatis confirmavit* (ibid., p. 436). *Caeterum responsum regis vid ap.* FELIBIEN, Hist. de la ville de Paris, V, 269.

3. *Nam* Olavus Magni *cum ambassiatoribus*; Albertus Vorden *etiam absens fuit. In* lib. receptoris, *fol.* 22, *praeterea scribitur, Robertum tunc,* « quia solus Parisius magister nationis », *etiam officium* receptoris *exercuisse.* Albertus Vorden *rediit in profesto b. Joh.* (*Jun.* 23).

4. *Jun. 23 in rectorem* Petrus Richerii *electus est* (*quamvis* Gerardum Gebe *sequatur in* lib. receptoris, *fol.* 22 b, *ubi* Rucherii). *Sic conjicimus e* Suppl. Eugenii IV, n° 319, *fol.* 275, *ubi etiam ut bacc. in theol. designatur* (*ad Sept.* 28). BUL., V, 921, *perperam* Philippus de Longolio. Petrus Richerii *an.* 144t (1442), *Febr.* 22, *lic. in theol. e* Catal. licent.

1436

Electio magistri Olavi Magni in procuratorem.

Anno Domini MCDXXXVI°, die XXIIII[a] Septembris congregata fuit nacio Anglicana in collegio Naverre super 4[or] articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem et receptorem novos vel continuandum antiquos. Secundus fuit ad audiendum compotum receptoris antiqui, scilicet mag. Alberti Worden. Tercius pro distributione [scolarum] regentibus hujus anni. Quartus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primam partem primi articuli electus fuit concorditer in procuratorem nationis magister Olavus Magni, archidiaconus ecclesie Aboensis in regno Suechie. Quoad secundam partem ejusdem primi electus fuit in receptorem mag. Robertus Esschinch, dyocesis Trajectensis. Et licet electio receptoris et audicio compotorum juxta nacionis ejusdem statuta consueverint celebrari ipso die beati Mathei apostoli et ewangeliste, tamen propter certas et rationabiles causas dispensavit eadem nacio, sicut facere potuit juxta tenorem eorundem statutorum, ut ad hanc ista transferentur. Et in eadem congregacione lecta fuerunt statuta nacionis. Quantum ad secundum articulum principalem auditus est compotus receptoris, cujus recepta post novissimum compotum simul cum resta de eodem compoto, que est summa VIII lib. par., X sol., VIII den. se extendit ad XXIII lib. par., XIII sol., IIII den.; misia vero ad summam... et sic misia excedit receptam in summa..., et in hoc natio manet eidem receptori obligata. Cujus compotus fuit ab omnibus gratus, avoatus, etc., et ipse receptor antiquus personaliter. Quantum ad tertium articulum distribute fuerunt scole et

primo procuratori scola posterior immediate supra scolas *septem artium*; cujus fidejussor mag. Albertus Worden,

Cui date sunt scole *septem artium* et cujus fidejussor procurator;

Mag. Roberto Eschinch deputate sunt scole anteriores super easdem scolas; cujus fidejussor mag. Albertus.

Quedam alie scole mag. Johanni de Palacio, cujus fide[jussor] Albertus.

(*Fol. 55*) Preterea ad insinuationem mag. Alberti Worden ordinavit nacio ut conficiantur certe littere mittende magistris Johanni Harlem et Theodrico [de Harlem], elemosinario Leodiensi, super provisione et auxilio *domus provincie Alemanie site Parisius prope Sanctum Nicolaum de Cardine*[*to*] ad signum Nostre Domine. Et super hoc oneravit procuratorem. Ordinavit insuper eadem nacio, ut mitterentur citationes de curia conservatoris magistris Olivero Gent, Alberto Scriptoris et Simoni Osquart super solutione suarum bursarum. Quoad quartum articulum supplicavit procurator pro auxilio, favore et assistencia in agendis. Concessa est, etc. Supplicavit antiquus procurator haberi gratus, etc.; concessum est. Supplicavit ad idem antiquus receptor; concessum est. Supplicaverunt bedelli, Bohemundus scilicet et Colinus, pro continuacione suorum officiorum; concessum est [1].

1436

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio nacionis Anglicane anno eodem 22[a] die mensis Octobris aput Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2[us] fuit ad deliberandum et concludendum, quid expediret facere circa statum domus Lincopie site in vico Sancti Hilarii ad intersignium *cornu cervi*, que propter demolitiones et ruinas vicinarum domorum, quibus quasi appodiamentis sustentabatur, quasi cotidie casura ruinam minabatur. Et ut ex juratorum depositione constabat, qui eam visitabant vicibus iteratis, inevitabiliter cecidisset ante Natale Domini proxime venturum nisi celeri remedio succurreretur eidem. 3[us] fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit procurator antiquus.

Quoad secundum aperte fuerunt due vie, scilicet vel quod domus ipsa appodiaretur et repararetur, vel quod demoliretur, deponendo scilicet ad terram omnia materialia tam in tegulis quam tignis laquearibus et aliis, et quod omnia reponerentur sub secura custodia in parte domus posteriori, quousque aliquis posset venire de Lincopia, vel nacio aliter provideret. Sed quia prima via nedum difficilis, ymo impossibilis erat protunc, quia ad sustentationem domus, ut ex assertionibus juratorum accepit nacio, requirebantur ad omne minus ducenta scuta, et nacio protunc nullam pecuniam habebat, ideo necessitate coacti magistri nacionis concorditer in secundam viam con-

1. *Octob.* 10, *electus est rector* Gerardus Gehe, *nat. Gallic. Vid.* Bul. V, 439, *et* 921; lib. recept., *fol.* 22 b, *ubi ut prius* Jehe.

venerunt, et conclusum est ut domus deponeretur modo superius expresso, et hoc ideo, quia, nisi ita fieret per nationem, auctoritate regia hoc tandem factum fuisset, et sic omnia materialia domus applicata fuissent ad fiscum regis, in grave dampnum et prejudicium dyocesis Lincopensis, et forte domus et fundus terre fuissent confiscati, vel cecidisset ipsa domus et subito casu confracte fuissent tegule minutatim. Ad ista autem facienda ordinavit nacio dominum Bohemundum bedellum nacionis, dans sibi commissionem et auctoritatem omnimodam quantum sua intererat, et promisit nacio se ratihabituram quicquid idem Bohemundus circa domum ipsam ex depositione juratorum ordinaret, et promisit se eundem velle garantizare, licet eciam ipse Bohemundus istud facere potuisset virtute sue procurationis, quam ipse habet ad eandem domum, ut patuit per quoddam procuratorium, quod super hoc alias producebat.

Quoad tercium articulum supplicavit procurator haberi gratus, etc., in actis, et pro assistencia et consilio, etc., in agendis. Concessa est ejus supplicacio quoad utramque partem. O. Magni.

(*Fol. 55* b) Eodem anno septima die Novembris congregata fuit nacio in collegio Nawarre ad recipiendum quendam bachalarium studii Pragensis in bachalarium Parisiensem; et quoad hoc supplicavit dominus Laurencius Olavi alias de Thuna, canonicus Upsalensis, ut nacio dignaretur ipsum recipere pro bachalario. Qui cum non haberet aliquod testimonium super suo bachalariatu in alieno studio, ordinavit nacio pro majori securitate, ut ibi in presencia nacionis examinaretur. Quo facto ex speciali gracia, consideratis condicionibus et circumstanciis sue persone et aliis multis, receptus et in bachalarium admissus [est], et taxavit nacio bursas ejus ad XI sol. paris.

Sequitur nomen bachalarii recepti per nacionem.

Dominus Laurencius Olavi alias de Thuna, Upsalensis dyocesis, in regno Suechie, sub mag. Olavo Magni, cujus bursa vellet XI sol.

1436

Continuacio ejusdem magistri Olavi.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane eodem anno scilicet MCDXXXVI°, XXIXa die Novembris, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus ad ordinandum de festo nacionis, quod in crastino instabat celebrari. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit procurator antiquus. Quoad secundum articulum ordinatum fuit quod festum more consueto solemniter et honorifice celebraretur in ecclesia ad honorem Dei, sancti Eadmundi regis, ejusdem nacionis patroni inclitissimi, et quod magistri de nacione solito more pariter convivarent mediocriter et honeste. Quoad tercium articulum supplicavit primo procurator haberi gratus et avoatus in actis, et pro consilio, favore et assistencia in agendis; cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit Bohemundus, ut sibi instrumentum publicum sub signo magistri Michaelis Hebert, scribe Universitatis et notarii publici, super commissione sibi facta alias per nacionem de domo Lincopie [daretur], quod et nacio fieri decrevit, mandando sibi dari instrumentum publicum per mag. Michaelem predictum, vocatis ad hoc testibus fide dignis extra nacionem.

1436

Procuracio magistri Alberti Vorden.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum die XIXa Decembris [1] ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et quantum ad hoc electus fuit concorditer mag. Albertus Vorden, natus de Campis, baccalarius in theologia, qui supplicavit, ut in agendis darentur sibi auxilium, consilium, assistentia et favor; que supplicacio fuit concessa in forma.

1437

(*Fol. 56*) Continuacio mag. Alberti Vorden baccalarii in theologia.

Facta fuit congregacio nationis XIIIIa Januarii apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem novum aut continuandum antiquum. Et quoad hoc continuatus fuit antiquus concorditer, et supplicavit ut acta ejus haberentur grata et consimiliter ipse; quod concessum fuit, et consimiliter voluit sibi nacio dare consilium, etc.

Facta fuit congregacio nacionis XXIIa Januarii apud Sanctum Maturinum super duobus. Primus ad providendum de examinacione baccalariandorum; et

1. *Dec.* 16 Godefridus Normanni *seu* Gaufridus Amici *in rectorem electus est, e* lib. recept. *fol.* 22 b. Bul., V, 921, *perperam* Ludov. Balli. *Magister* Gaufrid. Normanni, *colleg. Navarr., an.* 1445 (1446), *Febr.* 7, *licent. est in theol., sed an.* 1481 *solum, cum an.* 78mum *complevisset, magisterium suscepit* (Launoius, Navarr. gymn. hist., p. 941).

quantum ad illum placuit secundum formam statuti ad examinandum baccalarios accipere antiquiorem regentem et non regentem, procuratorem et receptorem, et declaravit ibi natio, quod isti non coincidere deberent, si in natione esset copia suppositorum. Et sic mag. Joh. de Palacio fuit acceptus pro antiquiore regente, quamvis esset junior simpliciter, sed alii regentes habebant officia nacionis puta mag. Robertus Esschinc receptor, et mag. Albertus Vorden procurator, et mag. Olavus Magni acceptus fuit pro antiquiore non regente. Qui quatuor juraverunt in presencia nacionis juramenta solita. Secundus fuit super supplicacionibus; et quantum ad hoc supplicavit mag. Olavus Magni baccalarius in theologia, prepositus Aboensis, qualiter singuli magistri nacionis dignarentur eum honorare per presenciam ipsorum in suo principio [1] in scolis et in prandio. Cui supplicacioni favorabiliter natio annuit, regratiando sibi de honore nationi fiendo per invitationem singulorum suppositorum ejus.

Sequuntur domini determinantes:

Primo dominus Mento Hof, diochesis Trajectensis, cujus bursa IIII sol.

Dom. Wolfardus Nicolay, diochesis Trajectensis sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa IIII sol.

Dom. Hermannus de Berken, diochesis Sambiensis, sub mag. Olavo Magni, cujus bursa IIII sol.

Dom. Godfridus Rodenberch, diochesis Monasteriensis, sub mag. Olavo Magni, cujus bursa IIII sol.

Item receptus est Ulricus [Pomel, dioc. Ratisponensis], cujus bursa et scole pariter XXXII sol.

Facta fuit congregacio IX^a Februarii anno Domini M° CCCC XXXVI° secundum usum gallicanum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quantum ad illum continuatus fuit concorditer antiquus. Secundus super provisione domus *cornu cervi*, que jam discooperta extitit et casuram maximam minabatur et ligna putrefiebant et ferra et plumbum jam furata erant. Et quoad illum conclusit natio, quod venderentur materialia domus ad utilitatem provincie Lincopie, ne ammodo furarentur vel per putrescionem ad nullius quasi valorem redigerentur; et ad hoc secundum justiciam faciendum conclusit natio impetrare litteram regiam. 3us erat super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum supplicavit procurator, ut haberetur gratus, etc.; quod concessum fuit.

1437

(*Fol. 56*^b) Procuratoria mag. Alb. Vorden de Campis, baccalarii in theologia.

Facta fuit congregacio nacionis anno Domini M° CCCC° XXXVI° secundum usum gallicanum ante Pasca, IX^a Marcii, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad hoc continuatus fuit antiquus concorditer. Secundus super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, etc.; cujus supplicacio fuit concessa [2].

Facta fuit congregacio nationis apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XXXVII° post Pasca 6^a Aprilis, super duobus articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem; et ad hoc continuatus fuit antiquus. Secundus super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit procurator more solito, et fuit concessa supplicacio.

Sequuntur licenciati.

Dominus Laurencius de Thuna, Upsalensis diochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa XI sol.

Dom. Johannes Pusch [3], Nuenburgens. diochesis, sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa VIII sol.

Sequuntur incipientes.

Dom. Laurencius de Thuna, Upsalensis diochesis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa XI sol.

1. *In principio cursus Bibliae. Revera hoc anno* incepit primum cursum 9^a Martii (Lib. bedelli fac. theol., p. 184).

2. *Martii* 24 Robertus Ciboulle *in rectorem electus est, ut e* lib. receptoris, *fol.* 22^b, *concludimus.* Bul. V, 921, *eum ad Octob.* 10 *affert, et ad Jun.* Egidium Houdebin, *ad Mart.* Gaufridum Amici. Robertus Ciboulle *tunc et postea unus e clarissimis Universitatis suppositis fuit et* Collegii Harcuriani (*vid.* Bouquet, L'ancien Collège d'Harcourt, p. 123, *sqq.*). *An.* 1430, *April.* 12, *primum cursum Bibliae incepit* (Lib. bedelli fac. theol., p. 101), *an.* 1432, *Nov.* 3, *incepit Sententias* (ibid., p. 160), *an.* 1437, *Dec.* 20, *lic. in theol.* (ibid., p. 193). *Fuit can. Paris. et saepe legatus Univers. fuit, et etiam Caroli regis ad papam, v. g. an.* 1439, *Aug., cum adhuc esset can. Carnot.* (Suppl. Eugen. IV, n° 354, *fol.* 95^b); *an.* 1441, *Martio, ad* dietam Maguntinam (Monum. Concil. gener. saec. XV, t. III, p. 560, 35), *Decemb. cum* Petro de Versaliis, *episc. Meldens., ad Eugenium IV* (Suppl. Eugen. n° 371, *fol.* 180^b; n° 372, *fol.* 175, 250^b; n° 373, *fol.* 2), etc. *An.* 1448, *Jun., archidiac. Gandens. in eccl. Tornacens.* (Suppl. Nicol. V, n° 421, *fol.* 136^b), *anno sequenti jam renuntiavit* (ibid., n° 427, *fol.* 92^b). *An.* 1451 *cancellarius Paris.* (*vid. infra ibid. ad Dec.* 15). *De libris ejus ecclesiae Paris. legatis vid.* Franklin, Les anciennes bibliothèques de Paris, I, 54.

3. *Qui in* lib. recept. *scribitur* Bucht *vel* Busc. *Cf. supra* p. 484, 42 et 485, 21.

Dom. Johannes Pusch, Nuemburgens. diochesis, sub mag. Roberto Esschinc, cujus bursa VIII sol.

1437

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregacio anno eodem 6ª May super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus [super] supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, qui supplicavit more solito et fuit concessum.

Facta fuit congregacio nacionis *Almanie*[1] in camera dicti procuratoris die XVª ejus anni in mense May super duobus articulis. Primus ad omnia per nationem concernentia rotulum, presenciam inrotulatorum et inrotulationem et ambasiatorem. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum primo quoad presentes, reputavit natio hos sex sequentes presentes, scil. mag. Albertum Vorden procuratorem, mag. Robertum Esschinc, mag. Georgium Zwinemars, mag. Johannem de Pallacio, mag. Laurencium de Thuna et mag. Johannem Pusch, qui tunc probaverunt presenciam sufficienter quoad mutua ipsorum testimonia. Quantum ad inrotulationem voluit natio, quod mag. Johannes de Pallacio esset inrotu (*Fol.* 57) lator et haberet pro pena sua de quolibet inrotulando duos solidos[2] pro absentibus, et unum solidum pro presentibus. Item conclusum fuit de taxa inrotulandorum, quod quilibet presens daret portitori rotuli 1um francum, et quilibet absens unum salucium. Item conclusit natio, quod portitori rotuli ex parte sui, quia pauci inrotulandi venirent et ita haberetur quasi nulla pecunia, darentur ex parte nationis quadraginta salucia pro viagio suo complendo. Quoad secundum nullus supplicavit.

Item[3] eodem mense facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum ad eligendum ambassiatores delaturos rotulum, ex parte ejusdem Universitatis, ad Eugenium papam quartum, de singulis facultatibus et nationibus. Et quoad hoc fuit concorditer electus pro natione Almanie venerabilis vir mag. Albertus Vorden, procurator nationis et baccalarius in theologia qui haberet pro utilitate Universitatis et signanter nationis et suppositorum ejusdem viriliter laborare pro bona prerogativa optinenda una cum aliis ambassiatoribus[4].

Sequuntur presentes in natione in 2° rotulo ad papam Eugenium quartum destinato :

Magistri Albertus Vorden,
Robertus Esschinc,
Johannes de Pallacio,
Georgius Swinemars,
Laurencius de Thuna,
Johannes Pusch.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie in camera domini procuratoris die XXIIIª May super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris mag. Roberti Esschinc, et quantum computavit coram tota natione, et recepta sua ascendit usque ad summam XXXV lib., XIII sol., et misia ad summam XXIIII lib., III sol., VIII den., et recepta excedit misiam in summa XI lib., IX sol., et IIII den.; que quidem pecunie manserant in manu receptoris ad expediendum facta nationis. Quo die convivavit natio in camera procuratoris et exposuit XXIIII sol. Quoad secundum articulum, qui erat super supplicacionibus et injuriis, supplicavit receptor ut ipse haberetur (*Fol.* 57b) gratus et acta in sua receptoria haberentur grata. Que supplicacio fuit concorditer concessa cum regraciacionibus. Secundo supplicaverunt bedelli, ut haberent pecunias de incipientibus et licenciatis, et Nicolaus, quod aliquid ultra haberet pro una tunica habenda. Et quoad hoc ordinatum fuit, quod Bomundus haberet pro bursis LVII sol., magistri scilicet Laurencii de Thuna et magistri Johannis Pusch tam in baccalariatu quam licenciis, quam magisterio, et Nicolaus subbedellus haberet medietatem, et perfecit sibi nacio usque ad summam quinquaginta solidorum, quam tamen sibi reservavit recipiendam pro suis futuris bursis, et quod receptor ipsis expediret ista.

Item in hac procuratoria solvit mag. Oliverius Ghent, Trajectensis diochesis, summam debitam nationi pro suis gradibus in facultate artium habitis quantum ab bursas, scolas, jocundum adventum et attinentia dictis gradibus ex integro, sed erat aliqua

1. *Abhinc quasi semper natio* Almanie *vel* Almanorum *scribitur, raro natio* Anglicana, *quae locutio ab an.* 1442 *quasi omnino supprimitur. Vid. tom.* I, p. XIV.

2. *Ms. add.* pro sua pena.

3. *In* Partie des pièces et actes qui concernent l'estat de l'Université (1653), *rec.* IX, *alibi* VIII, p. 14, *haec rubrica perperam ad an.* 1436 *refertur. Ut ex ibid.* p. 15 *relatis e* lib. proc. nat. Picard. *apparet, rotulus non longe ante April.* 6 *conclusus est, et quidem ante Mart.* 24, *e* Comm. fac. med. II, p. 10, *April.* 6 *deputati eligebantur pro* confectione articulorum communium.

4. *Natio Picardorum solum Jun.* 1 *ambassiatorem,* Joh. Haneron, *elegit* (ibid., p. 16), *facultas decr. Aug.* 14 (Mem. fac. decr., *fol.* 183b). *Nomina ambassiatorum vid. in* Chartul., IV.

difficultas de uno franco, quem dixit idem Oliverius se dedisse magistro Petro de Gouda quondam receptori dicte nationis, qui tamen illum francum non computavit, sed tantum computavit octo solidos pro capis rectorum; ideo quantum ad illum natio recurret ad mag. Petrum de Gouda aut ad magistrum Oliverium dictum, secundum quod sibi secundum dictamen rationis videtur expedire.

1437

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio nationis XIX^a Junii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; et quoad hoc continuatus fuit antiquus. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Et quoad hoc supplicavit procurator, ut in actis haberetur gratus, quod erat concessum [1].

Facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum anno superius descripto, septima Julii, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum Bomundi bedelli quoad misias et receptas domus *cornu cervi*. Et quoad illum articulum computavit Bomundus in presentia nationis, et recepte sue ascendebant forte misias in tribus libris parisiens. vel eo circa. Voluit circa hoc natio, quod secundum conclusionem nationis primo habitam materialia domus venderentur, et ponerentur in archa nationis pecunie inde venientes; sed quia ibidem unus magister, scilicet Laurencius de Thuna, deliberavit, qualiter non sibi placebat, quod venderentur, et quod procurator nationis se intromitteret : ideo conclusione nationis stante in robore procurator se exoneravit de singulis contingere debentibus circa dictam domum et protestatus fuit, quod si per negligentiam venditionis lignorum fieret eorum putrefactio aut aliud dampnum accideret circa dictam domum, quod hoc sibi nullomodo imputaretur, quia multos labores sustinuit pro utilitate dicte domus, et de illis non reportavit nisi oblocutiones. Et de illa exoneratione petiit a domino Hermanno Fabri [2] sibi fieri unum instrumentum. Voluit insuper natio, quod *domus provincie edificaretur* et quod singuli debentes aliquid domui provincie solverent, vel quod citarentur ad dominum rectorem. Inhibuit etiam natio omnibus magistris ne quidquam de factis nationis extra nationem revelarent. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum supplicavit dominus Hermannus, ut natio dimitteret eum exercere suum officium, ex quo alius erat loco sui tantum substitutus. Quam supplicationem natio concessit, a quo tamen Nicolaus appellavit; cujus appellationi tamquam frivole non deferebatur.

1437

[Continuatio ejusdem.]

(*Fol. 58*) Facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum anno XXXVII°, die XXVI^a Augusti, super duobus articulis. Primus articulus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus. Quantum ad secundum supplicavit idem procurator, ut in actis per eum habetur gratus, avoatus, etc.; quod fuit concorditer concessum.

Facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum die 7^a Septembris super duobus articulis. Primus erat ad disponendum accelerationem rotuli et concernentia ipsum. Et quantum ad hoc voluit natio, quod rotulus ingrossaretur per Hermannum subbedellum, et dedit receptori nostro in commissis, ut emeret pergamenum et cetera concernentia ipsum. Placuit ulterius, quod natio, si non posset habere pecunias ad stipendiandum in promptu suum portitorem rotuli, quod obligaret se natio coram notariis Castelleti vel aliis quibuscumque notariis suo portitori in summa superius per nationem conclusa. Secundus erat super supplicationibus et injuriis; et quoad illum nullus supplicavit.

Facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum ipso die sancti Mathei super pluribus articulis. Primus articulus est ad eligendum novum receptorem; et quoad illum secundum pluralitatem vocum electus fuit magister Albertus Vorden in receptorem [3]. Alius articulus fuit ad audiendum compotum domini receptoris; et quoad illum ascendit recepta usque ad XVI libras, VIII denarios, et misia ad XII libras, XV solidos, et sic excessit recepta misiam in summa trium libr., quinque sol. et VIII den. Et convivavit natio in camera domini procuratoris, et exposuit XXI sol., X den. Voluit insuper natio, quod mag. Johannes de Pallacio esset substi-

1. *Jun.* 23, *ut e* lib. receptoris, *fol.* 23b *concludimus*, Egidius Houdebin *in rectorem electus est. De* Houdebin *vid. infra ad an.* 1443, *Martii* 9.

2. *Qui interim reversus erat.*

3. *Ms. add.* secundum pluralitatem vocum.

tutus in procuratorem loco magistri Alberti usque ad novam electionem procuratoris. Alius articulus erat ad distribuendum scolas; et fuerunt distribute

scole majores mag. Alberto Vorden,

et postea mag. Roberto Esschinc

et alie mag. Johanni de Pallacio.

Alius articulus erat ad ordinandum de bedellis; et quoad hoc placuit nationi continuare Bomundum bedellum in officio, similiter Hermannum Fabri, cui prolunc dedit virgam argenteam in regimen. Quoad ultimum articulum, qui fuit super supplicationibus, supplicavit receptor, ut ejus recepta haberetur grata et supplicavit procurator, ut haberetur gratus in actis per eum, et lecta fuerant sua scripta. Que supplicationes erant concesse.

1437

Electio magistri Johannis de Pallacio in procuratorem, Trajectensis diocesis de Daventria.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° 37°, 23ª die mensis Septembris, super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum uniformiter electus fuit mag. Johannes de Pallacio. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut in actis per eum haberetur gratus, avoatus et recommendatus; et supplicavit procurator novus, ut nacio sibi vellet dare auxilium, consilium et favorem in agendis per ipsum. Quorum supplicaciones fuerunt concorditer concesse [1].

1437

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregacio nacionis in Sancto Maturino anno 1437°, 21ª die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit antiquus concorditer nemine reclamante. Quoad secundum supplicavit procurator, ut in actis haberetur gratus, avoatus et recommendatus; quod erat unanimiter concessum.

1437

[Continuatio ejusdem.]

[*Fol.* 58ᵇ] Facta fuit congregacio nacionis in Sancto Maturino anno Domini 1437°, 18ª die mensis Novembris [2], super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat ad providendum de festo sancti Eadmundi regis, quod est festum nacionis principale. Et tercius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit concorditer antiquus. Quoad secundum placuit nacioni celebrare prefatum festum solempniter tam in divinis quam in conviviis. Et quoad provisionem fiendam nacio supplicavit mag. Roberto Esschinch, ut assumeret onus providendi de prandio cum domino Hermanno subbedello, cujus locus deputata fuit camera mag. Alberti Vorden tunc receptoris. Quoad tercium supplicavit procurator ut in actis per ipsum occasione officii haberetur gratus, avoatus et recommendatus; que sibi concedebantur, eique placuit nacio[ni] dare assistenciam, auxilium, consilium, favorem, etc.

1437

Electio magistri Roberti Esschinck de Zwollis in procuratorem.

Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Julianum anno 1437°, 16ª die Decembris [3]

1. *Octob.* 10 *in rectorem electus est* Joh. D'Aucy (*ms.* Danchy) *e* lib. receptoris, *fol.* 24 b. BUL. V, 921 : Robertus Ciboulle.

2. *Nulla mentio fit, quod Carolus VII Novemb.* 12 *civitatem Paris. ingressus sit, primum post* 19 *annos. Vid.* BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. III, p. 51 *sqq. Ad proponendum caram rege Universitas elegit* Nicolaum Midi, *mag. theol. et can. Rotomagens.* (*lic. in theol. an.* 1423, *i. e.* 1424). *Proinde* Nicolaus *an.* 1437 *a morbo leprae* (*propter quam an.* 1436, *Jan., Eugenio IV supplicat, ut canonicatui renuntiare possit cum reservatione pensionis, quia sine scandalo non possit cum aliis conversari.* Suppl. Eugen. IV, n° 312, *fol.* 19) *jam sanatus erat. Et certe non per longum temporis spatium lepra percussus erat, nam an.* 1433, *Martio, etc. ut rector Universitatis Lovaniens. occurrit* (Fasti academici stud. Lovaniens. 1650, p. 35). *Ex quo apparet relationem de ipso in* Processu rehabilitationis Joh. d'Arc (QUICHERAT, Procès, III, 165), *non omnino veram esse, ubi dicitur*, quod omnes qui de morte ejus (*Johannae*) fuerunt culpabiles, morte turpissima obierunt, puta ipse mag. Nicolaus Midi lepra post paucos dies (*i. e. post* 1431, *Maii* 30) percussus est, et episcopus mortuus est subito.

3. *Dec.* 16 *in rectorem electus est* Guillelmus Bouillé (*de quo infra ad an.* 1444, *Nov.* 8), *e* lib. receptoris, *fol.* 24 b. BUL. V, 921 : Jac. Galeti. *Postea* Lud. Bailly *ap.* BUL. *unicus an.* 1438 *est, nullumque alium affert usque ad an.* 1439, *Jun. Ast in* lib. receptoris, *fol.* 25 b, *duo annotantur*, Guillelmus Rosseler (*sic*) *et* Philippus de Longolio; *verisimiliter ad an.* 1438, *non ad an.* 1439 *pertinent.* Guillelmus Rousselli, *nepos Radulphi Rousselli, archiepisc. Rotomag., an.* 1449, *Mart.* 20, *ut lic. in leg. et rector Univers. Cadomens. occurrit* (Suppl. Nicol. V, n° 428, *fol.* 5).

super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad hoc fuit electus mag. Robertus Esschinck de Zwollis. Secundus articulus erat super supplicationibus et injuriis; et quoad hunc articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus in actis suis; et electus ut sibi natio daret consilium, auxilium et assistentiam in omnibus agendis; quorum supplicationes erant concesse concorditer.

Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno quo supra XXXI^a die Decembris, que erat ultima ejusdem mensis, super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum quosdam bacularios aliarum Universitatum. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum supplicavit primo dominus Andreas de Durisder, diocesis Glasguensis, oriundus de Scotia [1], quod cum ita esset, quod gradum baculariatus susceperit in Universitate Sancti Andree in Scocia, quod natio vellet eum pro baculario recipere, salvis tamen juribus nationis. Et ad idem supplicavit dominus Jacobus Wynthorst, diocesis Bremensis natus de Hamborch, bacularius Coloniensis [2]. Quorum supplicationes natio concessit, salvis juribus ejus, viso quod verisimiliter probaverunt se illos gradus in predictis Universitatibus recepisse. Quoad secundum articulum nulle preter has erant supplicationes.

Sequuntur nomina baculariorum receptorum per nationem.

Primo receptus est dominus Andreas de Durisder, diocesis Glasguensis, determinans sub magistro Roberto Esschinck, cujus bursa valet XII sol.

Receptus est dominus Jacobus Wynthorst, diocesis Bremensis, sub eodem, cujus bursa V sol.

1438

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 13^a die Januarii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum fuit concorditer continuatus antiquus procurator mag. Robertus Esschinck. Quoad secundum supplicavit, ut haberetur gratus et acta sua more solito. Cujus supplicatio erat concessa. R. Esschinck.

(*Fol. 59*). Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini 1437°, 4ta die Februarii super tribus articulis. Primus erat super electione temptatorum pro baculariandis et pro mensibus distribuendis pro examine Sancte Genovefe. Secundus articulus erat super moderatione cujusdam juramenti quod jurat procurator in sua institutione. Tertius articulus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum voluit natio servare ordinationem antiquam, videlicet pro baculariandis audiendis, electus fuit senior non regens magister Johannes Bonroet [3], senior regens magister Johannes de Pallacio, receptor et procurator. Qui quatuor juraverunt in presentia nationis juramenta solita. Similiter pro mensibus distribuendis voluit natio quod senior magister preferretur juniori. Quoad secundum articulum proposuit procurator nationi, quod juravit in sua institutione, nullum expedire pro eundo ad temptamen, etc. [4], ut habetur inter juramenta procuratoris; et quod multi erant bacularii, qui non poterant docere suos libros audivisse per cedulas magistrorum, sub quibus audiverunt; quare salva sua conscientia predictis non poterat expedire sigillum procuratorie; ideo voluit habere ordinationem nationis, quid in hac re esset acturus. Et quoad hoc ordinavit natio, quod sufficeret, visis temporibus, quod jurarent cum duobus testibus, se illos libros audivisse. Quoad tertium nullus supplicavit.

1438

Continuatio ejusdem.

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 10^a Februarii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum.

1. *Post tot annos iste primus est, qui nationi Alemaniae nomen suum dedit.* Andreas de Durisder *fuit de nobili genere, et an.* 1448 *vicarius de Kilpatric Glasguens. dioec.* (Suppl. Nicol. V, n° 419, *f.* 172).

2. *Inde a* Budinszky, Die Universität Paris, p. 137, *et post eum a* Keussen, Matrikel, I, 296, *not., ut bacc. Coloniens. affertur. Sed e* lib. receptoris, *fol.* 25, *fuit bacc.* Rostoccens., *et revera in* Matrikel der Univers. Rostock, *ed.* Hofmeister, I, 54, *ut bacc. Rostokcens. ad an.* 1435 *annotatur; an.* 1436-1437 Coloniae *intitulatus est.*

3. *Ut ex hoc apparet, iste antiquus magister nationis, de quo in tom.* I, p. 713, *not.* 2, *et qui jam fuit legum doctor et lic. in decret., ab Universitate* Rostokcensi *Parisios rediit et suum nomen iterum nationi dedit. Parisiis remansit, donec an.* 1446 *Coloniam profectus sit.*

4. « Nisi per cedulas magistrorum probaverit, se audivisse suos libros ». *Hoc juramentum nondum continetur in antiquis juramentis,* Chartul. II, p. 672, *editis.*

Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum concorditer continuatus fuit antiquus magister Robertus Esschinck. Quoad secundum articulum supplicavit procurator, ut haberetur gratus in actis et acta sua grata, etc. Cujus supplicatio fuit concessa.

1438

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum anno 1437°, 10ª Martii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator mag. Robertus Esschinck. Quoad secundum supplicavit procurator ut in actis per eum haberetur gratus et scripta sua grata. Cujus supplicatio fuit concessa.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Primo licenciatus est dominus Mento Hof, diocesis Trajectensis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Hermannus de Berken, diocesis Sambiensis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Godfridus Rodenberch, diocesis Monasteriensis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Sequitur nomen determinantis hujus anni.

Dom. Johannes Scriptoris, diocesis Trajectensis, sub mag. Olavo Magni, cujus bursa IIII sol., et pro scolis XXX sol. Dedit sibi natio terminum solutionis usque ad festum sancti Johannis Baptiste.

Sequuntur nomina incipientium istius anni.

Primo dom. Mento Hof, diocesis Trajectensis, sub mag. Alberto Vorden, cujus bursa IIII sol.

Dom. Hermannus de Berken, diocesis Sambiensis, sub eodem cujus bursa IIII sol.

Dom. Godfridus Rodenberch, diocesis Monasteriensis, sub eodem, cujus bursa IIII sol. Dedit sibi natio terminum solutionis usque ad festum sancti Johannis Baptiste et similiter Mentoni.

R. Esschinck.

1438

(*Fol. 59ᵇ*) Procuratoria mag. Roberti Esschinck de Zwollis, Trajectensis diocesis.

Anno Domini M° CCCC° XXXVII° more gallicano VIIª die Aprilis congregata fuit natio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit concorditer antiquus procurator mag. Robertus Esschinck. Quoad secundum articulum supplicavit procurator, ut in actis per ipsum haberetur gratus more solito. Cujus supplicatio fuit concessa [1].

Sequitur nomen licenciati ejusdem anni.

Dom. Andreas de Durisdar, diocesis Glasguensis, sub mag. Roberto Esschinck, cujus bursa XI sol.

Licenciatus dom. Ulricus Pemel, diocesis Ratisponensis, sub mag. Johanne de Pallacio, cujus bursa nichil.

Sequitur nomen incipientis.

Dom. Andreas de Durisdar, diocesis Glasguensis, sub mag. Roberto Esschinck, cujus bursa XI sol., et pro jocundo adventu II fr., et pro cappis rectorum VIII sol.

Incepit dom. Ulricus Poemel sub mag. Jo. de Pallacio, diocesis Ratisponensis, cujus bursa nichil. Solvit pro jocundo adventu et cappis rectorum XXX sol.; pro residuo dedit sibi natio terminum Nativitatis Domini.

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum IIIIª May anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris; secundus erat communis

1. *April.* 23 *in Universitate conclusum est, ut* « de singulis facultatibus et nationibus unus ambassiator mitteretur » *ad Concilium apud* Biturigas *celebrandum. Quaelibet facultas et natio elegit suum, at* « natio Almanie non vult habere ambasiatorem pro nunc, quia pauca habet supposita » (Partie des pièces et actes qui concernent l'estat de l'Université de Paris, *rec.* VIII, *alibi* VII, p. 31, *ubi etiam nomina ambassiatorum*). *De hoc celebri Conventu vid.* Hefele, Conciliengesch., VII, 762 *sqq.*, Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. III, p. 352 *sqq. De* pragmatica sanctione, *in hoc conventu promulgata* (*Jul.* 7), *infra ab an.* 1441, *Sept.* 2, *saepe agitur.*

super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum auditus fuit compotus primus domini receptoris, cujus recepta ascendit ad summam XXIII lib. par., XVI sol., VIII den., et misia ad summam XVIII lib., X sol., et sex den.; et sic recepta excedit misiam in quinque libris par., VI sol. et II den. in hiis comprehendentur resta prioris compoti; que pecunie manserunt in manibus domini receptoris ad faciendum facta nationis. Quoad secundum articulum primo supplicavit dominus receptor mag. Albertus Vorden, ut natio haberet compotum ejus gratum et acta per ipsum in ejus receptoria et similiter ipsum. Cujus supplicatio fuit concessa. Deinde supplicavit dom. Boemundus, ut sibi expediretur francus debitus ex parte bursarum licencie et magisterii mag. Georgii Zvinnemers, et annuit natio ejus supplicationi. Placuit etiam nationi dare terminum solutionis Ulrico Pomel, dummodo se obligaret sub pena de nisi soluturum infra Nativitatem Domini. Ita se obligavit pro summa X francorum in toto. In eadem etiam congregatione lecta fuerunt statuta nationis more solito.

1438

[Continuatio ejusdem.]

Facta fuit congregatio V^a^ May nationis Almannie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad hoc continuatus fuit antiquus. Secundus erat super supplicationibus. Supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et acta sua; cujus supplicatio fuit concorditer concessa.

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum XVII^a^ May anno XXXVIII° super duobus articulis. Primus erat super aliquibus concernentibus officium subbedellatus. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum presentavit subbedellus dominus Hermannus Fabri virgam nationi, quia erat recessurus; et quoad eam ordinavit natio quod ad archam securiorem nationis poneretur. Quoad secundum articulum supplicavit dominus Hermannus, ut natio haberet ipsum gratum, recommendatum et acta per ipsum in suo officio, et quod sibi daret licenciam repatriandi, quia compulsus erat, et eum continuaret in officio suo. Cujus supplicationes natio concessit; habuit ipsum gratum et placuit ipsum continuare usque ad aliam ordinationem nationis in suo officio.

R. Esschinck.

1438

(*Fol. 60*) Procuratoria magistri Roberti Esschinck de Zwollis, diocesis Trajectensis.

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum II^a^ Junii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quoad hunc continuatus fuit antiquus mag. Robertus Esschinck. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Supplicavit procurator, ut haberetur gratus et acta sua more solito; quod erat concessum.

Facta fuit congregatio nationis Almannie apud Sanctum Maturinum prima Julii anno XXXVIII° super duobus articulis. Primus erat visa paupertate nationis ad ordinandum de sumptibus et expensis nationis, tam in divinis quam in aliis. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum, quia natio quasi nullas habebat pecunias, nec fuit spes habendi, eo quod *nullum habuit scolarem sue nationis Parisius in artibus studentem*, voluit moderare hujusmodi expensas. Et quoad hoc ratificavit statutum de modo eligendi procuratorem omni mense absque expensis seu potationibus nationis. Quoad servicia in divinis voluit omni modo possibili continuare missas et vesperas nationis, sic quod pro missa et vesperis simul curatus haberet II sol., bedellus IIII albos, et subbedellus II, procurator II albos, et magister quilibet 1um album, pro oblacionibus nichil, sed quilibet hoc faceret secundum propriam devotionem. Ampliores expensas pro nunc facere non potuit nec voluit usque ad festum Eadmundi regis; tunc super hiis convocanda secundum suum facultatem pro tempore futuro ordinaret. Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

Item in isto latere nichil plus continetur, sed vertatur folium et videbitur sequens procuratoria [1].

1. *A mense Julio an.* 1438 *usque ad an.* 1439, *April., natio Alemanniae, ut infra ad Maii* 15 *scribitur, absens fuit, i. e. omnia supposita ejusdem abierunt, et quidem propter mortalitatem et tota Universitas quasi extincta, sed magis natio Anglicana quae, ut e superioribus patet, etiam excusso Anglorum jugo, non multum incrementi cepit. In causa fuerunt* les écorcheurs, « a quibus undique circumvallata (Parisiaca urbs), vastatis circumquaque agris et nudatis cultoribus, in talem iterum calamitatem perducta est, que etiam illi, quam sub imperio Anglorum constituta a Francis pertulerat, a veris rerum estimatoribus multo gravior putaretur. Majorem enim suorum civium tunc passa est diminutionem propter annone caritatem et molestias infinitas, quam bactenus fecisset. Permansit autem in ea miseria invalescente semper in deterius per annos multos, cum nullus ordo seu disciplina in armigeris Francie servarentur » (Thomas Basin, Hist. des règnes de

1439

(Fol. 60^b) Procuratoria[1] magistri Jacobi Winthorst[2] de Hamborch, Bremensis diocesis, in Saxonia.

Facta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini 1439, die 27^a Aprilis, super tribus articulis. Primus erat propter absenciam nacionis ad reincipiendum. Secundus ad eligendum procuratorem. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum *nacio* tempore et loco quibus supra *fuit reincepta*. Quoad secundum electus[3] erat mag. Jacobus Winthorst de Hamborch in procuratorem. Quoad tercium nullus supplicavit.

Facta congregatione facultatis artium anno quo supra, 7^a die May, in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat propter factum magistri Pauli de Slavonia. Secundus communis super supplicationibus. Quantum ad primum consideravit venerabilis facultas artium, quomodo mag. Paulus esset receptus ad facultatem theologie et eciam admissus tanquam membrum Universitatis per facultatem decretorum et medicine, sic quod deberet procedere ad licencias in predicta theologie facultate. Concluserunt finaliter quod die sequenti fieret super hoc congregacio Universitatis, quia predictus mag. Paulus exclusus a sua nacione, a facultate artium, etiam ab Universitate propter maleficia quedam, supra in isto registro contenta, et minus satisfecisset in ipsis, quare sic in venerabili theologie facultate deberet sic procedere ad licencias, nisi prius se contra predictas emendaret. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta congregacione Universitatis VIII° die May anno quo supra in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat de facto mag. Pauli, et an facultas theologie eum admitteret contra facultatem artium. Secundus erat de rotulo et privilegiis Universitatis, quomodo per collatores beneficiorum ratione rotuli aliis a membris Universitatis fieret collacio. Tercius erat super supplicacionibus. Quantum ad primum conclusum fuit per omnes facultates et consequenter per Universitatem, quod mag. Paulus non admitteretur ad licencias nisi coram plena Universitate et consequenter aliis satisfaceret. Quantum ad secundum deberent fieri super hoc littere ad Concilium et ad curiam et notificari amicis Universitatis. Quantum ad tercium supplicavit unus magister artium, membrum Universitatis, quomodo erat incarceratus et punitus in carceribus ab existentibus in curia episcopi Parisiensis, et petivit Universitatis adjunctionem; quod fuit remissum ad deputatos.

(Fol. 61) Facta congregacione nacionis Almanie XV^a May anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat de istis que respiciebant bona nacionis. Secundus super supplicacionibus. Quantum ad primum nacio resumpta per magistrum Johannem Bunrode[4], doctorem in legibus et licenciatum in decretis, et magistrum Jacobum Winthorst, procuratorem ista vice, deliberavit nacio quomodo diu erat absens per mortalitatem, videlicet ab anno Domini 1438 mense Julii usque ad annum Domini 1439 mense Aprilis, et quomodo esset de bonis et pecuniis nacionis, petivit nacio a Bomundo majori bedello ejusdem nacionis, qui omnia bona nacionis habuit in custodia. Super quibus petitis respondit Bomundus antedictus die sequente computacionem faciendam certa hora in camera procuratoris procuratori de omnibus sibi a nacione traditis et commissis. Quantum ad 2um articulum supplicavit mag. Jacobus Winthorst procurator propter conservare et non deperdere privilegium nacionis in Sorbona, in quantum nacio habet ibi locum, ad percipiendum bursas ejusdem, quod nacio daret sibi litteram recommendatoriam ad conservatorem collegi[i] Sorbone, ex quo nullus de nacione esset ibi bursalis, quod sibi concederentur burse ibidem. Et annuit nacio et sibi concessit[5]. Item supplicavit Nicolaus Treverensis, ejusdem nacionis subbedellus, propter discordiam et quasi violenciam sibi ablata fuit virga nacionis et rejectus a nacione dominus Hermannus Fabri resti-

Charles VII et de Louis XI, t. I, p. 124. *Caeterum vid.* Tuetey, Les écorcheurs sous Charles VII; Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. III, 385 *sqq.*). *Quisnam animum habuit Parisios veniendi? Vix illi qui in partibus vicinis, sed qui in partibus longinquis morabantur, ad quos notitia rerum eventus non pervenit, ut Sueci et illi e Livlandia. Praeterea ab an.* 1438 *gravis epidemia grassabatur, imprimis Parisiis, ubi sec.* Journal d'un bourgeois, p. 342, *plus quam* 45000, *sec.* Johannem Chartier, Chronique de Charles VII, *ed.* Vallet de Viriville, I, 245, *non minus quam* 50000 *mortui sunt, pauperes magis fame quam morbo. Ut alias in similibus occasionibus, sic nunc supposita nationis fugerunt, et qui non fugerunt mortem obierunt, ut* Albertus de Vorden et Robertus Essebink. *Et sic natio Alemanniae per plures menses omnino cessavit, quod nunquam prius evenerat. Caeterae etiam nationes facultatesque tunc omnino debiles erant ut in* Chartul. t. IV *videre possis.*

1. *Quae sequuntur usque ad an.* 1441, *Octob.* 25, *edita sunt a* Jourdain, n° 1272.

2. Budinszky, Die Universität Paris, p. 137, *scribit, illum solum Parisiis remansisse (sic etiam* Keussen, Matrikel, I, 296, *not.), quod minime verum est, nam* Jacobus Winthorst *cum aliis an.* 1438 *fugit, sed primus, cum mag.* Johanne Bonrode, *an.* 1439 *rediit, qui duo, ut ad Maii* 15 *scribitur,* nationem resumpserunt.

3. *Duo magistri erant,* Joh. Bonrode *et* Jac. Winthorst.

4. Jourdain : Bunstad !

5. *Sed solum an.* 1444, *Mart.* 9, *iterum de hoc actum est. Vid. ibid.*

tutus, quod posset reintegrari in nacione et virgam ad honorem nacionis rehabere, quam [1] tamen prius per caucionem factam ad quinque annos habuit in custodia. Respondit nacio quod exerceret officium suum secundum quod esset in possessione; si haberet in hoc contrarium per dominum Hermannum Fabri, ipso reveniente, nacio tunc discerneret per probaciones aut documenta uniuscujusque propter officium obtinendum; preterea de virga faceret fidem et caucionem sufficientem; quod eam rehaberet, faciendo nacioni honorem, ut prius fecit, nacio concessit.

Facta congregacione Universitatis XXII° die May anno quo supra super tribus articulis in Sancto Maturino. Primus erat quomodo quedam privilegia Universitatis infringerentur per aliquos officiarios regis [2]. Secundus quomodo fieret satisfactio Universitati a magistro Paulo de Slavonia in emenda petendo veniam et renunciando omnibus processibus suis, et quod ad Universitatem reciperetur. Tercius articulus erat super supplicacionibus. Quantum ad primum erat conclusum, quod fieret resistencia illis officiariis ad servandum privilegia, et eciam quod conservator Universitatis a rectore Universitatis haberet in mandato, quod officium suum pro Universitate melius expediret, quia videretur esse negligens. Quantum ad tercium articulum supplicavit procurator magister Jacobus Winthorst nacionis Almanie, quod mag. Paulus non reciperetur in Universitate, nisi prius satisfecisset nacioni. Super isto 3° articulo conclusit Universitas, quod mag. Paulus non deberet recipi, et de receptione ejus deberet fieri nova deliberacio. Sic secundus articulus includitur in tercio.

(*Fol. 61*ᵇ) Facta congregacione Universitatis XXIX° die May anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primo pro recepcione magistri Pauli de Slavonia; 2° pro processione Universitatis eundi ad Nostram Dominam. Quantum ad primum proposuit rector, si mag. Paulus prefatus renunciaret omnibus processibus suis tam in nacione, facultate, quam Universitate; et 2° quod fieret processio ad Nostram [Dominam]. Petivit primo a domino decano facultatis theologie [3]. Sine aliqua deliberatione previa statim respondit *placet*. 2° eodem modo a facultate decret. et medicorum decanis, qui eodem modo responderunt *placet*, et sic sine peticione magistri Pauli in Universitate dicebatur quod fuit receptus. Et statim fuit facta processio ad Nostram Dominam, cum qua predictus magister ivit in cappa sua, sicud et alii in theologia baccalarii formati [4].

1439

Continuacio procuratorie mag. Jacobi Winthorst.

Facta congregacione nacionis Almanie secunda die Junii anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primo pro electione procuratoris aut continuatione. 2° pro supplicacionibus. Quantum ad primum continuatus fuit in procuratorem magister Jacobus Winthorst. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus in actis suis, et fuit concessum. Preterea supplicavit Bomundus major bedellus nacioni, ut nacio esset ei in juvamentum contra mag. Gwillelmum Pomerii [5], quia ipse esset constitutus una cum prefato mag. Gwillelmo tamquam executor magistri Alberti Vorden pie memorie, et magister Pomerii non vellet eum intromittere ad quotcumque de bonis suis nec ei quicquam de ipsis bonis tradere. Et nacio adjunxit se Bomundo ei assistendo ubicumque oportunum fuerit. Eciam nacio fecit se cum Bomundo partem ratione debitorum aliquorum, in quibus antedictus pie memorie mag. Albertus Vorden tenetur nacioni, ut reperitur supra anno precedenti in procuratoria magistri Roberti Esschink pie memorie.

Facta congregacione nacionis Almanie, VIª die Junii, anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat [ad] audiendum mag. Guillelmum Pomerii et ad videndum originale testamentum magistri Alberti Vorden pie memorie, cujus dixit se esse executorem. Secundus erat super supplicacionibus. Quantum ad primum nacio fuit avisata super esecucione testamenti, quod mag. Guillelmus Pomerii antedictus ad nacionem tunc portavit, et videbatur nacioni, quod non erat sufficiens testamen-

1. *Ms.* cum.

2. *Certe hic agitur* (*de quo etiam infra*) *de tribus apparitoribus, qui e monasterio Augustinensium mag. theol.* Nicolaum Aymerici *abduxerunt et fr.* Petrum Gougis *occiderunt. Vid.* Dubreul, Le théatre des antiquitez (Paris, 1639), p. 419 *sq. Caeterum alio etiam modo tunc et postea Universitas opprimebatur, ut infra videbimus.*

3. Radulpho de Porta.

4. Paulus de Slavonia *eodem anno in theol. licentiatus est. Vid. supra ad an.* 1426, *Febr.* 11, p. 339, *not.* 3.

5. *Seu* Pomier. *Fuit Collegii Navar., et an.* 1441 (1442), *Febr.* 22, *lic. in theol., an.* 1446 *magister. Libros suos Sorbonae* (*vid.* Delisle, Cab. des mss., II, 153 *sq.*) *et Navarrae legavit* (Launoius, Gymn. Nav. hist., p. 933). *In theol. fuit discipulus* Egidii de Prisches (*lic. an.* 1423 *i. e.* 1424), *qui an.* 1451, *jam ꝗ* 10 *annis aegrotus et in septuagesimo aetatis anno constitutus supplicat, ut suum decanatum eccl. S. Gaugerici Cameracens.* Guillelmus *recipiat* (Suppl. Nicol. V, n° 448, *fol.* 275 b).

tum, sed quedam confusa cedula, et ignorabatur per quem scripta et confecta [esset]. Quantum ad secundum nullus supplicavit[1].

. . . .

1440

[Item[2] anno Domini 1439 die XIII^a Januarii ego Jacobus Winthorst de Hamburgo, mag. in artibus, procurator receptor nacionis, commisi convocari nacionem Almanie in S. Maturino ad eligendum novum procuratorem, receptorem, etc., et sic quia per longa tempora fui solus in nacione et habui multas tribulaciones, et non fuit aliqua pecunia, verum est quando ego solvi bursas meas et totum quod tenebar nacioni ante inceptionem meam, tradidi Boemundo, quia non habui magistrum in nacione, et solvi quinque solidos pro bursis meis, de qua pecunia una cum alia Boemundus fecit compotum nacioni sic quod restabant apud eum III fr. cum VII sol. paris.

JA. WINTHORST.

Facta fuit congregacio nacionis anno Domini millesimo quadringentesimo XXXIX, die XIII^a Januarii in S. Maturino, ego Johannes Bonrode de Lubeke[3], mag. in artibus, licentiatus in decretis et [in legibus] fui electus in receptorem nacionis Almanie venerande, et Boemundus fecit compotum nacioni in epitogio, et restaba[n]t apud eum pro parte nacionis III franci cum VII sol. paris.

Determinantes isto anno fuerunt.

Dominus Andreas Arindi de Swecia, cujus bursa VIII sol.

Dom. Bartolomeus Volturus de Miscena, cujus bursa nichil.]

1440

Fol. 62 Ego[4] Jacobus Winthorst de Hamborch in Saxonia, mag. in art., procurator nacionis venerabilis Almanie, recessurus et solus in dicta venerabili nacione regens, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo, die nona May, una cum bidellis nacionis locavi uni domino de parlamento unum pallacium contra coquinam de domo nacionis, spectans ad eandem domum nacionis, ad XII annos, et quolibet anno pro VI sol. par., et primus terminus instat a festo Johannis Baptiste proximo adveniente, de anno in annum ad XII annos, etc. Et est dicta domus nacionis locata uni textori linifico quasi in facie vici Straminis, et nominatur *in corde coronato*.

Item XI° May ego ex parte nacionis habui a curia rectoris duos commissarios in Navarra, videlicet magistrum Johannem de Oliva[5] et magistrum Jacobum Carpentarii, et cum procuratore nacionis Picardie, videlicet magistro Johanne Berta[6] ad concordandum et appunctuandum me cum magistro Guillermo Pomier, qui est executor magistri Alberti Vorden defuncti, qui dictus defunctus legavit in suo testamento omnia debita sua, que sibi tenebantur, nacioni Almanie et collegio Sorbone mediatim. Et dictum Pomerii requisivi coram istis dictis commissariis, quod traderet michi de XVI nobilibus auri anglicanis medietatem, quam pecuniam post mortem defuncti recepit a Badewino Hak, qui tenebatur dicto defuncto dicta XVI nobilia, et etiam medietatem de VI saluciis que eciam fuerunt debitum dicti defuncti; que salucia Pomerii ipsemet de facto ut debitum tenebatur. Respondit breviter, dictam meam peticionem esse vacuam, quia non esset debitum. Ego protestatus coram rectore presente eadem vice et dictis tribus commissariis, quod vellem probare et docere suffi-

1. *Desunt* 11 *menses. Certe* Jacobus Winthorst, *unicus magister in natione, non potuit congregationes facere. An.* 1439, *Septemb.* 7, « supplicavit dom. procurator nationis Almanie (*i. e.* Winthorst) ut Universitas vellet illi dare adjunctionem in quadam causa mota inter ipsum et magistros Collegii Sorbone. Natio (Picard.) et Universitas dedit illi deputatos ad pacificandos ipsos » (Partie des pièces et actes qui concernent l'estat de l'Université de Paris, *rec.* VIII, *alibi* VII, p. 30). *Ad rem scribit in* lib receptoris, *fol.* 26 b : « Item recepi sigillum nationis ut nuntius juratus nacioni me defendendo, et nominavi me *Curd Ostederode* ad evadendum erga inimicos ». *De testamento Alberti de Vorden, et de admissione ejus inter bursarios Sorbonae agebatur. Ex* Inventario bonorum *ap. Bomundum an.* 1425 *conservatorum liquet* (*vid.* p. 321, n° 4), *procuratorem, i. e. Jacobum, quaedam etiam in libro mense Septembri an.* 1439 *scripsisse, quae nunc desiderantur. Idem apparet ex infra an.* 1440, p. 514, 10, *dictis, ubi affertur statutum quoddam hoc tempore conditum et inscriptum, quod tamen desideratur. Omnino proinde concedendum tria folia hic deesse, quae ad quaternum subsequentem* (*nunc ex quinque foliis compositum, cum reliqui integri habeant octo*) *pertinebant. Revera ea sunt tria ab ipso Winthorst abscissa ut Albertus Scriptoris an.* 1442, *Octob.* 2, *narrat.*

2. *Quae desiderantur in* lib. procur., *quodam modo supplentur per* lib. receptoris *in* Arch. nat. Paris., H. 2587, *fol.* 26, *ubi legitur ad an.* 1440, *Jan.* 13, *quod supra abhinc usque* 511, 36, *uncis inclusum est.*

3. *Ubi decanus, nam an.* 1417, *Nov.* 23, *cum esset perpet. vicar. in eccl. par. S. Petri Hamburgens. Bremens. dioec., obtinuit can. et decanatum in eccl. Lubicensi* (Suppl. Mart. V, n° 102, *fol.* 28 ; n° 120, *fol.* 4 b).

4. *Abhinc in* lib. procurat. *Eodem modo illa in* lib. receptoris, *fol.* 37, *narrantur.*

5. *Licent. in theol. an.* 1441 (1442), *Febr.* 22, *Coll. Navarr.* (*cf.* LAUNOIUS, Nav. gymn. hist., p. 936), *postea cancellarius eccl. Paris. Alius est* Johannes Olive, *in jure can. licent., de quo ad an.* 1425, *Jul.* 29.

6. *Seu* Berthe, *lic. in theol. an.* 1449, *Dec.* 15.

cienter esse debitum, et sic dimisi totum, et non potui plus facere in ista causa, sed dixi Baldewino Hak ista. Qui dixit se iturum ad magistrum Michaelem Heberti scribam Universitatis et eidem dicere manifeste et coram quibuscumque, quod dicta XVI nobilia bene solvit execucioni dicti Pomerii ut executori, et quod ipse tenebatur magistro Alberto Vorden defuncto ut verum debitum. Iterum de sex saluciis, ad probandum esse debitum, ostendit inventarium bonorum dicti defuncti, quorum unum habet Boemundus, aliud collegium Sorbone. Et rector Universitatis protunc erat magister Johannes Mileti[1] in Navarra.

Item XIII° May ut supra ego dictus Winthorst, procurator nacionis, inclusi ad archam nacionis in Sancto Maturino cum libris et bonis meis unum saccum de corio seratum, supra quo sacco est una cedula affixa in pargameno in tali forma scripta : « Iste presens saccus de corio seratus, ad quem Boemundus habet clavem, est pro magistro Jacobo Winthorst de Hamborch in Saxonia, et ego Jacobus Winthorst volo, quod presens saccus cum bonis maneat pro venerabili nacione Almanie, si periculum mortis repatriando michi acciderit in itinere; sed si salve perveniam ad partes et secundum voluntatem meam rescribam nacioni aut ejus custodibus, volo quod sicud scribam, sic faciant. Ja. Winthorst. »

Item eodem die confessus Baldewinus Hak coram magistro Michaele Heberti scriba Universitatis, quod XVI nobilia, que tenebatur magistro Alberto Vorden defuncto, est confessus ut verum debitum dicti defuncti, quod debitum bene solvit Pomerii executori defuncti. Item eodem die inclusi presentem librum, qui est registrum procuratoris, una cum libro statutorum ad archam nacionis in ecclesia nacionis nostre Sanctorum Cosme et Damiani, eciam commentum Metaphysice in pergameno sancti Thome pro nacione, et unum librum in papiro ligatum in viridi *continentem epistolas Clamangi* et sermones Vincencii [Ferrerii] pro magistro Jacobo Hattem de Campis, Trajectensis diosesis; et sicud michi scripsit sibi mittere istum librum cum una biblia parva, ego portabo ei bibliam quam capio mecum per viam, secundum quod michi scripsit. Item eodem die presentavi curato ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani, magistro nostro venerabili professori eximio Gherardo Gehe[2], claves procuratoris in presencia Boemundi de Lutrea et Nicolai Laidain, servitorum dicte nostre venerabilis nacionis, quorum unusquisque habet clavem ad archas nacionis in Sancto Maturino et in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, et restituet michi dictus magister noster, cum revenero Deo favente, ut procuratori, si in absencia mea non venerint duo magistri, qui inter se faciant procuratorem nacionis, sicud ad hoc consonat conclusio et deliberacio nacionis supra *per me conscripta et per scribam Universitatis subscripta*[3], qui per nacionem ad ista fuit requisitus. Item eodem die eciam posui in archa nacionis unum sacculum cum una cedula signata in ista forma : « In isto sacculo sunt libri pro duobus Almanis in domo magistri Petri Ritczeri[4], qui tenentur michi Jacobo Winthorst XXX sol. par., cum quibus possunt redimere suos libros, et volo quod ista pecunia vel libri manea[n]t in custodia nacionis pro me. Scriptum anno Domini XIIII^{c} XL, die XIII^{a} mensis May. Ja. Winthorst. »

Item eodem die tradidi Boemundo majori bedello registrum receptoris continens suprascriptum recessum meum, quod protestor sic signo meo manuali, cum pluribus cedulis obligatoriis nacionis.

Ja. Winthorst.

1440

(*Fol.* 62^{b}) Constitucio magistri Alberti Scriptoris nati de Doesborch in procuratorem per facultatem.

Anno Domini millesimo CCCC^{mo} quadragesimo, VI^{a} die Decembris, ego Albertus Scriptoris de Doesborch, Trajectensis diocesis, magister in artibus, reversus fui Parisius[5] animo manendi et studendi in facultate theologie. Dum venirem volui ut filius ad matrem nacionem recurrere, ut una cum aliis, quos credideram invenisse in nacione, facerem et viverem ad honestatem ejusdem. Adivi ergo Bomundum, inquisicionem faciens de singulis, qui *nullum* respondit *esse magistrum nacionis nostre Parisius*, adjungens eciam me posse ire, si vellem, quia nec ego, nec quicumque alius, potestatem possem habere ullam in nacione, nisi venerint duo de minori[6], propter statutum quoddam et ordinacionem quam nuper fecerat nacio in procuratoria magistri Jacobi Winthorst.

1. *A Mart.* 24 *ad Jun.* 23. *Sic etiam in* lib. recept. *fol.* 27, *et* Bul., V, 921. *Ipse an.* 1442 *in episc. Suessionens. electus est, vix* 26 *ann.* (*cf.* Suppl. Eugen. IV, n° 356, *fol.* 209^{b}). *Vid. infra ad an.* 1442, *Nov.* 24. *Fuit bursarius et studens theol. in Colleg. Navarrae. Vid.* Epist. Gerardi Macheti, *fol.* 53^{b}.

2. *Nat. Gallicanae, de quo jam saepius.*
3. *Sed desideratur supra. Vid.* p. 511, *not.* 1.
4. *I. e.* Richeri.
5. *Ut ipse infra* p. 534, 35, *scribit, interim* Coloniae *fuit.*
6. *I. e.* haud minus quam duo.

Ordinatum eciam dicebat ibi, quod ubi prefatus magister Jacobus rediret, ipse solus posset esse procurator et non alius; item quod curatus noster haberet claves procuratoris veniente quocumque solo, nisi contingeret solum venire magistrum Jacobum prefatum. Hanc ego ordinacionem de mente nacionis umquam fuisse credere non valens, petii a Bomundo videre quod diceret scriptum in libro, qui nec librum nec claves nec quidquam michi tradere voluit, nec debuit ut dicebat, nisi plures venirent. Habui idcirco accessum ad magistrum nostrum magistrum Gherardum Ghehe, qui omnibus modis conformiter dixit Bomundo, eo scilicet pacto claves procuratoris sibi traditas fuisse, ut nulli uni soli eas traderet, nisi sepedictus magister Jacobus rediret. Quo audito vehementer indolui (pace constituentium loquar); non hec ordinatio sine maxima lesione libertatis nacionis Almanie facta est. Pedes iterum dati sunt Normanis [1] et aliis, qui sepenumero ad nos venire, adjunctos nobis dare, ubi pauci fuimus, laboraverunt, prout arrestum nobis desuper contra ipsos datum planius portat [2]. Dicunt occasione prememorate ordinacionis, nacioni placuisse quod Gallicus vel alius pro tempore curatus nostre ecclesie Almano in custodiendis bonis nacionis preferatur, si fuerit solus Almanus, ymmo quod bedelli nacionis illi soli preferantur magistro, quia de ordinacione est, quod de tribus clavibus, vel ut verius loquar, cathenis clavium nacionis, quilibet bedellus habeat unam, curatus terciam, magister solus nullam. Dicerent, vellem, ordinatores prefate ordinacionis, quis solus magistrorum nacionis, cui bona nacionis credita sunt, ante ipsos nacionem fraudavit? Que jam causa fuit ita ordinandi, cum non unus obulus fuit in archa? Longe, credo, longe satius esset aliter ordinasse. Parcius dicerem si hanc conclusionem nacionis, cui umquam contradicere neque vellem neque liceret, scirem; unum scio, quod magister Arnoldus [3], is qui predictis interfuisse scribitur, numquam ad hanc ordinacionem se venisse profitetur, ut ipsomet referente audivi.

Sed hiis hactenus. Iterum ad me redeo, quid in hac re fecerim finaliter narraturus. Maturo deliberamine et digestissimo prehabito consilio congregatam facultatem in Sancto Juliano [die XVI Decembris] super electione novi rectoris adivi, longa proposicione premissa requirens, quatenus michi supposito nacionis Almanie in defectu, bene digni expediri facerent claves, libros nacionis et cetera spectantia ad officium procuratoris. Quod concessum fuit concorditer a tota facultate. Voluit tamen nacio Normannie quod semper in tali casu curatus noster pro tempore haberet unam cathenam clavium nostrarum, et inferior bedellus nullam. Quod in reddendo deliberacionem nacionis sue dicente procuratore Normannie, alie omnes occasionem ceperunt dicendi : « Et nobis bene placet quod decetero ita fiat ». Quod ita conclusit magister Johannes d'Aucy [4] protunc rector Universitatis.

Ecce prima stipendia ordinacionis sepedicte, qua illud effectum est, quod decetero nullus solus Almannus cum suis bedellis in quacumque necessitate pro quibuscumque litteris vel instrumentis videndis accessum poterit habere ad archam nacionis sine vocando nostrum curatum, cujuscumque nacionis vel favoris fuerit, sive juratus nacioni sive aliter. Hanc igitur pestiferam et libertatis nacionis non modice ablativam ordinacionem per nacionem bene congregatam dampnari, cassari et annullari expectans, quod brevi semper futurum speravi, nichil in hoc libro de aliis factis in Universitate vel facultate tempore mei usque modo ausus fui redigere in scriptis, ne vicina nimium Cremone [5] scripta mea dampnanda venirent. Aliis adhuc de causis tacui, quas alias referam. Nunc id satis esse reputo, si de non scribendo citius aliqua in parte me purgaverim. Parcant igitur michi, queso, parcant magistri omnes nostre nacionis, si non citius in hoc libro quidquam scripserim; aliter rogo de me dicant quam magister Jacobus Winthorst, qui me dicit perjurum [6] hac de causa. Sibi et omnibus dico, quod predictas causas habui quodque nunquam ante sequentem electionem meam fui juratus procurator in nacione. Deum eciam testor quod nunquam antehac michi constitit procu-

1. *In margine manu posteriori* : Nota iterum de Normannis, qui semper volebant annichilare nacionem nostram.

2. *Vid. supra* p. 478, 47.

3. Arnoldus de Zomere, *de quo supra. Sed vix anno* 1439 *praesens fuit.*

4. *Ab Octob.* 10 *usque Dec.* 16 *rector fuit* Johannes D'Aucy. BUL. *et* JOURDAIN *perperam semper scribunt* Dancy. *Fuit e collegio* Cholet., *an.* 1443 (1444), *Jan.* 20, *licent. in theol.*, *Belvacens. dioec. An.* 1440 *decan. eccl. S. Mellonis de Pontissara* (Suppl. Eug. IV, nº 372, *fol.* 18 b), *ab an.* 1446 *magnus Caroli regis eleemosinarius et thesaurarius capellae s. Biturigis; an.* 1452 *episcopus Lingonens. Vid. etiam* BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. VI, p. 395.

5. *Cf.* VERG. Buc. : Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae! JOURDAIN *non intelligens scripsit* : criminacione*!*

6. *Vid. infra ad an.* 1441, *Octob.* 10. *Ex hoc apparet, Albertum Scriptoris haec omnia non antea scripsisse in libro. Reliquerat integram paginam fol.* 62 b *vacuam, et postea supplevit. Vid. an.* 1441, *Octob.* 21, p. 526, 17.

ratori juramentum esse de redigendo singula acta tempore sui in scriptis. Ut tamen aliqua in parte neglecta redimam, que magis memoratu digna et necessaria videntur, breviter prout anxietas presentis pagine jubet, pauca quedam meo tempore acta conscribam hoc scilicet quod

1441

In principio Januarii [1] anni quo supra, audita informacione magistri nostri magistri Dionisii de Sabrevois [2] qui quasi per biduum auditus fuerat in Universitate, conclusit Universitas *velle stare in obediencia sacri Concilii Basiliensis* [3], nemine reclamante, demptis Normanis et Mendicantibus; nullus tamen eorum formaliter se opposuit conclusioni nec potuisset. Unde magister Dyonisius statim petiit instrumentum. Quod dum pervenit ad aures reverendissimi in Christo patris domini cancellarii archiepiscopi Remensis [4], domini constabularii [5] et plurimorum de consilio regis, vocatis Universitate et magistro Dyonisio, dominus cancellarius acerrime locutus est domino rectori (magistro Dionisio et quasi omnibus nobis astantibus) de ista conclusione, requirens, sicut etiam tercia vel quarta die sequenti requisivit in domo domini constabularii, quod in Sancto Bernardo vocata Universitate per juramentum prius capta conclusio revocaretur. Facta fuit ibi congregacio. Venerunt de consilio regis et de parlamento domini quamplurimi et prepositus mercatorum [6], inter quos habuit verbum eloquentissimus in utroque jure doctor nomine Chiartier [7], cujus proposicio elegantissima et punctiva satis tendebat ad interemptionem conclusionis capte. Deliberacionibus habitis conclusio fuit ista : « *nos stamus ymmo persistimus in obediencia sacri concilii Basiliensis conformiter ad dominum nostrum regem* [8] ».

1. *A Decemb.* 16 *usque Martii* 24, *an.* 1441, *fuit rector* Guillelmus Auberi, *e* Monum. Concil. general. saec. XV, t. III, p. 533, 13. *Recte* Bul., V, 921. Guillelmus *an.* 1441 (1442), *Febr., in theol. lic. est, jam eodem anno* 1442, *Jan., ad Eugenium supplices libellos misit* (Suppl. n° 372, *fol.* 123), *annoque* 1442, *Novemb., in curia Rom. praesens erat* (ibid. n° 394, *fol.* 151 b).

2. *Ms.* Saverbois. Jourdain : Gaverbois*!* Bul., V, 920 : Sabeurois, Launoius, Hist. Navarr. gymn., p. 929 : Sabervosius, *recte* p. 209 : Sabrevois. Quicherat, Procès, *etc.* I, 58, *not.* 2 : Sabevras, Sabreuvras, Sabevrois, Sabevret, de Sabevreto. *In* Mon. Concil. saec. XV, t. II, 15 : Sabrenois. *Ipsemet ab an.* 1456, *quando decanus fac. theol. fuit, semper scribit :* D. de Saberuays (Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5657 c, *fol.* 31 b; 37 b; 44; 57; 65 b; 76; 83). *Intelligendum est* Sabrevois (*fief* cne *de S. Laurent-la-Gâtine; vid.* Dictionn. topograph. du départ d'Eure-et-Loir, p. 161), *nam fuit Carnotens. et in* Suppl. Mart. n° 158, *fol.* 33 *vocatur* cler. dioc. Carnotens. *cum esset mag. art. et bacc. theol. ad an.* 1423, *et ad canon. coll. eccl. S. Mederici Parisiens. aspiraverit. De ipso etiam in* Suppl. Eugen. IV, n° 293 *fol.* 188 b (de Sabreurayo); n° 296, *fol.* 219 (Sabreuais). *Ambassiator Universitatis ad Concil. Basileense* (*vid. ad an.* 1431, *April.* 13), *an.* 1440 *fuit Basileensium* « nuntius ad Universitatem Paris. », *ut* Dionysius Comitis, *baccal. decret., can. eccl. S. Benedicti Paris. scribit, qui an.* 1443 *Eugenio supplicat, ut eccl. S. Severini Paris., qua* Sabrevois *propter inobedientiam, i. e. translationem Concilii ad Ferraram, privatus esse creditur, recipiat* (Suppl. Eugen. IV, n° 384, *fol.* 131).

3. *Ut* Joh. de Segovia *refert* (*vid.* Monum. Concil. general. saec. XV, t. III, p. 532, 25 *sqq.*), Dionysius *pro parte synodi Basileens. in congregatione generali Universitatis Paris. jam Dec.* 22, *an.* 1440, *locutus est. Concilium ore ejus commendat Universitatem, quam exhortatur ut principes, imprimis regem Franciae moneat,* quod semper in vera obedientia ejusdem sacri Basiliens. Concilii persistant, *i. e. ut destitutioni Eugenii IV* (*an.* 1438, *Jan.* 24), *consentiant, et* Felici V, *an.* 1439, *Nov.* 5 *a Basileensibus in papam electo et an.* 1440, *Jul.* 25, *Basileae coronato, adhaereant. Universitas per os rectoris in eadem congregatione hoc promisit. Nullum alium finem congregationes Universitatis in principio Januarii habebant.*

4. Reginaldi de Carnoto.

5. Comitis de Richemont.

6. Michael de Laillier, *ab an.* 1436. *Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 321.

7. *Utique* Guillelmus Chartier, *seu* Quadrigarii, *can. Paris., postea episc. Paris.* (*de quo an.* 1447, *Dec.*), *qui jam an.* 1436, *jur. utr. doctor et ambassiator regis ad Eugen. IV fuit* (Suppl. Eug. n° 320, *fol.* 26). *De aliis* Chartier, *ut* Jacobo *vel* Johanne, *cler. Redonens. vix hic agitur.*

8. *Quae supra enarrantur hucusque ignota erant. Ut intelligantur, sequentia breviter notanda sunt. Not.* 3 *jam scripsimus, Universitatem Paris. papae Felici a Concilio Basil. electo adhaesisse. Sed rex* Carolus VII *an.* 1440, *circa Aug.* 28, *Biturigis Concilium praelatorum et doctorum celebravit, ad quod legati tam Eugenii IV, quam Concilii Basil. venerunt* (*vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. III, p. 371 *sq.*). *Teste* Gerardo Macheti, (Epp., *fol.* 26) *pauci aderant. Septemb.* 2 Joh. de Stampis, *decan. Pictaviens.* (*ab an.* 1446 *episc. Carcassonens.*) *nomine regio pronuntiavit,* regem perseverare in obedientia papae Eugenii, *donec quaestio per tertium quoddam Concilium generale dilucidata esset* (*vid. ad haec* Monum. Concil. general. saec. XV., t. III, p. 511, 9 *sqq.*; Preuves des libertez de l'église gallicane, t. I, *part.* 2, p. 200). *De hoc exstat epistola Caroli ejusdem temporis notae, in qua praeterea omnibus regnicolis suis injungit ut idem sentiant,* en deffendant que nul ne soit sy hardy de dogmatizer ou de precher contre nostredit intention. (Martène, Thes. nov. anecd., II, 1750; Ordonn. des rois, XIII, 321). *Nov.* 21 *rex idem declaravit, et hoc edictum Parisiis an.* 1441, *Jan.* 2, *publicatum est* (Arch. nat. Paris., Livre vieil second du Chatelet, Y 4, *fol.* 49 b; *vid.* Ordonn. des rois, *l. c.*, p. 324). *Nihilominus Universitas Paris., ut e p.* 517, 12, *liquet, eodem tempore declaravit* velle stare in obedientia Concilii Basil., *quod non obstantibus censuris et sententiis Eugenii IV* (*qui Concilium an.* 1438, *Januarii* 1, *Ferraram*, 1439 *Florentiam transtulit*) *suas sessiones continuavit, et Felici antipapae adhaesit. Merito propter hoc Universitas a cancellario Franciae aliisque reprehensa congregationem apud S. Bernardum celebravit, in qua solum conclusionem prius conceptam per adjunctum :* conformiter ad dominum nostrum regem, *moderavit, i. e. Eugenium IV agnoscendo* (*ap.* Beaucourt, *l. c.*, p. 375, *quem relatio* libri proc. nat. Anglic. *fugit,* [*invenitur quoddam* ὕστερον πρότερον). *Sed eo ipso, quod in obedientia Concilii Basil. perseverare voluit, fuit contra Eugen. IV. Et revera legati Universitatis, v. g.* Joh. Pulchripatris, Thomas de Courcellis, Dionysius Sabrevois, *Basileae remanserunt et Felici V adhaerebant.*

Item anteriori nocte quando in crastino debebant fieri vocationes, sex vel octo de intrantibus vim inferebant cuidam meretrici, qui postea venientes dum irent ad cameras capti per clientes ducti sunt ad Castelletum, tandem per amicos redempti in plena facultate in Sancto Juliano veniam petentes, admissi sunt eo pacto, quod non cum suis sociis, sed per aliquot dies post eos licenciarentur. A. Scriptoris.

1441

(*Fol. 63*) Electio magistri Alberti Scriptoris in procuratorem.

Facta fuit congregacio *nacionis Anglicane* anno Domini M° CCCC° XLI°, vicesima sexta die mensis Augusti [1], super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit mag. Albertus Scriptoris. Quantum ad secundum nullus supplicavit preter magistrum Albertum, qui supplicavit, ut nacio sibi daret consilium, auxilium, favorem et assistenciam in omnibus agendis, cujus supplicacionem nacio concessit in forma [2].

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra, tricesima die Augusti, in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad audiendum quamdam bullam et quemdam codicellum missos matri Universitati a summo pontifice [3] per magistrum Anthonium de Boraciis [4] et eciam quasdam conclusiones Universitatis Cracoviensis [5] una cum littera cardinalis Arrelatensis [6]. Secundus super privilegiis et facto Augustinensium. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum De Boraciis non fuit paratus venire, quod tamen non credidisset dominus rector antequam fecit convocare matrem Universitatem. Fuit ergo idem De Boraciis deavoatus ab omnibus facultatibus. Et hoc de prima parte primi articuli. Quantum vero ad secundam ejus partem, regraciata fuit Universitas domino cardinali prefato de communicacione suarum litterarum, et quantum ad factum illarum proposicionum, voluit Universitas, quod communicarentur et distribuerentur omnibus volentibus habere. Quantum ad 2m articulum Universitas reddidit grates domino cancellario [7], domino rectori et dominis deputatis pro laboribus et diligenciis assumptis pro defensione privilegiorum nostrorum et pro expeditione quorundam suppositorum nostrorum incarceratorum propter talias dandas, ad quas erant impositi. Factum Augustinensium [8] fuit remissum ad deputatos. Quantum ad tercium multi erant supplicantes, qui dicebant se creditores Universitatis pro solucionibus de pecuniis illis, quas malefactores Augustinensium debebant dare Universitati. Conclusum fuit quoad hoc quod pro illo tunc adhuc nichil daretur alicui, sed ponerentur pecunie in manibus unius vel duorum, quousque alias super hoc deliberaretur.

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra, secunda die mensis Septembris, in Sancto Bernardo super tribus articulis. Primus erat ad audiendum De Boraciis et illa que apportaverat matri Universitati ex parte summi pontificis [9]. Secundus super privilegiis et facto Augustinensium, et tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum proposuit multa De Boraciis in diffamationem Concilii Basiliensis in sua primordiali proposicione; deinde legebantur que apportaverat; finaliter iterum incepit loqui De Boraciis multa *contra pragmaticam sanctionem regiam* [10], asserens eam

1. *Jun.* 23 Petrus Richerii *in rectorem electus est ex infra Oct.* 8 *scriptis et e* lib. receptoris, *fol.* 28. Bul., V, 921, *perperam* Joh. Amici.

2. *De hoc in* libro receptoris (Arch. nat., H. 2587, *fol.* 27 b) *sic legitur* :

Anno Domini MIIIIc XLIo, die XXVIa Augusti, facta fuit congregatio nac. Alemannie super istis que respiciunt honorem nacionis, quoniam fuerunt *duo magistri duntaxat*, scil. mag. Albertus Scriptoris et mag. Jacobus de Saxonia, qui instituerunt se honorifice ad officia nacionis. Dictus mag. Albertus fuit electus in procuratorem, et dictus mag. Jacobus in receptorem, et nacio iterum per dictos magistros resumpta.

3. *Eugenio IV.* Bul., V, 518 *perperam scribit* a Felice antipapa.

4. *An.* 1431 *et* 1432, *adhuc bacc. in decr., jam can. Cabilonens. et Philippi ducis Burgundiae secretarius* (Suppl. Eugen. IV, n° 260, *fol.* 277; n° 273, *fol.* 249 b; *cf.* Suppl. Mart. V, n° 201, *fol.* 197). *An.* 1431, *Novemb., excommunicatus fuisse dicitur* (*ibid.* n° 266, *fol.* 201 b). *An.* 1439, *Jun., ut cubicularius Eugenii IV, licent. cum rigore examinis in decret., Karoli ducis Borbonii consiliarius et requestarum sui hospitii mag. occurrit, agiturque de cantoria et praebenda eccl. Carnotens. et de incompatibilibus* (Suppl. Eugen. n° 352, *fol.* 102). ***Mense Sept.*** *ejusdem anni ut canon. praebend. eccl. Tornac.* (*ibid.*, n° 355, *fol.* 227), *et adhuc an.* 1441, *Jun., ut devotus Eugenii IV* (*ibid.*, n° 372, *fol.* 89), *an.* 1442, *Sept. ut litterarum apost. abbreviator ejusdem affertur* (n° 379, *fol.* 14).

5. *Vid. has conclusiones an.* 1440 *in* Monum. Concil. general. saec. XV, t. III, p. 535. *Ad haec vid. epistolam* Felicis V, *qui Universitati Cracoviensi regratiabatur, in* Cod. diplom. Univers. Cracov., II, 8.

6. Ludovici Alleman, *primi agitatoris in Concilio Basileensi contra verum papam et pro electione novi, qui tamen* « in odore sanctitatis » *diem supremum obiit.*

7. Johanni Chuffart.

8. *De quo supra an.* 1440, *mense Maio.*

9. *Eugenii IV.*

10. *An.* 1438, *Jul.* 7, *in* Ordonn. des rois, XIII, 267-291. *Ad haec vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. III, 360 *sqq.*

hereticam multis de causis [1]. Ista dicendo non fuit permissus ad plenum loqui que vellet. Quantum ad conclusionem Universitatis pro isto articulo in primo regraciata est Universitas summo pontifici, finalem tamen relacionem magistri Anthonii de Boraciis habuit omnino deavoatam. Quantum ad secundum articulum conclusit Universitas usque ad unguem defendere privilegia sua, et in casu quo non cessarent gravationes suppositorum, Universitas cessaret a lectionibus et predicationibus in instanti. Quantum ad tercium pauce fuerunt facte supplicaciones, que tamen facte sunt concedebantur in forma.

Facta fuit congregacio nacionis anno quo supra vicesima secunda die mensis Septembris super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris magistri Jacobi Winthorst [2]. Secundus erat ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum. Tercius super supplicacionibus. Quantum ad primum reddidit compotum dominus receptor de recepta ultime receptorie sue, et fuit avoatus quantum ad hoc in nacione. Quantum ad secundum prefatus dominus receptor fuit continuatus usque ad unum mensem sub tali condicione, quod daret fidejussores pro recipiendis; et statuit sibi nacio terminum adducendi fidejussores de illa die ad quindecim. Quantum ad tercium supplicavit dominus receptor haberi gratus et avoatus in actis per eum in ultima receptoria sua ; quam supplicacionem nacio concessit. A. Scriptoris.

1441

(*Fol.* 63[b]) Continuacio magistri Alberti Scriptoris.

Facta fuit congregacio *nacionis Anglicane* anno Domini M^mo^ CCCC^mo^ XLI°, vicesima III^a^ [3] die mensis Septembris super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit antiquus ut haberetur gratus et avoatus, et concessa fuit supplicacio ejus.

Eodem die facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat de facto Augustinensium et de facto magistri Anthonii de Borachiis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primam partem primi, propositum fuit pro parte illius principalis malefactorum, quod attento quod jam esset effectus clericus non conjugatus per obitum uxoris, contentus esset dare pro sua parte emende honorabilis viginti quinque libras, si placeret Universitati recipere istam commutacionem; que recepta fuit et conclusa. Quantum ad secundam partem ejusdem requisivit mag. Natalis procurator regius, quod Universitas adjungeret se dominis de consilio regis articulando contra prememoratum de Borachiis ; cujus requesta concessa fuit. Quantum ad secundum

1. Antonius de Boraciis *post an.* 1440 *primus reputari debet, qui ab Eugenio IV missionem receperit contra* pragmaticam sanctionem *agere. Sed nihil profecit, nam, ut scribit* Gerardus Macbeti (Epp., *fol.* 44) : rex satis afficitur observare pragmaticam sanctionem, quam manutenebit, si non per nostros a propositis declinaverit. *An. sequenti, scil.* 1442, *Maii* 25, Petrus de Monte, *episc. Brixiens.* (*ab an.* 1442, *Mart.* 23; Arch. Vat., Oblig. n° 66, *fol.* 58 b), instructiones *ut orator ad regem Franciae recepit* (Arch. Vat., Var. Polit. X, *fol.* 302; *ibid.* LXXXI, *fol.* 523; *arm.* 31, n° 46, *fol.* 320). *Episc. Brixiens., sciens Carolum VII in parte meridionali contra Anglos dimicare, illuc ultimis mensibus an.* 1442 *iter arripuit et Tolosam venit, ibique per diversos menses regem exspectavit, ut* Gerardus Macheti *pluries in suis epistolis scribit. Sed rex in Aquitania contra Anglos stetit et episcopo* « excusationes suas legitimas scripsit » (Epp. Macbeti, *fol.* 44 b). *Rex solum an.* 1443, *Martii Tolosam venit. Sed etiam nunc vix aliquid de hac re actum est; nam* « Pictavis concludetur negotium » (*ibid.*, *fol.* 52 b), *quamvis legatus papae jam prius* (Montisalbani, *Febr.*) *haec verba protulit,* « quod pragmatica sanctio regis sapit heresim » (*ibid.*, *fol.* 53 b), *utique, quod etiam* Antonius de Boraciis *Parisiis dixit. An.* 1443, *Maii* 25, *rex Pictavos advenit, et circa Jun.* 1 « materia legationis jam dicte » *agebatur* (*l. c.*). *Per hoc certa temporis nota habetur, quo tunc coram rege de abolitione* pragmaticae sanctionis *actum est, cum* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. III, p. 380, *solum dicat* 1442-1443. *Eugenius IV per episc. Brixiens. regi Franciae quoad collationem beneficiorum plura concedebat, si* pragmaticam sanctionem *aboliret.* Concordatum *continebat* 22 *articulos, qui exstant manu coaeva in* Arch. Vat., Varia Polit., XXIII, *fol.* 33-34 *sub inscriptione* : Articuli ex parte s. d. n. dom. Eugenii per episc. Brixiens. legatum exhibiti regi Francie et ejus consilio (*et add.* :) et postea ex parte s. d. n. dom. Nicolai per episc. Mindoniens. cum certis additionibus ad majorem supportacionem eccl. Gallic. oblati (*ad haec vid. infra ad an.* 1449, *Sept.* 15, *et an.* 1450). *Iidem articuli exstant in* Bibl. Vat., *ms. lat.* n° 4184, *fol.* 337 *sqq.* (*exemplar episcopi Brixiens.*); n° 4186 ; Florentiae, Laurent. Strozzi, n° 33, *fol.* 215-220. *Sed in istis mstis de quibus nos cl.* J. Haller, *instituti Borussici Rom. membrum, monuit, et qui ea documenta edere in animo habet, articulos* 22 *excipit* Responsio per dominos deputatos a regia celsitudine articulis suprascriptis; *postea* Replicatio oratorum d. papae. *Tandem* Articuli dominorum deputatorum per regem. *In fine episcopus Brixiens. anxius fuit, scribendo :* necesse videtur quod s. dominus noster mittat michi potestatem concludendi et limites ac terminos, quibus debeam concludere, michi significet ne errem in agendis, et pro Deo frangamus istam pragmaticam, quoniam successu temporis majora et ampliora poterunt haberi. *An.* 1444, *Jan.* 15, *iterum* Instructiones *ut nuntius et* legatus de latere *ab Eugenio IV, praesertim quoad bellum inter Francos et Anglos, et quoad collationem beneficiorum recepit* (Reg. Vat. Eugen. IV, n° 361, *fol.* 269-277, *quatuor epp.*). *Fortasse usque ad principium anni* 1445 *in Francia moratus est* (*vid.* Suppl. Eugen. IV, n° 393 *fol.* 10; n° 398, *fol.* 49 b , etc.).

2. *Qui interim Parisios reversus erat.*

3. *Ms.* tricesima III^a^.

receptor noster mag. Jacobus Winthorst supplicavit pro quadam littera recommendacionis pro quodam baccalario theologie, item pro deputatis in quadam causa appellacionis. Cujus supplicaciones Universitas concessit.

Vicesima nona die Septembris facta fuit congregacio nacionis Almanorum super duobus articulis. Primus super quibusdam concernentibus observacionem statutorum ejusdem nacionis. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum proposuit procurator, quomodo reppererat a duobus diebus citra scriptum in quarto folio hujus registri quedam statuta [1], que ut eciam ibi dicitur debuissent lecta fuisse in nacione in die sancti Mathei; et quantum ad hoc petiit procurator, quod legerentur nunc, et petiit excusatus haberi si non ea fecerat legi in festo Mathei, quia per ignoranciam id actum esset. Quod fuit concessum ex toto. Neglexerat eciam procurator in festo Mathei supplicare pro scolis, quare [2] nunc supplicavit pro *scolis artium*, que concesse sunt sibi fidejubente pro eo magistro Ja. Winthorst. Et hoc de primo. Quantum ad secundum supplicavit adhuc dominus procurator, ut haberetur excusatus de hoc, quod non supplicavit pro scolis in festo Mathei, quia ignorancia dimiserat; et concedebatur ista supplicacio sua in forma, sicut alie.

Septima die Octobris congregata fuit Universitas super tribus articulis. Primus ad audiendum litteras imperatoris Romanorum [3] missas ad Universitatem; secundus super facto Augustinensium; tercius super supplicacionibus. Quantum ad primum littere continebant supplicacionem imperatoris, ut Universitas mitteret ambassiatam circa festum Martini proxime futurum ad *concilium* suum *Francfordie* [4] celebrandum, ad ibi consulendum, cooperandum et secum concludendum finaliter super facto deflendissimi schismatis. Quam imperatoris supplicacionem Universitas concessit, regratians eidem super communicacione suarum litterarum et bona ammonicione ad bonum ecclesie. Quantum ad secundum inter illos quinque, qui Augustinensem illum ab anno citra interfecerant, ante conventum Augustinensium ludentes ad baras, duo erant, ni fallor, clientes regis, eque per curiam Castelleti dampnati ad solvendum mille libras et ducentas, et ad faciendum emendam honorabilem, de qua posterius fiet sermo. Hii duo hac vice supplicaverunt vel pro parte eorum supplicatum fuit in Universitate (*Fol. 64*), quod emenda eorum honorabilis commutaretur in utilem, quod unus dicebat fieri oportere, scilicet principalis malefactor, quia a paucis diebus citra factus fuit clericus non conjugatus. Hujus ergo supplicacionem Universitas concessit commutans sibi emendam honorabilem in viginti quinque libras. Alterius supplicacionem non concessit. Et hoc de secundo. Quantum ad tercium supplicaverunt duo pro habendo certas taxas pecuniarum de pecuniis istorum malefactorum, quas quidem taxas seu summas Universitas longis retroactis annis eis debuerat. Eorum instancie solvebantur per illam premissam, quod ambassiatores Francfordiam ituri tenerent istas pecunias.

Octava die Octobris anni quo supra facta est emenda honorabilis per tres illos, qui complices fuerant in homicidio illius Augustinensis, de quo supra, in hunc modum. Congregata fuit solemniter mater Universitas in Sancto Maturino, decani et procuratores in habitibus, ubi rector magister Petrus Richerii, nacionis Normanie, posuit in deliberacionibus, an vellent conformiter ad appunctuamentum cum tribus pretactis malefactoribus initum, illa die in illo loco acceptare emendam honorabilem. Responderunt decani et procuratores sine trahendo se ad partem, quod sic, et quod fieret in portali Sancti Mathurini versus plateam Sancti Jacobi, ut sic expedicius omnis homo videret. Hoc predictis tribus nunciato, venerunt nudi in camisiis, tedam deferentes singuli in manu, ducti a Castelleto per clientem regis sequentibus multis ad Augustinenses primo [5] (ubi quid fecerint nescio, credo tamen quod eodem modo sicut nobiscum), tandem ad Universitatem ante portale predictum, ubi flexis genibus et complosis manibus repetierunt verba, que procurator regius credo eis predixit, confitentes scilicet quod nequiter, maliciose, inhumanissime et sub falso colore justicie, quia cum clientibus erant, ad interfectionem prememorati Augustinensis cooperati fuerant, et quod in illo rei et culpabiles peterent humillime veniam ab Universitate sibi dari propter Deum. Quibus dictis dixit dominus rector : « Ad Deum precipue spectat veniam dare de commissis ; ille vobis parcat et nos ejus amore libenter vobis parcimus. Ite et nolite amplius peccare. »

1. *Supra* p. 296, 36, *edita*.
2. *Bene sic ms.* JOURDAIN *legebat* quatinus.
3. Friderici III.
4. *Cui tamen Fridericus minime adstabat.*
5. *Ibidem etiam flexis genibus, ut in similibus occasionibus moris erat, veniam petierunt, et ita in monumento piacular videtur, quod etiamnum exstat in* Palais des Beaux-Arts *Parisiis, reproductum a* VALLET DE VIRIVILLE, Hist. de l'instruction publ., p. 157; FOURNEL, Le vieux Paris, fêtes, jeux et spectacles, p. 33.

Decima die Octobris anni quo supra congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in rectorem magister Petrus de Vocello [1]. Quantum ad secundum supplicavit rector precedens haberi gratus, avoatus et recommissus in factis per eum. Cujus supplicacio admissa fuit in forma. Item supplicavit dominus receptor nacionis nostre audiri verbotenus et in quodam libello diffamatorio contra suum procuratorem. Verbotenus narrando dixit, procuratorem non procuratorem, sed perjurum, et multa alia. Supplicavit eciam, quod procurator, qui credebat ut dixit intrare, non intraret, quia indignus. Item petiit adjunctionem et recommissionem seu recommendacionem a facultate ad dominum cancellarium venerabilis ecclesie Sancte Genovefe, ut posset restitui in officium quod dicebat esse suum. Littera mirabiliter diffamatoria fuit de perjurio, scilicet de excommunicacione, de apostasia et multis aliis, multa complectens. Quantum ad istas suas supplicaciones omnes fuerunt refutate, et elegit facultas procuratorem ad intrandum. De diffamatoriis libris et libello habuit eum facultas deavoatum, injungens sibi quod decetero caveret dicere et facere talia. (*Fol. 64* [b]) Qui nichilominus reclamans dixit, se velle verificare que dixit, opponens se intrancie procuratoris et appellans ad Universitatem. Nichilominus processum fuit ad electionem rectoris. Verum tamen est, quod ad instanciam magistri Roberti de Molendino, decani Rothnacensis [2] et aliorum quamplurium procurator ad hoc condescendit, ut ubi procurator et receptor, magister Jacobus Winthorst nomine, *soli essent Parisius de nacione Almanie*, in nova intrancia proxime ventura idem receptor intraret. Et sic cessavit de sua oppositione et appellatione dominus receptor. Plura non dicam; alias, fortificata nacione, viva vox supplebit, que jam calamus tacite preterivit. A. Scriptoris.

1441

Sequitur procuratoria magistri Jacobi Winthorst de Saxonia.

Facta congregacione venerande nacionis Almanie anno 1441, die XXI mensis Octobris, in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris aut continuacione antiqui. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem mag. Jacobus de Saxonia. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator mag. Albertus Scriptoris haberi gratus et avoatus de suis peractis tempore sui officii; que supplicacio fuit concessa. Et dictus mag. Albertus Scriptoris eadem vice electus fuit in receptorem, et juravit officio juxta juramenta contenta in libro statutorum dictum officium respiciencia. Preterea, quando fuit dicta electio, debebat antedictus procurator antiquus michi misisse presens registrum unacum libro statutorum et clavibus. Verumptamen dixit se dedisse oblivioni aliquorum verborum non scriptorum in conclusionibus per eum scriptis tempore sui officii [3]; quare permitterem presens registrum una cum clavibus, etc., ad locum collegii sui deportare, quod tunc permisi. Post vero aliquos certos dies per quemdam scolarem michi presentavit. Nichilominus [4] tamen inspiciens sua scripta continencia titulum temporis post annos Incarnacionis Domini 1440 anni et scripta die VI[a] Decembris ejusdem, que quidem multa et diversa continent tangencia meam personam et nacionem. Sed quid breviter superficialiter respondendo ad singula puncta me presente scio dare solucionem legitimam, quoniam est vulgare et racioni consonum, quod absens existens minus quam innocens non debet per scripta vel justiciam aut verba condempnari vel mordicari. Quare contra singula scribere supersedeo et presens registrum nacionis maculare non intendo, sed ipse solus conclusionem nacionis inpungnando et ultra quam nacio voluit se extollendo, in ejus absencia, propter suam promocionem. Istud est quod ego assumpsi et assumo tamquam pro fundamento.

Ja. Winthorst.

Regentes istius anni: mag. Albertus Scriptoris de Duzeborch, Trajectensis diocesis.

Mag. Jacobus Winthorst de Saxonia, Bremensis diocesis.

1441

(*Fol. 65*) Procuratoria mag. Jacobi de Saxonia.

Vicesima [5] quinta die Octobris anno quo supra

1. *Seu* Vaucello, *et sic etiam* Bul., V, 921. *An.* 1441 (1442), *Febr.* 22, *licent. in theol. Jam an.* 1436 *de capiceriatu eccl. S. Stephani de Gressibus Paris. litigabat* (Suppl. Eugen. IV, n° 314, *fol.* 14). *Fuit nat. Franciae, e colleg. Navarrae. Saepe de ipso in* Epp. Gerardi Macheti.

2. *In dioec.* Camerac.

3. *Vid. supra ad an.* 1440, p. 516, *not.* 6.

4. *In sequentibus deest structura sententiarum.*

5. *Sequentia usque ad Decemb.* 16 *non edidit* Jourdain.

facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat super *pracmatica sanctione*. Secundus super una littera de concilio regio pubplicanda, que habuit et continebat clausulas directe contra privilegia Universitatis. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum propter indebitam distribucionem beneficiorum a prelatis contra pracmaticam sanctionem, voluit Universitas quod fieret provisio de uno judice generali, qui haberet cogere prelatos, ut beneficia debite distribuerentur. Quantum ad secundum articulum fuit appellatum per aliquos de Universitate, ne ista littera pubplicaretur. Et pro provisione suppositorum primi articuli, et propter vexacionem et lesionem privilegiorum Universitatis [1] secundi articuli, conclusit Universitas quod dominus rector et Universitas iret ante regem, et quod super istis fieret solempnis proposicio coram ipso [2]. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector, quomodo ipse electus in rectorem per dominos intrantes, supplicavit, quod [3] universe facultates darent sibi auxilium et favorem. Que supplicacio fuit concessa.

JA. WINTHORST.

Die octava mensis Novembris anno quo supra congregata Universitate in Sancto Maturino, dominus rector posuit facultatibus et nacionibus in deliberacionibus suis certos articulos, quorum unus fuit quomodo officiarii [Universitatis] in parlamento et Castileto deberent restringi ad numerum minorem, eciam ad audiendum responsum proposicionis facte coram rege. Alius articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad factum officiariorum voluit Universitas, quod numerus suorum officiariorum non deberet restringi ad minorem numerum. Ipsa vellet suos defendere et sua privilegia ad extremum. Quantum ad supplicaciones supplicarunt Augustinenses expediri de pecunia ipsis deputata de emenda malefactorum, sicud semel conclusum erat per Universitatem; que supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam subbedellus facultatis theologie pro littera regraciatoria ad episcopum Tornacensem; que eciam fuit concessa. Item in eadem congregacione, quando nacio venerabilis Almanie fuit in deliberatis, venit unus scolaris ad nacionem, qui dixit se esse baccalarium in artibus Colloniensem [4], et supplicavit recipi ad nacionem. Ipse vero non habens litteram testimonialem super gradu suo, nacio remisit ad suum juramentum et injunxit ei, si posset habere litteram testimonialem propter majorem certificacionem, quod de ista esset provisus infra annum.

JA. WINTHORST.

Congregata Universitate XVI^a die Novembris in Sancto Maturino anno quo supra super tribus articulis. Primus erat de missione unius littere ad dominum regem. Secundus de privilegiis Universitatis servandis. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati quod mitteretur ista littera, cujus minuta erat lecta, continens factum privilegiorum, precipue *pracmatice sanctionis* [5]. Quantum ad secundum propter molestaciones suppositorum [6] et diminuciones officiariorum Universitatis per concilium regium, conclusum fuit per Universitatem, ut fierent cessaciones [7]. Quantum ad tercium supplicarunt Augustinenses, ut ipsi haberent pecuniam suam de pecunia malefactorum alias ipsis deputatam. Item supplicavit unus librarius [8] adjunctionem Universitatis, qui impositus erat ad X marcarum argenti, propter quod ipse citavit aliquem ad curiam conservatoris. Item supplicavit subbedellus facultatis theologie sibi concedi litteras promotoriales quarum fecit legi minutam. Que omnes supplicaciones fuerunt concesse. JA. WINTHORST.

1441

(*Fol. 65 b*) Continuacio magistri Jacobi de Saxonia.

Venerande nacionis Alemanie facta fuit congregacio in Sancto Maturino anno quo supra, XVIII° die Novembris, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem aut continuandum antiquum. Secundus super disposicione et ordinacione festi nacionis sancti Eadmundi. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator mag. Jacobus de Saxonia. Quantum ad secundum, cum nulle

1. *Senescenti Universitati Parisiensi, quae tunc temporis revera magni nominis umbra erat, grave periculum minabatur, et quidem e sinu ipso Consilii regis. Ut videbimus privilegia Universitatis in dies magis imminuebantur.*

2. *Rex Parisios Septemb.* 25 *venit. Sec.* Journal d'un bourgeois, p. 364, *jam ante Octob.* 25 *profectus erat, sed mense Novemb. iterum revertebatur. Tunc temporis per menses aliquos* Gerardus Macheti, *episc. Castrens. et confessor regis ibidem in theol. facultate lectiones resumpsit et* decani fungebatur officio sicut annosior in gradu (Epp., *fol.* 29 b *sq.*, 32 b).

3. *Ms.* quot.

4. *Vid. infra* p. 529, 3 *et* 542, 34.

5. *Quantum ad beneficia conferenda per praelatos.*

6. *Sive per* tributum vinarium, *sive per tributum* pro facto guerrarum.

7. *Sed vid. infra ad Novemb.* 29.

8. *Ms.* liberarius. *Scil.* Johannes Pocquet. *Universitas se adjunxit Novemb.* 16. *Vid.* BUL., V, 520.

fuerunt pecunie in nacione ad celebrandum festum, conclusum fuit, quod dominus receptor postularet pecuniam ab uno baccalario [1] recepto ad nacionem, qui habuit terminum sue solucionis suarum bursarum super dicto festo venturo, quod anticiparet solucionem suam propter dictum festum celebrandum. Quantum ad tercium supplicavit procurator haberi gratus et avoatus suis de peractis in sua procuratoria; que supplicacio fuit concessa. JA. WINTHORST.

Universitas fuit congregata in Sancto Maturino anno quo supra, die XXIX^a Novembris, super duobus articulis. Primus super privilegia Universitatis, que domini de parlamento voluerunt moderare. Super quo fuit conclusum, quod fierent cessaciones [2]. Secundus erat de distribucione pecunie malefactorum, super qua non habebatur concordia in nacionibus et facultatibus, etc. JA. WINTHORST.

Convocacione Universitatis celebrata in Sancto Maturino die quarto mensis Decembris anno quo supra super tribus articulis. Primus erat ad audiendum instructiones mittendas ad dominum regem per unum ambaciatorem ab Universitate. Secundus de habendo peccuniam ad hanc ambaciatam. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum ex quo fuerunt cessaciones propter non servando (*sic*) privilegia Universitatis, fuerunt confecte certe instructiones mittende domino regi, et fuit ad hoc electus in ambaciatorem mag. Johannes Pain-et-chair [3]. Quantum ad secundum articulum non habebatur concordia de peccunia habenda. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector pro assistencia, si post deposicionem sui officii pateretur repulsam de execucione privilegiorum Universitatis; que supplicacio fuit concessa. Preterea eadem vice in deliberacione venerande nacionis Alemanie supplicavit procurator in nacione antedicta pro litteris recommendatoriis nacionis; que supplicacio eciam fuit concessa. JA. WINTHORST.

In Sancto Maturino fuit congregacio Universitatis decima die Decembris super tribus articulis. Primus erat de facto cessacionis; secundus de ambaciatore ad regem et peccunia habenda; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum dominus rector cum deputatis fuit apud consilium regium propter privilegia nostra, ubi agitabatur materia cessacionis, quod anullarentur cessaciones; ipsi de consilio vellent sua reputare incepta tamquam nulla sed non desistere de inceptis. Super istis fuit conclusum concorditer ab omnibus nacionibus et facultatibus non desistere a cessacione, nisi totaliter desisterent ab impungnacione privilegiorum Universitatis et suppositorum. Quantum ad secundum electus fuit mag. Joh. Pain-et-chair pro ambaciatore ad dominum regem, et de peccunia non habebatur concordia. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector haberi gratus et avoatus in istis que fecit in officio sue rectorie. Iterum supplicavit unus adjunctionem Universitatis pro collegio suo. Preterea supplicavit unus pro littera recommendatoria. Que omnes supplicaciones fuerunt concesse.
JA. WINTHORST.

Celebrata fuit congregacio Universitatis XIIII° Decembris in Sancto Maturino anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum ambaciatorem ad regem et de provisione pecunie; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, ex quo Pain-et-chair non potuit habere licenciam a facultate theologie [4], electus fuit unus alius notus in curia regis, et caperetur peccunia de peccunia malefactorum. Quantum ad secundum unus malefactorum clericus supplicavit deputatos, et fuerunt eidem concessi. Et unus pargamentarius usurpans sibi officium papitarii fuit remissus ad deputatos. JA. WINTHORST.

1441

(*Fol. 66*) Procuratoria magistri Alberti Scriptoris.

Anno Domini millesimo CCCC^mo XLI, decima sexta die mensis Decembris facta fuit congregacio *nacionis Anglicane* in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit mag. Albertus Scriptoris

1. Henrico de Marcxen, *Coloniensi, recepto in nationem Oct.* 21 *e* lib. recept. *fol.* 28 b.

2. *Revera cessabant lectiones et sermones a Novemb.* 30 *usque ad an.* 1442, *Febr.* 18. *Vid.* Journal parisien du prieur Jean Maupoint, *ed.* FAGNIEZ *in* Mém. de la Société de l'hist. de Paris, IV, p. 28. *Cf.* Journal d'un bourgeois, p. 364. *Sed etiam Parlamentum, salariis destitutum, tunc temporis* (*Dec.* 22 *usque* 1442, *Febr.* 19) *cessavit. Vid. ibid.*

3. *Seu* Painechar. *Ms. hic et infra* Pannittzier, *vel aliquid simile. Sec.* Catal. licent. *Johannes an.* 1441 (1442), *Febr.* 22, *licent. est in theol. Sed hoc minime verum est, cum tunc ut ambassiator apud regem fuerit. Revera solum Jun.* 14 *an.* 1442 Gerardo Macheti *scribit, se licentiam magistralem recepisse* (Epp. Gerardi, *fol.* 41). *Fuit Sorbonicus* (*vid.* FRANKLIN, la Sorbonne, p. 229). *An.* 1447, *Mart.*, Joh. « Painechar » *ut canon. Remens. et paroch. eccl. S. Nicolai de Cardineto Paris. occurrit* (Suppl. Nicol. V, n° 409, *fol.* 30), *an.* 1450 *ut poenitentiarius eccl. Paris.* (Arch. nat., LL 117, p. 2).

4. *Quia in proximo licentiandus.*

in procuratorem, et per consequens antiquus dominus procurator in receptorem, quia *ipsi duo adhuc soli erant magistri in nacione*. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator in actis per eum tempore sue procuracionis haberi gratus, avoatus etc.; et similiter supplicavit antiquus receptor, quod fuit concorditer concessum [1]. Eodem die fuit congregacio facultatis artium in eodem loco super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem et intrantes; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in rectorem mag. Johannes Solerii, prior collegii Sorbone [2], et fuit intrans pro parte nacionis mag. Albertus Scriptoris, eadem die electus procurator. Posuerat eciam antiquus rector in deliberacionibus, si placeret dispensare super celebrando congregacionem facultatis tempore inordinario et eciam super faciendo determinantes eodem tempore; quod fuit concorditer concessum. Quoad secundum supplicavit dominus antiquus [3] haberi gratus, etc. Item supplicavit novus rector pro auxilio, consilio, assistencia et favore in agendis per eum, et quod placeret eum associare usque ad domum suam, etc. Que omnia fuerunt concessa. Concluserat eciam hac die facultas ante electionem rectoris, quod rector eligendus haberet jurare, quod poneret ad execucionem novissime conclusa per matrem Universitatem, que hac vice multas vexaciones patitur in facto suorum privilegiorum. Hoc ita facere juravit novus electus. A. Scriptoris.

Tribus vicibus in hac procuratione congregata est Universitas apud Sanctum Maturinum super ambassiata destinanda ad *supremum dominum nostrum regem*, et super supplicacionibus et injuriis. In prima congregacione harum trium; quia Pain-et-chair [4] refutavit ire, electus est de novo quidam magister in artibus de nacione Piccardie. De pecuniis quibus iret non fuit concordia. Quidam dicebant, quod caperentur super bursa currente; alii, quod de pecuniis malefactorum. Et quantum ad hoc supplicavit prior Augustinensium, quod Universitas daret sibi adjunctionem contra nacionem Piccardie, que opposuerat se equali divisioni predictarum pecuniarum inter matrem Universitatem et Augustinenses; que quidem supplicacio non fuit concessa, ymmo tota facultas artium adjunxit se Piccardis.

In secunda congregacione harum trium venit Pain-et-chair ad purgandum se de hoc quod prius electus non ivit, et supplicavit haberi avoatus. Similiter venit alius in jam dicta congregacione electus, dicens, se impossibilatum (*sic*) ad eundum, et supplicavit haberi excusatus. Istius supplicacio fuit concessa, sed Pain-et-chair fuit deavoatus. Et fuit tunc concorditer electus mag. Joh. D'Aucy [5] vel quicumque ydoneus volens ire. D'Aucy statim refutavit. Proposuit hac vice dominus rector quomodo fecerat appunctuamentum cum Augustinensibus de equali distribucione prememoratarum pecuniarum, subtractis tamen primo de totali summa X francis pro matre Universitate. Placuit Universitati istud appunctuamentum.

In tercia et ultima congregacione proposuit dominus rector quomodo ipse cum deputatis fecit tantum cum magistro [Petro] de Brena [6], doctore in decretis, et magistro Joh. Pain-et-chair, qui jam mutavit animum, visa ut dixit eciam ibidem magna necessitate Universitatis, quod irent in facto hujus ambassiate, dummodo tamen eis fieret sufficiens assecuracio de expensis [7]. Et circa hoc dixit Pain-et-chair, quod, cum viginti octo illi franci, qui erant pro Universitate penes [Petrum] Richier, non sufficerent, si Universitati (*Fol. 66 b*) placeret resignare obligacionem sibi datam a malefactoribus super residuo pecuniarum, ipse sciret unum burgensem bene amicum Universitati, qui eo pacto concederet pecunias ad tantam summam. Quod placuit Universitati. Placuit eciam Universitati, quod isti duo irent, prestito

1. Jourdain, p. 267, *a principio rubricae usque* concessum *edidit.*

2. Bul. V, 921, *in sua* Nomenclatura *perperam* Johannes Oliva. *Joh. Solerii an.* 1445 (1446), *Febr.* 7 *licent. est in theol.*

3. *I. e.* rector antiquus. *Hac et sequenti tempestate saepe sola voce* domini *usi sunt ad designandum rectorem.*

4. *Ms.* Pennechar, *et sic postea.* Char *in hac forma idem est ac* chair. *Sic etiam in* Journal d'un bourgeois, p. 386, *not. scribitur* Penchard. *Ad hunc vid. infra ad an.* 1446, *Martii* 11.

5. *Ms. hic et postea* Doucy.

6. *Duo fuerunt, senior et junior (nepos ejusdem; vid.* Suppl. Martin. V, n° 158, *fol.* 33). *Senior jam an.* 1421 *licent. in decr. pro canon. Bajocensi supplicavit (ibid.* n° 146, *fol.* 231). *An.* 1425, *cum esset decr. doctor, ut cantor Lingon. affertur* (Delisle, Cab. des mss., II, p. 219; 375), *postea decanatum Belvacens. obtinuit, quem an.* 1439, *Sept., cum cantoria et canonicatu Belvacens. Jacobi Juvenal. des Ursins commutavit, de quo passim in* Suppl. Eugen. IV, *v. g.* n° 355, *fol.* 282; n° 363, *fol.* 253 b. *In gravem errorem incidit* Launoius, Hist. Navarrae gymn., p. 546 *et* 927, *dicendo istum* Petrum de Brena *fuisse etiam doctorem in* theologia, *afferendo quamdam epistolam* Gerardi Macheti. *Sed Launoius magnae confusionis auctor est quantum ad epp. Gerardi Macheti, inscriptionem ad calcem uniuscujusque epistolae referendo ad epistolam sequentem, cum tamen ad praecedentem pertineat. Sic in nostro casu epistola* (Epp. Gerardi, *fol.* 39) *directa est ad* Petrum de Vaucello, *qui an.* 1441 (1442) *licent. est in theol., non ad* Petrum de Brena. *Ex ista confusione ortum est, cur Launoius episcopum Brixiensem, legatum papae* (Petrum de Monte), *ut sodalem collegii Navarrae afferat* (p. 550; 931) *aliaque gravissima.*

7. *Universitas eisdem litteras an.* 1441 (1442), *Jan.* 8, *signatas dedit. Vid.* Bul., V, 521.

tamen juramento fideliter more solito [1]. In fine congregacionis supplicaverunt hac vice duo gravati per nostros adversarios pro adjunctione; quorum supplicaciones concesse sunt.

1442

Nona die Januarii facta fuit congregacio *nacionis Anglicane* apud Sanctum Maturinum [2] super duobus articulis. Primus erat super statu et conservacione meliori tocius nationis; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum requisiti sunt bedelli per juramentum nacioni prestitum, ut tam de mobilibus quam immobilibus bonis nacionis redderent nos certos. De mobilibus, quia pro majori parte in archis erant, remiserunt nos ad archas, quas conclusit nacio non tunc, sed veneris proxime sequente visitare. Immobilia omnia et singula dixit et nominavit nobis Bomundus hac vice. Que omnia cum eciam mobilibus sequente die veneris compertis videri poterunt, ubi scribuntur in penultimo folio hujus registri. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

A. Scriptoris.

[Inventarium bonorum nationis.]

(*Fol. 201*) [3] Anno Domini M° CCCC° XLI, mensis vero Januarii die XIII [4], requisivi ego Albertus Scriptoris, procurator per id temporis venerande *nationis Anglicane* in studio Parisiensi, bedellos ejusdem nationis per juramentum et me et quemdam alium magistrum nomine Jacobum Winthorst, *qui tunc solus mecum in natione fuit magister*, ut tam de mobilibus quam immobilibus bonis nationis redderent nos certos. Ex quorum quidem certificatione quod comperire potui, pro majori conservatione nationis sic ut sequitur scripto redegi.

In vico Straminis natio habet duas domos, in quibus sunt octo scole. Una domorum vocatur *magne scole*, que debet in Sancta Genovefa XXX sol. par. Alia vocatur *scole septem artium* et debet cuidam scutifero nomine Romoneto de Viltin [5], triginta sex sol. par. et apud Sanctam Genovefam VII sol. VI den., et credo hos VII sol. et VI den. esse pro fundo terre tam de magnis scolis quam de istis.

Item pro Danis est domus quedam in vico Galandrie prope vicum Straminis in intersignio *pomi rubei*, cum uno parvo domistadio [6] a parte posteriori prope coquinam. Quod quidem domistadium locavit Winthorst anno XL° pro VI sol. annuatim usque ad XII annos futuros cuidam militi, locatio facta fuit in festo Johannis Baptiste et debebit in festo Johannis futuro pro duobus an[nis XII sol.]. Debet prenominata domus IX lib. cum X sol. par. canonicis Nostre Domine. Bomundus dicit... lib. et... sol. (*sic*) Poterimus loqui cum incola ad sciendum.

Item alia est domus que nec est pro natione nec pro provincia, sed pro ecclesia Scarensi in regno Suecie, in vico Brunelli *ad ymaginem Nostre Domine* superior (*sic*). In qua jam Bomundus moratur. Item alia sub eodem tecto, in qua noster receptor Winthorst moratur; de quibus omnibus nos videbimus, ut promisit Bomundus, litteras in quibus, ut dicit, cave[tur] quod in casu ubi nullus esset, natio haberet interesse. Domus iste due sub eodem tecto nichil debent omnino.

Item in vico sancti Hilarii, ante collegium Lumbardorum, est una alia domus que nec est pro natione nec pro provincia, sed pro Lincopiensibus in regno Suecie. Que corruit, et sunt ligna et hujusmodi penes Bomundum, que quidem domus debet V sol. IIII den. par. et obulum seu nigretum curato ecclesie sancti Hilarii. Littere sunt penes Bomundum. Item littere de *scolis* nostris *magnis* sunt penes Bomundum. De litteris scolarum *septem artium* nescit Bomundus ubi sint [7].

Item super absentibus magistris et nullo nostre nationis existente Parisius, quia iveram Coloniam, Nicolaus subbedellus noster locavit magnas scolas nationis cuidam carpentario annuatim (*Fol. 201 b*) ad duos francos. Incepit primus terminus anno XLI° in festo sancti Johannis Baptiste.

Quantum est de debitis Bomundi ad nationem vel econtra, dicit Bomundus [quod] in conscientia sua ipse nichil debet nationi nec natio ei. Nec scit debentes nationi in aliquo, demptis magistris

1. Gerardus Macheti *de ista legatione an.* 1442, *Martii, e Lisignico ad rectorem Universitatis scribit, et miratur, quomodo isti duo ambassiatores* « ausi sunt tantis se exponere discriminibus, quod vix audent etiam audacissimi et fortes armati », *cum ubique sint tot insidiatores*, « qui omnem pene callem et semitam occupant » (Epp. *fol.* 33 b).

2. *In* lib. recept. *fol.* 29 *legitur ad hanc diem* : Placuit nacioni ire ad tabernam apud ignem et ibidem tractare de negociis nacionis, quia frigus erat, ubi receptor exposuit mutuando nacioni IIII s. paris. et x d.

3. *Quae sequuntur exstant in eod. libro, sed in fine.* Jourdain *partim ea edidit.*

4. *Sed principium jam ad Jan.* 9 *affertur.*

5. *Scutifer ille in* lib. recept. (fol. 25 b, *an.* 1439) *vocatur* Raymundus de Villetayn, *in eodem* (*fol.* 31, *an.* 1443, *ut jam antea*) Colinetus de Viletain.

6. *Seu* demistadio. *Vid.* Du Cange-Henschel, II, 794.

7. *Caetera omnia desunt ap.* Jourdain.

Simone Osquart et Ulrico Pomell qui debent adhuc sua jura. Magistrum Simonem communis fama predicat mortuum. De alio qui Bavarus est natio habet obligationem in archa. Sunt etiam in archa alique alie obligationes vel saltem *vidimus* quarumdam obligationum quorumdam debitorum magistri Alberti Vorden, qui quidem debitores, ut ex testamento dicti magistri Alberti (cui Deus parcat) clare liquet, sunt obligati mediatim nationi et mediatim Collegio Sorbone. Winthorst dicit Sorbonenses habere principales obligationes predictorum debitorum. Credo me alias, vel ab alio audivisse vel scripto vidisse, magistrum Olavum Magni debere nationi in satis magna summa, quam eidem natio, ni fallor, concessit in ambassiata que fuit missa Bituris. Item natio concessit domino Hermanno Fabri canonico Bomellensi et olim nostro subbedello octo francos, de quo Bomundus habet scedulam obligatoriam.

Item in Sancto Maturino natio habet unam archam in qua reponuntur [preter] illum antiqua registra et littere quamplures.

In Sanctis Cosma et Damiano natio habet unam archam in qua sunt [ea que sequuntur] :

In primis duo libri cantuales pro servicio in choro, cooperti de albo corio de omni servicio, dempto de Visitacione. Item libri ewangeliorum et epistolarum cooperti albo [corio]; alii libri cantuales notati in Anglia, de quibus nichil firmamus, in asseribus ligati sine coopertorio coriali. Item historia sancti Eadmundi in quodam antiquo sexterno cum notis. Item quidam sexternus in quo continetur officium Visitationis beate Marie. Item sunt ibi duo libri, videlicet epistolarum de Clamangis, quas epistolas magister Albertus legavit magistro Jacobo de Hattem, et commentum sancti Thome de Metaphisica [1]; hunc librum Winthorst credit spectare magistro Johanni de Pal[acio]. Natio depost concessit michi Alberto Scriptoris prefatum commentum.

Item sunt in illa archa duo superpellicia pro provisoribus in choro et due cappe pro eisdem.

Item casula cum omnibus pertinentiis suis pro presbitero.

Item pro dyacono tunica cum omnibus pertinenciis.

Item pro subdyacono tunica cum omnibus pertinenciis.

1442

(*Fol. 66*[b]) Continuacio [2] Alberti Scriptoris.

Ipso die Firmini facta congregacione *nationis Anglicane* ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, et super supplicacionibus et injuriis, continuatus est magister Albertus Scriptoris in procuratorem, et magister Jacobus Winthorst in receptorem; et supplicavit uterque haberi gratus, etc.; quod concessum est.

Decima septima die Januarii facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad audiendum relacionem magistri Egidii Caniveti, doctoris in medicinis, ambassiatoris nostri ad Basileam; secundus super facto nominationum; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum recitatis diligenciis factis tam in materia tocius ecclesie quam in promotionem et bonum Universitatis, fecit prefatus magister duas supplicaciones : una *quod Universitas ista*, *que sapientissima est et dicitur doctrix et directrix aliarum*, *conformiter ad alias faceret tractatus et scriberet de materia hujus deflendissimi scismatis suum apparere*; alia supplicacio, quod haberetur gratus, etc. Ambe supplicaciones iste concesse sunt in forma. Quoad secundum conclusum est, datam nominationum [3] debere esse de prima dominica Quadragesime. Quoad tercium supplicavit noster promotor [4], quod cogeretur decanus medicine revocare ea, quorum nuper accusaverat eum in plena Universitate, alioquin procederet contra eum extra Universitatem. Supplicavit decanus ad oppositum dicens aperte, quod non a solo illo quem nominaverat, sed adhuc a centum aliis ista dici audiverat de promotore, quomodo scilicet ipse esset fautor adversariorum Universitatis, revelando eis ejusdem Universitatis secreta. Conclusum est pro decano, quod res ista maneret in Universitate. A. Scriptoris.

(*Fol. 67*) Vicesima prima die Januarii facta est congregacio Universitatis ad audiendum litteras regias

1. *Posterius additum est manu procuratoris Dubboldi Campis* (*scil. an.* 1445-46) *:*

Item in procuratoria mea magistri Dubboldi Campis magister Albertus Scriptoris in presentia provincie in Sanctis Cosmo et Damiano congregate restituit idem commentum Metaphisice secundum sanctum Thomam, et positum erat in archa cum aliis, presentibus magistris et scholaribus provincie. D. Campis.

2. *Sequentia etiam desunt ap.* Jourdain.

3. *Seu provisionum de beneficiis.*

4. Radulphus de Barnesse (Bornesse, Brossis), *quem decanus facultatis med. insimulavit*, *quod secreta Universitatis adversariis panderet et privilegiorum abrogationi conniveret. Vid.* Bul., V, 521. *Sed verisimiliter decanus facultatis erravit, nam an.* 1444, *Jun.* 13, *cum novus conservator*, *scil. episc. Meldensis, instituebatur, nihilominus antiquum promotorem*, *Radulphum Barnesse in officio continuavit. Vid. infra ibid.*

et proposicionem factam coram generalibus, et super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciata est Universitas supremo domino nostro regi super communicatione suarum litterarum; et quantum ad factum contentorum in litteris placuit rescribere domino nostro regi super excusatione, quia sinistre suam dominacionem credidit informatam per nostros adversarios. Placuit eciam mittere copiam nostris ambassiatoribus. Quantum ad factum proposicionis facte coram generalibus Universitas regraciata est domino rectori et ceteris deputatis, etc. Quoad tercium facte sunt pauce supplicaciones vel nulle.

Vicesima tercia die Januarii facta est congregacio facultatis artium in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat ad eligendum unum ex Normannis pro legendo *Ethicam*, cum mag. Nicolaus Coquerell, nacione Piccardus, jam quasi finierat. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Supplicaverunt duo, magister Petrus Corii [1] et magister Johannes Boucardi [2] pro legendo, et deputavit facultas lecturam pro Corii.

Quinta die Februarii facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad deliberandum si Universitas iret ad associandum funus nobilissime domine de Aquitania [3], olim uxoris cujusdam delphini Francie et jam ultimo domini constabularii comitis de Richmont [4]. Secundus super facto abbatis Sancti Mauri, qui fuerat ad hanc congregacionem pro tercia et ultima vice citatus, et super vocando prepositum Parisiensem [5] ad renovandum juramenta sua conformiter ad statuta et privilegia nostra, et hoc maxime ad requestam nacionis nostre, cujus receptorem mag. Jacobum Winthorst a quatuor vel quinque diebus citra incarceraverat propter nullam aliam causam quam ad audiendum testimonium de quodam notabili viro magistro Hugone bastardo Burgundie, quem sic volebat noscere idem prepositus. Tercius erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum, attento quod Universitas per modum Universitatis non solet interesse talibus, nisi fuerit rex vel regina vel primogenitus regis, placuit Universitati non ire, non obstante quod requisitus fuerat rector per aliquos de familia domine prefate. Quoad secundum adhuc habuit Universitas istum abbatem aliqualiter supportatum propter excusaciones quas allegaverat in propria, in camera domini rectoris; voluit tamen, quod vocaretur ad proximam congregacionem et omni ulteriori excusacione remota haberet comparere. Similiter voluit vocari dominum prepositum ad proximam congregacionem. Quantum ad tercium supplicavit mag. Joh. Baylle nomine cujusdam absentis pro littera quadam regraciatoria. Item quidam alius pro littera gradus. Que supplicaciones concesse sunt. A. Scriptoris.

(*Fol.* 67[b]) Anno Domini M° CCCC° XLI°, XX[a] die mensis Februarii [6] facta fuit congregacio venerande *nacionis Anglicane* [7] super duobus articulis. Primus super dispensando finaliter cum procuratore nacionis in casu qui jam currebat, ne habeat necesse singula tempore sui acta redigere in scriptis. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum proposuit procurator, quod laboriosum nimis esset et quasi impossibile, ubi *duo soli essent in nacione sicut nunc*, singula acta in Universitate, facultate vel natione redigi per procuratorem in scriptis, maxime ubi alius illorum duorum esset submonitor in aliqua domo. Quoad hoc conclusit nacio dispensare, et de facto dispensavit et dispensat super juramento illo, ita tamen quod saltem memoratu digna scribantur. Et voluit nacio hanc dispensationem durare debere tam diu et quousque plures contingeret esse magistros in nacione, qui tunc poterunt commodosius de singulis curam gerere. Quoad secundum nullus supplicavit. Ista congregatio facta fuit in Sancto Bernardo. A. Scriptoris.

1442

(*Fol.* 68) Procuratoria mag. Jacobi Winthorst de Saxonia.

Decimo die Marcii anni millesimi quadringentesimi quadragesimi primi celebrata fuit congregacio nacio-

1. *An.* 1443 (1444) *Jan.* 20, *lic. in theol.*, *Normannus. An.* 1433 *perpetuam capellaniam in eccl. Paris. obtinuit* (Suppl. Eugen. IV, n° 282, *fol.* 77).
2. *De quo infra ad an.* 1442, *ante* 25 *Sept.*
3. Margeritae de Burgundia, *comitissae de Richemont*, *antea uxoris Ludovici ducis Aquitaniae delphini. Sepulturam eligebat ap. Carmelitas* (Joh. Chartier, Chron., II, 34). *Febr.* 2 *defuncta est.*
4. *Ms.* Ritsmont.
5. Ambrosium de Loré, *ab an.* 1437, *de quo vid.* Tuetey *in* Journal d'un bourgeois, p. 383, *not.* 1.
6. *Febr.* 16 *Universitas Paris. processionem sollemnem fecit ad eccl. S. Maglorii, et praedicavit* Thomas de Courcelles, *mag. theol.*; *Febr.* 18 *lectiones resumpsit* (Journal de Maupoint, ed. Fagniez, p. 28.) *Causa horum fuit concordia facta inter dominos consilii regis et Universitatem. Vid.* p. 541, 28.
7. *Fere ultimum hic natio hoc vocabulo* Anglicana *nominatur*; *an.* 1446, *Dec.* 3, *an.* 1448, *Mart.*, *et an.* 1452, *April.* 27, *Maii* 8, *quasi per negligentiam vel ex inveterata consuetudine adhibetur.*

nis Alemanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris aut continuacione antiqui; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem Jacobus de Saxonia, et electus fuit in receptorem mag. Albertus Scriptoris. In qua electione ambo solempniter pro istis officiis prestiterunt juramenta. Quantum ad secundum supplicarunt ambo antiqui officiarii haberi grati; que supplicaciones fuerunt concesse. JA. WINTHORST.

Celebrata fuit congregacio facultatis artium in Sancto Juliano Paupere XIIII^a^ die mensis Marcii anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit super provisione unius temptatoris in temptamine Nostre Domine ex parte venerande nacionis Alemanie. Secundus super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum veritas fuit, quod die XIX^a^ mensis Februarii, anno quo supra, fuit super eodem facto dicte facultatis congregacio, in qua congregacione per organum venerabilis mag. Alberti Scriptoris, protunc nacionis Alemanie procuratoris, fuit narratum, quomodo ipse unacum domino magistro Roberto de Molendino decano habuit accedere ad dominum cancellarium Beate Marie [1] recommendando sibi unum suppositum de sua nacione pro officio temptatorie in temptamine dicte ecclesie Beate Marie, videlicet mag. Jacobum Winthorst de Saxonia, qui ante duos annos fuit temptator in Sancta Genovefa, ubi dictus dominus cancellarius dedit brevem responsionem, quod non vellet eum habere. Super qua narracione facta per dictum dominum procuratorem conclusit facultas, quod certi deputati accederent ad dictum cancellarium de quacumque nacione pro parte facultatis, dicto domino cancellario supplicando, quatinus eundem magistrum Jacobum sibi per nacionem presentatum in isto officio reciperet; quod si non faceret, facultas vellet providere. Per temporis successionem consensu dicti cancellarii medio aliquorum temptatorum istius temptaminis dictus mag. Jacobus fuit ad istud temptamen ut temptator vocatus, in quo temptando cum aliis temptatoribus stetit quasi ad XII dies; nichilominus tamen sepedictus mag. Jacobus considerans se in isto temptamine non esse sicud alii de aliis nacionibus, videlicet non immediate per dictum cancellarium receptum, nec cum sollemnitate temptaminum juratum; ipse autem per dominum rectorem magistrum Johannem Sollerii et suum procuratorem magistrum Albertum Scriptoris persuasus et consultatus, quod immediate haberet verbum cum dicto domino cancellario, sic quod ipse dominus met in propria eum reciperet, institueret et ab eo juramentum juxta consueta reciperet cum sollemnitate, quia dixit rector, alias supplicacio sua (mag. Jacobi [2]) in facultate facta frustra esset concessa, quando supplicavit quod reciperetur in isto temptamine sicud alii de aliis nacionibus essent recepti, dixitque dictus dominus procurator mag. Jacobus [3], quod « si non feceritis, ego ut procurator dico vobis per juramentum quod ad nacionem habeo, non facitis vobis nec nacioni honorem. » Dictus vero Winthorst dictum dominum cancellarium accessit, habens cum ipso domino verbum immediate, quem persuasus, consultatus et informatus per dictos duos sicuti rectorem Universitatis et suum procuratorem, etc. Iterum respondit dictus cancellarius breviter : « Ego non volo vos et exspecto unum alium. » Istam frivolam, injustam et in despectum facultatis et nacionis responsionem a dicto cancellario contributam prenominatus Winthorst significavit suo procuratori, qui ex parte venerande nacionis habuit requirere dominum rectorem, quod faceret secundario super istis facultatis congregacionem, que fuit facta tempore et die quo supra super istis pro secunda vice. Et fuit conclusum breviter, sicud venerabilis rector posuit in deliberacione, qualiter dominus cancellarius in propria habuit die precedenti accedere ad eum et dicere, qualiter venerabilem virum magistrum Jacobum Winthorst libenter in suum temptamen reciperet cum honore et sollemnitate juramenti coram certis deputatis per dominum rectorem antedictum ordinatis; quod [si] sic fieret, dicta facultas de benigna sua oblacione cancellarii in venerabili supposito magistro [4] Jacobo in favorem facultatis et nacionis Alemanie fienda, eique graciarum actiones multifarie referret. Quod sequenti die de mane in curia dicti domini cancellarii fuit ad instanciam facultatis et nacionis consumatum, presentibus deputatis facultatis ad hoc ordinatis per dominum rectorem, videlicet procuratore nacionis Normanie magistro Reynaldo Amici, mag. Johanne Mileti pro nacione Francie, et mag. Mauricio Folpe pro nacione Picardie, ubi sepedictus mag. Ja. Winthorst juravit simpliciter servare honorem cancellarii Parisiensis, celare secreta camere sui temptaminis, et deponere juste de baccalariis temptatis. Preterea in deliberacione nacionis Alemanie ejusdem secun-

1. Johannem Chuffart.
2. *Inter lineas.*
3. *Sic in ms^to^. Sed potius* mag. Albertus *intelligendum.*
4. *Ms.* magistri Ja.

darie congregacionis facultatis, placuit nacioni et conclusit procurator, casu (*Fol. 68*[b]) quo aliquod suppositorum nacionis superveniret quod vellet instare pro isto officio, magistro Jacobo in prejudicium, nacio vellet se opponere, ex quo artium facultas propter recepcionem dicti magistri Jacobi fuit pluries congregata, nacioque in sua libertate per dictum cancellarium refutata, viso eciam labore et sumptu dicti magistri Jacobi Winthorst de Saxonia.

Quantum ad secundum articulum supplicavit mag. Jacobus Winthorst recipi simpliciter per dominum cancellarium in isto temptamine cum juramento et sollempnitate sicud alii de aliis nacionibus essent recepti. Que supplicacio fuit concessa et totum sequenti die fuit coram deputatis supra scriptis terminatum. JA. WINTHORST.

Et ego Albertus Scriptoris procurator venerabilis nacionis Almanie predictis omnibus, dum sic ut premittitur fierent, interfui, atque ea sic fieri vidi et audivi, teste signo meo manuali, presentibus apposito, anno, mense et die predictis. A. SCRIPTORIS.

Facta fuit congregacio Universitatis XX prima die mensis Marcii anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat de conservacione privilegiorum Universitatis; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum proposuit dominus rector, quomodo ipse abiret de officio, et facta esset concordia tempore suo inter generales dominos de concilio regis et Universitatem [1], super qua concordia confecta esset una littera sed nondum sigillo regis sigillata, quod successor suus haberet jurare quod faceret diligenciam suam, quod sigillaretur; deinde quod per idem juramentum sollicitaret, si aliqui in curia conservatoris essent officiarii non jurati, quod jurarent. Quantum ad secundum supplicavit rector haberi gratus et avoatus in peractis per eum in execucione Universitatis. Que supplicacio fuit concessa. Deinceps supplicavit dominus decanus facultatis theologie et nacio Alemanie conformiter, quod nominationes haberent cursum in Imperio sicud in regno Francie, quod super isto mitteretur littera Universitatis ad imperatorem. Que supplicacio eciam fuit concessa. Item fuerunt plures alie supplicaciones, que omnes fuerunt concesse in Universitate, probatis [2] probandis. Preterea in deliberacione nacionis supplicavit dominus receptor nacionis Alemanie mag. Albertus Scriptoris sibi concedi domum nacionis prope vicum Straminis ad unum annum; ipse vellet satisfacere pro redditibus quos domus tenetur, etc. Que supplicacio fuit concessa, si solveret redditus et ista que eciam domus tenetur ex fundo. JA. WINTHORST.

Item XXIIII[a] die dicti mensis arrestavi per consensum provisoris Alemanie XX scuta auri apud unum burgensem. JA. WINTHORST.

In Sancto Maturino fuit congregacio Universitatis anno Domini M° CCCC° XLII°, quinta die Aprilis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum ambaciatores Universitatis, videlicet magistrum Petrum de Brena, doctorem in decretis, et magistrum Joh. Pain-et-chair [3], baccalarium formatum in theologia, qui erant missi ad dominum regem super defensione et conservacione privilegiorum Universitatis. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum retulerunt in Universitate, se obtinuisse a domino rege votivum responsum super istis pro quibus erant missi. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector sibi dari concilium et favorem in agendis, ex quo noviter erat electus. Deinceps dominus conservator [4] supplicavit defensionem ab Universitate contra episcopum Parisiensem [5] et fuerunt alie supplicaciones, que fuerunt omnes concesse. JA. WINTHORST.

Item septima die mensis Aprilis quo supra continuatus fuit mag. Jacobus Winthorst in procuratorem.

Item die tercia mensis May anno quo supra in Sancto Maturino fuit congregacio facultatis artium ad introducendum baccalarios ad cameras in temptamine Sancte Genovefe; in qua congregacione venerabilis vir mag. Albertus Scriptoris intimavit facultati, quomodo unus baccalarius Colloniensis [6] receptus ad nacionem Picardie esset temptatus in Nostra Domina et vellet procedere cum non haberet folia [7] sua pro magisterio. Eciam unus alius magister nacionis Francie fecit querelam contra eundem. Super quibus fuit conclusum per rectorem quod de processu suo non haberet concordiam nacionis.

JA. WINTHORST.

1442

(*Fol. 69*) Continuacio procuratorie magistri Jacobi Winthorst de Hamborch in Saxonia.

Congregata fuit veneranda nacio Almanie in domo

1. *Vid. supra* p. 537, 1; 538, *not.* 6.
2. *Ms.* probando.
3. *Ms.* Pannictzier.
4. Joh. Juvenalis des Ursins, *episc. Belvacens.*
5. Dionysium de Molendino.
6. *De quo supra* p. 529, *not.* 1.
7. *Incerta vox, codice hic forato.*

habitacionis magistri Jacobi de Saxonia tunc procuratoris, anno quo supra, quinta die mensis May, super duobus articulis. Primus erat super electione aut continuacione procuratoris, et fuit dictus de Saxonia continuatus. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis, in quo articulo supplicavit dictus Winthorst in actis haberi gratus et avoatus. Que supplicacio fuit concessa. JA. WINTHORST[1].

1442

Procuratoria magistri Jacobi Winthorst de Saxonia.

Anno Domini XIIII^c XLII°, XXVII^a die mensis Augusti, facta fuit congregacio venerande nacionis Alemanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem mag. Jacobus Winthorst de Saxonia. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator mag. Albertus Scriptoris haberi gratus et avoatus in suis peractis tempore officii sui. Que supplicacio fuit concessa. JA. WINTHORST.

Facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Bernardo per juramentum, anno quo supra XX° die mensis Septembris super tribus articulis. Primus erat de privacione Mendicantium a facultate theologie[2]. Secundus erat ad avisandum de processu contra istos de Sancto Germano[3]. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum propter inhonestam impetracionem a domino Eugenio privilegii in destructionem facultatis theologie; veneranda facultas theologie supplicavit nacionibus et facultatibus, ut darent adjunctionem ipsis, confirmando privacionem ipsorum a facultate et consequenter ab Universitate. Et propter quod ista materia fuit ardua, non fuit deliberatum de secundo articulo[4]. Fuit eodem tempore eciam narratum, quod unus magister in theologia de ordine Mendicantium fecisset, et creavit Bituris occasione sui privilegii unum magistrum in artibus, quod esset in destructionem et annichilacionem totius facultatis artium. Super quibus fuit conclusum per organum rectoris[5] quod non habuit concordiam, quoniam facultas medicine et decretorum dederunt deputatos. Quantum ad tercium articulum probatum fuit de presencia unius magistri, qui petivit litteras gradus; que supplicacio fuit concessa. JA. WINTHORST.

Vicesima prima die Septembris, anno quo supra, que fuit dies sancti Mathei, facta fuit congregacio venerande nacionis Alemanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super electione novi receptoris nacionis et ordinacione prandii nacionis. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum domini receptores antiqui fecerunt compota sic quod nacio tenebatur magistro Alberto Scriptoris et magistro Jacobo Winthorst: [A.] Scriptoris duo scuta auri, Winthorst X solidos, et cum hoc unicuique salarium[6] pro officiis suis, sicud continetur in libro statutorum, et ipsi soli fuerunt in officio ad quinque quartalia anni nacionis, de quo tempore unicuique tenetur nacio quinque libras paris. monete. Quantum ad secundum supplicarunt dicti magistri haberi grati et avoati in suis officiis; que supplicacio fuit concessa. Et electus fuit in novum receptorem mag. Arnoldus Sommer[7] alias Bernardi, qui dedit prandium pro... (*sic*); quos concessit nacioni, in quo erant magistri de nacione et bidelli. JA. WINTHORST.

(*Fol. 69 b*) Fuit eciam in prescripta congregacione nacionis dicto procuratori regencia vici Straminis concessa. JA. WINTHORST.

Die vicesima secunda mensis Septembris anno quo supra, facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad videndum quomodo procederetur contra illos de Sancto Germano de Pratis et ad ponendum unam crucem in emendam unius Augustinensis interfecti. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum concorditer fuit conclusum, quod contra ipsos procederetur non coram preposito, sed coram rege, et quod crux situaretur. Quantum ad secundum supplicaciones fuerunt concesse proba-

1. *Postea spatium* 9 *vel* 10 *linearum. A Junii* 2 *usque ad Aug.* 27, *minime* Jac. Winthorst, *sed* Albertus Scriptoris *procurator nationis fuit, ut ex infra scriptis*, p. 554, 25, *apparet; ast ut ibi narratur, Albertus nihil scripsit.*

2. Eugenius IV *an.* 1442, *Martii* 30, *ordinavit, ut Mendicantes a superioribus generalibus deputati ad legendas Bibliam et Sententias illico admitterentur Parisiis, si per magistros theol. facultatis idonei reperti fuerint* (*vid.* BUL., V, 524).

3. *Seu potius contra pictantiarium ejusdem, qui piscatoribus a rectore ad* pratum clericorum *missis injurias et gravamina intulit. Vid. infra* p. 554, 45.

4. *Etiam e* lib. procurat. nat. Gallic. *apparet, eodem die privatos esse. Vid.* BUL., V, 522.

5. *A Junii* 23 *usque ad Octob.* 10 *rector fuit* Petrus Corii, *ut ex infra dictis ad Octob.* 13 *liquet.* BUL., V, 921, *perperam pro isto tempore assignat* Joh. Pluyette, Parisiens.

6. *Ms.* solarium.

7. *Seu* Zommer, *qui nunc Parisios reversus erat. Sic etiam in* Lib. receptoris *fol.* 29 b *scribitur* « Arnoldum Bernardi, can. S. Quintini in Viromandia et oriundum de Trajecto superiori » *unanimi consensu magistrorum in receptorem electum esse,* « qui nullas pecunias a suis predecessoribus recepit ».

tis probandis, et inter cetera unus nuncius de nacione Francie fuit ab Universitate privatus, sicuti fuit ab eadem nacione veneranda. JA. WINTHORST.

1442

Procuratoria[1] magistri Jacobi Winthorst de Hamborch in Saxonia.

Anno Domini millesimo, etc. quo supra, vicesima 4ª Septembris, facta fuit congregacio venerande nacionis Alemanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum antiquus procurator presentans nacioni libros et claves nacionis, ponens in deliberacione ex bona consuetudine et laudabili dixit : « Domini mei, quoniam fuerunt dumtaxat tres, videlicet procurator, receptor et unus magister in nacione, secundum textum statutorum nostrorum eciam ex juramento adest modo tempus ut eligatur novus procurator, aut antiquus continuetur. Quantum ad secundam partem ego, dixit procurator, ego supplico pro continuacione adhuc pro ista vice, si fuerit possibile, quoniam fui nisi per istum mensem, et magister Albertus Scriptoris fuit ante me per tres menses, et erit michi proficuum forte in promocione mea in veneranda facultate theologie, ad quam meam promocionem eritis per Dei graciam mei coadjutores, ex quo ego vos ambos benigne in ambobus temptaminibus facultatis artium, matris mee, ad vestras instancias feci temptatores. Quare credo eritis mei fideles promotores. »

Quantum ad secundum supplicavit procurator haberi gratus et avoatus in peractis in tempore sui officii. Eciam supplicavit dictus procurator, quod darent sibi istum favorem ad promovendum et litteras nacionis recommendatorias ad dominos et principes, sicud sibi daret Universitas. Supplicavit idem procurator, ut in isto officio continuaretur, visis et attentis supra narratis a procuratore. Supplicavit eciam mag. Albertus Scriptoris pro isto officio, quia ipse vellet ire Aureolanis, quando veniret socius suus mag. Joh. de Brabancia. Dixit procurator respondendo, quando dictus de Brabancia venerit, quia nondum habebantur nova quando veniret de Flandria, ipse vellet sibi officium resignare. Omnibus auditis unus deliberans, mag. Arnoldus Sommer, ejusdem nacionis receptor, sicud ipsi ante fabricaverunt isti duo contra dictum procuratorem, dixit : « Ego eligo magistrum Albertum. » Dixitque sepedictus procurator : « Vos facietis in istis discordiam; videam ego, utrum sibi conveniant juramenta, que tenetur ad istud officium servare, dum procurator antedictus veniret ad juramentum, in quo cavetur quod procurator tenetur per suum juramentum scribere in isto registro omnia acta in Universitate, facultate et nacione. » Dixit dictus postulatus[2] : « Ubi vos scripsistis ista, quia vos jurastis? » Dixit tunc procurator : « Veritas est, domini mei, quod aliqua sunt data oblivioni per me. Ego pono de novo in deliberacione, ut audiatis ea que sunt scripta in registro procuratoris tempore officii mei; preterea pono in deliberacionibus vestris, utrum dicto Scriptoris postulato sint propicia duo juramenta, videlicet unum de scribendo acta in Universitate, etc., et secundum quod procurator tenetur omni mense per suum juramentum facere congregacionem nacionis, quoniam dictus postulatus fuit per tres menses ante me procurator, et nichil omnino scripsit, ubi tamen ardua sunt peracta in Universitate et memoratu digna, sicud de reformacione curie conservatoris et lis orta est inter [illos] de Sancto Germano de Pratis et Universitatem. Pro 2do juramento ipse dictus postulatus numquam fecit congregacionem nacionis in istis tribus mensibus tempore intermedio, sicud cavit statutum expressum. » Ista de novo posita in deliberacione per dictum procuratorem, dixit deliberans : « Ego eligo magistrum Albertum Scriptoris in procuratorem; si fuerit difficultas in juramentis, que ipse tenetur ad istud officium (*Fol. 70*) jurare, illa relinquo ad facultatem. » Dictus procurator mag. Jacobus Winthorst considerans quod ista ellectio in expressis esset condicionalis et non legitima, et dictus Scriptoris esset nisi postulatus, dixit ipse procurator : « Ego oppono me et concludo, quod non habeo concordiam. » Sepedictus procurator surrexit de loco sui tribunalis et recessit.

Quantum ad supplicaciones nichil fuit dictum. Sed post dimidiam horam dictus procurator jussit subbedello, ut convocaret nacionem in eodem loco, eadem hora, et ut unusquisque magistrorum ibidem compareret in die sequenti pro habendo concordiam in dicta veneranda nacione. Dominus vero procurator volens pacem et concordiam, recitans predicta domino rectori. Qui dictus dominus rector forte non sane concepit dicti procuratoris verba, veniens con-

1. *Quae sequuntur usque* p. 551, 20, *jubente Universitate in cod. nostro* « transfixa sunt », *id est lineis cancellata. Vid.* p. 551, 30, 31.

2. *Scil.* Albertus Scriptoris.

tra dictum procuratorem antequam intraret aulam, dixit ad dictum procuratorem, quando voluit ire ad aulam episcopi Parisiensis una cum procuratoribus nacionum, ubi incepit[1] mag. noster mag. Johannes Pain-et-chair, in hostio Nostre Domine dicens ad procuratorem sepe nominatum : « Magister Jacobe, ego precipio vobis per juramentum, tradatis epitogium nacionis procuratori vestro magistro Alberto Scriptoris, et non vadatis mecum ad aulam ». Magister Jacobus existens verus procurator nacionis, sciens Scriptoris esse tantum postulatum, non juratum, inhabilem ad istud officium, dixit respondendo : « Domine rector, ego procurator nacionis Alemanie matris mee ad ejusdem nacionis honorem ibo vobiscum ad aulam; casu quo volueritis me in isto aggravare, protestor de appellando et appello ad matrem meam facultatem artium ». Et de facto dictus procurator Winthorst requisivit notarium et testes ad dictam protestacionem et appellacionem, et processit ad aulam episcopi Parisiensis cum domino rectore et aliis procuratoribus nacionum, prenominato magistro nostro novello ad laudem et honorem.

Recolligitur ex dicta conclusione, dictum Winthorst honeste et legitime processisse, primo quoniam non potuit concludere concorditer sine suspicione perjurii; secundo non potuit concludere legitime vel simpliciter et de plano sine condicione quoniam fuit postulacio dumtaxat et non electio, eciam dictus postulatus nondum fecit juramenta; tercio ex quo de novo fuit recepta deliberacio a dicto Winthorst procuratore; quarto visa remissione, que remissio fuit ad facultatem facta, dicta facultas, que haberet discernere, utrum juramenta dicto postulato essent propicia; quinto, visa continuacione electionis ad diem sequentem pro habendo concordiam; sexto viso aggravamine domini rectoris, quando dictus procurator pro honore nacionis sue et defensione dictorum protestatus fuit de appellacione et appellavit ad facultatem; septimo, dictus procurator ex superhabundanti firmius confirmando congregacionem die sequenti misit majorem bidellum nacionis ad magistros nacionis; qui dictus bidellus major significavit dicto Winthorst procuratori[2] ad instanciam dictorum magistrorum, quod compareret eadem hora in Sancto Juliano, ubi rector fecisset congregacionem super privacione dicti procuratoris facultatis artium. Per quam congregacionem rector destruxit potestatem *capitis nacionis Alemanie, utputa procuratoris*, consequenter augmentavit discordiam inter dictos magistros de nacione. Ulterius per dicti domini rectoris sub protestacione fabricacionem nacio veneranda Alemanie, que est quarta pars dicte facultatis artium, non fuit in facultate, non habuit vocem. Ibidem eodem tempore [rector] conclusit tantum secundum duas naciones, quatuor presentibus, videlicet secundum venerabiles naciones Francie et Normanie, ubi ipsemet quartus dictus dominus rector fuit in nacione sua primus deliberans sine suo procuratore et scriba Universitatis, ex quo dominus rector est conservator omnium nacionum, facultatum, et consequenter tocius Universitatis per suum juramentum, precipue in execucione (et videbatur pluribus magna abusio), concludens in tali forma : « Mag. Albertus Scriptoris est procurator nacionis Alemanie, et super privacione magistri Jacobi Winthorst dantur deputati ». Dictus magister Jacobus Winthorst, considerans se aggravatum, quod rector conclusit solum per duas naciones, ubi quatuor fuerunt presentes, et sicud habetur in statutis facultatis, quod conclusiones facultatis sunt Universitatis, et ex superhabundanti dixit, eciam in scripto tradidit et rectori et nacionibus supplicavit, quando rector posuit materiam (*Fol. 70*[b]) in deliberacione, quod non sufficeret respondere ista vice in ista materia, quoniam nondum levabat appellacionem suam ad matrem facultatem artium factam, et quod esset preventus per istam congregacionem et precipitatus, et ad matrem Universitatem appellavit, sperans dictus Winthorst permanere in isto officio, quousque mater Universitas predictam appellacionem bene vel male factam pubplicaret. JA. WINTHORST.

1442

Procuratoria magistri Jac. Winthorst.

Vicesimaquinta die Septembris anno quo supra congregata fuit artium facultas in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus fuit super honestate et honore facultatis; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum rector posuit in deliberacione discordiam ortam in venerabili nacione Alemanie super officio procuratoris. Quantum ad secundum narravit mag. Albertus Scriptoris multa acta in nacione jam dicta et contra procuratorem suum magistrum Jacobum Winthorst, et diffamando eundem procuratorem, recitavit *litem aliquam inhoneste duxisse per dictum procuratorem contra suam civitatem Hamborgensem*, qui si dictus

1. *In theologia ut magister.*

2. *Ms.* procuratore.

procurator predicta lite precedente fuisset arreptus per dictos suos adversarios, fuisset positus ad saccum[1] et ex demeritis suis per suos adversarios fuisset submersus. Supplicavit eciam mag. Arnoldus Sommer, alias Bernardi vel de Hollandia, receptor nacionis Alemanie, quod sicud ipse elegit magistrum Albertum Scriptoris in procuratorem, quod facultas consentiret. Supplicavit insuper mag. Jacobus Winthorst procurator nacionis antedicte, quod non precipitaretur et premisit protestaciones verbo et in scripto, quod non sufficeret in materia hesterna die in nacione sua facta respondere, que materia nacionis per venerabile organum, id est per dominum rectorem, fuit posita in deliberacione facultatis; quamquam dictus procurator proposuit legitimam excusacionem, fuit tamen processum super dicta materia, sicud narratur aliqualiter in conclusione precedenti venerande nacionis Alemanie, quia rector fuit contra dictum procuratorem, conclusit alias quam fuit positum in deliberacione, et solum secundum duas naciones, ubi quatuor naciones fuerunt presentes, et videbatur dicto procuratori, quod non fuit conclusio facultatis, et sic dictus Winthorst procurator fuit in ista congregacione facultatis devictus et nec in supplicacionibus nec in aliis auditus. JA. WINTHORST.

1442

Procuratoria magistri Jac. Winthorst.

Anno Domini Incarnacionis quo supra facta fuit congregacio facultatis artium secunda die Octobris in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat quod ad requestam magistri Jacobi Winthorst esset facta ista congregacio, qui dixit, quod haberet aliqua ardua exponere in nacionibus et facultate contra rectorem, et in aliis materiebus contra fratrem Albertum Scriptoris. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum per venerabilem virum dominum rectorem fuit narratum, quomodo magister Jacobus Winthorst fecisset sibi magnam perturbacionem in curia sua; deinde fecit legi in facultate unam cedulam, quam dictus Winthorst tradidit in curia rectoris ad legendum in absencia dicti Scriptoris, que dicta cedula dicto Winthorst fuit presentata. Iterum dixit dictus dominus rector quod dictus Winthorst nominasset in certa societate dominum rectorem *bejanum*[2]. Quantum ad secundum supplicavit dictus Winthorst, ut haberet congregacionem facultatis per juramentum, quia omnes perturbaciones que fuerunt facte, dixit dictus Winthorst, venerunt magis ex parte domini rectoris, qui fuit dicto Winthorst contrarius. (*Fol. 71*) Quare desideravit dictus Winthorst congregacionem facultatis per juramentum, quia ipse haberet aliqua referre, que forte tangerent dictum rectorem et Scriptoris et alios, ne opus esset venire ad Universitatem. Item supplicavit dictus Winthorst, ut facultas faceret et daret ei justiciam, omnia vellet remittere dictamini facultatis. Dixit tunc dominus rector utrum eciam vellet renunctiare appellationi quam haberet a facultate ad Universitatem. Respondit dictus Winthorst, quod sic libenter faceret. Supplicavit insuper mag. Albertus Scriptoris, quod facultas remitteret discordiam motam inter ipsum et dominum Winthorst ad aliam justiciam extra facultatem; ipse vellet habere emendam a dicto Winthorst sibi illatam, et vellet ponere ducenta scuta per fidejussores in vadio, quod ea que essent sibi imposita de apostasia per dictum Winthorst, quod non essent veritate digna. Quoniam dictus Winthorst fuit per cedulas et per vivas voces veridicorum informatus, quod dictus Scriptoris fuit bis vestitus in Carthusia, videlicet semel prope Dordracum in Hollandia, que domus dicitur *in monte Sancte Gertrudis*, et pro secunda vice prope Maguinciam, que Carthusia fuit quasi in octo annis fundata, et quod de altera illarum recessisset sine licencia sui superioris, quod dictus Scriptoris negavit[3], et fuit male contentus. Nichilominus omnia remisit eciam ad disposicionem prescripte venerande facultatis.

Super quibus omnibus hinc inde auditis conclusit facultas, quod predictus mag. Albertus Scriptoris juraret ad manus dicti procuratoris Winthorst juramenta consueta ad officium procuratoris, et dictus Winthorst traderet dicto Scriptoris libros et claves pro isto officio, et dictus Scriptoris esset venerande nacionis Alemanie procurator, et de istis, que haberet dicere dictus Winthorst in omnibus dicendis, sicud dixit, et mag. Albertus Scriptoris, facultas daret deputatos. Item Winthorst supra nominatus dixit in facie facultatis et facultati intimavit, casu quo dictus mag. Albertus posset probari inhabilis propter religionem susceptam ad exercendum officium temptatorie in Sancta Genovefa (quod dictus Winthorst dicto Scriptoris libere resignavit, sicud constat per notarium apostolicum nomine mag.

1. *Ut mitteretur in mare.*
2. *Hoc verbum, quod saec.* XIV *novum magistrum significavit, hoc tempore jam erat contumeliosum et injuriosum. Vid. infra* p. 558, 34, *et an.* 1445, *Novemb.* 29, *Ad haec cf.* FOURNEL, Le vieux Paris, p. 44.
3. *Albertum non veracem fuisse infra etiam liquet.*

Franciscus de Vacaria [1], istud officium dictus Winthorst dixit rehabere, quia ipse habet adhuc super hoc instrumentum, sicud dixit, qualiter ipse dictus Winthorst facultati fuit presentatus per dominum cancellarium et a facultate admissus ad dictum facultatis officium. JA. WINTHORST.

Item prescriptas VII conclusiones a die XXVII^a Augusti usque ad secundam diem mensis Octobris scriptas per prenominatum Winthorst tempore sui officii procuratorie, continentes duo folia quasi istius presentis registri procuratoris venerande nacionis Alemanie, sunt manifeste et bona noticia ratificate in registro scribe Universitatis. Omnes sunt eciam subscripte signo manuali dicti Winthorst antiqui procuratoris dicte venerande nacionis. Scriptum tertia die Octobris anno quo supra. Iterum dictus scriba notavit unam conclusionem scriptam, sine ubi, suprascripti Scriptoris de non scribendo singula in isto registro per procuratorem, nisi memoratu digna [2].

JA. WINTHORST.

1442

[Procuratoria Alberti Scriptoris.]

(*Fol. 71*[b]) Qui scripturam quatuor precedentium paginarum fecit, ubi transfixio facta est, nec ibi scribere nec hunc librum per id temporis tenere debuit, unde sua scriptio in illo loco tamquam eciam falsa, injuriatoria, presumptuosa et diffamatoria multipliciter ad requestam domini rectoris [3] ac totius nacionis Normanie per nacionem nostram solemniter transfixa est. Magistrum eciam Michaelem Hebert, scribam Universitatis, ad confirmacionem transfixionis vocavit nacio [4].

Qui de causis prefate transfixionis per nacionem, ut prefertur, facte aliqua in parte informari voluerit, sequentes duas paginas percurrat et cessabit querere causam, liberabit eum a dubio veritas et cum nacione magis ammirabitur fatuitatem actoris scripture predicte.

Anno Domini M° CCCC° XLII°, XXIIII^a Septembris facta fuit congregacio venerande *nationis Anglicane* in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum supplicavit Winthorst antiquus procurator continuari, allegans non causam pro causa, quia scilicet prodesse sibi posset in veneranda facultate theologie. Non hanc promotionem amplius sperare potuit, quia bis vel ter habuit repulsam, sicut eciam eum tamquam fatuum reppulit, dum ad eandem solemniter congregatam misit duas litteras, ut eum, qui brevi iturus erat ad Imperatorem faceret suum ambassiatorem contra Mendicantes. Non ergo hanc causam habuit, sed alias duas, quas non dixit, quarum prima et potissima erat, ut ad aulam domini episcopi cum domino rectore et aliis procuratoribus birretum capturus cum prandio a magistro nostro Johanne Pain-et-chair [5], qui ad suum festum in honorem facultatis artium prefatos dominos habere voluit in sua prima nova inceptione. Quod hac re Winthorst motus est potissime, patet ex illo quod non querebat nisi dilationem nove electionis usque in crastinum. Item ex illo quod in domo domini rectoris eadem die dixit, honorem unius diei plus valere quam centum scuta. Secunda ejus causa principalis erat, ut in partibus vel alibi moram trahens, ad quas infra quindenam ire disposuerat, semper dicere posset : *ego adhuc sum procurator Parisius*, quia habeo substitutum. Hoc non minus jam dixisset quam olim, dum non obstante sua absencia ad annum de Parisius reversus volebat expellere procuratorem, quem in nacione repperit, quia recedens unum substitueral solo verbo, cum nullus in suo recessu mansit magister in natione [6].

Quantum ad secundum supplicavit mag. Albertus Scriptoris pro officio procuratorie, quia brevi, ut dicebat, iturus esset ad dominam Aurelianensem [7] cum litteris illustrissime domine duxisse Gelrie, que de sua gratia scripserat prefate excellentissime domine Aurelianensi, sue celsitudinis sorori, pro ejusdem magistri Alberti promotione. Ideo volebat esse procurator, ut dicebat, ut Universitas et etiam natio, si opus esset, eum veraciter recommendare posset prefate illustrissime domine Aurelianensi tamquam procuratorem. Prefatis ergo Winthorst pro tunc procuratore et Scriptoris sic contra invicem petentibus, mansit in nacione unus solus sequester deliberans, dominus receptor, nomine magister

1. *Vid. infra ad an.* 1450, *Nov.* 27.
2. *Vid. supra* p. 538, 29.
3. *Vid. infra ad* p. 560, 14.
4. *Sed etiam haec pagina, quam scripsit Albertus Scriptoris,* « transfixa est », *et quidem Jacobo Winthorst supplicante et acieute. Vid. an.* 1444, *Jan.* 22 *et* 30, *April.* 6.
5. *Ms.* Peinecher.
6. *Vid. supra* p. 513 *sq.*
7. Mariam de Clivis, *filiam Adolphi ducis de Clivis. Matrimonium cum Carolo duce Aurelianensi an.* 1440, *Nov.* 26, *in villa S. Audomari celebravit* (MONSTRELET, Chron. V, 438. *Vid. de ipsa* P. ANSELME, Hist. généal., 3e éd., I, 208).

Arnoldus Bernardi, qui dum esset in 2° verbo deliberationis sue, Winthorst interrumpendo verbum in ore dixit : « non modicum est infra horam posse ire ad aulam cum domino rectore; faciatis semper, ego scio ad quid tenditis ». Licet diceret : « faciatis semper, » vix tamen audientiam habere potuit dictus dominus receptor, ut deliberaret. Pacienter ergo ut (*Fol.* 72) potuit insultationes dicti Winthorst tolerans prefatus dominus receptor dixit deliberando : « ego eligo magistrum Albertum Scriptoris in procuratorem ». Quo dicto mag. Albertus verbum ad dictum Winthorst protunc procuratorem dirigens dixit : « Domine procurator, que vos motiva habetis, ut hoc petatis ita importune officium nescio; de me scio, quod non aule honor, non prandium, non birretum magistri Johannis Pain-et-chair [1], me movent hoc officium petere hac vice; non hiis carebo, etiam ubi in officio non essem, cum jam a quindecim diebus citra prefatus mag. Johannes de sua gratia, ut hec omnia capturus ad aulam secum venirem, me invitaverit ». Quod in prefatis mag. Albertus verum dicebat, postea claruit certissimo signo, nam dum dictus Winthorst in aula cum domino rectore et aliis veris procuratoribus epitogio nacionis, quod in ecclesia Nostre Domine violenta manu videntibus cunctis a manibus scolaris magistri Alberti acceperat, vestitus sederet, magister noster [2] de novo incipiens magistro Alberto stanti retro post alios birretum misit per bedellum theologie in duplo melius birreto, quod datum fuerat dicto pretenso procuratori Winthorst in eadem aula inter veros procuratores sedenti.

Nunc redeamus unde discessum est. Nec mirum si in hiis inordinatissime gestis consuetus ordo scribendi procurationes non fuerit servatus. Prefata acta sunt in supplicationibus Winthorst et Scriptoris et deliberacione illius, qui sequester et solus mansit, et non alia. Quod se scribit petendo persuasisse per hoc, quod ambos, scilicet dominum receptorem et magistrum Albertum, tentatores fecerat, nec hoc dixit, nec cum veritate dixisse potuisset, quinymo si veritatem dixisse placuisset, dixisset potius quod mag. Albertus pro manutenentia libertatum nationis eundem Winthorst tentatorem procuravit esse in Nostra Domina, unde cancellarium et tentatores illius examinis sibi fecit inimicos permaximos. Deliberatione ergo magistri Arnoldi receptoris, ut premittitur, reddita, Winthorst protunc procurator noluit concludere, timens perdere birretum et prandium, sed ordine perverso aperto libro requisivit magistrum Albertum ad jurandum juramenta solita. Dum autem perventum esset ad juramentum quo cavetur, quod procurator tenetur redigere in scriptis, etc. dixit mag. Albertus bono animo dicto Winthorst : « Domine procurator, post adventum domini receptoris [3] cessavit dispensatio, quam vos et ego in Sancto Bernardo nuper XX^a^ die Februarii anni XLI de hac materia fecimus. Vos debuissetis jam scripsisse acta, etc. » Quo audito letissime respondit dictus Winthorst : « Optime dicitis, ecce que scripsi ». Dicente magistro Alberto, in procuratorem electo, quod idem Winthorst nominando juramenta sequentia procederet, et in fine congregacionis scripta Winthorst legerentur, Winthorst adhuc procurator noluit, quod in juramentis fieret ulterior processus, sed voluit primo sua scripta audiri. Lectis illis dixit sine redeundo ad juramenta : « In hac forma verum est, magistri et domini, quod ego fui oblitus ponere duo alia in deliberacione; primum est, utrum ille, qui fuit per tres menses procurator et nichil scripsit de actis, etc., sit perjurus; secundum, utrum ille, qui fuit per tres (*Fol.* 72^b^) menses procurator sine convocando nacionem super electione, etc. sit perjurus. Iste electus est talis, quia fuit procurator a secunda Junii usque ad festum Ludovici [4] sine congregando nacionem super electione novi, etc. et sine scribendo aliqua in libro nationis. Dico, quod non sunt sibi juramenta propicia, ergo concludo me non habere concordiam ». Ad hoc per ordinem respondit magister, quem dictus Winthorst tangebat, ad primum, quod non debuit congregare nationem super, etc., quia tempus inordinarium erat; ad secundum, quod ex dispensacione quam dicti Winthorst et idem magister Albertus in Sancto Bernardo fecerant non tenebatur scribere illo tempore, nisi illa que essent memoratu digna, que cum non acta fuerunt in illa sua preterita procuratione, nichil scripsit. Dicebat insuper circa hoc, quod Winthorst, qui in sua immediate precedente procuracione omnia scribere debuit, quia jam non duo soli, sed tres fuerant, potius debebat de perjurio redargui, cum nullum verbum fecit de reformacione, quam fecit Universitas in curia conservatoris, ipso Winthorst existente procuratore, nec de privatione pitantiarii de Sancto Germano propter injurias et gravamina illatas piscatoribus missis per dominum rectorem ad *pratum clericorum*.

Post hec omnia dominus receptor et mag. Alber-

1. *Ms.* Pē^r^.
2. *I. e.* Johannes Pain-et-chair.
3. *I. e.* Arnoldi Bernardi.
4. *Vid. supra ad Maii* 5, p. 543, 8, *et* 15, *Jacobus Winthorst Albertum jure de hoc objurgavit.*

tus requisiverunt instantissime dictum Winthorst, ut de electione novi procuratoris, scilicet magistri Alberti, concluderet et juramenta solita ab eodem reciperet; qui Winthorst hoc facere recusavit, tribus vicibus per totam nacionem requisitus eadem hora. Unde nacio precepit Nicolao subbedello, quod libros et claves portaret ad domum magistri Alberti, qui fuit, ut eidem Nicolao constabat, canonice electus in procuratorem. Hiis dum morem gerere voluit preceptis idem Nicolaus, furiosissimo vultu ad eum accurrens Winthorst claves et libros ab eodem violenta manu cepit, eosdem secum deferens quo volebat. Adivit rectorem, qui antedictas et sequentes fatuitates bene [novit] (ei amicus erat, cum cum intrando fecerat rectorem), valida prece orans, ut ei assisteret in hoc fatuissimo processu contra nacionem. Qui dominus rector una cum magistro Joh. Solerii et audientibus dictis domino receptore et magistro et ad partem, maximis eundem Winthorst flagitabant precordiis, ut fatuis absisteret ceptis; de duplo ei birreto dando, ut hoc faceret, promissionem fecerunt ambo, dominus rector et Solerii. Quibus responsum aliud non dedit quam quod honor unius diei valeret centum scuta, quodque clamaret per totam aulam episcopi, si non cum epitogio ire permitteretur cum domino rectore et procuratoribus aliarum nationum ad aulam. Audito hoc dominus receptor et magister Albertus presentibus procuratoribus, qui eum injustam causam, auditis hinc inde partibus, habere dicebant, eundem Winthorst requirebant in Sorbona, ubi rector manebat, per juramentum quod habebat ad observanciam horum consuetudinum et statutorum nacionis, dicto electo daret insignia procuratoris. Dicto Winthorst hoc facere renuente, requisivit nacio dominum rectorem, ut cum requireret per debitum juramenti prestiti desistere; requisivit eum rector, sed facere recusavit. Facta est hec prima requesta per rectorem in (*Fol.* 73) Sorbona. Dum autem perventum esset ad Nostram Dominam, Winthorst in ecclesia illa, videntibus dominis rectore, procuratoribus et multis aliis, violenta manu diu trahendo epitogium cepit ex manibus cujusdam scolaris magistri Alberti, vultu et gestibus furiosissimis. Quo vestitus dixit domino rectori : « Eamus ad aulam ». Requisivit eum rector pro secunda vice in ostio ecclesie versus aulam episcopi per juramentum, ut desisteret. Deinde ante gradus aule pro tercia, et finaliter in ostio aule pro quarta vicibus. Quibus requestis semper respondit, honorem unius diei plus valere centum scutis, quodque servaret illa die honorem et suum et nacionis. Eodem modo respondit nacioni, que eum similiter per juramentum, ut electo cederet, requisivit. Ad aulam ergo hoc modo intravit cum aliis procuratoribus, domino rectore et nacione invitis. Similiter in prandio magistri nostri novi se posuit inter procuratores, magistro Alberto sedente in eadem mensa loco multo bassiori. Dixerunt eidem magistro Alberto honorabiles viri magistri Godefridus Normani [1] et Joh. Boucardi [2], in theologia baccalarii, et plures alii in hac forma : « domine electe » ; et post mensam levatam : « procurator, pacifice bibimus vobis », innuentes, quod pro certo Winthorst habitis birreto et prandio contentus esset admittere electionem procuratoris illa die factam. Ecce quam bene servavit honorem et nacionis et suum. Ille ergo, quem dictus Winthorst defensorem habebit futurum contra nationem Almanie, precedentia rogo scripta legat, percurrat sequentes congregaciones facultatis tres, Universitatis unam, nacionis similiter unam, precedentia quoque manu Winthorst in hoc libro arata diligenter examinet, et nullam ille talis causam sibi tenebit sepedictum Winthorst contra nationes Almanie et Normanie defendendi.

Facta congregacione facultatis artium in Sancto Juliano Paupere XXV^a^ die mensis Septembris super duobus articulis, quorum primus erat ad cedandum et determinandum discordiam precedente die in veneranda nacione Almanorum ortam inter Winthorst et nacionem. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum recitavit dominus rector omnia que in hac materia precedente die in sua presentia acta fuere. Quantum ad secundum recitatis prius per eosdem hiis que predecente die Winthorst fecerat, supplicaverunt magistri Albertus Scriptoris et Arnoldus Bernardi, quatenus Winthorst recepta mercede digna declararetur non esse nec fuisse post ultimam electionem in personam magistri Alberti factam procurator. In [3] contrarium supplicante Winthorst sepedicto pro omnibus istis, con-

1. *De quo ad an.* 1437, *Mart.* 9.

2. *Seu Boeart, colleg.* Gervasii *et* Harcur., *Normann., licent. in theol. an.* 1447 (1448), *Jan.* 27. *De ipso* BOUQUET, L'ancien collège d'Harcourt, p. 138. *Nominabatur etiam* Boucard de Vaucelle. *An.* 1449, *April.* 27, *Nicol. V ei* motu proprio *conferebat canon. Paris.* (Suppl. n° 429, *fol.* 161), *nondum tamen vocatur* confessor regis, *quo munere functus est post Gerardum Macheti* (BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. VI, p. 395). *An.* 1453, *April.* 28, *factus est episcopus Abrincens. Sententiam ejusdem pro* Johanna d'Arc *vid. ap.* LANÉRY D'ARC, Mém. et Consultat., p. 269 *sqq.*

3. *Sequentia usque* p. 559, 7. *lineis deleta sunt, Jacobo Winthorst supplicante et faciente. Vid. an.* 1444, *Jan.* 22 *et* 30, *April.* 6.

clusio finalis fuit hac vice in facultate, quod electio magistri Alberti precedente die facta fuit canonica et legitima, quodque Winthorst nullam rationem habuerat se post factam electionem nominandi procuratorem. Isto non obstante libros nationis, quos ad illam congregationem facultatis per Cornelium subbedellum portari fecerat, violenta manu una cum clavibus procuratoris cepit ex manibus Nicolai subbedelli nostri, eosdem libros et claves (*Fol.* 73[b]) nunc apud magistrum Michaelem scribam Universitatis, nunc apud prememoratum subbedellum Cornelium aliquamdiu reponens, non obstante quod sepenumero eum mag. Albertus requisivit per debitum juramenti, ut ei libros nacionis remitteret et claves.

Anno quo supra, die secunda mensis Octobris, iterum congregata est facultas artium in Sancto Juliano ad importunissimam requestam dicti Winthorst super materia sepe dicta, ubi exposuit natio Almanie multa, que merito perjurii dampnarent dictum Winthorst et a facultate privatione dignissimum, in primis quia contra determinationem facultatis XXV[a] die mensis Septembris in Sancto Juliano factam Winthorst sepedictus se gesserat adhuc pro procuratore usque in hanc diem inclusive, multa enormia falsa predicando ubique de domino rectore, qui non coñformiter voto dicti Winthorst concluserat in novissima congregatione facultatis. Que omnia patent luce clarius in hoc libro ex suis propriis scriptis. Secundo eum privandum dixit nacio Almanie propter multa, et potissime propter novem puncta que de ejus regimine, quo usus fuit dum novem mensibus nationis bona solus regeret, natio facultati ostendere obtulit, quamcito libros suos a dicto pretenso Winthorst recuperasset. In quibus omnia dicebat dicta natio clara esse ex scriptis ejusdem Winthorst. Tertio eum privandum dixit, quia libros nationis una cum clavibus ex manibus Nicolai subbedelli capiendo violenta manu et eos alterius nationis subbedello tradendo, ut supra scribitur, non celavit secreta nationis de directo contra juramentum de celando secreta, etc. Quarto eum accusavit natio perjurii, quoniam statuti, quod de nationis honore servando loquitur, male memor pro birreto et prandio habendo tantas vexationes dedit facultati, in magnum vituperium totius nationis, ut ex precedente plenius colligi poterit. Quinto, quia venit contra statutum de utilitate nationis procuranda, cum libellum diffamatorium presentaverit in Castelleto contra suum procuratorem magistrum Albertum Scriptoris, in quo eundem Scriptoris *nominaverat furem et latronem*, adjungens pro causa, quia afferri fecerat epitogium nationis de domo Rumboldi calopodificis, ubi illud idem ipse Winthorst posuerat. Nominaverat insuper dictum Scriptoris excommunicatum, apostatam, falsarium, diffamatorem illo eodem libello, quem presentavit, ut supra dicitur, in Castelleto et in curia episcopi Parisiensis, prout de hoc libellum ostendit dictus Scriptoris in plena facie facultatis. Hoc in Castelleto dictus Winthorst publicari fecit, ut natio suam causam perderet per inhabilitatem procuratoris, quam ibidem ducebat pro *domo Dacie* contra quendam textorem nomine Gillet Prunier. Sexto, quia non obedivit suo procuratori in licitis et honestis. Septimo et ultimo eum dicebat natio privationem meruisse, quoniam non gessit morem juramento de laudabilibus consuetudinibus observandis, ymmo per expressum fundabatur suus processus contra statutum, quod est in natione de officiariis eligendis secundum pluralitatem vocum. Propter hoc et alia multa, que se dicebat brevitatis (*Fol.* 74) causa tacere predicta natio instantissime requisivit, ut procederetur ad privationem sepedicti protensi (*sic*) Winthorst, ut hoc cedere posset posteris in exemplum.

Post nationem dominus rector cepit verbum contra dictum Winthorst, primo proponens quod ipse Winthorst multis et variis modis vexaverat suam curiam in novissimis placitis, nunc contra magistrum Albertum Scriptoris, ut eundem de loco procuratoris expelleret conviciosissimis verbis invehendo, nunc contra alios octo vel decem notabiliores de tota facultate, quos citari fecerat propter causas, quas dicere non potuit acerrime loquendo. Proposuit secundo, quod ut per certam informationem habuit a tribus vel quatuor diebus citra, in quadam cena presentibus multis, eum dictus Winthorst vocaverat *bejanum*; quocirca requisivit ut secundum suam fatuitatem dictus Winthorst dignam reportaret mercedem. Ad predicta omnia respondit Winthorst se neque debere neque velle respondere, nisi conformiter ad requestam, quam precedente die domino rectori fecerat, congregatio fieret per juramentum, quoniam ardua valde haberet exponere facultati, tradidit tamen hac vice adhuc aliam cedulam diffamatoriam de suo procuratore, quam publice legit ridendo dominus procurator nationis Francie. Lecta cedula illa, inductus fuit Winthorst per quosdam, ut diceret se velle stare dictamini facultatis omni appellatione remota. Post deliberationem ergo nationum, que se ad partem traxerant, conclusum fuit concorditer, quod dictus Winthorst publice in facie facultatis peteret veniam de commissis contra dominum rectorem, contra suam nationem et suum procuratorem, quodque in hujus-

modi materia sileret, sub pena privationis et resectionis perpetue a facultate. Publice ergo petita venia tradidit claves suo procuratori; de libris autem promissionem fecit quoniam infra horam mitteret; quos tamen non misit ante quintam diem, *abcisis ab hoc libro in precedenti quaterno tribus foliis* [1], in quibus de sua manu regimen suum videri potuisset.

Facta est congregacio Universitatis in Sancto Maturino VIIIa die mensis Octobris anno quo supra super avisamento consiliariorum Universitatis de facto *prati clericorum* contra religiosos de Sancto Germano, et multis supplicationibus. Inter ceteros supplicavit Winthorst, quod dominus rector, qui etiam supplicaverat haberi gratus, etc. haberetur deavoatus propter hoc quod litteram ruperat de reformatione curie conservatoris ei presentatam ex parte domini Belvacensis [2]; propter etiam hoc quod male se habuerat dictus rector, ut dicebat, in facto suo contra nationem, quoniam conclusit, ut dicebat, a duabus nationibus, etc. Quantum ad primum stabat Universitas in illo avisamento. Quantum ad secundum habitus est dominus rector avoatus in actis, etc.; sed Winthorst, quia contra inhibitionem (*Fol.* 74b) per facultatem ei factam adhuc in sepedicta materia tacere non voluit, sed jam latius quam ante promulgare pergebat, privatus est a nationibus Francie et Piquardie ad annum, a Normanis quousque repararet, et a nostra simpliciter. Alie facultates remiserunt punitionem ejus ad facultatem.

Decima die mensis Octobris anno quo supra congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano super duobus. Primum erat super electione novi rectoris; secundum super supplicationibus et injuriis. Quoad primum electus fuit mag. Johannes D'Aucy [3], et intravit de natione mag. Arnoldus Bernardi, cujus intrantie se opposuit Winthorst, sed nichilominus processit facultas, quia scivit eum privatum a natione. Quoad secundum supplicavit antiquus rector haberi gratus, etc.

Supplicavit [4] etiam pro privatione Winthorst propter causas supra tactas. Ad idem supplicavit natio Almanie, addens ultra predicta quod certa folia extraxerat ex hoc libro in precedenti codice [5], in quibus multa habebantur de sua propria manu de ejus regimine, etc. Conclusit natio Normanie ejus privationem perpetuis temporibus, nostra similiter, alie due nationes dederunt deputatos. Multam semper amiciciam habuit in natione Piquardie, forsan ideo quod ausus fuit eorum subbedello credere secreta nostra. De ista conclusione sua natio petivit instrumentum a magistro Richardo Wiart nationis Normanie.

Anno quo supra XIIIa Octobris facta fuit congregatio nationis Almanie in Sancto Maturino super finali complemento privationis Winthorst, ut solito more procederet ad tertiam vicem, super etiam supplicationibus et injuriis. Quoad primum vocatus est Winthorst per servitorem nationis, nomine Nicolaum Ledan, ut veniret ad nationem visurus suam finalem et pro tertia vice faciendam privationem nisi causas, etc. Quoad secundum supplicavit dominus antiquus [6] mag. Petrus Corii, et nomine proprio et nomine nationis, quod contra eum falsa et inhonesta scripta Winthorst transfigeret natio; transfixionemque roborari faceret signo scribe Universitatis. Super primo non comparente dicto reo, vesano spiritu presumptuose elationis circumducto, proprie etiam salutis, proprii juramenti prestitique nationi obedire immemore aut verius contemptentore (*sic*), natio attentis prefatis excessibus, molestationibus et delictis pensataque ipsius Jacobi Winthorst rei obstinatione perversa ceterisque attendendis, que secundum Deum et justiciam nationem movere debuerant, habita super hiis dinturna maturaque deliberatione, dictum Jacobum Winthorst reum, suis exigentibus demeritis, tamquam membrum putridum (*Fol.* 75) a suo consortio exclusit, resecuit et privavit, excluditque, resecat et privat perpetuo. Ordinavit insuper natio quod de ista privatione conficeretur littera que sigillata magno sigillo nationis, poneretur ad archam nationis in Sancto Maturino. Conclusio super 2°, videlicet super supplicatione domini antiqui, fuit quod natio annuebat sue supplicationi in forma. A. Scriptoris.

1442

[Continuatio ejusdem.]

Congregata fuit natio Almanorum in Sancto Maturino XXIIa die Octobris anno quo supra ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, et super supplicationibus, etc. Quoad primum continuatus est antiquus procurator mag. Albertus Scriptoris. Quoad 2um habitus est idem gratus, etc.

Eodem anno XXVIa Octobris fuit congregata

1. *Vid. supra* p. 511, *not.* 1.
2. Joh. Juvenalis des Ursins, *ab an.* 1433.
3. Bul., V, 921, *perperam* Arnoldum de Spira *affert*.
4. *Postea partem eam a* Supplicavit *usque ad* in forma (p. 560, 36) *lineis rectis vel transversis deleverunt, supplicante et faciente Jac. Winthorst. Vid. an.* 1444, *Jan.* 22 *et* 30, *April.* 6.
5. *I. e. in praecedenti* quaterno, *quemadmodum refertur supra.*
6. *I. e. rector antiquus a Jun.* 23 *ad Octob.* 10.

Universitas in Sancto Maturino super tribus. Super lectura littere misse Universitati ab oratoribus ejusdem existentibus in sacro *Concilio Basiliensi* super tuitione privilegiorum Universitatis et manutenentia libertatis status ecclesiastici, quam jam multipliciter impugnare videbantur quidam lagici gubernatores civitatis Ambianensis, prout episcopus Ambianensis [1] Universitati etiam hac vice conquerendo significavit; et finaliter super supplicationibus, etc. Quoad primum conclusit Universitas velle exhortari supremum dominum nostrum regem et alios reges et principes ad laborandum pro unione sancte matris ecclesie, et habuit Universitas gratam expositionem credentie magistri Joh. Balie [2], qui adduxerat litteras ambassiatorum. Quoad secundum exposuit rector et scripsit hoc idem episcopus Ambianensis, quomodo a pauco tempore citra gubernatores seculares villarum Ambianensis et Abbatisville fecerant edictum et proclama quod nullus burgensis emeret vina per mensuras minutas, que spectarent viris ecclesiasticis, quantumcumque privilegiati essent in magnum, ut dicebat dominus rector, prejudicium, etc. Quoad hoc conclusit Universitas capere factum illud tamquam suum proprium. Quantum ad tertium supplicavit rector, quia novus erat, pro assistentia, etc. quod concessum est. Supplicavit prepositus Parisiensis [3] ymmo precepit, quod non legerentur littere nobis misse a sacro Concilio Basiliensi neque aperirentur, antequam presentate essent in consilio regio [4]. Quando sic supplicavit, jam lecte erant; supplicavit idcirco quod congregatione facta haberet eas. Item supplicavit quidam pro officio papietariatus. Item supplicavit mag. Joh. Balie pro assistencia (*Fol.* 75 b) contra quoscumque molestatores, quos forsan futuros haberet occasione litterarum, quas portaverat de Basilea. Omnes iste supplicationes concesse fuerunt, dempta supplicatione prepositi, ymmo egre cepit Universitas requestam, qua petebat litteras Universitatis videri ab eo vel aliis, quam ab Universitate.

Facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino anno predicto XVIa die mensis Novembris super facto privilegiorum et supplicationibus. Quoad primum exposuit dominus rector, quomodo a paucis diebus citra multi impositi erant ex officiariis Universitatis ad magnas summas per modum mutui dandas domino bastardo Aurelianensi ituro pro levando obsidionem de villa de Diepe [5], et quomodo de facto multi ex officiariis incarcerati essent in *Bastilia*. Quoad hoc concluse sunt ex nunc cessationes a sermonibus, casu quo post intimationem eis per dominum rectorem faciendam molestatores illi non cessaverint officiariis nostris molestiam inferre. Quoad secundum supplicavit quidam abbas Ordinis Premonstratensium, quod Universitas inhiberet domino conservatori [6], ne cognosceret de quadam causa pendente in curia conservatoris inter eundem abbatem et quendam juvenem sui Ordinis, qui se tenet penes [mag.] Haneron in collegio cardinalis Monachi. Ad oppositum supplicavit Haneron. Quoad hoc abbatis supplicatio interempta est. Supplicavit mag. Jacobus de Brugis, quatenus rector nomine Universitatis visitaret *collegium Lumbardorum* visurus ibidem, si nationi Piquardie et maxime Tornacensi aliquod jus inibi incumberet. Ad oppositum supplicavit procurator Francie, dicens visitationem illius collegii nuper factam fuisse per nationem suam. Conclusum fuit, quod rector cum deputatis Universitatis visitaret prefatum collegium.

Congregata fuit veneranda natio Almanorum anno quo supra, XXIIIIa Novembris, super resumendis sermonibus et super supplicationibus et injuriis. Quoad primum dicebat dominus rector, quod de nuper incarceratis suppositis Universitatis, occasione quorum aliquamdiu cessatum fuit a sermonibus, restabant soli duo expediendi, an placeret non obstante, etc. resumere sermones. Conclusio fuit quod non, nisi omnes expedirentur, qui incarcerati fuerant de nostris. Quoad secundum supplicavit Milet [7], electus in episcopum Suessionensem, pro eo scribi ad dominum cancellarium [8] pro sua confirmatione. Quod concessum fuit in forma.

Prima Decembris facte sunt processiones ad Sanctum Maglorium, et ibi resumpti sunt sermones.

A. Scriptoris.

1. *Mag.* Joh. L'Avantage, *an.* 1422, *Sept.* 14, *canon. Paris.* (Mém. de la soc. de l'histoire de Paris, IX, p. 149), *fuit episc. Ambianens. ab an.* 1437, *April.* 27 (*ab an.* 1434 *praepositus eccl. S. Petri Insulens.*, Suppl. Eug. IV, n° 285, *fol.* 20 b) (Oblig., n° 66, *fol.* 33 b). *An.* 1418 *subdiac.* (*Morinens. dioec.*), *mag. art. Paris. et in medicina bacc.* (Suppl. Mart. V, n° 112, *fol.* 63), *sed jam an.* 1420 *ut mag. regens Parisiis affertur, et* 1423, *Philippus dux Burgundiae pro ipso ut suo familiari et medico supplicat* (*ibid.*, n° 161, *fol.* 210 b). *Ipsius et ducis Brabantiae consiliarius.*

2. *Seu* Baylle, *nat. Picard.*

3. Ambrosius de Loré.

4. *Idem omnino ut an.* 1394; *tunc Universitas se opposuit.*

5. *Ut liberaret ab Anglis cum exercitu venit* Ludovicus delphinus, *et una cum eo* Johannes *bastardus Aurelianens., comes de Dunois. Vid.* Berry, Chron., *ed.* Godefroy, p. 429; J. Chartier, Chron., II, 38. *De istis impositis non loquuntur.*

6. Joh. Juvenali des Ursins, *episc. Belvacensi.*

7. Reginaldus de Fontanis *Septemb.* 5, *defunctus est. Mag.* Joh. Milet, *a capitulo jam* 1442 *electus, an.* 1443, *Febr.* 15 *in consistorio Romae confirmatus* (Obligat., n° 66, *fol.* 62).

8. Reginaldum de Carnoto.

Fol 76 Decima quarta mensis Decembris anni supradicti congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano super duobus. Primum erat ad eligendum novum rectorem; secundum super supplicationibus. Quoad primum electus fuit mag. Balduinus Beghyn [1], et intravit pro natione mag. Albertus Scriptoris. Quoad 2^{m} supplicavit antiquus haberi gratus, etc.; quod concessum est.

1442

[Continuatio ejusdem.]

Decima sexta Decembris anni ejusdem congregata fuit natio Almanorum in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus communis super supplicationibus, etc. Quoad primum continuatus fuit antiquus. Quoad secundum habitus fuit gratus.

1443

[Continuatio ejusdem.]

Anno quo supra XIIII^a die Januarii congregata fuit natio Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus ad dispensandum super statuto vel juramento procuratoris de redigendo singula in scriptis, que suo tempore aguntur in Universitate, etc. Tertius communis super supplicationibus, etc. Quoad primum continuatus fuit antiquus videlicet mag. Albertus Scriptoris. Quoad secundum placuit dispensare, quamdiu tres soli essent vel infra in natione; quod solum memoratu digna redigerentur in scriptis. Quoad tertium habitus fuit gratus procurator antiquus, quod etiam satis patet ex continuatione ejusdem.

Ut spacium habeatur ad ea scribenda, que memoratu digna acta fuere tempore magistri Arnoldi Bernardi, qui fuit electus procurator XI^a Februarii anno quo supra et stetit usque ad ultimam Marcii, sequentes paginas duas vacuas dimisi sine scripto; si que memorie commendanda acciderint tempore prefato, poterit scribere, dum venerit [2]. A. Scriptoris.

1443

Procuratoria magistri Arnoldi Bernardi.

(*Fol. 76* [b]) Congregata natione Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XLII°, mensis Februarii die xi^a, ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, et super supplicationibus et injuriis, electus fuit in procuratorem mag. Arnoldus Bernardi, et antiquus procurator conformiter ad suam suplicationem habitus est gratus et avoatus in suis actis, etc.

Facta fuit congregatio facultatis apud Sanctum Maturinum ad requestam nacionis Normanie anno quo supra, mensis Marcii die nona, super facto quorundam scolarium nostre nationis, videlicet Petri de Francfordia, Nicolay de Prucia et Nicolay de Slecia, ad gradum baccalariatus promoveri volentium; et super supplicationibus et injuriis. Quoad primum proposuit mag. Radulphus Morini, nationis Normanie, pro parte dictorum scolarium, quatinus dicti scolares non poterant hoc anno cum aliis scolaribus nationis Almanie ad gradum baccalariatus in artibus promoveri, qui tamen, ut idem magister Radulphus dicebat, ydonei erant ad hoc moribus et scienciis, suplicans idcirco (quia per nacionem Almanie admitti non poterant), quod per totam facultatem admitterentur. Ad que, premissis protestacionibus quod si quid contra libertates, statuta et francisias sue nationis aliquid fieret, remedium quererent oportunum, responderunt procurator et receptor venerande nacionis Almanie quod scolaribus illis nullam injuriam fecerant, et ut de hoc veritas amplius constaret, petierunt sibi dari deputatos. Et dati sunt finaliter eadem die trium nationum deputati, quorum nomina sequuntur, videlicet pro natione Francie procurator nationis, nomine mag. Victor Textoris, mag. Egidius Houdebin [3]; pro Picardia mag. Joh. Haneron, pro tunc ejusdem nationis procurator, et mag. Nicolaus Coquerel; pro natione vero Normanie procurator dicte nationis nomine mag. Joh. Amici et mag. Petrus Corii.

XVII^a Marcii anni XLII, congregatis jamdictis deputatis in domo domini protunc rectoris, videlicet magistri Balduini Beghin, audita est natio in suis rationibus contra dictos scolares. Auditi sunt etiam scolares cum suorum testium depositionibus de tempore habito et libris auditis tam Parisius quam alibi; et ut tutius ageretur, lecta sunt coram dictis deputatis statuta facultatis cum statutis nationis Almanie articulum presentem tangentia. Tandem attentis et consideratis singulis ex utraque parte productis, deliberaverunt dicti deputati concorditer nemine

1. Bul., V, 921, *perperam* : Anselmus de Cantabrigia, nat. Angl., *cujus nomen tunc minime nationi Angl. ascriptum erat.*
2. *Ex quo sequitur*, Albertum Scriptoris *prius acta ab ultimo Martii scripsisse, quam Arnoldum acta Februarii.*
3. *An.* 1445 (1446), *Febr. 7, lic. in theol. Jam an.* 1437 *presb. et bacc. formatus in theol.* (Suppl. Eug. IV, n° 327, *fol.* 176).

reclamante, quod dicti scolares nec debebant nec poterant salvis statutis nedum nationis verum etiam facultatis et papalibus, hoc anno ad gradum baccalariatus in artibus promoveri. A quorum deputatorum sententia prefatus mag. Radulphus Morini dixit quod appellabat. A. Bernardi.

(*Fol.* 77) X^a^ die mensis Marcii anno quo supra facta est congregatio alme matris Universitatis apud Sanctum Maturinum ad eundum processionaliter ad Sanctum Maglorium, et super supplicationibus et injuriis. Verum, quia dicta die reverendus in Christo pater episcopus Parisiensis instituerat processiones generales celebrari per totam civitatem Parisiensem pro conservatione et manutenentia domus hospitalitatis Parisiensis, quidam nomine ipsius ac dominorum de consilio regio suplicaverunt, ut Universitas dimisso loco assignato precedenti die *in cedulis domini rectoris in conis vicorum affixis* iret processionaliter cum episcopo ad Nostram Dominam. Super quo, quia alias concordia haberi non potuit, retracte sunt singule facultates et nationes ad partem. Conclusit facultas artium ire ad locum assignatum per dominum rectorem et non alibi, et, casu quo alie facultates non ita vellent, se opponebat. Alie vero tres facultates annuerunt supplicationi facte pro parte episcopi. Tandem tamen post moram prolixam dominus rector requisivit singulos in artibus graduatos quarumcumque facultatum sub debito juramenti, ut secum processionaliter irent ad Sanctum Maglorium; quod dum facerent singuli artiste, omnes alii sequuti sunt.

Facta est congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem XIIII^a^ Marcii, et conquestus est dominus rector de magistro Nicolao de Capella [1], qui quendam excessum fecerat ultra suum juramentum domino rectori prestitum, videlicet quia dictus de Capella predicaverat publice ad Nostram Dominam eadem die, qua Universitas suas faciebat processiones; quod facere non debuit, quia moris est *nullus alius fiat sermo Parisius in die processionum Universitatis, quam sermo Universitatis.* Et conclusum est per singulas nationes, ut dictus de Capella veniret in proxima congregatione facultatis ut [2] causam motivam sue predicationis palam diceret et cujus precepto hoc fecerat, etc. [3].

Ultima Marcii anni predicti facta est congregatio facultatis apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat super excusatione magistri Nicolay de Capella quantum ad ejus excessum; qui personaliter non comparuit, sed per alium excusari se fecit, unde facultas non fuit contenta, nec habita est concordia super facto suo, et voluit facultas, quod prefatus de Capella personaliter compareret coram facultate artium suas rationes explicandas. Quantum ad secundum suplicavit mag. Radulphus Morini, ut sui tres scolares nostre nationis admitterentur, non obstante sententia deputatorum in contrarium data, prout visum est in secundo capitulo presentis pagine. Item suplicavit, ut sua appellatio haberet locum et quod prenominati scolares admitterentur per facultatem, si non possent admitti per nationem nostram. Super quo nulla concordia habita est, quia Normani dederunt dictos scolares nationi Francie; Francigene autem tunc erant pro nobis et tenuerunt dictum deputatorum, nec volebant dictos scolares promoveri; Picardi autem ad videndum omnia planius dederunt novos deputatos. A. Bernardi.

(*Fol.* 77^b^) Anno quo supra, ultima die mensis Martii, recedens dominus procurator mag. Arnoldus Bernardi substituit me Albertum Scriptoris.

Prima die Aprilis anni predicti congregata facultate in Sancto Juliano ad audiendum purgationem planiorem illius de Capella, qui predicaverat extra Universitatem Parisius tempore processionum; et super supplicationibus, etc. Quantum ad primum proposuit rector, quatenus dictum de Capella fecerat citari ut, etc. Qui veniens ad dominum rectorem, ut idem rector ibi dixit, allegavit legitima impedimenta, que ei emanabant ex consilio regio; quare petiit excusatus haberi illa vice; quod concedebatur. Quoad secundum, venit iterata vice mag. Petrus Maugier una cum mag. Levino Neuelinc [4], supplicans pro receptione illorum trium scolarium rebellium nostre nationis, quos nuper solemnes deputati facultatis concluserant non debere admitti nedum secundum nostre nationis statuta neque etiam secundum papa-

1. *De nobili genere, baccal. theolog. Paris. et legum Andegavens., etiam* 1436, *ducissae Alençonii et Caroli regis consiliarius, can. Narbonn.* (Suppl. Mart. V, n° 106, *fol.* 49; n° 141, *fol.* 265; Eugen. IV, n° 289, *fol.* 162, *etc.*). *Ab ipso distinguendus est alter ejusdem nominis,* Ord. Min., *lic. in theol. an.* 1429, *Dec.* 31, *e.* lib. bedelli fac. theol. p. 95; Catal. licent., *ubi* Nicolaus de Campello *nominatur.*

2. *Ms.* ad.

3. *Martii* 24 *electus est novus rector* Odo de Credulio, *nat. Gallic., quem juste etiam* Bul., V, 921, *affert.*

4. *Ambo mag. regentes facultatis decret.* Petrus Maugier *an.* 1426 *lic. in decr. tunc officialis Paris. fuit;* Livinus Neuelinc (Nyevelin, *utique* niuwelinc, *i. e.* novellus), *jam an.* 1415 *decanus fac. decret., tune etiam palatii regii canon. erat* (*vid.* Bibl. Arsen., *ms.* 1123, *fol.* 12) *et canon. S. Donatiani Brugens. Tornacens. diocc., annoque* 1440, *Jun. petivit decanatum S. Germani Autissiodorens. Paris.* (Suppl. Eug. IV, n° 359, *fol.* 64^b^).

lia. Locutus est etiam mag. Levinus pro eisdem scolaribus. Ad oppositum supplicavit, ymmo verius requisivit [natio] stando semper in suis protestationibus, videlicet quod casu quo etc. Partibus hinc inde auditis concluserunt Normani eos dignos admissione, non obstante conclusione deputatorum, qui solum tractaverant de eorum formalibus et non tentaverant aliquo modo, quia ad hoc non dati erant. Concluserunt insuper Normani eos dare Gallicis, casu quo nostra natio eos non admiserit. Almani steterunt cum conclusione deputatorum, similiter Gallici; sed Piquardi dederunt novos deputatos ad videndum de formalibus.

Sexta die Aprilis anno quo supra congregata fuit post prandium facultas artium in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus ad ponendum baccalarios secundi mensis (*Fol.* 78) in cameris examinis Sancte Genovefe. 2us erat communis. Quantum ad primum positi fuerunt more solito baccalarii in cameris et recepta juramenta ab eis et examinatoribus. Quantum ad secundum supplicaverunt iterato, credentes tandem semel impetrare, magistri Petrus Maugier et Radulphus Morin pro receptione et admissione scolarium sepedictorum. Ad oppositum supplicavit procurator nationis, allegans precedentes conclusiones et deputatorum et facultatis, allegans etiam quod, dato quod haberent sua formalia, que non habebant, non essent adhuc sic admittendi sine examine in moribus et scientiis. Allegavit finaliter quod tanta materia que ita concernebat visceraliter statuta et libertates nationis, in qua etiam antea cum tanta gravitate processum fuerat, non tractaretur ibi ita currenter, maxime in tali congregatione ubi frequenter mille alie materie tractantur, quam de ponendo scolares ad cameras. Quoad istud Gallici et Normani dixerunt eos dignos receptione; Picardi vero et Almani dixerunt ad oppositum. Conclusit rector, qui Gallicus erat, nomine magister Odo de Credulio, a sua natione et Normanie, quod dicti scolares digni erant receptione, duabus aliis nationibus se opponentibus.

Congregata matre Universitate XI^{a} die Aprilis super certis articulis in Sancto Maturino, venit mag. Radulphus nationis Normanie, qui semper contra nationem nostram portavit factum illorum trium rebellium scolarium de quibus supra, videlicet Petri de Francfordia, Nicolai de Prucia et Nicolai de Slecia, supplicans per singulas nationes ad partem, ut pro prefatis scolaribus examinandis darentur de qualibet aliarum nationum a nostra duo examinatores, quos dederunt Gallici et Normani, sed quia alie due nationes erant ad oppositum, rector nichil de hoc conclusit.

[Recepta [1] a baccalariis hujus anni :

A domino Lamberto Schont, dioec. Trajectensis, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, pro suis bursis et scolis, III lib. X sol.

A Nicolao de Dursten, cujus bursa IIII sol., et pro scolis XXX sol., qui propter inopiam non solvit, sed obligavit se sub pena excommunicacionis satisfacere nacioni infra festum Sancti Johannis nuper elapsum, et est obligacio penes magistrum Robertum de Molendino, decanum ecclesie collegiate Sancti Hermetis de Renays. Summa debiti dicti Nicolay XLVIII; sed hic nichil.

Ab Urbano Hertsy de Hungaria, pro bursis et pro scolis, qui quasi pauper erat, XXIIII sol.

Item [2] a domino Nicholao Flugge, dyoc. Wladislaviensis [3] in Prusia, pro bursis et scolis IIII lib. XV sol.

Item a domino Petro Leubinc [4], dyoc. Maguntinensis, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Item a domino Nycholao Rothen, Wradislaviensis [5] dyoc., cujus bursa IIII sol.

Sequitur licenciatus hoc anno.

Licenciatus est hoc anno dominus Henricus de Merxsen, incepturus sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa VIII sol., qui non solvit, sed tenetur nacioni pro dicta licentia in XL sol., sed hic nichil.

Sequitur nomen incipientis.

Incepit hoc anno dominus Henricus de Merxsen sub venerabili viro magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa VIII sol. Item pro jocondo adventu

1. *Quae inter uncos inclusa sequuntur* (*usque* p. 569, 8), *desumpsimus e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 30), *quia in* lib. procur. *nomina determinantium desunt, ubi tamen breviter ad April.* 6 *licentiatus et incipiens, scil.* Henricus de Marxen *annotatur.*

2. *Tres sequentes in* lib. recept. *ad an.* 1444 *afferuntur* (*fol.* 32), *sed ad quemlibet adjungitur :* qui determinavit anno preterito sub mag. Alberto Scriptoris.

3. *Seu* Cujaviens. (Leslau). Nicolaus Flugge *de Danzig an.* 1437 *in Universitate* Rostockens. *intitulatus* (Hofmeister, Matrikel, I, 58), *an.* 1440 Lipsiae (Perlbach, Prussia scholast., p. 83, 132).

4. *Fortasse fratre* Henrici Leubing, *leg. doctor., archiepisc. Maguntinens. cancellarii* (Suppl. Eug. IV, n° 372, *fol.* 146).

5. *l. c.* Wladislaviens., *ut prius, non confundend. cum* Wratislaviens.

XXXII sol. Item pro cappa rectoris VIII sol. Summa tam bursarum tam in licencia quam in sua inceptione VI lib. paris., de qua summa solvit solum XXVIII sol.; de reliquo vero manet obligatus nacioni sub pena excommunicacionis coram scriba officialis domini cancellarii, videlicet magistro Sunone Clerici, hic XXVIII sol. Restant per dictum magistrum Henricum solvendum nacioni IIII lib. XII sol.]

Anno quo supra XII^a Aprilis congregata fuit facultas in Sancto Maturino super duobus. Primum erat ad cedandum quamdam difficultatem ortam ex hoc, quod examinatores primi mensis fecerant de primo Gallico secunde camere (*Fol.* 78^b) primum Piquardum, de primo Piquardo almanisatum [1], de almanisato primum Gallicum. Secundum erat super supplicationibus. Quoad primum habuit verbum quidam qui ista occasione negaverat sic transpositis *placet*, cognomine Potti et mag. Nicolaus Coquerell, qui Coquerell hoc dicebat factum fuisse in magnum prejudicium nationum Francie et Piquardie, quia, ut dicebat, ultimus Gallicus et similiter ultimus Piquardus, ubi essent etiam debilissimi ratione nationum precederent Normanos et Almanos saltem suarum camerarum. Protestatus est etiam circa istud procurator nationis Almanie, quod casu quo ista transpositio admitteretur per facultatem, natio sua, ubi decetero haberet bonum clericum, posset de suo facere primum Gallicum cum quo esset in cameris. Quoad secundum supplicaverunt examinatores, qui dictam transpositionem fecerant, haberi grati. De primo dixit major pars Gallicorum, inter quos per id temporis deliberabat procurator nationis Almanie, quod primus ordo, scilicet temptatorum, maneret, et non ordo examinatorum; verumptamen procurator reddendo deliberationem nationis dixit, quod Piquardus primus maneret in suo loco primo, et Gallicus primo primus Gallicus, et per examinatores factus primus Piquardus, esset almanisatus, et almanisatus secundum ordinem temptatorum et per examinatores factus primus Gallicus maneret primus Gallicus. Reclamantibus multis de natione, Piquardi steterunt cum ordine temptatorum, Almani similiter; sed Normani cum ordine examinatorum. Conclusit rector a suo procuratore et natione Normanie, reclamantibus aliis duabus nationibus. De secundo nichil aliud fuit conclusum.

Anno [2] quo supra, XII^a die mensis Junii, congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super facto *prati clericorum*. Secundus communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum exposuit mag. prati, quatenus a paucis diebus citra multe injurie et violentie ei illate fuerant in prato predicto per abbatem Sancti Germani [3] et suos, dum dictus magister ibidem capi procuraverat oves et cetera animalia dicti abbatis, quodque non obstantibus istis et ultra ista dictus abbas et conventus Sancti Germani eundem magistrum prati adjurnari fecerant ad curiam parlamenti et etiam Castelleti. Dixit insuper dominus rector, quod dictus abbas trina vice fuerat vocatus per juramentum, ut veniret ad Universitatem responsurus quod justum. Quoad istud abbas privatus fuit ab Universitate. Quoad secundum nullus supplicavit.

(*Fol.* 79) Facta fuit congregatio nationis Almanie in collegio de Boncourt [4] XVIII^a die Junii anni M^i CCCC XLIII super duobus articulis. Primus erat ad manutenendum libertates et jura nationis in collatione bursarum Universitatis. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum proposuit procurator, quatenus nuper vacavit una capellania ad collationem Universitatis, que cecidit sub turno nationis. Quoad secundum supplicavit idem procurator nomine Albertus Scriptoris, quod natio eum in prima congregatione celebranda in Universitate presentaret, recommendando more solito et consueto in suppositis aliarum facultatum et nationum. De primo fuit conclusum per nationem, quod ipsa volebat totis viribus prosequi manutenentiam sui turni. De secundo concessit natio supplicationem procuratoris. A. Scriptoris.

Congregata in Sancto Juliano Paupere facultate artium super electione novi rectoris etc., XXII^a die mensis Junii, anno quo supra, veniens ad facultatem in articulo supplicationum mag. Jacobus Winthorst dixit hec verba : « Honorande domine rector et vos reverendi magistri et patres ! Alias ego dixi mirabilia contra magistrum Albertum Scriptoris dominum meum procuratorem in hoc loco et alibi, verbis et scriptis multipliciter ledendo famam sue persone. Que omnia dixi et scripsi ex mala et sinistra informatione quorundam, quibus Deus parcat. Quocirca omnia predicta revoco et habeo pro non dictis. Nos sumus boni amici. Supplico, nemo interponat se de nobis. Ista est supplicatio mea. » Deinde facta retrac-

1. *Sicut antea dicebatur* anglicatum. *Vid. infra ad an.* 1449, *Maii* 29.

2. *Haec rubrica scripta est fol.* 79^b *ante Jul.* 3. *Jam fol.* 78^b *eadem, paucis tamen verbis comprehensa, annotantur; abbas* declaratus perjurus, quia quater vocatus renuit venire.

3. Herveum Morillon (Mourilion), *abb. S. Germani ab an.* 1438, *Mart.* 16 (Oblig., n° 66, *fol.* 42).

4. *Seu* Becodiano.

tatione nationum ad partem, venit ad nostram nationem humilline petens veniam ab eadem et a dicto magistro Alberto Scriptoris. Supplicavit etiam reincorporari ad nationem, a qua, ut supra (*Fol. 79*[b]) diffuse patuit[1], fuerat privatus. Natio, super hoc habita deliberatione matura, conclusit, eundem, quia ad matris gremium revertebatur cum humilitate, reincorporare, hoc pacto quod infra annum non haberet officium principale in natione, ut puta procurationis vel receptionis, quia[2] alias, ut premissum est, extraxerat quedam folia ex hoc libro, quodque inviolabiliter et totis viribus teneret conclusionem nationis captam contra tres illos scolares, qui nationi rebelles fecerunt se baccalarios fieri per nationes Francie et Normanie, Picardis una cum Almanis sepenumero reclamantibus. Conclusit insuper natio, quod dictus Winthorst predicta duo se facturum et impleturum juraret in presentia duorum de alia natione. Quod[3] ita faciens idem Winthorst reincorporatus est presentibus magistris Johanne Solerii et Johanne Philippo de Grillis. In tota facultate fuit conclusum, quod facultas congratulabatur reconciliationi dicti Winthorst cum suis natione et procuratore magistro Alberto Scriptoris.

Decima tertia Julii anno quo supra, videlicet XLIII°, congregata Universitate in Sancto Maturino super facto privilegiorum ad obviandum gravaminibus, que inferebantur quibusdam de suppositis Universitatis occasione impositionis et talie, supplicavit procurator nationis, ut turnus eidem servaretur pro primo beneficio ad collationem Universitatis (*Fol. 80*), casu quo mag. Gherardus Pinoti, quem nuper Universitas, dum nationi pro suo turno provideret, credebat mortuum, adhuc viveret, sicut nova depost adducta famabant. Quod concorditer nemine reclamante concessum est.

Facta fuit congregatio Universitatis anno quo supra XIII[a] die mensis Augusti apud Sanctum Bernardum super tribus articulis. Primus erat super facto *prati clericorum* et abbatis Sancti Germani. Secundus ad audiendum lecturam quarumdam litterarum missarum ad Universitatem a studio et cancellario[4] Montispessulani. Tertius communis, etc. Quoad primum, abbas Sancti Germani, qui in propria comparuit promittens cassare et anullare omnia per ipsum tam in Castelleto quam in parlamento contra Universitatem et suos attemptata, reincorporatus est eo pacto, quod tales annullationes prius adimplerentur. Pro pace autem futuris temporibus inter Universitatem et conventum Sancti Germani melius tenenda elegit abbas et similiter conventus pro parte sua duos arbitros, quibus dabant dicti abbas et conventus in premissis tractandis cum certis a matre Universitate deputandis plenariam potestatem, ostenso super hoc in Universitate procuratorio sigillis dictorum abbatis et conventus signato. Quoad secundum super grata communicatione litterarum suarum, que continebant oblationes laborandi loco et tempore oportunis pro suppositis Universitatis, regratiabatur Universitas rectori, cancellario, magistris et dominis studii Montispessulani. Quoad tertium supplicavit Maugier pro parte duorum scolarium magistri Levini Neueline[5], ut Universitas eis daret adjunctionem in certis suis agendis. Que supplicationes concesse fuerunt in forma.

Tribus immediate precedentibus annis continuo fuit regens modernus procurator magister Albertus Scriptoris. A. Scriptoris.

1443

(*Fol. 80*[b]) Procuratoria magistri Johannis de Dorlo, de civitate Trajectensi, anno 1443.

Facta fuit congregatio nacionis Alemanie apud Sanctum Maturinum anno Domini 1443°, 26[ta] Augusti, super duobus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Secundus super supplicacionibus et injuriis, ut moris est. Quantum ad primum placuit nacioni concorditer honorare magistrum Johannem de Dorlo[6], quondam regentem in vico Straminium, qui a triginta duobus annis citra protunc non fuerat Parisius, onus procurationis ejusdem nacionis eidem imponendo. Quantum ad secundum supplicavit mag. Albertus Scriptoris, venerandus procurator precedens, ut haberetur persona sua et acta circa facta nacionis recommendata, etc. Nacio diligenter personam suam et facta ejusdem attendens, videlicet quomodo ipse per multos annos et novissime per tres continuos optime, deifice[7] et multum eleganter nacionis curam habuit, aliquando se solo, aliquando paucis sibi suffragantibus, eleno-

1. *Postea verba* suis demeritis *deleta sunt.*
2. *Verba* quia... libro *deleta sunt.*
3. *Verba* Quod... Winthorst *deleta sunt.*
4. *I. e. episcopo Magalonensi, tunc Roberto de Rouvers, qui tamen quasi semper abfuerat et vicarios generales substituerat. Vid.* Gall. christ., VI, 801.
5. *Doctoris decret.*
6. *Interim Parisios reversum. An.* 1409 *determ. in art. Vid.* p. 48, 7. *Fuit illegit. natal.* (Suppl. Eugen. IV, n° 318, *fol.* 116).
7. *Ut hodie in Prussia dicitur :* göttlich.

dia nacionis custodiendo et conservando, jura ejusdem et honorem manutenendo, eundem venerabilem magistrum Albertum Scriptoris et facta sua habuit pro multum recommendatis, omnia sua acta ratificando, approbando et laudando.

1443

[Procuratoria mag. Alberti Scriptoris.]

Facta fuit congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino, XVI[a] die Septembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum, etc. Secundus super supplicationibus. Quantum ad primum electus fuit mag. Albertus Scriptoris in procuratorem. Quantum ad secundum habitus fuit gratus et avoatus antiquus procurator [1].

Congregata matre Universitate in Sancto Maturino VII[a] die Octobris super certis articulis, conclusum extitit per Universitatem, quod placuit gratia quam facultas theologie fecerat a paucis diebus citra Mendicantibus, videlicet quod ad impetrandum revocationem bulle alias impetrate haberent dilationem usque ad instans festum Assumptionis Beate Marie, sic tamen quod tempore pendente viverent lege et modo in appunctuamento, quod nuper [2] in Universitate iidem Mendicantes passaverant, expressis.

A. Scriptoris.

(*Fol. 81*) Nona die mensis Octobris, anno quo supra, congregata fuit natio Almanorum in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad distribuendum scolas, quod nuper in festo sancti Mathei, *quia memorie non occurrerat*, neglectum fuit. Secundus erat communis, etc. Quoad omnia ista, concesse fuerunt magistro Alberto Scriptoris scole *septem artium*, et fuerunt ejus fidejussores dominus receptor et magister Jacobus de Gouda [3], scole vero supra scolas artium fuerunt concesse magistro Jacobo de Gouda et facti sunt fidejussores ejus dominus receptor et [A.] Scriptoris. Placuit etiam nationi quod mag. Nicolaus de Mara [4], natione Normanus, haberet alias scolas prope magistrum Jacobum de Gouda pro VIII sol. annuatim.

Decima die Octobris electus fuit in rectorem Universitatis mag. Petrus Richier [5] in Sancto Juliano Paupere. Supplicavit ibi mag. Jacobus Winthorst pro regentia, et Albertus Scriptoris pro quibusdam scolis pro quodam Gallico regente in domo ejus. Que concessa fuerunt.

Decima nona die mensis Octobris anno quo supra congregata Universitas in Sancto Maturino recepit litteras serenissimi principis domini Imperatoris, quibus requirebatur eadem Universitas, ut exhortaretur supremum dominum nostrum regem ad comparendum vel ambassiatores mittendum ad *dietam Nornburgensem* [6] circa instans festum Martini super terminatione sc[h]ismatis celebrandam, quodque eadem Universitas mittere vellet suos ambassiatores. Conclusum fuit, quod dande essent grates domino imperatori (*Fol. 81*[b]) super piis exhortationibus suis et grata communicatione suarum litterarum. Placuit etiam scribere domino regi, etc. A. Scriptoris.

1443

[Procuratoria mag. Jacobi de Gouda.]

Facta fuit congregatio nationis Almanie anno quo supra, mensis Octobris die XXI[a], in Sancto Maturino hora consueta, super duobus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus fuit super supplicationibus. Quantum ad primum electus fuit concorditer mag. Jacobus de Gouda. Quantum ad secundum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus in sua procuratoria. Cujus supplicatio fuit concessa. Item mag. Jacobus Winthorst, quia alias privatus a natione et eidem reconsiliatus, adjecto quod infra annum non instaret in natione pro aliquo officio habendo, supplicavit, ut nacio super illo vellet secum dispensare et ad officia exercenda ipsum abilitare. Super quo fuit conclusum, quod nacio haberet visitare librum suum et demerita sue privationis; illo peracto nacio graciose ipsum tractaret. Ja. de Gouda.

1443

[Continuatio ejusdem.]

Item anno Domini M° CCCC° XLIII°, mensis Novembris die XVIII[a], facta fuit congregatio venerabilis nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum

1. *Ad Septemb.* 21 *in* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H. 2587, *fol.* 31[b]) *annotatur, in receptorem electum esse mag.* Johannem de Dorlo, *oriundum de civitate Trajectensi, beneficiarium in eccl. S. Salvatoris ibidem.*

2. *An.* 1442, *Dec.* 2, *pollicebantur Mendicantes, se litteris ab Eugenio IV impetratis non usuros, laboraturos, ut papa easdem revocaret; observaturos leges studii Paris. Vid.* Bul., V, 522.

3. *Qui etiam interim Parisios reversus erat.*

4. *De* Nicolao de Mara *vid.* Rev. des bibliothèques, I, 1891, p. 18, *sq.*

5. *Perperam* Bul., V, 921 *in sua* Nomenclatura *affert* Christophorum de Parma Italum.

6. *Sed* Fridericus III *ipse an.* 1444, *tantum, mense Aug., venit. Vid.* Chmel, Regesta Friderici IV regis Romanorum, n° 1670.

super tribus articulis. 1us super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. 2us super ordinacione festi sancti Eadmondi. Tertius communis. Quantum ad primum fuit continuatus antiquus, scilicet mag. Jacobus de Gouda. Ad secundum ordinatum fuit ut teneremus festum et prandium, invitando nostrum curatum cum suo cappellano et dominos prepositos et archidiaconos, scilicet Ghiisbertum de Brederode, Majoris et Sancti Salvatoris ecclesiarum Trajectens. prepositum, et dominum Stanctum [1] prepositum... Quantum ad 3um articulum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit insuper mag. Jacobus Winthorst, ut reciperetur in officiis nacionis sicut alias supplicavit. Cui fuit responsum, quod nacio adhuc visitaret librum.

Item anno Domini quo supra mensis Novembris die XXI fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus super resumptione sermonum [2]. Secundus super supplicationibus et iujuriis. Quoad primum exposuit rector qualiter illi de concilio regio deliberarunt nobis dare terminum ad reformandum Universitatem quoad abusores, si qui essent in officiariis Universitatis, scilicet usque ad primam diem Januarii, et interim cessarent a molestacionibus, quas intulerunt suppositis Universitatis et relaxarent supposita capta et similiter pingnora cum pecuniis tenta ab eisdem suppositis in subventionem talye et aliarum exactionum ipsis suppositis retraderent; quem terminum ipsa Universitas acceptavit et sermones resumere promisit, dummodo ante omnia illa ad plenum fierent. Secundo fuit lecta quedam minuta de concordia inter abbatem et conventum Sancti Germani de facto *prati clericorum* parte ex una et Universitatem parte ex altera; que minuta fuit missa ad deputatos.

Item ultima die Novembris [3] fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus super resumptione sermonum et ad ordinandum processiones, in quibus fieret sermo. Secundus erat communis super supplicationibus. Quoad primum exposuit ex mandato rectoris mag. Robertus Chiboel [4], qualiter illi de concilio regis, ad quos erat missus, deliberaverunt omnia pingnora tradere et pecunias specialiter uni scolarium magistri Egidii Houdebin [5] ratione talearum ab eodem captarum [6], dummodo Universitas resumeret sermones et absolveret simpliciter receptorem taelgearum, vinculo excommunicationis irretitum [7], ubi fuit conclusum concorditer quod ante omnia vadia restituerentur et pecunie secundum conclusionem alias captam, et tunc resumerentur sermones et irent processionaliter die sequenti ad ecclesiam Parisiensem. Quoad supplicationes, dum natio esset retracta ad partem in loco consueto ad super premissa deliberandum, supplicavit mag. Jac. Winthorst, ut reciperetur ad officia nationis, quibus erat privatus. Cujus supplicatio fuit concessa. Sed altera die, dum esset Universitas congregata ad eundum processionaliter apud ecclesiam Parisiensem, astitit mag. Egidius Houdebin exponens qualiter non poterat extrahere pecunias sui scolaris. Quo audito procuratores nacionum Francie et Picquardie se opposuerunt processioni et sermoni fiendis, nisi primitus ante omnia pecunie et vadia restituerentur. Verumtamen per tres facultates superiores erat avisatum, ut propter honorem Universitatis, quia jam processiones erant indicate et omnia alia preparata in ecclesia Parisiensi ad rogandum Altissimum pro pace habenda in ecclesia Dei et in regno, haberent ire processionaliter ad illam ecclesiam, dispensando de sermone uno fiendo dumtaxat. Et ita fuit factum, procuratoribus nationum Francie et Picquardie illis processionibus minime interessentibus.

(*Fol. 82*) Facta fuit congregatio Universitatis apud Predicatores septima die Decembris super duobus articulis. Primus fuit super factis privilegiorum Universitatis; secundus communis, etc. Quantum ad primum expressit rector qualiter illi de concilio magno fecerant reddi vadia aliquibus suppositis Universitatis et etiam pecunias, et promiserunt ad plenum reddere aliis suppositis, quorum vadia erant sublata, dum personaliter pro illis habendis venirent. Et ad hoc erant ordinati aliqui commissarii sargantes, qui haberent compellere illos, qui receperant vadia a suppositis Universitatis, ut illa illis, a quibus ceperant, restituerent sub pena incarcerationis, casu quo ad illa restituenda difficiles se redderent. Qui commissarii comparuerunt in Universitate ibidem congregata, profitentes et asserentes se talem commissio-

1. *Seu* Sandkum Budkonis, *eccl. S. Georgii Gnesnens. praepositum, quem Universitas Cracoviens. Universitati Paris. commendavit. Vid. ep. Univ. Paris. in* Bibl. de l'École des chartes, *sér.* IV, *tom.* V, p. 513; Cod. diplom. Univers. stud. Cracoviens., II, 21.

2. *Propter causas infra relatas jam a medio Augusto usque ad Dec. 8 omnes sermones interdicti erant. Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 369, *ubi tamen minime exprimitur hanc prohibitionem ab Universitate exiisse.*

3. *Ms.* Decembris.

4. *Seu potius* Ciboulle, *de quo ad an.* 1437, p. 493, not. 2.

5. *Ms.* Holgebin, *et sic postea.*

6. *Ms.* captas.

7. *Ms.* irrititum.

nem habere et ipsos esse missos ab abbate Sancti Mauri et a concilio magno regio ad illa Universitati intimanda. Istis sic habitis et intellectis petiit rector deliberari, utrum sermones essent resumendi et receptor talie simpliciter absolvendus. Super quibus fuit deliberatum, quod sermones deberent resumi, verumtamen receptor non deberet absolvi, nisi vadia omnia essent singula restituta, et casu quo alicui vel aliquibus non satisfieret de vadiis vel pecuniis, tunc Universitas haberet cessare a sermonibus inceptis. Quoad secundum erant supplicantes missi ad deputatos. JA. DE GOUDA.

1443

[Continuatio ejusdem.]

Facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, mensis Decembris die XVI^a^, super duobus articulis. Primus super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus fuit communis. Quoad primum continuatus fuit antiquus, scilicet mag. Jacobus de Gouda. Quoad secundum supplicavit ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicatio fuit concessa. Etiam supplicavit mag. Albertus Scriptoris, qui presentavit quandam litteram quitationis suarum bursarum missam a magistro Jacobo Hattem [1], ut vigore illius certificationis deleretur de libro nationis, ubi habebatur obligatus nacioni, et ipsum haberet quitatum et satisfactum. Cujus supplicatio fuit concessa.

Facta fuit congregatio facultatis eodem die apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem. 2us ad dispensandum, casu quo aliquid immergeret, unde facultas deberet convocari, quod posset illo tempore inordinario convocari; etiam ad dispensandum, ut possent fieri determinantes ubi essent. Quoad primum articulum placuit eligere rectorem [2], et ad hoc erant ordinati intrantes in natione Francie procurator nationis, scilicet mag. Anthonius Gener; in natione Picquardie, mag. Johannes Wit; in natione Normanie prior Sorbone, scilicet mag. Ursinus [Thibout]; in natione Almanie procurator, scilicet mag. Jacobus de Gouda. Qui prestito juramento intraverunt conclave, ibidem longam moram trahentes *quasi usque consummationem candele* [3], non valentes in aliquem concordare, finaliter Gallicus et Picquardus condicionarunt in magistrum Victorem Textoris Gallicum et magistrum Johannem Baelge Picquardum. Stante sic ista condicionali Almanus descendit cathegorico in mag. Johannem Boccardi [4] Normanum, quem intrans Normanie petiit. Quo facto ipse Normanus clamavit alta voce, pulsando ad ostium, petendo rectorem [5] intrare, sed Gallicus et Picquardus non volentes descendere in magistrum Johannem Boccardi nec in alium concordantes simpliciter, se opposuerunt clamoribus Normani, comprimentes hostium, ne aliquis haberet introitum; *et interim candela extincta est* [6]. Ibi tunc rector accessit aperiendo ostium, et se trahentes singuli in suis nationibus pro relatione fienda gestorum in conclavi factorum, rector [7] se ponens in loco consueto expressit modum habitum in conclavi, ponens in deliberatione, utrum essent eligendi novi intrantes vel utrum ad magistrum Johannem Boccardi esset descendendum. Tunc unaqueque natio dedit intrantem, scilicet natio Francie mag. Wilhelmum de Castro Forti [8], natio Picquardie mag. Jacobum Carpentarii [9], natio Normanie mag. Thomam Troussel [10], natio Almanie mag. Jacobum Winthorst. Qui post juramenta solita intraverunt conclave, concorditer via Spiritus Sancti eligentes magistrum Johannem Boccardi [11] per duos priores intrantes, ut supra patet, concorditer electum. Quoad secundum articulum facultas dispensavit. Quoad tertium supplicavit rector antiquus haberi gratus et avoatus; cujus supplicatio fuit concessa.

1444

(*Fol. 82*^b^) Procuratoria magistri Jacobi Winthorst de Saxonia.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, die XIII^a^ mensis Januarii, secundum usum Romanum, facta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat super electione aut continuatione procuratoris. Secundus de *domo Dacie.* Tertius super supplicationibus et injuriis. Quantum ad pri-

1. *Licent. an.* 1428.
2. *De hac electione silentium* in lib. proc. nat. Gallic.
3. *Vid. quoad hoc statutum Universitatis an.* 1289 *in* Chartul., II, n° 554, p. 26.
4. *Seu* Boucard, *de quo supra.*
5. *Antiquum, ut concluderet et in electum descenderet.*
6. *Proindeque nova electio facienda erat.*
7. *Antiquus.*
8. *Licent. in theol. an.* 1447 (1448), *Jan.* 27.
9. *Cler. Tornacens. dioec., jam an.* 1435, *mag. art. Vid.* Suppl. Eugen. IV, n° 308, *fol.* 255.
10. *Ms.* Rusel. *Lic. in theol. an.* 1451 (1452), *Jan.* 4. *Sorbon.* FRANKLIN, p. 229. *Fuit postea can. et poenitentiarius Paris. Vid. de ipso* DELISLE, Cab. des mss., II, 177.
11. BUL., V, 921, *perperam affert ut rectorem electum* Gervasium Melloti, *Cenomanens.*

mum electus fuit in procuratorem mag. Jacobus Winthorst. Quantum ad secundum dixit in natione dictus Winthorst, quod tempore sue procuratorie ante duos annos mag. Albertus Scriptoris locavit istam domum a natione, quod liber visitaretur, quoniam videbatur sibi, si nacio haberet onus de dicta domo, dictus Scriptoris juxta locationem ejus a natione haberet nationi respondere. Quantum ad tertium supplicavit procurator antiquus haberi gratus et avoatus in actis et peractis infra tempus sue procuratorie; que supplicatio fuit concessa. Et supplicavit dictus antiquus procurator pro promotione aliquorum scolarium; contra quam supplicationem dixit dictus Winthorst, quod dubitaret utrum aliqua essent promissa per eum contra dictos scolares, quod super hoc visitaretur liber. Respondit natio quod super hoc cum dicto Winthorst dispensaret, et quod laboraret pro promotione dictorum scolarium, ex qua promotione sequeretur promotio nationis in suppositis, quemadmodum promotionem nationis medio juramento affirmavit. JA. WINTHORST.

Item XVIa Januarii facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus super inrotulatione nominandorum in Quadragesima. Secundus super articulis traditis Universitati per reverendissimum patrem dominum cancellarium Francie. Tertius super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati conficere rotulum in pergameno. Quantum ad secundum super articulis traditis per reverendissimum dominum cancellarium dedit Universitas deputatos. Quantum ad tertium supplicavit decanus facultatis theologie et plures alii; que supplicationes fuerunt concesse.

JA. WINTHORST.

Item XXIIa Januarii quo supra facta fuit congregatio venerande nationis Almanie super tribus articulis in Sancto Maturino. Primus erat ad audiendum causam quorundam scolarium, quomodo ipsi recesserunt a nacione ad facultatem, ut temptarentur in ipsorum sufficientia pro gradu baccalariatus, quod erat magnum detrimentum nationi in suis libertatibus, et ad sciendum causam rebellionis ipsorum et effectum, ut supra premittitur in hoc libro. Secundus articulus erat ad avisandum de festo Purificationis celebrando. Tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum audivit natio relationem dictorum scolarium duorum (tertius de Slesia fuit absens), qualiter ipsi ut innocentes ducti per magistrum ipsorum Rodulphum Morini ad nationem ut temptarentur, quemadmodum etiam supra premittitur in hoc libro in una conclusione scripta nona die mensis Martii anni precedentis. Isti autem, qui tunc temporis nationem manutenuerunt, ipsos temptando rennuerunt; coacti fuerunt accedere ad facultatem consulti et directi per suum magistrum antedictum. Procurator requisivit dictos scolares, ut dicerent quomodo fuerunt rebelles, et posuit ista in deliberatione. Omnibus hinc inde debite auditis et discussis matura deliberatione et justa indagatione natio non invenit causam, qua dicti scolares deberent refutari, sed intellexit quandam discordiam ortam inter magistrum Albertum Scriptoris et magistrum Johannem de Brabantia [1], quod dicti scolares cum [Joh.] de Brabantia permanserunt et mag. Albertum secuti non fuerunt, fuerunt sic a natione et ejus libertate ejecti. Nacio dictos scolares ad gremium recepit inclusive cum Nicolao de Slesia absente (*Fol. 83*); ipsos ad gremium recepit et displicuit sibi valde, quod ita ut sufficientes a deputatis nationum fuerunt admissi et libertates nationis in eis non fuerunt observate [2]. Quantum ad secundum placuit nationi ut festum candelarum [3] celebraretur. Quantum ad tertium supplicavit mag. Jacobus Winthorst procurator, quod multa inconvenientia et mala natio diceret contra eum supra in presenti libro, que non essent vera, ut delerentur, quoniam si ista natio probaret, esset sibi magna derogatio honoris sui et magnum dedecus, nec esset dignus esse nationis procurator. Requisivit insuper Nicolaum subbidellum, quomodo ipsum sitasset ad nationem, ut supra premittitur in hoc libro, ad privationem suam perpetuam. Respondit subbidellus per juramentum, quod non. Acquievit natio supplicationi dicti procuratoris sub modificatione, quod liber nationis super istis visitaretur et fieret super istis nova congregatio nationis ad sciendum unde ista provenirent. Eodem die mag. Albertus Scriptoris audiens conclusionem nationis, quia non fuit in dicta congregatione, qualiter dicti scolares essent cum natione reconsiliati, se in presentia procuratoris opposuit, quam oppositionem dictus procurator acceptavit et nationi intimaret (*sic*).

JA. WINTHORST.

Item XXXa die mensis Januarii anni prenominati facta fuit congregatio nationis in Sancto Maturino

1. *Nat. Picard., socium Alberti. Vid.* p. 545, 43.

2. *Postea sequitur :* Ulterius voluit natio propter invidiam quam mag. Albertus posset habere super dictos scolares tempore debito veniente, ordinavit tanquam ipsa posset, ut non petant *placet* a dicto magistro Alberto Scriptoris. *Sed haec sententia postea deleta est.*

3. *I. e.* Purificationis.

super duobus articulis. Primus erat ad avisandum de festo Purificationis fiendo; 2us super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nationi, quod celebraretur festum, si essent pecunie in natione. Quantum ad secundum supplicavit procurator supra [cum] in libro presenti essent multa scripta contra eum in suo honore, et in libro receptoris, quod ista delerentur et transfigerentur. Placuit nationi, ut ita fieret. JA. WINTHORST.

Item prima die Februarii anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras Universitati a villa Gandensi transmissas; secundus super resignatione officii liberariatus; tertius communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum contenta illarum litterarum fuerunt, ut Universitas adjungeret se expeditioni bonorum magistri Levini Neueling[1] relictorum ad utilitatem sororis sue, que propter hoc venit hic de Gandavo; quam adjunctionem obtinuit. Quantum ad secundum subbidellus facultatis decretorum... (*sic*) resignavit officium liberariatus... (*sic*) cui fuit collatum. Quantum ad 3m plures supplicarunt pro litteris recommendatoriis; que omnes fuerunt concesse probatis probandis.

JA. WINTHORST.

Item die quinta mensis Februarii anni premissi congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus erat super quadam controversia de duobus temptatoribus baccalariandorum in natione Francie. Secundus super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum facultas fuit pro uno, nomine [Johanne] Huiart[2]. Quantum ad secundum supplicavit mag. Guillelmus Pomerii ut non ita faciliter aliqui transsirent in temptaminibus, et mag. Johannes Bali dixit, aliqui transsirent ad magisterium per saltum sine baccalariatu. Rector conclusit, quod celebraret deputatos facultatis ipsam reformando. JA. WINTHORST.

1444

(*Fol. 83*b) Continuatio procuratorie magistri Ja. Winthorst, de Hamborch in Saxonia, baccalarii in theologia.

Item IXa Februarii anno quo supra facta fuit congregatio nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus super continuatione antiqui procuratoris aut electione novi. 2us de ordinatione temptaminis pro baccalariandis. Tertius communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit in procuratorem mag. Jacobus Winthorst. Quantum ad secundum placuit nationi celebrari temptamen baccalariorum in aliquo die carnium omnibus magistris nacionis advocatis, *quia fuerunt dumtaxat quatuor magistri in natione*[3]. Quantum ad tertium supplicavit procurator antiquus haberi gratus et avoatus; que supplicatio fuit concessa. Supplicavit insuper mag. Albertus Scriptoris, quatinus natio eum exoneraret de domo Dacie, casu quo natio vellet aliqua dicere contra ipsum, quia eam quondam ad aliquod tempus locavit. Ista supplicatio sua etiam fuit concessa. JA. WINTHORST.

Item XXa Februarii facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad resignandum et conferendum unum officium liberariatus et unum papitarii; que officia fuerunt concessa. Secundus super supplicationibus; que etiam fuerunt concesse. JA. WINTHORST.

1444

Continuatio dicti Winthorst baccalarii in theologia pro secunda vice.

Nona die mensis Marcii anno quo supra fuit congregata venerabilis nacio Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris aut continuatione antiqui. 2us super avisamento honoris nacionis in suis juribus. 3us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus. Quantum ad secundum articulum posuit procurator in deliberatione, qualiter isti de Sorbona haberent certas cedulas facientes mensionem de aliquibus debitis magistri Alberti Vorden defuncti, que sibi debebantur; que debita mediatim dedit in suo testamento nacioni Almanie et collegio Sorbone, ut fieret deliberacio ad accedendum ad istos de Sorbona pro expedicione dictarum cedularum. Preterea fuit positum in deliberacione, quomodo pro permanencia ac conservacione aliquorum suppositorum nacionis in quibusdam collegiis nacio haberet locum in petendo bursas, precipue in Sorbona, et citra sex annos nullus de nacione fuit ibi bursarius, quare bonum esset aliquod suppositum per nacionem dicto colle-

1. *Tunc defuncti. De ipso vid. supra ad an.* 1443, *April.* 1.
2. *Ms.* Huerd. *Corr. e.* lib. proc. nat. Gallic. *Fuit temptator pro provincia Senonensi.*
3. *I. e.* Jac. Winthorst, Albertus Scriptoris, Jacobus de Gouda *et* Joh. Dorlo.

gio presentare, ut nacio ibidem servaret suum locum. Deliberatum fuit et conclusum, omnia, ut premittitur, ita fieri et duci in executionem. Quantum ad tertium supplicavit procurator haberi gratus et avoatus in actis tempore sui officii, que supplicatio fuit concessa. Deinde supplicavit [procurator] bursariis de Sorbona per nationem presentari, ut ibidem perciperet bursas, quemadmodum etiam conclusum erat pro ipso per nacionem anno 39°, die XV^a May [1]. Que supplicatio etiam fuit concessa. Insuper supplicavit sepedictus procurator, ut sibi traderentur peccunie, quas exposuit pro nacione, videlicet X sol. par., et pro suo sollario, sicut pro quinque quartalibus anni, ut supra premittitur in hoc libro in una conclusione scripta anno (*Fol. 84*) XLII°, die vicesima prima mensis Septembris. Dicti decem solidi fuerunt traditi, de sollario nondum fuit deliberatum. Demum dominus receptor exhibuit compotum de levatis. Iterum supplicavit mag. Albertus Scriptoris sibi tradi duo scuta, que exposuit pro nacione et etiam pro suo sollario, ut premittitur in ·prescripta conclusione anni XLII, die XXI^a mensis Septembris. Dicta duo scuta fuerunt sibi per receptorem restituta, de suo sollario etiam non fuit deliberatum. Rursus dixit, quod conclusio supra IX^a die Februarii scripta faceret mensionem, quod nacio contra eum de domo Dacie posset aliqua dicere; istud scriptum non posset resolvi ad aliquam benignitatem. Placuit nacioni quod fieret mensio in ista conclusione, quod [quoad] omnia per ipsum acta in dicta domo simpliciter haberet eum avoatum, et ita fuit conclusum.

Ja. Winthorst.

Duodecima die Martii facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad legendum rotulum Universitatis; secundus super defensione privilegiorum; tertius communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum lectus et conclusus fuit rotulus, et quod nullus haberet plures nominationes quam duas. Quantum ad secundum fuerunt aliqui in provincia Lugdunensi, qui noluerunt permittere et admittere executiones curie conservatorie, nisi affigerent litteris conservatoris litteram *placet*, etc. contra quos voluit Universitas defendere sua privilegia. Quantum ad tertium reverendus in Christo pater episcopus Meldensis [2] supplicavit matri Universitati ut conferret sibi officium conservatorie, visa translatione episcopi Balvacensis [3] ad episcopatum Laudunensem, qui est conservator. Super qua supplicatione non fuit concordia, visa etiam supplicatione prius facta ex parte nepotis [4] cancellarii Francie, qui in dicto episcopatu debet succedere. Alie supplicationes fuerunt concesse probatis probandis. Ja. Winthorst.

Item die XIIII^a mensis Martii magistri de natione omnes (et fuerunt quatuor in numero) accesserunt ad illos de Sorbona et presentarunt ipsis Jacobum Winthorst, in artibus magistrum regentem et in theologia baccalarium, verum etiam ipsos requirentes, ut ipsum in bursarium reciperent, viso quod nullus de natione nostra ibidem citra quinque annos aut sex bursas percepisset. Qui responderunt quod vellent super hoc deliberare et bonum responsum dare. Die sequenti, que fuit XVI Martii, receptor priorem Sorbone adivit pro responso, qui dixit nondum esse deliberatum. Die autem XXII^a mensis Martii mag. Ursinus [Thibout] [5] prior collegii Sorbone dedit responsum magistro Jacobo Winthorst, tunc dicto collegio presentato a nacione, quod isti de collegio ita concluserunt, quia dominus Narbonensis [6] provisor dicti collegii esset breviter venturus et ipsi dictum Winthorst pre ceteris haberent recommissum, quod natio deberet contentari [7]. De cedulis, ut premittitur, in dicta responsione non fuit facta mensio.

Ja. Winthorst.

Item die XXI^a mensis Martii facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad legendum litteras regias traditas Universitati pro confirmatione pacis hujus ville in reductione. Secundus communis [super] supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum lecta fuit in Universitate littera regia de conservatione spiritualium personarum post reductionem hujus ville, sed nondum pubplicata, et injunctum fuit rectori, ut futurus rector juraret quod pro (*Fol. 84*^b) pubplicatione dictarum litterarum laboraret. Quantum ad secundum supplicavit reverendissimus in Christo

1. *Vid.* p. 508, 29.

2. Petrus de Versaliis, *mag. in theol., de quo jam supra*, p. 186, *not.* 4, *qui cum esset abbas S. Martialis Lemovicens., factus est episc. Dignens. an.* 1432, *et an.* 1439, *Sept.* 25, *translatus ad sedem Meldens.* (Oblig., n° 66, *fol.* 41^b). *Fuit celeber isto tempore. An.* 1441, *Dec.*, Gerardus Macheti *procuravit apud regem ejus legationem* (*cum* Roberto Ciboulle; *vid. an.* 1437, p. 493, *not.* 2) *ad Eugenium IV* (Epp. Gerardi, *fol.* 30), *de qua legatione saepius in istis* Epp.

3. Joh. Juv. des Ursins, *cujus translatio in curia Rom. confirmata est eod. an., April.* 3 (Oblig. n° 72, *fol.* 3).

4. Guillelmi de Hellandia. *Vid. ad Mart.* 21, p. 585, *not.* 2.

5. *Lic. in theol. an.* 1449, *Dec.* 15. *De ipso* Delisle, Cab. des mss., II, 177.

6. Joh. de Harcourt, *archiepisc. Narbon. ab an.* 1436, *Nov.* 5 (Oblig., n° 66, *fol.* 30), *lic. decr. Paris. Perperam igitur* Franklin, La Sorbonne, p. 228, *affert ut provisorem Sorbonae* Thomam de Corcellis *ab an.* 1433.

7. *Revera* Jac. Winthorst *invenitur inter bursarios apud* Franklin, *l. c.*, p. 229, *ubi* Wintaast.

pater cancellarius Francie [1] pro suo nepote [2] per medium suorum ambaciatorum per ipsum ad Universitatem missorum pro officio conservatorie. Etiam supplicavit reverendus pater Meldensis pro eodem officio. Conclusum fuit, [quod] officium nondum vacaret; tempore vacationis haberent ambos recommissos, quod essent contenti. Rector cepit licentiam, qui petiit avoari, et fuit avoatus.

JA. WINTHORST.

Item XXII[a] mensis Martii facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino, et facte fuerunt processiones ad Sanctum Germanum ultra pontes prope Secanam [3]. JA. WINTHORST.

Item die XXIIII[ta] mensis Martii facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem, pro qua electione fuit intrans mag. Johannes Dorlor receptor nacionis. Secundus articulus erat super dispensatione congregationis facultatis ut congregaretur quando opus esset in die illegibili. Quod fuit concessum. Tertius erat super supplicationibus et injuriis, et supplicavit rector avoari; que supplicatio fuit concessa, et rector habebatur in peractis gratus et avoatus. Quando naciones se traxerunt ad partem, posuit procurator mag. Jacobus Winthorst, magister in artibus et baccalarius in theologia, in deliberatione, quomodo ipse esset recessurus et vellet substituere venerabilem virum magistrum Albertum Scriptoris, in artibus magistrum et in theologia baccalarium, quod nacio haberet hoc ratum et gratum. Etiam legit prescripta in nacione tempore sui officii; de quibus supplicavit avoari. Omnia fuerunt concessa, et placuit nacioni. In predicta intrantia electus fuit in rectorem mag. Rodolphus Morini [4] nationis Normanie. JA. WINTHORST.

1444

[Procuratoria mag. Alberti Scriptoris.]

Anno Domini M° CCCC[mo] XLIIII°, mensis Aprilis die VI[a], facta est congregatio nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus ad eligendum procuratorem. Secundus super quibusdam concernentibus honorem nationis et precipue personam magistri Alberti Scriptoris, qui in immediate precedente scriptura scribitur [5] substitutus. Tertius super supplicationibus etc. Quantum ad primum dicebat mag. Albertus Scriptoris, quod antiquus procurator ante sui recessum ei miserat libros et claves nationis tamquam per dictum antiquum substituto et per nationem acceptato. Dicebat insuper dictus Scriptoris, quod depost recessum dicti antiqui, quamquam sibi nondum de prefata sua acceptatione per nationem constaret, fecit ea in Universitate que sunt procuratoris, quia placuit magistris nationis requisitis per ipsum, ut providerent procurationi post recessum antiqui, quod usque ad hanc diem omnia faceret dictus Scriptoris. Quantum ad istud natio reputavit ipsum alias substitutum ad presens ipsum continuans, vel si necesse esset de novo (*Fol. 85*) ipsum eligendum in procuratorem. Quantum ad 2[m] proposuit prefatus mag. Albertus Scriptoris, quatenus antiquus procurator mag. Jacobus Winthorst multa et varia scripta tangentia personam dicti Winthorst, que ante procurationem magistri Arnoldi Bernardi et etiam in parte magistri Johannis Dorloe dictus Scriptoris scripserat, transfixit, addens in propriis scriptis dictam deletionem seu transfixionem conclusam fuisse per nationem. Dicebat dictus Scriptoris in hoc multipliciter lesum fuisse honorem nationis, que dictum Scriptoris semper in ante actis et scriptis avoatum habuerat; quare petiit dictum antiquum puniri pena condigna, etc. Etiam circa hoc placuit nationi, quod una dierum visitaretur liber, et avisaretur de modo faciendi. Quantum ad 3[m] nullus supplicavit.

Facta fuit congregatio Universitatis, XXV[a] Aprilis, pro eundo processionaliter ad Sanctam Katherinam de Valle Scolarium [6], quod sic factum est.

Congregata natione in Sancto Maturino, XXV[a] Aprilis, ad eligendum examinatores in cameris, que congregatio facta fuisset per dominum antiquum procuratorem ante carnisprivium, electus fuit pro primo mense dominus receptor mag. Joh. Dorloe, pro secundo mag. Henricus de Marxen.

Anno quo supra, XXVI[a] Aprilis, post prandium

1. *Adhuc* Reginaldus de Carnoto, *archiepisc. Remens., qui tamen April.* 4, *Turonis morte improvisa defunctus est.*

2. Guillelmo de Hellandia, *qui an.* 1439 *ut* bacc. in decr. in studio Aurelianensi studens *occurrit* (Suppl. Eug. IV, n° 353, *fol.* 245; n° 354, *fol.* 265), *an* 1444, *April.* 3, *episc. Belvacens., cum esset archidiac. Remens. et licent. in decr.* (Oblig. n° 72, *fol.* 3).

3. *I. e. ad* S. Germanum Autissiodorens.

4. *Perperam assignat* BUL., V, 921 : Joh. Normanni, *nam* lib. proc. nat. Gallic. *non loquitur de hac electione Ut supra etiam in* lib. receptoris, *fol.* 31 b

5. *Ms. primo* dicitur.

6. *Ad istam ecclesiam Maii* 15 *episcopi et populus processionaliter cum reliquiis ibant, et quasi* 40000 *assistebant* (Journal de Maupoint *ed.* FAGNIEZ, p. 31). *Hac processiones fiebant ad impetrandam pacem inter Franciam et Angliam. Revera Jun.* 1 *hujus anni induciae factae sunt usque ad an.* 1446, *April.* 1. *Vid.* JEAN CHARTIER, Chron. *ed.* VALLET DE VIRIVILLE, II, 43.

congregata fuit facultas artium in Sancto Maturino ad audiendum juramenta baccalariorum vocatorum pro primo mense et super supplicationibus et injuriis. Quoad ambos articulos simul opposuerunt se magister noster Joh. Pain-et-Chair[1], domini procuratores Francie et Piquardie nominibus propriis, quod Piquardus quarto loco vocatus et quicumque alius sub ipso ponerentur in cameris, antequam examinatus esset in publico, quidam de scolaribus Pain-et-Chair ultimo loco inter Piquardos vocatus contra dictum 4^{m} et omnes sub ipso, et hoc supplicaverunt fieri debere. Ad idem fuit oppositum et supplicatum pro tertio Almano contra secundum et pro duobus vel tribus aliis contra quosdam alios. Post longam altercationem placuit, quod due prime camere prestarent juramenta more solito in ordine quo vocate erant, et quod in crastino fieret congregatio facultatis per juramentum. A. Scriptoris.

(*Fol. 85*^{b}) Congregata facultate artium in Sancto Juliano per juramentum XXVII^{a} die Aprilis ad terminandum difficultatem motam in precedente congregatione, non fuit habita concordia. Natio Francie fuit ad immutandum ordinem, hesterno die baccalariis datum per templatores in communibus, et quod ultimus Piquardus audiretur contra quartum, et omnes alios qui consequenter erant. Idem voluit natio Piquardie, ut referebat procurator, aliis tamen quibusdam contradicentibus, quod non hoc habuerat ymmo oppositum a majori parte. Nationes Normanie et Almanie attendentes quod hoc pacto infinite semper turbationes essent in facultate et quod per cifratos et non ad beneplacitum suum locatos appellationes accumularentur appellationibus, voluerunt, quod servaretur modus consuetus, videlicet quod scolares ponerentur in cameris secundum ordinem eis datum a temptatoribus, et si examinatores facultatis viderent aliquid immutandum in suis cameris, facerent juxta prestita juramenta.

Tertia die Maii congregata fuit natio Almanie in Sancto Maturino ad videndum statum *magnarum scolarum* nationis, quas aliquandiu inhabitavit quidam carpentator[2] absque hoc quod loqueretur in locagii solutione cum receptore nationis. Hac die carpentator iste vocatus ad nationem presentavit nationi duas quitancias sibi traditas a quodam officiario Sancte Genofefe. Placuit nationi, quod hee quitancie manerent apud dominum receptorem, qui dicto carpentario daret similes de manu sua, si eas peteret. Dixit etiam natio dicto carpentario, quod decetero nulli pecunias daret occasione dictarum scolarum, nisi receptori nationis pro tempore, qui sibi daret quitancias. Placuit etiam nationi, quod *adhuc pro futuro anno dictus carpentator teneret scolas prefatas.*

A. Scriptoris.

1444

[Continuatio ejusdem.]

Anno quo supra IIII^{a} die mensis Maii fui continuatus.

Quadam die mensis Maii anno quo supra congregata facultate in Sancto Maturino ad ponendum baccalarios in cameris, venit ad partem per nationes supplicans apotecarius quidam natione Normanus pro quodam ortulo facultatis sibi sub titulo locagii tradendo ad certos annos. (*Fol. 86*) Quod placuit facultati ad (credo) sex annos, singulis annis pro XII solidis. Data scietur per scribam de facili.

Certa etiam die, que scietur per scribam, fuerunt hoc mense presentate matri Universitati congregate in Sancto Maturino littere regie de data quarte die mensis Marcii proximo preteriti, quibus requirebatur Universitas mittere ambassiatores ad *Consilium ecclesie gallicane*, quod, ut dicebatur in eisdem litteris, debebat celebrari prima Maii[3] sequentis. Super hoc, attento quod prima Maii jam lapsa fuerat, Universitas ammirans, quo pacto littere prefate, que antique, ut dictum est, date erant, tarde ita sibi presentate fuerunt, conclusit scribere domino regi[4] de die presentationis prefatarum litterarum. Presentate etiam fuerunt littere ville Gandensis et consiliariorum illustrissimi principis domini ducis Burgundie pro opera danda ad expeditionem cause pendentis inter sororem magistri Levini Neuelinc pie memorie et suos executores secundum juris et equitatis postulationem. Ita placuit facere Universitati.

[Recepta[5] a baccalariis hujus anni.]

Primo a domino Johanne Cameron seniore, dyoc.

1. *Ms.* pe^{r}. *Hic magister theol. verisimiliter in facultate theol. aliquorum de quibus agitur magister fuit.*

2. *Quia tunc temporis neque natio Alemanniae, neque aliqua alia natio, magistris deficientibus, illis scholis utebatur.*

3. *Solum hic certiores reddimur, quo die mensis Maii hoc Concilium Biturigis celebrandum esset. Nihilominus differebatur ad Septemb. Vid. infra ad Aug.* 21, *et* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. V, p. 203.

4. *Postea sequebatur* : se promptam semper esse obsequiis ejus et potissime in rebus, *quod linea deletum est.*

5. *In nostro ms*^{to} *nomina determinantium hujus anni desiderantur, quae, uncis inclusa* (*usque* p. 590, 11), *e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 32, 32 b) *supplevimus. In* lib. procurat. *inveniuntur solum ad Maii* 4 *nomina licentiatorum et incipientium breviter et cum lacunis annotata.*

Sancti Andree in Scocia, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, pro bursis et scolis simul V lib. X sol.

Item a domino Johanne Cameron juniore [1], dyoc. prefate, et determinavit sub eodem, pro bursis et scolis simul V lib. X sol.

Item a domino Telmanno Nycholai de Gouda [2] Trajectensis dyoc., qui det. sub mag. Jacobo de Gouda, pro bursis et scolis IIII lib. X sol.

Item a domino Roberto de Lacu, dyoc. Sancti Andree in Scocia, et det. sub eodem, pro bursis et scolis III lib. XV sol.

Item a domino Egidio de Morsels, Leodiensis dyoc., et det. sub mag. Jacobo de Gouda, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Item a domino Arnoldo de Haerlem, Trajectensis dyoc., qui det. sub eodem, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Item a domino Gilberto Hervy, clerico Aburdonensis dyoc. in Scocia. Det. sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Sequuntur licenciati.

Primo recepi a domino Lamberto Scout, Traject. dyoc. qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris sub eodem, cujus bursa VI sol., XXX sol.

Item a domino Nycholao Flugge, dyoc. Wladislaviensis [3], incepturo sub eodem, cujus bursa VI sol., XXX sol.

Item a domino Petro Leubinc [4], Maguntin. dyoc., incepturo sub mag. Jacobo de Gouda, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Item a domino Urbano Hirtsy [5] de Hungaria, incepturo sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa (Juravit paupertatem) nichil.

Sequuntur nomina incipientium.

Primo incepit dominus Lambertus Scout, Traject. dyoc. sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa VI sol., XXX sol.

Item solvit pro cappis rectoris VIII sol.

Item pro jocondo adventu ad nacionem, XXXII solidos.

Item incepit dom. Nycholaus Flugge, Wladislaviensis dyoc., sub eodem, cujus bursa VI sol., XXX sol. [6].

Item incepit dom. Petrus Leubinc sub mag. Ja. de Gouda, quia pauper, nichil.

Item incepit dom. Urbanus Hertsy Hungarus sub mag. Alberto Scriptoris, quia pauper, nichil...

Item recepi a mag. Petro Leubinc, Maguntin. dyoc. pro scolis, cujus bursa IIII sol. XX sol.]

1444

[Procuratoria magistri Jacobi de Gouda.]

(*Fol. 86* b) Item anno Domini M° CCCC° XLIIII° mensis Junii [7] die prima facta fuit congregatio nationis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus fuit communis. Quoad primum electus fuit in procuratorem mag. Jacobus de Gouda. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicatio fuit concessa.

Item anno quo supra, mensis Junii die undecima, fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad conferendum officium conservatorie, quod protunc vacabat per translationem episcopi Belvacensis ad episcopatum Laudunensem, qui illo officio functus erat. Secundus erat communis super supplicationibus, etc. Quantum ad primum punctum, non obstante supplicatione aliquorum de concilio regio presentantium litteras regias et delphini petentis una cum conciliariis predictis electum et confirmatum episcopatus Belvacensis, scilicet magistrum Wilhelmum de Helandia, promoveri ad illud officium, provisum fuit per tres facultates, scilicet theologie, medicine et artium, natione Normanie dumtaxat se opponente, reverendo in Christo patri episcopo Meldensi [8] de illo officio, illo adjecto quod haberet prestare juramenta Universitati consueta ad illud

1. *De nobili genere progenitus, sed illegitim. natal., canon. Glasguens. et praebendarius de Cambuslang, aetat.* 18 *annorum* (Suppl. Eug. IV, n° 393, *fol.* 157 b *ad an.* 1444). *Utique consanguineus, sicut senior,* Johannis Cameron, *episc. Glasguens., qui contra regem Scotorum Jac. II conspiravit* (*ibid.*, n° 364, *fol.* 221 b *ad an.* 1441, *Mart.* 3).

2. *An.* 1440 Coloniae *intitul.* (KEUSSEN, Matrikel, I, 321). *Ut infra narratur, frater* Jacobi de Gouda *fuit.*

3. *In* lib. recept. *perperam* Wratislaviens., *et sic postea. In* lib. procurat. *solummodo* Nicolaus de Prucia.

4. *In* lib. proc. *vocatur* Petrus de Francforgia.

5. *Cognomen ibid. deest.*

6. *Sequuntur post quemcumque* pro cappis et joc. adventu *eaedem rubricae quae post praecedentem.*

7. *Ms.* Julii.

8. *Petro de Versaliis, quia antiquus magister Universitatis erat, qui etiam eodem anno, Aug.* 8 *et diebus sequentibus, apud S. Bernardum cum aliis theologis disputavit de* auctoritate

officium, et inter cetera observare reformationem circa illud officium ab Universitate nuper factam, quod et fecit antequam rector et Universitas se removerent a loco consueto. Quoad secundum articulum supplicavit electus et confirmatus Laudunensis, quondam Belvacensis, ut haberetur gratus et avoatus in suis actis in officio conservatorie; quod sibi fuit concessum. Insuper supplicavit, quod sui antiqui officiarii possent continuari in suis officiis conservatorie. Que supplicatio fuit interempta, sed commisit domino Meldensi novo conservatori presentationem officiariorum Universitati, que illos, si reperieret (*sic*) aptos, haberet recipere vel continuare, retinendi semper sibi potestate illos deponendi, casu quo defectuosi reperirentur.

Item facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum die XIII^a mensis Junii super duobus articulis. Primus fuit ad acceptandum officiarios presentatos Universitati per dominum Meldensem conservatorem nostrum in officio conservatorie. Secundus fuit communis. Quoad primum articulum presentavit suum scribam, scilicet magistrum Johannem Pickquardi, qui fuit receptus per Universitatem et ad juramenta consueta admissus, natione Normanie se opponente hujusmodi acceptationi et presentationi, quia stabat adhuc in sua appellatione contra episcopum Meldensem. Et quoad locumtenentem et promotorem presentavit antiquos, scilicet magistrum Ludowicum Baelge et magistrum Rodulphum Bernesse [1], qui similiter fuerunt recepti ab Universitate et ad juramenta consueta admissi. Quoad secundum articulum erant supplicationes misse ad deputatos.

Item [2] XXIII^a die mensis Junii fuit congregatio nationis apud Sanctum Julianum super uno articulo, scilicet provisionis officii cujusdam, scilicet nuncii ad dyocesem Coloniensem. Et quoad istum articulum quidam nominatus Nicasius Money diocesis Morinensis supplicavit, ut natio sibi vellet contribuere officium illud et ipsum acceptare ut suum nuncium in illa diocesi. Cujus supplicatio fuit concessa, recepto prius ab eo juramento prestari solito.

Item eodem die et eadem hora fuit congregatio facultatis ad eligendum novum rectorem [3], et ad hoc fuerunt dati quatuor intrantes qui in conclavi existentes discordaverunt hoc modo : Picquardus et Almanus condicionarunt in magistrum Nicolaum Cokerel Picquardum et magistrum Johannem Dorlo Almanum; ista condicione stante Gallicus descendit in Picquardum et Normanus in Almanum, et in expressione voti ipsius Normani Gallicus violentavit ipsum Normanum comprimendo suum guttur, ne exprimeret suum votum, ledendo etiam ipsius Normani digitum usque ad effusionem sanguinis. Ista discordia sic habita et in deliberatione per rectorem posita, due nationes, scilicet Francie et Normanie, deliberaverunt quod [i]idem intrantes deberent intrare et de novo eligere, excepto intrante nationis Francie, quem habebant excommunicatum. Cui deliberationi nacio Picquardie se opposuit, sed voluit quod idem intrans nationis Francie intraret, et casu quo alio modo fieret, appellavit ad Universitatem. Nacio Almanie deliberavit quod non deberet fieri nova electio, sed rector in illa discordia haberet intrare, et casu quo alias fieret, appellavit ad Universitatem. Et istis sic habentibus mag. Johannes Dorlo et mag. Nicolaus Cokerel submiserunt se et suum jus facultati, et ex illa habitum est concorditer, quod [i]idem tres intrantes cum alio Gallico a precedente de eadem provincia intrarent ad novam electionem, qui intrantes descenderunt in unum de intrantibus [4], scilicet magistrum Albertum Scriptoris Almanum [5], qui habito concilio cum suis amicis et nacione, que eum compulit sub pena privationis ad tantum officium acceptandum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti acceptavit [6]. J. DE GOUDA.

(*Fol. 87*) Item facta fuit congregatio *nationis Anglicane* in collegio de Boencort, mensis Augusti die VII^a, super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de officio nuncii ad diocesem Treverensem. Secundus fuit communis. Quantum ad primum quidam magister Ricardus nationis Picquardie ad instantiam procuratoris Cartusiensium supplicavit in natione, ut vellet acceptare Johannem Watel diocesis

papae et Conciliorum (Journal parisien de Maupoint, *ed.* FAGNIEZ, p. 33). *Ut officium conservatoris reciperet*, Gerardus Macheti « vehementi studio corde et animo... vicariis litteris exoraverat » (Epist. Gerardi Macheti, *fol.* 54 b).

1. *Seu* Barnesse.

2. *Quae sequuntur usque in finem hujus procuratoriae edita sunt a* JOURDAIN, n° 1282. *In similibus casibus de nuntiis* (messagers) *agitur, qui quasi transactores fuerunt inter supposita nationis et eorum provincias. Jam longe antea in usu fuisse, supra ad an.* 1410, p. 63, *not.* 3, *observavimus. In* lib. proc. nat. Gallic. *ad an.* 1443 *nominantur.*

3. *Hujus electionis, in qua tamen Gallicus graviter peccavit, in* lib. proc. nat. Gallic. *nulla mentio fuit.*

4. *In margine :* Nota quomodo quatuor intrantes elegerunt unum de ipsis intrantibus.

5. BUL., V, 921, *dicit :* Albertus de Hassia.

6. *Natio magno gaudio repleta erat, ut in fine rectoriae Alberti receptor scripsit in* lib. receptoris, *fol.* 33 : Quia plures anni quam octo effluxerunt quod non habuimus rectorem de natione Anglicana, placuit nationi honorare ven. virum mag. Albertum Scriptoris ante absolutionem suam ab officio rectorie, cui ipse prefuit, de una refectione die martis VII Octob.

Morinensis ibidem presentatum in suum nuntium ad diocesem Treverensem et ad illud officium ipsum presentare. Quantum ad secundum articulum supplicavit mag. Albertus Scriptoris, rector Universitatis Parisiensis protunc, pro quodam Matheo Clout diocesis Tornacensis, ut ipsum natio acceptaret pro nuntio ad dyocesem Leodiensem. Et quoad istos articulos fuerunt amborum supplicationes concesse et ipsi in nuntios ad dictas dioceses recepti, hoc salvo quod prestarent juramenta solita et consueta et sallaria consueta.

Item XXIª mensis Augusti fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Bernardum super tribus articulis. Primus fuit super tuitione privilegiorum nostrorum; 2ᵘˢ super ambaciata mittenda ad *Concilium Bituricense Gallicanum* [1]; 3ᵘˢ communis.

Quoad primum articulum facta fuit una nova impositio supra aliqua nostra supposita Universitatis per consiliarios regios adinventa [2], scilicet regi debere subvenire in quibusdam summis nostris suppositis impositis per modum mutui, alicui ad XX libras, alicui ad XXX, alicui ad XL et LX, et sic de aliis summis eisdem ad numerum LX impositis secundum estimationem divitiarum suarum sub pena incarcerandi illa, que solvere sive mutuare recusarent. 2° repertum esse *dolia libris repleta asportari de Universitate et villa Parisiensi ad extraneas partes* in permaximam evacuationem librorum studii Parisiensis. Et quoad primam partem primi articuli conclusum fuit, quod rector cum solemni concomitantia deberet accedere illos de sanguine regio, scilicet ducem Burbonii, qui actu erat in villa, et alios dominos breviter venturos, etiam illos impositores nove inventionis subcidii et receptorem ejusdem, et ipsis manifestare nostra gravamina; et casu quo non vellent desistere a gravamine, haberemus cessare a sermonibus, lectionibus tam in Universitate quam extra [3], et citare illos impositores et ordinatos ad istam impositionem requirendam, etiam ab ipso gravamine ad regem appellare. Quoad secundam partem rector haberet perquirere deportatores illorum librorum et venditores et ad punitionem procedere.

Quoad secundum articulum fuit conclusum, quod plena ambaciata deberet mitti ad illud Concilium sicut alias extitit conclusum, et ad hoc fieret celeris dispositio, scilicet elevando bursam duorum solidorum ab omnibus suppositis Universitatis alias conclusam, ut suo tempore ambaciata esset prumpta ad illuc eundum.

Quoad tertium articulum erat supplicatum per rectorem pro collegio Forteti, ut Universitas vellet sibi dare adjunctionem in quodam processu contra quemdam militem, qui illi tenebatur in magna summa; cujus supplicatio fuit concessa.

J. de Gouda.

1444

Electio magistri Lamberti Schout de Arnhem.

Item anno Domini M° CCCC° XLIIIIᵐᵒ, in crastino Ludovici, fuit facta congregatio nationis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis. Quoad primum electus fuit in procuratorem mag. Lambertus Schout. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicatio fuit concessa.

Item secunda die mensis Septembris fuit congregatio facultatis facta apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum lectorem *Ethice* de veneranda natione Almanie. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit venerabilis vir magister Albertus Scriptoris unanimiter et via Spiritus sancti. Quantum ad secundum supplicavit ipse idem, et concessa fuit ei sua supplicatio. Lamb. Schout.

(*Fol.* 87ᵇ) Tertia die mensis Septembris facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus fuit de injuriis factis Universitati et principaliter rectori et etiam procuratoribus nationum scilicet Francie et Picardie usque ad effusionem sanguinis [4], et principaliter quia

1. *Vid. supra post Maii* 4, *not. De hoc* Concilio *et de ambassiata Universitat. loquitur* Journal paris. de Maupoint, *ed.* Fagniez, p. 34. *Ambassiatoribus dabant* instructionum articulos; *sed a* Bul., V, 535, *ad quos* Fagniez *refert, editi ad an.* 1445 *pertinent. In articulis ad an.* 1444 *quintus agebat de auctoritate* papae et Conciliorum (*ut refert* Maupoint), *qui in Instructione an.* 1445 *desideratur, quia alia ac Instructio an.* 1444. *Immo in* Instructionibus *an.* 1445 *dicitur*, congregationem Bituris *jam* factam, *et ei paucos admodum praelatos interfuisse.* (Bul., V, 535). *Nescimus an* Petrus *episc. Brixiens. legatus papae* Concilio *an.* 1444 *adfuerit. Certe adhuc ut* legatus a latere *papae in Francia morabatur* (*vid. supra* p. 521, *not.* 1).

2. *Vid. ad Sept.* 3.

3. *I. e. tam in parte sinistra Sequanae, quam alias.*

4. *Sept.* 4 *Universitas cessavit a lectionibus et sermonibus.* Journal d'un bourgeois, p. 375, *sic narrat* : « On fist une grosse taille où on voulloit asservir tous les suspos de l'Université de Paris. Si alla le recteur pour deffendre et garder les libertés et franchises de la dicte Université parler aus esleuz (electos); si y ot aucuns desdiz esleuz qui mirent la main au recteur, par quoy sermons cessèrent. » *Cessavit a lectionibus et sermonibus a Sept.* 4; *lectiones resumpsit Octob.* 11, *sed sermones solum*

ruperunt privilegia Universitatis, quia voluerunt, quod solverent dicam[1]. Secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit unanimiter, *quod essent cessationes a sermonibus, a lectionibus et finaliter ab omni actu scolastico* tam manifesto quam occulto, quousque facta fuerit reparatio cumdigna. Quantum ad secundum punctum supplicavit dominus Meldensis[2], ut ipse responderet quemadmodum et alii fecerunt.

Quarta[3] die mensis Septembris facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad videndum, utrum irent processionaliter ad Sanctum Martinum de Campis et utrum ibidem fieret sermo generalis sicut consuetum est, et ibi declararentur omnia puncta, propter que Universitas jam velit cessare. 2us fuit communis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod irent processionaliter apud Sanctum Martinum eodem modo sicut dictum est. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

LAMBERTUS SCHOUT.

5^a die fuit congregatio in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus fuit utrum procederetur contra istos electores[4] et etiam contra alios qui istam in[h]ibitionem fecerunt. 2us fuit ad eligendum ambassiatores pro eundo ad regem[5] revelando ei ea que acta fuerunt Universitati. 3us fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum fuit, quod semper procedendum esset contra istos electores et quod appellatio fuit bona, et similiter conclusum fuit quod irent ad dominum prepositum requerendo ei, ut incarcerarentur isti, et similiter quod irent ad consilium regium intimando ei ea que acta sunt contra Universitatem, sed non per modum supplicationis. Quantum ad 2um electi fuerunt duo notabiles scilicet mag. Joh. de Oliva et mag. Joh. Han[e]ron; et [Petrus] de Brena[6] appellavit, sed sua appellatio nulla. Quantum ad 3um supplicavit dominus rector et dominus vicetenens conservatoris, ut haberent avo[a]tos ipsos si aliquid contra ipsos facerent. Et concessa fuit eis eorum supplicatio.

(*Fol. 88*) Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum receptoris. 2us erat ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum. 3us erat communis. Quantum ad primum dominus receptor fideliter suum compotum dedit, sicut patet in libro receptoris. Quantum ad secundum articulum continuatus est antiquus receptor scilicet mag. Joh. Dorloge[7]. Quantum ad tertium articulum supplicavit antiquus receptor ut in suis actis haberetur gratus et avoatus. Supplicaverunt insuper magistri ad habendum scolas pro anno futuro, et primo supplicavit dominus rector, scilicet mag. Albertus Scriptoris pro suis scolis; similiter mag. Jacobus de Gouda, mag. Lambertus Schout procurator, et similiter mag. Henricus de Marxem. Insuper supplicavit Nicolaus bedellus pro continuatione sui officii, et tunc presentavit suam virgam nationi; et concessa fuit sua supplicatio; et natio considerans quod pauca erant supposita sic quod non habet pecunias in habundantia, dedit ei duas libras.

Item conclusum fuit in natione quod dominus rector, scilicet mag. Albertus Scriptoris, nichil solveret in baccalariatu pro suo cognato, quia ipse diu existens in natione, aliquando solus, aliquando cum aliquibus aliis, sic quod mangnos (*sic*) habuit labores, et specialiter quia per duos annos continue fuit receptor et inde octo libras debebat habere et nichil tamen habuit, placuit nationi et in defalcatione illius suus cognatus nichil solveret.

Secuntur nomina regentium istius anni.

Et primo dominus rector scilicet mag. Albertus Scriptoris,

mag. Jacobus de Gouda,

mag. Henricus de Marxem,

mag. [Lambertus Schout] pro tunc venerande nacionis procurator. LAMBERTUS SCHOUT.

Martii 15 *an.* 1445 (Journal paris. de Maupoint, p. 32, *dicit perperam,* 2 *Sept. cessatum esse, et Universitatem lectiones resumpsisse Octob.* 15).

Injuria cujus supra mentio fit, non facta fuit rectori an. 1445, *Decemb.* 16, *electo et vocato Martino Sabot, ut* TUETEY, p. 378, *not.* 1, *frustra asserit, sed* Alberto Scriptoris, *rectori a Jun.* 23 *an.* 1444; *per annum et dimidium enim post Sept.* 3 *agebatur de ista injuria, antiquo rectori,* Alberto Sciptoris, *illata. Haec practerea ex infra dictis an.* 1446, *Febr.* 12, *elucescunt. Primus omnia confudit* BUL., V, 533 *sq.*

1. *I. e.* impositionem, *gallice* taille.

2. Conservator privilegiorum.

3. *In ms. ea paragraphus post sequentem invenitur.*

4. *Vid. de hoc* TUETEY, *l. c.*, p. 375, *not.* 3 : « elus sur le fait des aides institués à Paris ». *Fuerunt tunc quatuor.*

5. *Qui* 11-14 *Sept. apud Spinellam* (Épinal), 20 *Sept. et postea ap. Nanciacum morabatur. Ibidem* Gerardus Macheti, *uni ambassiatorum,* Petro de Brena, *instructiones dedit* (Epp. Gerardi, *fol.* 61).

6. *Sed certe etiam regem adivit, ut ex* Epp. Gerardi (*l. c.*) *liquet.*

7. *Hoc etiam in* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 33) *annotatur, ubi* Joh. de Dorlo.

1444

Continuacio magistri Lamberti Schout.

(*Fol. 88*[b]) Item anno Domini M° CCCC° XLIIII[mo], xxiii[a] Septembris facta fuit congregatio nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad elegendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Quantum ad primum unanimiter continuatus fuit antiquus procurator, scilicet mag. Lambertus Schout. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus ; cujus supplicatio fuit concessa.

XXVI[a] Septembris facta fuit congregatio facultatis apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus tangentibus honorem facultatis, primo scilicet quod scolares de una domo in aliam domum vadunt, 2° faciunt magna festa et inde secuntur magna inconvenientia; 3° de aliquibus qui emunt scolares et habent suos factores ; 4° de aliquibus qui legunt textum tocius logice, phisice aut methaphisice infra triduum vel biduum; 5° de conclavi, scilicet quod tertius superveniens non posset se revocare [1].

Secundus articulus est communis super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum et ad omnia puncta primi articuli, remissi fuerunt ad deputatos et dedit nostra natio tres, scilicet magistrum Johannem Dorlo, magistrum Jacobum de Gouda et magistrum Lambertum Schout venerande nationis procuratorem.

Item ibidem proposuit dominus rector, utrum veneranda artium facultas vellet mitigare istas cessationes, quia alias se opposuerat et ipse non volens facere contra facultatem, proposuit istud in facultate. Et super istud deliberatum fuit, quod non erat factum facultatis dispensare et ita de isto conclusum fuit, quod rector haberet congregare Universitatem, quia erat factum Universitatis et non facultatis.

Facta fuit congregatio Universitatis XXVIII° Septembris super duobus articulis. Primus articulus fuit utrum esset dispensandum de isto puncto *in occulto*. 2[us] articulus fuit communis. Quantum ad primum articulum non fuit concordia. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector, scilicet mag. Albertus Scriptoris, qualiter Universitas vellet sibi dare adjunctionem, quia aliqui erant invidi contra ipsum et dixerunt, quod *ipse vellet transferre istam Universitatem ad partes Almanie*, quod falsum est quia, quamvis vellet, tamen non posset. Et fuit concessa sua supplicatio. Multi alii supplicaverunt, et supplicationes eorum fuerunt concesse probatis probandis, preter supplicationem magistri Johannis Soleri, qui supplicabat pro uno non jurato.

(*Fol. 89*) Facta fuit congregatio nationis Almanie VI[a] Octobris anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit utrum veneranda natio vellet dispensare, ut in ista septimana, si oportunum fuerit, plures fieri congregationes, ex quo statutum est quod in una septimana non potest esse nisi una congregatio; et positum fuit istud in medium ea de causa quia per dominum rectorem alias propositum fuerat in facultate, quod preclara artium facultas indigebat reformatione, et declaravit ad longum in quibus indigebat, et tunc dati sunt deputati de qualibet natione [2]; et ipsi adimpleverunt, sic quod nichil restabat nisi concludere. Secundus est communis. Quantum ad primum placuit nationi dispensare, et in casu quo alie nationes essent ad oppositum, sic quod rector non posset concludere, vult natio, quod sequens juret ponere in exsecutionem omnes conclusiones.

Facta fuit congregatio Universitatis VII[a] Octobris super duobus articulis. Primus fuit ad requestam illorum de civitate et specialiter scabinorum, ut Universitas vellet scribere domino nostro regi et etiam suis ambaciatoribus super aliquibus tangentibus bonum commune. Secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit, ut scriberetur, in forma tamen communi. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector, ut vellent ipsum habere gratum et avoatum, et concessa fuit sua supplicatio. Multi alii supplicaverunt, sed tantummodo admisse fuerunt supplicationes graduatorum.

In crastino [3] Dionisii facta fuit congregatio apud Sanctum Julianum super tribus articulis. Primus fuit, utrum facultas velit procedere ad novam electionem rectoris. Secundus fuit, utrum vellet admittere et concludere ea que facta fuerunt per deputatos. Tertius est communis. Quantum ad primum placuit nationi procedere ad novam electionem, et ad hoc dedit intrantem, scilicet magistrum Jacobum de Gouda. Quantum ad secundum non fuit concordia. Quantum ad tertium supplicavit dominus rector, ut facultas vellet ipsum habere gratum et avoatum, et fecit aliam, et ambo concesse fuerunt in forma.

1. *Haec puncta etiam in* lib. proc. nat. Gallic. *tanguntur. Appellabantur* capita reformationis, *quod* Bul., V, 529, *non intelligens, dicit solum an.* 1452 *facultatem reformatam esse. Deputati an.* 1444 *revera conclusiones reformationis composuerunt. Vid. Octob.* 6.

2. *Vid. Sept.* 26.

3. *Octob.* 10.

Eodem die intrantes existentes in conclavi discordaverunt se hoc modo : Picardus et Almanus condicionaverunt se in magistrum Gotfridum Normani, Picardum, et magistrum Johannem Dorlo, Almanum. Ista condicione stante Gallicus descendit in Picardum, et Normanus in Almanum, et immediate pulsavit Picardus ad hostium, dicens se habere rectorem, quia Normanus adhuc non dixerat verbum quando Picardus dixit : *habeo rectorem* ; alii duo tamen dicebant contrarium. Ista discordia sic habita (*Fol. 89*^b) dixerunt : *eligamus unum alium. Et ista electio erit nulla.* Ad quod respondens Picardus : « forte si eligeritis unum alium de mea natione, ego eligam ipsum, cum protestatione tamen. » Et finaliter Normanus et Almanus descenderunt in magistrum Nicolaum Cocquer[c]l [1], et immediate acceptavit Picardus, qui habito consilio cum suis amicis et cum sua natione acceptavit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et ibidem fecit duas supplicationes : prima fuit, ut veneranda artium facultas vellet sibi dare consilium, auxilium et favorem in omnibus ; secunda fuit, ut omnes vellent associare ipsum usque domum et accipere ibidem species et vinum ; et ambe fuerunt concesse in forma.

Facta fuit congregatio Universitatis XI^a [2] Octobris apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum relationem dominorum ambaciatorum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum fecerunt suam relationem, et inter alia tetigerunt, quod supremus dominus noster rex valde egre capiebat istas cessationes. Et ita conclusum fuit suspendere cessationes istas a lectionibus, sed non a sermonibus. Alia fuerunt tacta ibidem multa, sed non fuit necesse ponere illa. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector, qui de novo erat electus, ut Universitas vellet sibi dare consilium, auxilium et favorem ; et concessa est supplicatio sua. Et pariformiter supplicaverunt domini ambaciatores, ut Universitas vellet habere ipsos avoatos ; et [sic] conclusum fuit.

Duodecima Octobris facta fuit congregatio nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad videndum, utrum natio velit dispensare de aliquibus, qui dicunt se esse bacularios alterius Universitatis, ut essent recepti. 2us fuit communis. Quantum ad primum veneranda natio considerans multa, conclusit natio : quia Normani reciperunt (*sic*) suos, equibene nos possumus recipere nostros, et si alii sint promoti, et etiam nostri erunt, solutis tamen solvendis [3].

1444

[Continuatio ejusdem.]

Item anno Domini M° CCCC° XLIIII°, XXIII^a Octobris facta fuit congregatio nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Quantum ad primum unanimiter continuatus fuit antiquus procurator, scilicet mag. Lambertus Schout. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus, cujus supplicatio fuit concessa.

4^a Novembris facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum ea que facta fuerunt per dominum rectorem circa litteram illam, quam ambaciatores portaverunt. Secundus fuit, utrum expediens esset mittere aliam ambaciatam ; et si sic, utrum vellent mittere plenam ambaciatam ; et si sic, quod eligerent. Quantum ad primum articulum conclusum (*Fol. 90*) fuit, quod littera illa non presentaretur [4], quia fere omnes consiliarii Universitatis convenerunt in hoc. Quantum ad secundum non fuit concordia. Quantum ad tertium nullus supplicavit.

8^a Novembris [5] facta fuit congregatio nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad requestam magistri Alberti Scriptoris, qui habebat aliqua dicere in natione. 2us fuit communis super supplicationibus ; et supplicavit unus, ut esset nuntius nationis, et concessa fuit sua supplicatio.

Eodem die fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit ad elegendum ambaciatores ; secundus fuit communis. Quantum ad primum electi fuerunt, et primo de facultate theologie mag. Johannes D'Ausi [6] et mag. Guillelmus Boulge [7] ; de

1. *Sicut etiam in* lib. recept., *fol.* 33. Bul., V, 921, *perperam* Guillelmum de Tholohan *Corisopitens. affert.*

2. *Ms.* VIII.

3. *Tunc temporis graviter agitabatur contra baccalarios aliarum Universitatum, qui Parisiis voluerunt licentiari, cum tamen* « neque Parisius, neque in alio studio solemni seu generali libros audiverunt requisitos ad hujusmodi gradus neque studuerant per tempus requisitum ». *Natio Gall. imprimis se opposuit. Vid.* Lib. procurat. nat. Gallic. *ad Octob.* 23, *et* Bul., V, 529.

4. *Litteras illas nondum invenimus. Verisimiliter jam aliqua continebant ut litterae an.* 1446, *Martii* 27, *quibus Universitas Parlamento subjiciebatur. De hoc tamen jam infra Nov.* 19.

5. *Ms.* Octobris.

6. *I. e.* D'Aucy.

7. *In* Catal. licent. *ad an.* 1443 (1444), *Jan.* 20, *quando in theol. licent. est* : Guillelmus Bouille (Bouillé). *Et sic etiam in* Supplic., *v. g.* Eugenii IV, n° 392, *fol.* 192 b *ad an.* 1444, *Aug.*, *quando jam fuit decanus Suessionens.* (*deest in* Gall. christ., IX, 389), *vel* Nicol. V, n° 411, *fol.* 132 *ad an.* 1447, *Jul.*, *quando fuit decan. colleg. eccl. de Foye Noviomens. et decanatum eccl. Noviomens. assequi voluit* (*vid.* Gall. christ., *l. c.*, p. 1035). *Vid.*

facultate decretorum mag. Petrus Mougier[1]; de facultate medicine mag. Robertus Julienne[2]; de natione Francie mag. Johannes Solieri; de natione Picardie mag. Johannes Baille; de natione Normanie mag. Petrus Rechier[3]; de natione Almanie mag. Albertus Scriptoris.

1444

Electio magistri Nicolai Flügge de Pruszia, Wladislaviensis dyocesis.

Item anno Domini M° CCCC° XLIIII facta fuit congregatio apud Sanctum Maturinum venerande nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit mag. Nicolaus Flugge de Prusia in procuratorem dicte nationis. Quantum ad secundum suplicavit dominus antiquus procurator, quod esset gratus et avoatus; que supplicatio fuit concessa. Et dicta congregatio fuit celebrata XVIIIª die mensis Novembris.

XIX ª Novembris anno quo supra fuit facta congregatio Universitatis, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit de materia injuriarum reparationum[4] quoad Universitatem illorum de parlamento[5]. 2ᵘˢ fuit ad conveniendum de receptionibus bursarum, que debentur, dominorum ambassiatorum, qui fuerunt electi pro eundo ad regiam magestatem. 3ᵘˢ fuit communis super injuriis et supplicationibus. Quoad primum articulum *non placuit Universitati, quod esset in subjectione illorum de parlamento*, et in casu quo ipsi molestarent Universitatem, quod Universitas per viam appellationis contra ipsos procederet. Quoad secundum articulum fuerunt electi pro receptione bursarum mag. Nicolaus Coquerel, tunc temporis rector Universitatis, cum magistro Gerhardo Gehe. Quoad tertium articulum supplicavit mag. Albertus Scriptoris pro suspensione lectionis *Ethize* usque ad adventum ejus; que fuit concessa per singulas nationes[6]. N. Flugge.

(*Fol. 90*ᵇ) XXIII ª die Novembris anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum instructiones[7] dominorum ambassiatorum. 2ᵘˢ fuit de taxa bursarum dominorum ambassiatorum. 3ᵘˢ fuit communis. Quoad primum articulum placuerunt instructiones in casu quo visitarentur per dominos deputatos. Quoad secundum articulum fuit conclusum, quod theologus haberet XXX sollidos, decretista XXVIII, medicus XXVI, artista XXIIII sollidos et bedellus dimidiam partem unius magistri in artibus. Et in eadem congregatione fuit facta mencio de processionibus, que admiserunt singule facultates, sed quoad sermonem fuit discordia. Quoad tertium supplicaverunt Robertus Sybolle[8], Gerhardus Gehe, magistri in theologia, pro continuatione sermonum per Adventum Domini; que supplicatio non fuit concessa.

XXIIIIª die Novembris, anno quo supra, facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus fuit de dispensatione determinantium; secundus fuit communis. Quoad primum articulum natio Franczie conclusit, quod fieret dispensatio determinantium; ibidem natio Piccardorum cum natione Almanie se oposuerunt, et natio Normanie conclusit, quod essent plures in una cathedra quam quinque, vel quod essent *due cathedre* ante prandium : *prima pro pauperibus hora octava, secunda pro divitibus hora decima.*

Prima die mensis Decembris anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad expediendum omnia et singula concernentia dominorum

praeterea J. Quicherat, Procès de Jeanne d'Arc, II, p. 1, *not.* 1. *An.* 1450, *Febr.* 15, *Carolus VII ei injungit ut processum contra Johannam d'Arc revideat* (*l. c.*), *eodemque anno* « *codicillum* » *de hac re scripsit* (*vid. principium ap.* Quicherat, III, p. 322; *integre apud* Lanéry d'Arc, Mémoires et consultations en faveur de Jeanne d'Arc, p. 323-349.

1. *Seu potius* Maugier.
2. *Vid.* Chartul. IV.
3. *I. e.* Richier.
4. *Nicol. Flugge pessimae latinitatis auctor est.*
5. *Ms. hic et infra* : parlamenti.
6. *Operae pretium duximus e* lib. receptoris, *fol.* 33, *hic annotare quae referuntur ad prandium in festo S. Edmundi hujus anni.* Item in prandio presentibus sex magistris de nacione, preposito Trajectens., curato, capellano, mag. Henrico [de Colonia] cordigero, mag. Michaele [de Zelandia] carmelita, in taberna in vino, pane, igne, potagio de hicula, caseo, piris, XXXVII sol., VI den.

   Item hospitisse et famulis pro curialitate, III sol., VI d.

   Item Jenuini Moreau pro VI cuniculis, VI poulages, VII couchon, duabus spaculis mutonis, simul XXVII sol.

   Item pro salsa jause et cameline et tragia IIII sol., VI den.

   De omnibus istis natio misit honorando mag. Johanni Boenroet [*i. e.* Bonrode] unum cuniculum, unum pullum et partem de porcillo et unam quartam vini duorum solid. Simili modo honesto Boemundo antiquo servitori.
7. *Hae* instructiones *exstant in* Arch. Univers., thec. I, AA. i. *et* Bul., V, 535, *qui tamen, ut* Jourdain, n° 1284, et Tuetey, p. 375, *not.*, *eas male ad an.* 1445, *Decemb.*, *referunt. Universitas in illis dicit tantum, se* lectiones *resumpsisse, minime tamen* sermones, *quod solum Martii* 15 *evenit* (*vid. infra*), *proindeque compositae sunt ante Martii* 15.
8. *I. e.* Cihoulle. *In* Journal paris. de Maupoint *etiam scribitur* p. 33 : Siboule.

ambassiatorum ad regiam majestatem mittendorum. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum placuerunt instructiones et minute confecte, sed tamen quod visitarentur per dominos ambassiatores. Et in eadem congregatione fuit verbum de uno theologo in casu quo mag. Johannes d'Aucy[1] esset impeditus, ut ipse ibidem proposuit, videlicet ad expectandum adventum alicujus principis, nec etiam ad ellectionem novi procederetur, sed quod magister Guillelmus Buille[2] locum solus optinuit pro facultate theologie.

Et in eadem congregatione fuit conclusum, quod natio Piccardorum suam virgam traderet, et hoc fecit cum consensu trium decan[or]um et quatuor procuratorum. Quoad secundum articulum supplicavit procurator nationis Franczie, quod Universitas se conjungeret cum capitulo Parisiensy pro redditibus collegii Forteti; que supplicatio fuit remissa ad deputatos. Et supplicaverunt religiosi de Sancto Maturino quod essent exempti a solutione bursarum suarum; que fuit concessa. Etiam supplicavit mag. Albertus Scriptoris de beneficiis conferendis, quod non solum conferrentur illis de regno vel de Normania, sed etiam extraneis venientibus de longinquis partibus ad istam Universitatem. Que fuit concessa. Alia fuit supplicatio videlicet magistrorum de collegio Boncort quoad redditus ipsius collegii; que fuit remissa ad deputatos.

XIIa Decembris facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum ea que facta sunt pro expeditione ambassiatorum ad regiam majestatem destinandorum. Secundus articulus ad appunctuandum de baccalariis in theologia ordinum Mendicantium, de quibus est difficultas alias in Universitate aperta. Tertius articulus super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum dominus rector narravit qualiter *ambassiatores iter irripuerunt* (*sic*) *et secum portaverunt informacionem factam*[3]. Item tetigit, quod rector (*Fol. 91*) futurus habeat jurare prosequi materiam malefactorum[4], ac ipse et sui successores nichil recipere de bursa. Et quoad istum articulum omnes et singule facultates gratiarum actiones dixerunt domino rectori cum ceteris deputatis circa hanc materiam laborantibus pro expedicione dominorum ambassiatorum. Quoad secundum articulum placuit Universitati, quod factum dominorum Mendicantium maneret in suspensione usque ad adventum domini confessoris regis[5]. Quoad tertium articulum dominus rector supplicavit advoari in bene actis, et in aliis si que sunt supportatus; que fuit concessa. Item mag. Radulphus supplicavit, cujus cognomen Germanie, pro quadam conjunctione sibi danda in quadam causa mota coram magistris requestarum decimarum actione curato dicte ecclesie, que habuit adjunxionem. Item mag. Petrus Dobin[6] supplicavit, quod mag. Balduinus Biguin cogeretur ostendere statuta collegii de Bo[n]cort, et quod maneret in ipso collegio si non obviaret statutis; et casu quo obviaret, quod solveret sicud hospes. Conclusit Universitas, quod mag. Baldwinus Biguin ostendat infra octo dies statuta collegii, et quod mag. Nicolaus de Foro maneat in eodem collegio, si non obviet statutis. N. Flugge.

1444

Continuatio magistri Nicolai Fluggii de Pruszia.

XVIa die mensis Decembris anno quo supra facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit procurator antiquus, scilicet mag. Nicolaus Flugge de Pruszia. Quoad secundum articulum supplicavit prefatus de Pruszia, quod esset gratus et avoatus; que fuit concessa.

Eodem die fuit facta congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem; secundus fuit communis. Quoad primum articulum placuit eligere rectorem novum. Et quoad hoc dedit veneranda facultas artium quatuor intrantes, scilicet mag. Adrianum Petri, mag. Jacobum Carpentarii, mag. Johannem Amici et mag. Johannem Dorlo, venerande nationis Almanie receptorem; qui concorditer et

1. *Ms.* Dauhy.

2. *Ms.* Johannes Bulde.

3. *Hujus solemnis ambassiatae ad regem propter reparationem injuriarum etiam an.* 1446, *April.* 16, *mentio fit.*

4. *I. e. eorum, qui imprimis rectori* Alberto Scriptoris *injuriam inferebant.*

5. Gerardi Macheti, *qui ab an.* 1432, *Jan.* 23 (*cum esset praepositus de Anthoniaco in eccl. S. Mart. Turon.*) *fuit episcopus Castrensis* (Reg. Lat. Eugen. IV, an. 1, lib. 8, *fol.* 122). *Eodem anno* 1444, *Jul.* 29, *scribit* magistris, decano et ceteris suppositis fac. theol., *ut pacem servent cum fratribus quatuor Ordinum Mendicantium, et* ut nichil innovetur usque ad adventum regis ad urbem Paris. (Epist. Gerardi Macheti, *fol.* 54 b). *Sed rex ante Septemb. non venit.*

6. *Nomen illud in margine*; *prius in textu* : Nicolaus de Foro, *quod infra* (l. 19) *procur. corrigere omisit.*

secundum viam Spiritus Sancti eligerunt honorabilem virum magistrum Johannem Haneron[1] in rectorem Universitatis. De qua electione aliqui contradicentes *proferentes candelam extinxisse ante electionem prefati rectoris*; ad quod quatuor magistri notabiles ad sancta juraverunt se vidisse flammam ignis in lucerna in exitu dominorum intrantium; tandem quod fuit unio omnium nationum ante receptionem rectorie. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus rector, quod esset gratus et avoatus; que fuit concessa.

Eodem die antiquus rector posuit in medium, dicens esse aliquam controversiam inter magistros de facultate artium, aliqui dicentes disputare in vico Straminis tempore electionis novi rectoris, aliqui contradicentes. Conclusit rector nomine facultatis artium, quod omnes et singuli magistri electionem rectoris usque in finem celebrarent, et quod disputationes suspendantur.

Eodem die supplicavit dominus rector novus pro habendo consilium, auxilium et favorem de rebus agendis in Universitate. Secunda ejus supplicatio fuit, quod magistri conducerent ipsum ad habitationem suam, propinando ipsis vinum et species. Que supplicationes fuerunt concesse.

1445

2ª die mensis Januarii facta fuit congregatio nationis Almanie, anno quo supra, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit de *domo Dacie* et de processu contra domum. Conclusit natio quod non fieret processus ulterior, sed quod natio responderet pro pecuniis solvendis magistro Nicolao Conflan[2], et in casu quo non vellet contentari, quod natio prefata suam parvam virgam in obligatione traderet. Quoad articulum supplicationum nullus supplicavit. N. Flugge.

(*Fol. 91*ᵇ) 2ª die mensis Januarii anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit de littera dominorum ambassiatorum ad Universitatem missa; secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum omnes et singule facultates referebant gratiarum actiones domino regi de benigna receptione ambassiatorum; consimili modo dominorum ambassiatorum pro penis et laboribus impensis retulerunt[3]. Quoad secundum articulum supplicavit dominus rector, quod esset recommendatus in officio et in omnibus agendis haberet consilium, auxilium et favorem; que fuit concessa. Etiam supplicavit mag. Johannes de Vernone[4] in theologia promotus pro usibus et consuetudinibus Mendicantium; qua supplicatione Universitas stetit in aliis deliberatis, videlicet quod ipsi presentarent bullam suam domino rectori et deberent gaudere suis consuetudinibus; et ista fuit conclusio facultatum artium, medicine et decretorum. In facultate vero theologie fuit discordia, nam quatuor magistri in eadem facultate se opposuerunt. Etiam supplicavit unus pro littera regraciatoria collegii Brogundie (*sic*), que fuit concessa in casu quo visitaretur per deputatos. Etiam supplicavit mag. Gerhardus Gehe, quod fieret intimatio magistrorum pedagogorum ac ceterorum collegia tenentium pro satisfactione burse expediende ad utilitatem dominorum ambassiatorum, videlicet suis scolaribus intimando sub pena rationabili ac possibili infligenda; que fuit concessa.

N. Flugge.

1445

Electio magistri Heynrici de Marcxen in procuratorem.

Anno Domini Mº CCCCº XLIIIIº, die sancti Firmini facta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie ad Sanctum Maturinum super tribus articulis, quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit quoad factum honorem nationis concernens, cum natio temporibus preteritis male preavisata domum Dacie tamquam suam propriam acceptavit domum, ex cujus acceptatione natio Almanie in XL libras condampnata fuit parisienses; cui domui renunciavit, solutis tamen illis XL libris capitulo Nostre Domine ecclesie Parisiensis per venerandos magistros Johannem Dorlo tunc temporis receptorem, ac magistrum

1. Bul., V, 921, *perperam* Maximilianum Pavillon, *Noviomens.*

2. *Seu potius* Confrant, *ut semper scribitur in* Reg. eccl. Paris., LL 114 *et in* Supplic. Martini (*v. g.* nº 176, *fol.* 30), Eugenii IV (*v. g.* nº 306, *fol.* 103 *ad an.* 1435, *quando canonicatum S. Amati de Duaco cum canon. eccl. Paris. commutavit*) *et* Nicolai V. *In* Journal paris. de Maupoint, p. 33 *legitur* Conflans. *An.* 1433 (1434), *April.* 1, *licent. in theol. Ad an.* 1448. *Jun., morbo leprae percussus occurrit* (Suppl. Nicol. V, nº 420, *fol.* 32ᵇ). *Distinguendus ab ipso* Johannes Conflans, *qui Navarricus, an.* 1460 *lic. est in theol.* (*vid.* Launoius, Gymn. Nav. hist., p. 931).

3. *Deest structura sententiae, ut saepius in actis procuratoris Nicolai Flugge.*

4. *Jam inter an.* 1413 *et* 1416 *in theol. licent., ut ex* Opp. Gerson., V, 328 *liquet. Ab ipso distinguendus est* Guillelmus de Vernone, *Rotomag. dioec., mag. art., in decr. Paris. licent., can. S. Audomari* (Suppl. Nicol. V, nº 421, *fol.* 99ᵇ).

Jacobum de Gouda. Honorem nationis tamquam eorum proprium bonum concernentes pro istis pecuniis predictis sposponderunt (*sic*). Qua de causa ipsis magna est referenda gratiarum actio. Cum virga nationis in pignus quasi publice, scilicet in alicujus mercatoris publici manibus (quod nationi nedum sed omnibus nationis suppositis magnum intulisset dedecus) fuisset posita, natio ergo detulit illam virgam in eorum manibus, donec ipsi illam XL librarum summam a natione receperint. Inde habebunt nationis sigillum, quo pactu illam virgam a natione receperunt.

Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; et electus fuit mag. Heynricus de Marxen in procuratorem. Tertius fuit super supplicationibus et injuriis. Supplicavit igitur dominus antiquus procurator, quod esset av[o]atus et gratus; cujus supplicatio fuit admissa. Supplicavit etiam mag. Heynricus de Marcxen pro procuratoria et pro dispensatione, quia nationi in aliquibus erat obligatus pecuniis; cujus supplicatio erat ex eorum gratia admissa ut tamen satisfaceret nationi in festo Purificationis beate Marie proxime futuro; et sic promisit. MARCXEN.

(*Fol. 92*) Facta fuit congregatio nationis Almanie anno quo supra, 16ª die mensis Januarii, in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat quoad relationem magistri Johannis Dorlo tunc temporis nostre nationis receptoris audiendam. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dominus noster receptor predictus, cupiens de XLª librarum summa, pro qua amore nationis spospondit, esse aliquo modo, sicut rationis fuerat, certificatus, concordi deliberatione habitum fuerat nullo reclamante, quod parva virga in manibus suis seu sui consocii magistri Jacobi de Gouda usque ad istius summe predicte integram solutionem poneretur, illa tamen condicione, quod ipse receptor vel magister Jacobus de Gouda, quandocumque opus fuerit, concederet illam predictam virgam bidello, scilicet Nycholao, qui illo tempore nostre nationis subbidellus fuerat, et quod Nycholaus, dum cum illa predicta virga suum fecerit debitum in manibus eorundem predictorum magistrorum traderet, et sic natio eis fuit obligata, de qua obligatione predicti magistri habent litteram nationis sigillo ejusdem sigillatam. Quoad secundum supplicavit dominus noster receptor, cum modico tempore repatriare intendebat, de alicujus substitutione usque ad tempus sui adventus in receptorem, et substitutus fuit mag. Jacobus de Gouda. Etiam supplicavit subbidellus noster Nycholaus, cum sua virga fuerat privatus et unam litteram posuerat et tradiderat in cista nationis obligatoriam pro sua virga, qua erat privatus, quod illa littera obligatoria nullam haberet vim obligationis, nisi sibi sua virga libere fuerit restituta. Cujus supplicatio erat concessa. MARCXEN.

Facta fuit congregatio Universitatis anno quo supra, 18ª die mensis Januarii, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus super aliquibus litteris a diversis dominis Universitati missis; secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum illustrissimus princeps dominus Bourgundie [1] scripsit Universitati, qualiter ipsa Universitas vellet debite suis uti privilegiis et nullos suos subditos deprimere; ipse esset promptus omni cum affectu ipsius Universitatis privilegia et in suis libertatibus secundum suum posse manutenere. Que littera benivole ab Universitate fuerat recepta et [conclusum quod] illustrissimo principi domino duci una littera distinaretur regratiatoria pro suarum litterarum benivola communicatione. Scripserunt etiam domini ambaciatores, ut uni nobili, a quo 80 accommodaverunt scuta, ipsis coram regia majestate existentibus, Universitas illam summam restitueret. Deliberatum fuerat, quod auditis primo computis dominorum receptorum invenirent domini receptores modum possibiliorem ad istam summam habendam; ipsa habita traderetur illi viro, a quo illam summam mutuati sunt, sine tamen aliqua coarcione suppositorum aut officiariorum Universitatis. Etiam regratiabatur Universitas dominis ambaciatoribus pro penis et laboribus amore Universitatis habitis. Quoad secundum articulum supplicaverunt domini Mendicantes, quod ipsi uterentur privilegiis eorum quibus ante impetrationem unius nove bulle utebantur. De illa supplicatione non fuerat concordia habita. Supplicavit dominus tesaurarius Cenonensis[2], qualiter Universitas vellet propter ecclesie Senonensis restaurationem, que fuit propter istarum guarrarum impetum ruinosa [3], unam litteram dare recommendatoriam. Que supplicatio fuit remissa ad deputatos. Fuit unus alter magister qui supplicavit, ut Universitas sibi daret astanciam pro aliquo pretio, quod lucratus fuerat, habendo; cujus supplicatio fuit (*sic*). Multe alie fuerunt supplicationes que omnes fuerunt ad deputatos remisse, excepta una

1. Philippus.
2. *I. e.* eccl. Senonens.
3. *Vid. de hoc supra in* Introductione.

supplicatione pro littera gradus, que fuit admissa probatis probandis. MARCXEN.

(*Fol. 92*[b]) Facta celebratione deputatorum super tribus articulis 19° die mensis Januarii apud Sanctum Maturinum. Primus erat ad audiendum compota dominorum receptorum. Secundus ad inveniendum modum aliquam certam summam solvendi mutuatam a dominis ambaciatoribus. Tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum audita sunt compota dominorum receptorum, sic quod Universitas eis remansit in certa satis magna summa obligata. Quantum ad secundum, visis multorum persuasionibus, inter ceteras persuasiones certior et securior fuit, ut quivis ambaciatorum vel ex ipsorum parte aliquis solveret certam summam, quousque summa ab ipsis mutuata fuerit soluta; et sic factum fuerat.

Facta congregatione nationis Almanie apud Sanctum Maturinum, 22° die mensis supradicti, hora octava de mane super tribus articulis. Primus erat super receptione unius nuntii. Secundus erat super electione temptatorum bacalariandorum, et examinatorum camerarum. Tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit Petrus de Helbaterne nuntius nationis Almanie pro diocesy Trajectensy. Quantum ad secundum electi erant temptatores baccalariandorum dominus receptor scilicet mag. Joh. Dorlo, mag. Lambertus Scout et mag. Ny. Flugghe; examinatores camerarum secundum antiquitatem, quia antiquior debeat in talibus preferri junioribus, et sic deinceps. Motum erat per magistrum meum magistrum Joh. Dorlo, tunc temporis receptorem nationis, quod erant quidam juvenes satis habiles, qui tamen tempus integrum ad gradum baccalariatus requisitum non habuerant, ut cum illis dispensaret natio. Tandem quod conclusum fuerat, quod illi predicti juvenes ad temptamen admitterentur et non amplius, quia temptatores ipsis reservaverunt potestatem ipsos examinatos admittendi vel cifrandi, conclusum etiam erat concorditer, quod nulli magistri illo presenti anno promoturi poterint illo anno esse examinatores camerarum; etiam quod procurator haberet accipere omnia juramenta ab illis baculariandis requisita ad illum gradum; que si jurare noluerint, natio cum aliquo juramentorum non vellet dispensare. Etiam concorditer conclusum erat, quod de cetero nulli fieret gratia neque bachalario neque bachalariando, sed vult statuta servare. Etiam oportet bachalarium alterius Universitatis stare per duas hyemes ante suum gradum.

Facta fuit congregatio facultatis artium 23° die mensis predicti in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus erat super dispensatione cum illis, qui nundum determinaverant. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum dispensatum fuit concorditer cum determinaturis. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

MARCXEN.

Facta fuit congregatio apud Sanctum Maturinum Universitatis anno quo supra quinta die mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad audiendum relationes dominorum ambaciatorum. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, auditis dominorum ambaciatorum relationibus, voluit Universitas, quod rescriberetur domino nostro regi, domino constabulario, domino confessori et uni alteri litteras regratiatorias, ut dominus noster rex et ceteri alii Universitatem habeant recommissam; et regratiabatur regie majestati de benivola susceptione et dominorum ambaciatorum tractatione et voluit quod omnia scripta per dictos ambaciatores portata sint visitata per dominos deputatos et nostros consiliarios tam parlamenti quam Castaleti, et postmodum referre Universitati illa que inveniuntur bona vel mala. De sermonibus resumendis non erat concordia. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt domini ambaciatores ut haberentur grati, avoati in omnibus factis eorum et quod redderentur indempnes de omnibus expensis, et quod ipsis satisfaceret Universitas citius quo poterit. Quorum supplicatio fuit concessa. Multe alie fuerunt supplicationes, que omnes erant remisse ad deputatos excepta una supplicatione pro littera gradus, que erat concessa probatis probandis. Item in ea deliberatione nationis nostre rememorabatur dominus recep(*Fol. 93*)tor nostre nationis mag. Johannes Dorlo unius conclusionis capte in natione in absentia magistri Alberti, tunc temporis ambaciatoris ex parte nostre nationis, scilicet de domo Dacie. Et illam conclusionem, dummodo relata fuerat per dictum receptorem magistro Alberto, firmavit et eam etiam radicavit et affirmavit idem predictus venerabilis magister Albertus.

Item mag. Henricus, qui in principio sue electionis in procuratorem obligabatur nationi in aliquibus pecuniis, satisfecit nationi, ut latius videri poterit in libro receptoris.

1445

Substitutio magistri Lamberti Schout.

Penultima Februarii facta fuit congregatio nationis

Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad recipiendum unum, qui dicebat se esse baccalarium alterius Universitatis. Secundus fuit ad substituendum unum procuratorem ex quo dominus procurator erat coactus recedere ad partes. Tertius est communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nationi recipere istum ad baccalariatum tantum, sic quod non debeat intrare hoc anno, probatis tamen prius probandis et solutis solvendis. Quantum ad secundum articulum retulit dominus procurator, quare recessurus erat et qua de causa et ubi; et tunc nominavit magistrum Jacobum de Gouda et me, ut unus nostrum esset substitutus; et quia mag. Jacobus erat impeditus in suo tentamine, placuit nationi me substituere. Quantum ad tertium nullus supplicavit.

Quinta Martii facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus fuit utrum esset expediens resumere sermones. 2us fuit de prolongatione nominationum. 3us est communis. Quantum ad primum non fuit concordia. Quantum ad 2um placuit Universitati prolongare tempus usque ad dominicam in Passione. Quantum ad 3^m^ supplicavit unus librarius qui volebat dimittere officium suum, ut unus amicorum suorum haberet, et aducit illum cui volebat dimittere, sed non fuit concessa sua supplicatio; ymo facultas theologie se opposuit, quia iste erat abusor privilegiorum.

Octava Martii fuit facta congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua super resumptione sermonum. Secundus est communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum retulit dominus rector qualiter ipse fuit mandatus sexta Martii, ut veniret ad dominum Parisiensem [1], ad dominum Remensem [2] et ad alios de consilio regis, et ex concilio deputatorum ivit ad palatium ubi predicti erant, et dum esset ibidem, premissa salutatione dixerunt, quod vellent facere sibi unam supplicationem aut unam requestam (*Fol. 93*^b^), et erat, qualiter Universitas vellet resumere suos sermones, et si non vellet, consilium provideret. Multa alia et varia dixerunt que non oportet hic ponere, et quantum ad hoc conclusum fuit quod suspenderemus sermones [3] usque ad *Quasimodo* [4] exclusive, dum tamen vellent facere justitiam et istud promittere ac etiam contentum litere. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector, scilicet mag. Johannes Haneron, ut Universitas vellet sibi dare adjunctionem si contingeret ipsum pati in posterum pro isto, et etiam supplicavit, ut vellet eum habere gratum, avoatum et recommendatum, et concesse sunt sue supplicationes. Multi alii supplicaverunt pro habendo literas gradus; et concesse sunt eorum supplicationes.

1445

[Continuatio ejusdem.]

Decima Martii facta fuit congregatio nationis super duobus articulis. Primus articulus fuit ad continuandum vel ad eligendum novum procuratorem. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus; quantum ad secundum articulum ipse idem supplicavit, ut ipsi vellent eum habere gratum et advoatum; et concessa est sua supplicatio.

XV^a^ Martii facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit super resumptione sermonum; secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit resumere sermones per tres facultates, scilicet per facultatem theologie, decretorum et medicine, facultate artium tamen se opponente. Quantum ad secundum supplicavit mag. Johannes Haneron, ut vellent eum habere gratum et advoatum; et concessa fuit. Et dominica die [5] facta fuit processio Universitatis ad Sanctum Maglorium et ibidem factus post sermo [6].

1445

Electio magistri Henrici de Marcxen in procuratorem.

Septima die Aprilis facta fuit congregatio nationis ad eligendum novum procuratorem, quoad primum articulum. Quoad secundum articulum supplicavit dominus tunc temporis procurator, ut haberetur gratus in omnibus factis suis; cujus supplicatio fuit concessa. Quoad primum articulum electus fuit mag. Henricus de Marcxen in procuratorem [7].

Nona die ejusdem mensis prenominati facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat de quadam con-

1. Dionysium de Molendino.
2. Jacobum Juvenalim des Ursins.
3. *Immo* suspenderemus cessationes sermonum. Cf. p. 619, 33. *Universitas tunc de mense in mensem resumpsit sermones.*
4. *April.* 4.
5. *Martii* 14.
6. *Martii* 24 Nicolaus Coquerel *in rectorem electus est*, e lib. receptoris, *fol.* 35. Bul., V, 921, *perperam* Firminus Rogerii.
7. *Hac die natio exposuit* à la trosse vace, *ultra soluta per novum procuratorem*, V s. 4 d. (Lib. rec. *l. c.*).

troversia facta in natione Francie in tempore electionis procuratoris ejusdem nationis. 2us erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dominus rector illam predicte nationis controversiam allegans, ejusdem controversie causas narrans in presentia facultatis, scilicet quod in electione procuratoris nationis Francie aliqui intendebant suum antiquum procuratorem continuare, alii contradicentes ad novi procuratoris electionem et antiqui remotionem instabant suas causas allegantes, quod cum dominus antiquus procurator fuerat intrans ad presentis rectoris electionem, et domini instrantes perseveraverunt in conclavi, *quousque candela totaliter erat extincta*; et cum esset statutum facultatis artium, quod, quando hoc contingeret, omnes illi intrantes privarentur et nullum officium nationis vel facultatis illa presenti rectoria durante non possent exercere, privaverunt istum dictum intrantem, qui tunc temporis sue intrantie fuit procurator, et ergo illius statuti vigore non potuit iste antiquus procurator continuari; sic quod facultas deliberavit, utrum ille esset continuandus vel alter electus esset recipiendus in procuratorem. Demum multis deliberationibus ac persuasionibus habitis non fuit habita concordia, sed conclusum fuerat, ut dominus rector ista de causa et aliis congregaret Universitatem, (*Fol. 94*) quam die sequenti in Sancto Maturino celebravit et posuit tria in deliberatione. Primum fuit de aliquibus instrumentis traditis per adversarios Universitatis; secundum erat de concordia facienda in natione Francie; tertium erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusio habita fuerat, quod dominus rector congregaret deputatos et consiliarios nostros tam in parlamento quam in Castaleto, ista instrumenta visitandos [1] et secundum eorum deliberata rector procederet. Quantum ad secundum remissum fuit ad nationem Francie. Quantum ad tertium aliqui supplicaverunt; quorum supplicationes fuerunt admisse.

XXVI^a die mensis Aprilis facta fuit congregatio nationis super duobus articulis. Primus erat super fraude unius bachalarii, qui paupertatem jurare instabat, tamen dives postmodum repertus est. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusit natio, quod istius bachalarii burse essent retaxande ad X solidos.

Vicesima septima die mensis Aprilis facta fuit congregatio facultatis artium in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad ponendum bachalarios in cameris et eorundem examinatorum electionem; et ita factum est. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt aliqui magistri pro aliquibus scolaribus cifratis, ut eis fieret gratia et per facultatem admitterentur. Conclusum fuerat, ut a qualibet natione unus examinator deputaretur et postquam examinati fuerint, eorum sufficientia per dictos examinatores facultati denuntiaretur, et tunc facultas super hoc deliberaret.

Vicesima octava die mensis Aprilis facta fuit congregatio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad ponendum bachalarios in cameris et pro eorum temptatorum electione; et ita factum est. Secundus erat communis. Examinatorum unus istorum cifratorum fecit relationem in facultate, sic quod non habita fuit concordia de eorundem admissione.

Tertia die mensis Maii facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum dominorum cancellarii et subcancellarii temptaminis Sancte Genovefe noviter electi, scilicet [Johannis de Puteo] [2] et dominorum examinatorum atque examinandorum in cameris juramenta. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum audita sunt juramenta predictorum dominorum, et habuerunt dominos cancellarium et subcancellarium noviter electos gratos tres nationes, scilicet Piccardie, Normannie et Almanie. Quantum ad secundum supplicavit unus monachus monasterii Sancte Genovefe [3], existens magister in artibus, ut sibi jus suum ad cancellariam contribueretur, cum esset statutum papale, quod, si esset unus monachus illius monasterii magister in artibus, quod ipse aliis preferretur monachis [4], cujus tamen supplicatio non admissa erat. Motum erat per dominum receptorem de uno

1. *I. e.* visitaturos.

2. Johannes de Puteo *fuit novus cancellarius S. Genovefae, ut e* Suppl. Eugenii IV *ediscimus; supra in* ms^{to} *deest nomen. Qui antea munus cancellarii gessit et quidem jam a pluribus annis ante an.* 1437, *fuit* Martinus Cote, *ab abbate assumptus, non tamen mag. artium, cum tunc nullus mag. esset in monasterio* (Suppl. Eugen. IV, n° 326, *fol.* 239, *ad an.* 1437, *Martii* 25). *Martino defuncto, abbas monasterii* (Petrus Caillou) *an.* 1445 *Johannem de Puteo, qui solum baccalarius in theol., minime mag. art. fuit, ut sec. statuta esse debuit, in cancellarium instituit, et ab Eugen. IV approbationem obtinuit* (Suppl. Eug. IV, n° 399, *fol.* 86 *ad an.* 1445, *Jun.* 9). *Sed jam anno elapso cedere debuit, ut infra videbimus.*

3. *Certe* Philippus Langlois *seu* Anglici, *qui etiam, quia magister art. fuit, an.* 1446 *factus est cancellarius. Vid. ibid. ad Sept.* 19.

4. *Vid. statutum Urbani V in* Chartul., III, p. 145.

bacchalario [1], qui aliquo modo defraudavit nationem, scilicet quod in acceptione gradus bachalariatus dixit se aliquomodo esse pauperem, postmodum inventus ex veridicorum relatibus erat dives, sic quod natio tunc concorditer nullo reclamante prefigit illi bacchalario terminum unius mensis ad satisfaciendum nostro dicto receptori; quod si non fecerit, natio privaret eum; et burse taxate erant ad X sol. parisiens.

Iste [2] bacallarius obedivit nationi et solvit bursas X sol., et natio est bene contenta de eo, similiter et ipse de natione [3].

[Recepta [4] de bachalariis hujus anni.

Traject. dyoc.:

Primo a Dibboldo Zelham de Campis [5], cujus bursa IIII sol., II lib., X sol.

Item ab Alberto Posthouwer [6], c. b. VIII s., IIII lib., X sol.

Item ab Andrea de Steenro, c. b. VI s., nacio remisit.

Item a Richardo de Uchten, c. b. VI s., III lib., X sol.

Item a Joh. Nicholai de Woerden, c. b. IIII s., ad bonum computum II lib.

Item a Gerardo Jacobi (alias de Cameraco), c. b. IIII s., ad bonum computum II lib. IIII s.

Item a domino Wilhelmo Hog [7] Scoto [Glasguens. dioc.] c. b. XII s., VI lib. X s.

Item a Johanne Sunder (alias de Laugingen) Augustens. dyoc., ad bonum computum X sol.

Item ab Aderano Fwolceri Van Meer, Traject. dyoc., c. b. 4 sol., (in toto) II lib. X s. par.

Item a Wolcero de Wernia, Traject. dyoc., c. b. 4 (solvit in toto) II lib. X s. par.

Item a Johanne Kennedy Scoto, ad bonum computum, II lib.

Item a Nicholao Greuken de Huesden paupere, ad bonum computum XVI s.

Sequuntur nomina licenciatorum hujus anni et recepta ab eis.

Primo a domino Alberto Posthouwer, Traject. dyoc., cujus bursa VIII sol. t., II lib.

Item dominus Johannes Cameron senior, dyoc. S. Andree, c. b. X s. t., II lib. X sol.

Item dom. Tydemannus Nicholai de Gouda, Traject. dyoc., c. b. VI s., XXX sol.

Item dom. Johannes Cameron junior, dyoc. S. Andree, c. b. X s., II lib. X sol.

Item dom. Robertus de Poele, dyoc. S. Andree, c. b. VII s., XXXV lib.

Item dom. Walterus de Wernea, Traject. dyoc., c. b. IIII s., XX s.

Item dom. Dybboldus Zelham de Campis, Traject. dyoc., c. b. IIII s., XX s.

Item dom. Arnoldus Petri de Harlem, Traject. dyoc.

Item dom. Nicholaus Hoen, Leodiens dyoc.

Item dom. Aderanus Van Meer, Traject. dyoc.

Item dom. Gilbertus Hervey, Abordanens. dyoc.

Item dom. Nicholaus Greuken, Traject. dyoc.

Juraverunt paupertatem et promiserunt solvere ut est moris.

Sequuntur nomina incipiencium et recepta ab eis.

Primo dominus Albertus Posthouwer, incepturus sub mag. Alberto Scriptoris, II lib.

1. Johanne Kennedy *Scoto, nepote* Jacobis Kennedy (*ab an.* 1440 *episc. S. Andreae*) *et consanguineo Jacobi Scotorum regis. Johannes Kennedy jam an.* 1443, *Jul.* 31, *fuit praepositus eccles. collegiatae de Monyboille Glasguens. dioec., cum esset* 22 *annorum* (Suppl. Eugen. IV, n° 384, *fol.* 236). *Vid. infra not.* 3. *Ut plerique Scoti nobiles Parisiis studentes illegit. natal. fuit*, « de barone soluto genitus et soluta » (Suppl. Eug., *l. c.*), *i. e. de patruo episcopi S. Andreae* (Suppl. Nicol. V, n° 448, *fol.* 57 b).

2. *Ea quae sequitur sententia posterius addita est.*

3. *Hoc factum sic narratur in* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., II 2587, *fol.* 34) : Est quidam dives de regno Scocie, nomine Johannes Kennedy, qui fecit taxari bursas suas a magistro Henrico de Merxem, tunc procuratore, in specie pauperis ad IIII solidos. Nacio bene informata quod ipse est de magnis regni Scocie oriundus et nepos cujusdam episcopi (*scil.* Jacobi Kennedy, *episc. S. Andreae*) et multum bene beneficiatus, quia prepositus (*Fol.* 34 b) cujusdam venerabilis ecclesie in Scocia; item ipse portavit secum Parisius in adventu suo bene centum scuta et recepit de post quinquaginta scuta et viginti nobilia : nacio nolens decipi, obviando malicie sue, et ne incurreret vicium perjurii, taxavit bursas suas ad X solidos, districtius eidem per bedellum injungendo ut receptori satisfaceret. Sed ipse non curavit. Bene nacio ammirabatur. Quamobrem 6ta Maii nacione super isto quid agendum et super electione novi procuratoris sui antiqui continuatione in Sancto Maturino solempniter congregata, injunxit Nicholao subedello per juramentum suum ut isti Johanni Kennedy intimaret et injungeret, quod sub pena privacionis et resecacionis a nacione infra mensem receptori juxta taxata satisfaceret.

4. *In* lib. procuratoris *nomina tam determinantium quam licentiatorum et incipientium desiderantur, quae e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., II 2587, *fol.* 35 b *et* 36) *supplevimus et uncis inclusimus.*

5. *An.* 1442, *iste* Dubboldus *in Univers.* Colon. *intitulatus* (Keussen, Matrikel, I, 344).

6. De Bomel, *Traject. dioec., an.* 1442 Coloniae *intitul.* (ibid. p. 349).

7. *An.* 1444 Coloniae *intitul.* (ibid., p. 357).

Item pro jocondo adventu ejus ad nacionem et cappa rectoris II lib. [1].

Item dom. Joh. Cameron senior, incepturus sub eodem, II lib. X s.

Item dom. Tydemannus Nicholai de Gouda, incepturus sub eodem, XXX s.

Item dom. Joh. Cameron junior, incepturus sub mag. Henrico de Merxem, II lib. X s.

Item dom. Robertus de Poele, incepturus sub eodem, XXXV s.

Item Walterus de Wernea, incepturus sub mag. Alberto Scriptoris, XX s.

Item dom. Dibboldus Zelham, inc. sub eodem, XX s.

Item dom. Aderanus Van Meer, sub mag. Lamberto Scout.

Item Nicholaus Hoen sub eodem.

Item Arnoldus Petri sub eodem.

Item Gilbertus Hervey, incepturus sub eodem.

Item Nicholaus Greuken [2].]

1445

Continuacio magistri Henrici de Marcxen.

(*Fol. 94*[b]) Sexta die Maii facta fuit congregatio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis. Quantum ad primum continuatus fuit predictus procurator antiquus. Quantum ad secundum supplicavit pro avoatione; cujus supplicatio concessa erat.

Tertia decima die mensis ejusdem facta fuit congregatio facultatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta dominorum examinatorum et examinandorum Secundus erat communis super supplicationibus et njuriis. Quantum ad primum eorum juramenta audita sunt. Quantum ad secundum supplicatum fuerat et quesitum, utrum aliquis non volens incipere in suo ordine poterit exspectare usque in crastinum, et tunc esse primus de sua cathedra. Conclusum erat, quod, si ille bachalarius non faceret alicui prejudicium, scilicet quod non maneret locus sue cathedre vacuus, bene posset exspectare usque ad crastinum, sed si illud exspectare impediret alium, non potest.

Vicesima quarta die mensis ejusdem facta fuit congregatio apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus erat, cum essent adhuc XI Gallici, qui deberent precedere omnes de omnibus nationibus, utrum cathedre aliarum nationum debent manere, quousque ipsi fuerint promoti, vel non. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum fuerat concorditer, quod cathedre non debent manere vacue et quod quivis potest procedere ad gradum, dummodo invenerit cathedram paratam, dummodo tamen non fuerit aliquis licenciatus vel licenciandus sue nationis, qui eum de jure precedere debeat. Quoad secundum nullus supplicavit. Sed motum erat per dominum rectorem, quod examinatores camerarum pro illo mense non vellent expedire bachalarios existentes in cameris et quod poneretur remedium in Almanum et Gallicum, qui causa eorum detentionis erant. Natio nostra consulta privavit suum examinatorem de officio examinatorie pro illo tempore et procuratorem ejusdem nationis posuit loco ipsius, ut eos citius expediret; et ita fecit.

Vicesimasexta die ejusdem mensis facta fuit congregatio facultatis super duobus articulis. Primus erat ad requestam aliquorum magistrorum de natione Francie, qui dixerunt nationem nostram contra statuta facultatis fecisse, scilicet quod posuit alium examinatorem camerarum, qui non fuit juratus facultati. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Supplicavit mag. Johannes Lullier [3], qui fuit ductor oppositionis illius, ut facultas astaret sibi in ista oppositione contra procuratorem nationis nostre. Quantum ad primum et ad secundum tres nationes, scilicet Piccardie, Normannie et Almanie habuerunt omnia grata et avoata que fecit dictus procurator noster, et voluerunt quod illi bacchalarii celerrime expedirentur ad licentias. Videntes ergo

1. *Similis rubrica sequentibus additur.*

2. *In* lib. reeeptoris *fol. 34 annotatur quid receptor bedellis pro bursis bachalariorum solverit* :

Primo Boemundo, pro domino Wilbelmo Hog, Scoto, cujus bursa XII sol., XII sol.; item Niebolao subedello pro bursis ejusdem, VI sol.

Item Boemundo pro Alberto Postbouwer, Trajeet. dyoe., e. b. VIII sol., VIII s.; item Nieolao, IIII sol.

Item Boemundo pro Andrea de Stenre, diete dyoe., e. b. VI sol., quos nacio remisit sibi propter salaria de reeeptoriis mag. Alberti, et solvi Boemundo VI sol.; item subedello, III s.

Item pro Richardo de Uehten, Trajeet. dyoe., e. b. VI sol., solvi Boemundo VI sol.; item Nicbolao, III sol.

Item pro Dibboldo Zelham, diete Trajeet. dyoe., e. b. IIII s., solvi Boemundo IIII sol.; item Nicbolao subcdello, II sol.

Item solvi Boemundo pro Johanne Nicholai de Woerden, dicte dyoc., c. b. IIII sol., IIII sol.; item Nieholao subedello, II sol.

Item solvi Boemundo pro Gerardo Jacobi de prope Woerden, diete dyoe., e. b. IIII sol., IIII sol.; item Nicholao subedello, II sol.

Sic etiam ad licentiatos *et* incipientes *bursae afferuntur.*

3. *Qui fuit nat. Gallic. et Sorbon., an.* 1451 (1452) *Jan. 4, lic. in theol.*

Lullier et socii sui per istum modum ad eorum finem non posse pertingere, aggressi sunt dominum prepositum[1] Parisiensem, ut prohiberetur domino cancellario illos bachalarios non licentiare sub pena centum marcarum argenti, nisi ipsi prius fuerint contenti. Et sic fecit dominus prepositus.

Sequenti autem die facta fuit congregatio apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus adhuc super isto facto precedenti, et consimiliter tres nationes habuerunt dominum procuratorem gratum et avoatum in omnibus (*Fol. 95*) factis suis, et injunxerunt domino rectori ut iret ad dominum prepositum in Castaleto, ubi isti appellaverunt, tamquam communem conservatorem privilegiorum, et diceret ibi conclusionem facultatis bis vel ter captam. Sic fecit, et ibi per totam diem deductis multis persuasionibus procuratorum ab utraque parte, tandem per modum provisionis judicatum fuit, quod isti bachalarii jam positi ex cameris reponerentur in cameris non debitis sed alterius per unum diem. Quod si vellet dictus Lullier eos visitare, poterit, et si non vellet, tamen eorum licentia nisi ad crastinum prolongaretur, et quod tam Almanus qui ab illo officio per nationem erat privatus, quam dominus procurator ejusdem nationis non examinarent eos, sed poneretur unus tertius Almanus loco illorum duorum. Quod ita factum est, et in crastinum sunt licentiati.

Prima die mensis Junii facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat, cum tempus suspensionis sermonum exspiraret et adhuc omnia ad nutum expedita non essent, utrum placeret Universitati adhuc per unum mensem suspendere cessationes sermonum. 2us erat communis super suplicationibus et injuriis. Supplicavit procurator Francie, ut Universitas vellet ei astare in causa predicta, scilicet quod natio nostra maxime violavit statuta. Legebat statuta, etc. Etiam supplicavit dominus conservator Universitatis pro littera recommendatoria. Unus alter magister supplicavit pro adjunctione in aliqua causa pendente. Aliqui supplicaverunt pro littera gradus. Quantum ad primum suspense sunt cessationes sermonum per unum mensem. Quantum ad supplicationem procuratoris Francie, remittebatur ad deputatos et ad facultatem artium, ut concordarent se mutuo. Alie sunt due supplicationes; remisse erant ad deputatos. Supplicatio pro litteris gradus admissa fuit, probatis probandis[2].

Continuacio secunda ejusdem magistri Henrici[3].

[In hospicio *de mula* anno M CCCC XLV, X^{ma} Julii... substituit mag. Johannes de Dorlo [receptor] in locum suum, quia iturus erat ad partes, mag. Jacobum de Gouda de consensu tocius nacionis][4].

1445

(*Fol. 95*^{b}) Electio magistri Temanni de Gouda in procuratorem.

Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XLV, XVI^{a} die mensis Augusti, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit mag. Temanus[5] de Gouda. Ad secundum supplicavit magister Jacobus de Gouda protunc procurator absente magistro Heinrico Marxen, ut in omnibus bene peractis haberetur gratus et avoatus, et in forefactis subportatus. Supplicatio ejus erat concessa simpliciter.

Facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum per predecessorem meum, scilicet mag. Henricum Marxen, 18^{a} die mensis Julii super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum unum baccalarium Lovaniensem. Secundus erat communis. Quantum ad primum deliberavit venerabilis natio Almanie, et post deliberationem acceptavit illum baccalarium natio, et vocatur Joh. Eggert, alias de Aemstelredam. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

28 die mensis Augusti facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis apud Sanctum Maturinum. Primus erat ad eligendum novos ambassiatores ad regem mittendos. 2us communis erat. Quantum ad primum non fuit habita concordia, quia artium facultas et medicine eligerunt[6]... (*sic*) et nullomodo mag. Joh. de Oliva propter certas causas, ut dixerunt, et tamen theologi et juriste eligerunt eundem. Quantum ad secundum supplicavit mag.

1. *Ms.* propositum, *et sic postea. Praepositus adhuc* Ambrosius de Loré.
2. *E* lib. proc. nat. Gallic. *Jun.* 23 Gaudfridus Normanni *in rectorem electus est. Ita etiam* Bul., V, 921.
3. *Sed nihil de illa procuratoria scripsit Henricus, dimidia pagina vacua. Vid. procurat. seq.*
4. *Quae uncis inclusa sunt e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 36 b) *desumpta sunt.*
5. *I. e.* Tilmannus Nicolai de Gouda.
6. *Fortasse* Joh. Huwe *seu* Hue. *Vid. ad Novemb.* 9.

Johannes Pain-et-chair[1] stipendiari ab Universitate, quia, ut allegavit, habuit magnas tribulationes ex parte Universitatis, et plura consumsit quam recepit, et rector protunc dixerat sibi in Universitate quod nichil peteret, quia ante recessum suum conveniebat secum quod non plus haberet nisi XX scuta cum socio suo. Isto non obstante Universitas misit supplicationem suam ad deputatos. Secundo supplicavit unus magister de collegio Sancti Nicolai de Lupanara, qualiter Universitas vellet sibi providere de bono remedio contra clientes regis, qui arrestabant redditus illius collegii. Et conclusum erat, quod Universitas provideret in quantum possibile esset. Tertio supplicavit unus pro littera gradus; et supplicatio erat admissa probatis probandis.

Facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum 10ª die mensis Septembris super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteram Universitati missa a rege, in qua habebatur de excommunicatione unius existentis prope regem; et rex mandaverat Universitati, ut absolveretur. Secundus articulus erat ad inveniendum remedia contra illos qui molestant supposita Universitatis. Tertius erat communis. Ad primum conclusum erat concorditer, quod littera contineret falsum, quia dictum erat tunc in congregatione per dominum conservatorem, qualiter non excommunicatus erat et ultra conclusum erat, quod contra illum dominus conservator ageret juridice omnibus viis possibilibus. Quantum ad secundum conclusum fuit, quod rector faceret congregationem solemnem apud Sanctum Barnardum, et ibi omnes isti jurati rebellantes citarentur, ut ipsis manifestaretur juramentum, quod prestaverant alias Vniversitati, et qualiter contra hoc fecerunt, ut denonciarentur perjuri publice ad valvas ecclesiarum. Ad tertium supplicavit unus magister; et supplicatio sua erat dimissa ad deputatos.

Temanus de Gouda.

(*Fol. 96*) Facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Barnardum die XIIIª mensis Septembris super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum diligentias factas apud dominum prepositum Parisiensem et apud dominum archiepiscopum Remensem et dominum de Vendome[2]. Secundus super responsione fienda per citatos ad Universitatem. Tertius erat communis. Quoad primum articulum emanaverunt littere quedam a regia majestate; quod omnes non veri scolares, scolas non visitantes, ponerentur ad taliam; quam litteram aliqui mandaverunt preposito Parisiensi ut faceret publicari. Quare dominus rector cum suis deputatis adivit dominum prepositum cum notabili proponente[3], scilicet mag. Joh. Pain-et-chair[4] ad impediendum hujusmodi publicationem, requirendo dominum prepositum nostrum juratum per suum juramentum tamquam conservatorem nostrorum privilegiorum, ne publicaret hujusmodi litteras, ymo publicationem impediret. Qui benivole respondit, velle impedire hujusmodi publicationem, nec publicaretur nisi sano consilio habito desuper. Unde Universitas sibi multum regratiata est. Etiam adiverunt reverendum in Christo patrem dominum archiepiscopum Remensem supplicantes quod vellet laborare apud regiam majestatem, ut nostra privilegia illesa remaneant. Similiter adiverunt dominum Vindomensem idem supplicantes. Qui benivolos ad hoc se reddiderunt, unde Universitas eis multipliciter regratiata est, et similiter domino rectori, domino proponenti[5] et ceteris deputatis de laboribus assumptis. Quoad secundum fuerunt citati aliqua supposita Universitatis, que multipliciter opfuerunt nostris suppositis, ea in nostris privilegiis ledendo; que non comparuerunt, ideo contumacia pro prima vice reputata sunt et citari ea debere ad primam congregationem Universitatis. Quoad tertium articulum fuerunt due supplicationes misse ad deputatos.

Facta fuit congregatio nationis Almanie XXIª die mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis. Quantum ad primum electus fuit magister Albertus Scriptoris. Quantum ad secundum supplicavit antiquus receptor, ut haberetur gratus et avoatus, et bedelli supplicaverunt pro continuatione, et specialiter Boemundus supplicavit, quia antiquus esset, quod natio vellet secum dispensare, ut non ita communiter visitaret congregationem Universitatis et nationis, quia non bene potest ambulare. Et aliqui magistri supplicaverunt pro regentia et pro scolis; et omnes concesse fuerunt.

Sequuntur regentes istius anni, videlicet 1445.

Mag. Jacobus de Gouda; fidejussor ejus mag. Lambertus.

Mag. Albertus Scriptoris; fidejussor ejus mag. Albertus [Posthauwer].

1. *Ms.* Penecer.
2. Ludovicum de Bourbon.
3. *Ms.* preponente.
4. *Ms.* Penecer.
5. *Ms.* preponenti.

Mag. Lambertus[1]; fidejussor ejus mag. Jacobus.

Mag. Albertus [Posthauwer]; fidejussor ejus mag. Nicolaus Hoen.

Mag. Temanuus; fidejussor ejus mag. Dubboldus.

Mag. Dubboldus; fidejussor ejus mag. Temannus.

Mag. Nicolaus Hoen; fidejussor ejus mag. Albertus.

1445

(*Fol. 96*[b]) Continuatio magistri Temani de Gouda.

Facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum 23ª die mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continnandum antiquum. Secundus erat communis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator pro avoatione; cujus supplicatio concessa erat. Etiam supplicavit Nicolaus bedellus noster, ut natio subveniret sibi in aliquibus; et concessum erat sibi a natione, quod haberet quadraginta sol. paris.

Facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum 28ª die Septembris super duobus articulis. Primus erat de quadam controversia orta in natione Francie in electione procuratoris, sic quod erant duo pro illo officio contendentes, quia antiquus procurator dixit se esse continuatum, et alius dixit se esse electum. Et breviter antiquus movebatur per hoc, quia electus erat a duabus provinciis[2] concorditer, et a duabus refutatus et alius electus, et a quinta provincia antiquus electus erat per pluralitatem vocum, ut ostendebat per signeta illorum, qui eligerunt eum, et per publicum instrumentum; et tamen decanus provincie[3], scilicet mag. Joh. Francissi, conclusit contra eum. Sed alius dixit, se esse electum, quia electus erat concorditer a tribus decanis trium provinciarum, ut ostendebat per signeta eorum. Eam[4] autem deliberationem rector posuit in deliberatione, an natio Francie deberet habere vocem vel non in ista contendentia, viso quod aliqui erant pro una parte, et aliqui pro alia. Et quantum ad hoc conclusum erat a tribus nationibus concorditer quod non deberet habere vocem in illa deliberatione; et ita factum est. Sed quoad principale, visis rationibus et persuasionibus hinc et inde et quod semper conclusio debet fi[e]ri in provincia sive in natione a majori parte, quod non fecerat decanus, scilicet mag. Joh. Francissi, conclusum erat concorditer a tribus nationibus continuatio antiqui procuratoris, scilicet mag. Johannis de Martiniaco, et privatus erat mag. Joh. Francissi decanus unius provincie per duas nationes, perpetue scilicet a natione Normanie, et per duos annos a natione Almanie; et tamen rector non conclusit, et potuit ut tunc a duabus nationibus concludere.

2us articulus erat communis. Et quantum ad hoc supplicavit antiquus procurator [Francie], scilicet mag. Joh. de Martiniaco et mag. Antonius Pauli pro remedio de incarceratione eorum, quia incarserati erant et nesciverunt causam, nec ad instantiam cujus. Et quoad hoc conclusum erat, quod si aliqui fecerunt de Universitate et repertum fuerit, quod privarentur a facultate. 2° supplicavit unus baccalarius Coloniencis in natione pro receptione. Et quoad hoc non fuit habita concordia, quia aliqui dixerunt, quod equaliter fieret gratia vel nullomodo, et aliqui se opposuerunt[5] simpliciter, et aliqui dixerunt, quod natio specialiter deberet congregari super illo, aliqui quod non; et sic quoad hoc nichil conclusum erat.

Facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum duos bacularios. 2us erat communis. Quantum ad primum isti duo recepti fuerunt sub ista condicione, quod non fieret magis privilegium uni quam alteri nec major gratia, sed omnes equaliter admitterentur. Ad secundum supplicavit Nicolaus bedellus noster pro aliqua summa a natione; et concessum fuit sibi quod haberet quadraginta solidos.

Item undecima die mensis Octobris facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem et ad hoc dare intrantem. Secundus erat communis. Ad primum placuit nationi ire ad electionem novi rectoris et ad hoc dedit intrantem mag. Jacobum de Gouda, et electus fuit mag. Joh. Haneroen[6]. Ad secundum supplicavit antiquus rector haberi gratus, avoatus et recommissus in factis per eum; cujus supplicatio admissa erat[7].

TEMANUS DE GOUDA.

1. *Nomen erasum, quia* Lambertus *deficientibus scholaribus, an.* 1446, *Jan.* 25, *resignavit.*

2. *Ut e* Chartul. *scimus, nat. Gallic. in quinque provincias divisa erat.*

3. *L. c.* Parisiens. *quae in nat. Gallic. simpliciter* provincia *nominabatur ut in nat. Anglic. provincia Alemaniae.*

4. *Ms.* Eum.

5. *Ms. add.* se.

6. BUL., V, 921, *perperam* Enguerandum de Parenti. *Sed mirabile dictu*, p. 533, *recte* Joh. Haneron *affert. ut legimus etiam in* lib. receptoris, *fol.* 38[b].

7. *Postea folium avulsum est, sed forsan non exaratum.*

1445

(*Fol. 97*) Electio magistri Alberti Posthauwer in procuratorem.

Celebrata fuit congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra XX^a^ die mensis Octobris super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. 2us fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nationi procedere ad electionem novi procuratoris more solito et elegit in procuratorem magistrum Albertum Posthauwer. Quantum ad 2um articulum supplicavit antiquus procurator in factis per eum haberi gratus et avoatus. Cujus supplicatio concessa fuit non absolute, sed cum ista condicione quod procurator electus haberet in scriptis redigere illa que per ipsum fuerunt pretermissa, que, licet in alio loco de jure scripta fuissent, ut puta in procuratoria magistri Henrici Marxchen, tamen ex injunctione nationis ipsa presenti loco sunt conscripta, et sunt ista que sequuntur.

Quadam die facta fuit congregatio Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino in qua, natione tamquam una parte Universitatis existente, venit unus bacularius Coloniensis, nomine Adolphus Tegelen [1], supplicans pro receptione ejus in bacularium Parisiensem, cujus supplicationem consideratis multis et attentis et etiam pluribus magistris de natione testimonium de suo bacularíatu perhibentibus simpliciter concessit, nemine protunc reclamante; sed postmodum in tertia vel secunda congregatione post congregationem sue receptionis aliqui magistri de natione se sue receptioni opposuerunt. Supplicavit etiam mag. Galterus de Wernia pro scolis; cujus supplicatio concessa fuit et fidejussores pro eisdem posuit. A. Posthauwer.

Die XXIX^a^ mensis Octobris celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum diligentias factas in prosecutione reparationis injuriarum. 2us fuit communis super, etc. Quantum ad primum articulum voluit et conclusit Universitas, quod impetraretur nova commissio, et per illam prosequeretur materia injuriarum. Quantum ad 2um aliqui supplicuerunt, quorum supplicationes remisse [sunt] ad deputatos.

Facta fuit congregatio facultatis artium anno quo supra, quinta die mensis Novembris, in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad terminandum quandam controversyam et discordiam ortam in facultate artium de presidendo in vico Straminis inter duos magistros [2], quorum unus fuit regens, alter vero non. Regens autem dicebat se posse disputare semper et omni tempore ante non regentem vigore unius statuti, quod cavit, quod nullus potest actus solemnes facultatis excercere nisi actu regens. Non regens vero dicebat, quod hodiernus modus, antiquis temporibus practicatus, esset ad oppositum, videlicet quod semper non regens posset disputare, in casu quo regens semel disputaverit. 2us erat communis, etc. Quantum ad primum articulum placuit facultati stare in antiquis consuetudinibus et modis practicatis in facultate, videlicet quod non regens in tali casu disputaret ante regentem. Et quantum ad secundum articulum et primo ad supplicationem illius, qui supplicavit pro observatione statuti, conclusit facultas, quod quando per consuetudinem practicatum esset statutum aliquod ad oppositum, quod tunc staretur in modo consweto, quousque per facultatem sit reformatum. Supplicationem alterius concessit.

A. Posthauwer.

(*Fol. 97^b^*) Celebrata fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum die IX^a^ mensis Novembris super duobus articulis. Primus ad audiendum litteram missam Universitati ab ejus ambassiatore mag. Johanne Huwe [3], et etiam ad providendum quibusdam gravaminibus illatis aliquibus personis privilegiatis, puta uni liberario, qui suspensus fuit ab electis a suo officio notariatus, eo quod taliam [4] ad quam impositus fuerat tradere recusavit. 2us erat communis, etc. Quantum ad primum articulum lecta fuit littera in Universitate, et ipsa audita conclusit Universitas, quod scriberetur ambaciatori, quod conaretur ad habendum litteram in qua scriberetur, quod omnia manerent in suspensum usque ad adventum regis, et quod ambassiator habita tali littera rediret. Et quantum ad gravamen illatum voluit Universitas omnibus modis et viis possibilibus ipsi providere. Et quantum

1. Coloniae *an.* 1442 *inscriptus* (Keussen, Matrikel, I, 346). *Fuit cler. Colon.*

2. *Nat. Picard., ut e* lib. proc. nat. Gallic. *ad Nov.* 3 *apparet.* Nicolao Repus *data est praesidentia.*

3. *In* lib. proc. nat. Gallic. *vocatur* Joh. Huc. *Fuit Navarr., et licent. in theol. an.* 1447 (1448), *Jan.* 27. *Vid. de hoc viro alicujus famae* Launoium, Navar. gymnas. hist., p. 946 *sq.*, Delisle, Cab. des mss. II, 253. *Fuit can. Paris. et Remens., et ab an.* 1476 *decanus Senonens.* (Gall. christ., XII, 113).

4. *Tunc quaedam tallia extraordinaria* « pour le fait de la provision des gens d'armes », *imposita est, et ascendebat ad summam* 300 000 *franc.* (*vid.* Journal d'un bourgeois, p. 379, *et not.* 2).

ad secundum articulum supplicavit magister Albertus Scriptoris pro littera recommendatoria ad dominum ducem Burgondie; cujus supplicatio concessa fuit, dum tamen corrigatur in deputatis. Supplicavit etiam unus pro littera gradus; cujus supplicatio erat concessa probatis probandis.

Die XIII^a^ mensis Novembris celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum advocatum sive consiliarium Universitatis propter decessum unius consiliarii. Secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum articulum non fuit habita concordia in Universitate. Quantum ad secundum plures supplicuerunt pro officio; sed quia non erat concordia, nullius supplicatio fuit concessa.

A. Posthauwer.

1445

Continuatio magistri Alberti Posthauwer.

Celebrata fuit congregatio venerande nationis Almanie anno quo supra die XVIII^a^ mensis Novembris super quatuor articulis. Primus erat super electione vel continuatione procuratoris. 2us super modo disponendi de festo Almanorum, quod erat die sancti Eadmundi regis celebrandum. 3us fuit super modo consilium et favorem tradendi cuidam magistro nationis Almanie, qui graviter injuriam passus fuit ab aliquibus, ut ipse nationi referebat. Quartus erat communis super supplicationibus, etc. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator more consueto. Quantum ad secundum articulum placuit nationi honorifice et cum omni honestate et celebritate festum more solito in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani celebrare. Sed quantum ad festum in taberna, quod communiter omni anno fieri conswevit, voluit natio, quod celebraretur altera die post solempnitatem in ecclesia, *eo quod in ipsa erat dies piscium* [1]. Quantum ad 3um (*Fol. 98*) articulum voluit natio cum omni diligentia et conamine ipsi specialiter, eo quod magister est nationis, assistere, adjunctionem ei tribuens. Voluit etiam et conclusit natio, ut ei melior et honestior emenda fieri posset, quod procurator in prima congregatione Universitatis habeat nomine nationis pro magistro isto, scilicet magistro Gilberto, qui injuriam passus est, Universitati supplicare, ut ei tradere dignetur Universitas adjunctionem ad prosequendum istam materiam injuriarum in curia conservatoris. Quantum ad quartum supplicavit procurator continuatus in factis per eum haberi gratus et av[o]atus; cujus supplicatio fuit concessa. Supplicavit etiam mag. Gilbertus Herv[e]i pro adjunctione; cujus supplicatio etiam concessa fuit, sicut patet ex conclusione tertii articuli.

Anno quo supra die vicesima mensis Novembris celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum relationem ambassiatoris [2], qui venit de presentia regie majestatis. Secundus fuit super electione novi consiliarii seu advocati Universitatis in curia parlamenti ob descessum et mortem unius consiliarii Universitatis. Tertius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum audivit Universitas relationem ambassiatoris, in qua retulit et respondit ad singula puncta pro quibus ex parte Universitatis missus fuit, et primo quantum ad punctum illud de litteris illis, que emanaverunt de regia majestate, totaliter privilegia nostra exstirpantibus, retulit quod sepius regi cum omni conamine et consilio regio de illis litteris locutus est, et semper regia majestas ipsum ad suum consilium remisit, in quo dum veniret, vel non erat concordia, vel erat oppositio, sic quod semper facta Universitatis, ut retulit, tenebantur in suspensum. Et quantum ad remissionem illius littere alias portate Universitati per ambassiatores ante istam [3], retulit quod regia majestas egre tulit istam remissionem, viso quod ab aliis ambassiatoribus fuit acceptata, et consilium regium ei respondit quod numquam factum fuit consimile litteris regiis in remissione. Sic breviter quod cum omni nisu et opera in factis Universitatis, ut asseruit, laboravit, et non potuit post omnes diligentias habere alias litteras a regia dignitate et suo consilio, quam easdem quasi in forma, quas alii ambassiatores Universitati adduxerunt, quas quidem litteras Universitas sicut nec alias tunc acceptavit, eo quod non manutenentie privilegiorum erant propicie, ymo magis ipsis essent contrariantes. Et ad aliud punctum sue legationis, videlicet ad factum collegiorum in Universitate Parisiensi, retulit quod in consilio regio erat unus missus a summo pontifice [4], qui cum aliis omni die tractavit de factis ecclesie, et quod bonum esset mittere ibi aliquem ex parte Universitatis; quod punctum Universitas remisit ad deputatos.

Quantum ad secundum electus fuit mag. Philippus

1. *Nam an.* 1445 *festum S. Edmundi fuit sabbato, quo usus carnium non permittebatur.*
2. *I. e.* Johannis Hue.
3. *Ms.* istum.
4. *Vid. infra ad Decemb.* 22, p. 635, 14.

Lulier in consiliarium Universitatis. Et quantum ad tertium supplicavit ambassiator prefatus in factis per eum haberi gratus et av[o]atus, et quod ipsi darentur deputati ad audiendum compotum de expensis suis. Cujus supplicatio secunda erat remissa ad deputatos, sed prima concessa fuit simpliciter, viso quod cum omni diligentia et conamine in factis Universitatis laboravit. Supplicavit etiam unus magister nationis nostre et procurator una cum ipso pro adjunctione in causa quadam, quam ducebat contra aliquos in curia conservatoris pro injuriis illatis ei. Cujus supplicatio erat remissa ad deputatos, quibus haberet omnia referre, sicut acta fuerunt.

A. Posthauwer.

(*Fol. 98*[b]) Anno Domini quo supra XXVII[a] die Novembris celebrata fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad disponendum de remedio oportuno pro expeditione unius notabilis viri, suppositi Universitatis, incarcerati per duos generales in carceribus pallatii [1]. 2[us] fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusit et voluit Universitas, quod non obstante oppositione episcopi Parisiensis die XXV[a] ejusdem mensis in curia generalium de redemptione ipsius facta dominus rector haberet adire curiam generalium cum solemni comitiva, repetitum istum incarceratum secundum tenorem privilegii, sic quod ipsi immediate traderetur, non obstante oppositione episcopi Parisiensis et aliorum, et postea responsum generalium Universitati referre. Veritas tamen est quod antequam dominus rector conclusionem caperet, venit unus cordiger missus a nostro incarcerato, qui domino rectori ista retulit, que sequuntur : « Domine rector, incarceratus vester misit me ad presentiam dominationis vestre ut eidem significarem, quod jam est sententiatum per dominos generales, ut ipse episcopo Parisiensi et sue custodie debet mancipari et quod de facto unus de ministris episcopi pro ipsum habendo ibi venit, qui tunc immediate appellavit. Circa que supplicat, quod eidem notum facere dignemini, quid in isto casu dominatio vestra consultius censet faciendum. » De quo Universitas nichil conclusit eo quod non erat positum in medium; sed illo audito Universitas priori deliberationi adjunxit, quod consilium haberet cum consiliariis Universitatis de isto postquam veniret in pallatio. Circa quod rectore existente in pallatio unacum consiliariis, conclusum fuit quod, eo quod videbatur consultius visa sententia generalium quod incarceratus haberet subire manus et custodiam episcopi, quod factum fuit per incarceratum, sicut per rectorem eidem fuit significatum. Quantum ad 2[um] articulum nullus supplicavit.

Die [2] XXVII[a] mensis Novembris facta fuit congregatio venerande nationis Almanie post prandium aput Sanctum Maturinum ad requestam unius de natione super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de remedio oportuno pro expeditione unius incarcerati nationis nostre. Secundus fuit, etc. Quantum ad primum voluit veneranda natio omnibus viis et modis possibilibus procedere ad juvamen et expeditionem predicti incarcerati. Quantum ad secundum aliqui bacularii aliarum Universitatum supplicuerunt pro receptione ad nationem. Et quoad hoc visis litteris testimonialibus ipsorum, quibus certificaverunt nationem, quod in aliis Universitatibus ad minus per duos annos cum quatuor mensibus studuerunt, conclusit quod reciperentur sub illa conditione, quod isto anno non procederent.

Anno Domini quo supra XXIX[a] mensis Novembris celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum hora VIII[a] de mane super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum factas [diligentias] pro expeditione incarcerati per dominum episcopum Parisiensem et ad eidem remedia oportuna apponendum. Secundus articulus fuit super inveniendo et avisando remedia circa unum collegium [3] quod, ut unus bursarius illius retulit, minatur ruinam et sue terre ab alienis circa ipsum edificantibus patitur absectionem et, breviter ut retulit, plures sunt defectus in eo. Tertius fuit communis, etc. Quantum ad primum articulum retulit dominus rector, quod die precedenti diligentias magnas fecit, domino episcopo Parisiensi humiliter supplicando quod incarceratum expediret secundum tenorem statuti; qui semper respondit, quod erat impossibile ei, quod eum deliberaret, eo quod erat ei inhibitio facta per clientes regios, ut eum non deliberaret sub pena quingentarum librarum argenti. Circa quod conclusit Universitas quod haberet adhuc ipsum adire cum comitiva solemni ipsum rogando, quod expediat ipsum incarceratum secundum formam statuti, et in casu quo non faceret, quod eidem notum faceret cessationes fore futuras.

1. *De hoc multo latius in* lib. proc. nat. Gallic., *et ap.* Bul., V, p. 532 *sq*.

2. *Ea paragraphus in ms. legitur fol.* 99, *cum signo transpositionis.*

3. *Ut e* lib. proc. nat. Gallic. *apparet,* Collegium decem et octo. *Quidam suam domum collegio contiguam reparavit, ex quo certis cameris collegii ruina minabatur.*

Quantum ad secundum articulum dedit Universitas deputatos, qui una cum deputatis Nostre Domine haberent visitare illud collegium et visitatione facta qualitatem et statum Universitati eidem reserare. Quantum ad tertium aliqui supplicuerunt, quorum supplicationes erant remisse ad deputatos.

Eodem die quo supra post prandium hora tertia facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum per juramentum super 2us articulis. Primus fuit ad adhibendum remedium pro expeditione istius incarcerati per episcopum Parisiensem. 2us fuit communis, etc. Quantum ad primum conclusit Universitas (*Fol. 99*) cessationes a sermonibus, nisi Universitati eodem die restitueretur. Quantum ad secundum supplicavit mag. Gilbertus Herv[e]i[1] pro emenda condigna de injuriis ei illatis per dominum officialem Parisiensem[2], eo quod *appellavit ipsum bejanum*[3] in presentia domini rectoris. Circa quod Universitas nichil conclusit, sed facultas artium voluit quod citaretur in facultate responsurus super illis, que mag. prefatus officiali oponebat.

Anno quo supra IIII^a die mensis Decembris celebrata fuit congregatio facultatis artium aput Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus fuit super resumpsione Quotlebetorum. Secundus fuit communis, etc. Quantum [ad primum] conclusit veneranda facultas, quod placebat ei *resumpsio Quotlebetorum, eo quod est actus solemnis facultatis*[4], et quelibet natio dabat suum quotlebetarium, excepta veneranda natione nostra, que requisivit dominum rectorem, quod congregaret notabiles deputatos, qui nationem de modo deputandi Quodlibeta informaret, et informatione facta et natione plenius (sicut illo tunc non erat) congregata, etiam libenti animo suum deputaret quodlibetarium.

Nona die mensis Decembris celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis aput Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad adhibendum remedia gravaminibus que Universitati in suis suppositis et officiariis fuerunt illata. Secundus fuit super facto cujusdam notabilis viri, doctoris[5] (ut ipse dicebat) in omni facultate, *qui se obtulit responsurum toti Universitati in omnibus scientiis*. 3us erat communis, etc. Quantum ad primum conclusit et stetit Universitas in modis avisatis per deputatos, sic quod [per] illos roborarentur privilegia matris Universitatis. Quantum ad 2um articulum dixit doctor illius magistri quod graviter infirmaretur, et

1. *De Scotia.*
2. Petrum Maugerii.
3. *Tunc verbum contumeliosum. Vid. an.* 1442, *Oct.* 2.
4. *Nihilominus hic primum in Actis Universitatis Paris. de* Quolibetariis fac. artium *sermo fit, cum in fac. theol. jam saec.* XIII *inveniantur. De isto* actu solemni de disputatione Quolibetorum, *et quidem in* S. Juliano, *loquitur etiam* Reformatio Universitatis *an.* 1452.
5. *Hic agitur de celebri* Fernando Cordubensi (*defunct. Romae an.* 1486 *in* 65° *anno aetatis suae*), *qui an.* 1443 *circiter, aetatis* 21 *vel* 22 *ann., Hispaniam reliquit, et in fine Novemb. vel principio Decemb.* 1445 *Parisios venit. Ob suam scientiam omnes stupefaciebat. De ejus mora intra Parisios usque Dec.* 14, *diversi coaetanei scripserunt, et* Julianus Havet *omnia, quae hucusque nota erant, collegit et examinavit in* Mémoires de la soc. de l'histoire de Paris, IX, p. 192-222. *Primum locum eorum obtinet fragmentum epistolae Parisiensis cujusdam ad cancellarium Brabantiae an.* 1445, *Dec.* 30 (Monumenta Germaniae hist., Scriptorum qui vernacula lingua usi sunt, II, p. 373 *sq.*), *e quo* Trithemius, Chron. Spanhem., *Francof.* 1601, II, 415; *deinde relationes ap.* Journal d'un bourgeois, p. 381, *et* Chron. de Mathieu d'Escouchy, *ed.* Beaucourt, I, 69-72; *altera brevis relatio e tabulario Catalaunensi ap.* Havet, *l. c.* p. 203. Havet *fugit tamen relatio in* lib. proc. nat. Anglican., *ad Dec.* 9, 11 et 22, *per quam plura ab ipso asserta corriguntur, et chronistarum relata ad rectam mensuram rediguntur. Haec sunt puncta, quae nunc certa videntur, quaeque alibi obscura erant:* 1°. *De ipso Parisiis mirabilia evulgabantur, et quidem in magnum dedecus totius Universitatis. Quae sic intelligenda sunt, quod iste doctor in conventibus particularibus et privatis, v. g. apud Navarram, cum successu coram magistris et scholaribus suam scientiam ostentabat, fortasse de argumentis et quaestionibus ab ipso selectis, ita ut opinio orta sit, ipsum per neminem in Universitate vinci posse; immo proclamaverat se in qualibet scientia coram plena Universitate sine defectu respondere posse, et hoc bis promiserat.* 2°. *Universitas ideo insistebat, ut promissum solveret, quia jam rumor erat, Universitatem ex timore declinare.* 3°. *Cum doctor Hispanus hoc facere recusaverit, Universitas eum detinebat* (*non ob aliam causam*), *donec responderet.* 4°. *In congregatione Universitatis ap. S. Bernardum* (*Dec.* 11) *minime respondit ad argumenta e qualibet scientia, ut secundum ep. ad cancellarium Brabantiae et sec.* Chron. de Mathieu d'Escouchy *aliquis credere posset, sed se per longum excusavit, quare non responderet, de aliisque quae ab ipso ortum habuerunt.* 5°. *Quia animum non habuit coram Universitate saltem semel de argumentis et quaestionibus ex omni scientia ab ipsa Universitate selectis respondere, ipseque abire voluit ad ducem Burgundiae, Universitas eum liberavit.* 6°. *Tantum abest ut Universitati timorem incusserit, ut Universitas duci Burgundiae scripserit,* « quod dux injungeret sibi reditum ad Parisius, ut suum compleret promissum » (p. 635, 10), *i. e. ut semel saltem in plena Universitate ad argumenta proposita ex omni scientia responderet. — Quae infra e* lib. procur. nat. Gallic. (p. 635, *not.* 1) *afferuntur, conveniunt optime cum* lib. proc. nat. Angl.

Lapis sepulcralis, *quem Ch. Grandjean frustra quaesivit* (*vid.* Mém., *l. c.*, p. 199), *nunc exstat in claustro ecclesiae* S. Maria di Monserrato *Romae, parte opposita ab ingressu.* Fernandus *recubans repraesentatur. Inscriptionem subtus positam diligenter edidit* Forcella, Iscrizioni delle chiese... di Roma, III, p. 216, n° 512, *e quo in* Mém., *l. c. Adjunctus est ex utraque parte nudus clypeus* (*quem hinc inde angelus tenet*) *in quo aquila dextrorsum versa intentaque acie solem intuens in pectore crucem S. Andreae portat.*

Annotamus, in Suppl. Eugen. IV, n° 372, *fol.* 127 b, *ad an.* 1442, *Jan.* 13, *cujusdam* Fernandi Alfonsi de Corduba, *cler. Corduben., mentionem fieri, in* Suppl. Nicol. V, n° 416, *fol.* 93, Fernandi de Cordo[v]a, *mag. in theol., qui an.* 1447, *Sept.* 15, *cum Joh. Carvajal, card. et apost. sedis legato, Romam reliquit et in Germaniam profectus est.*

propter hoc presencialiter Universitatem visitare non potuit, et quod propter hoc haberetur excusatus. Sed nichilominus, viso quod ipse *semper se obtulit responsurum, et bis promisit* fide media quod persona propria Universitatem visitaret, et *semper se fecit per alium excusari*, Universitas conclusit, *quod detineretur* quousque ipse suum promissum implevisset, quia videbatur Universitati, quod honor Universitatis per famam suam, quam seipso et aliis volgariter evolare per villam fecit, enormiter et multum erat lesus. Quantum ad 3um supplicavit dominus rector haberi gratus et av[o]atus in factis per eum; cujus supplicatio fuit concessa.

Celebrata fuit congregatio Universitatis Parisiensis aput Sanctum Bernardum per juramentum die XI^a mensis Decembris super duobus articulis. Primus fuit super facto illius doctoris, qui se toti Universitati super omni materia responsurum promisit. 2us fuit communis, etc. Quantum ad primum retulit dominus rector plura que dicebantur communiter de eo in tota villa Parisiensi, que tunc ab eo ortum et initium suscepissent et in magnum (*Fol. 99*[b]) dedecus et vitium totius Universitatis dicta fuissent. Ad que omnia et singula ille notabilis vir respondens, aliqualiter *de omnibus se excusavit*, et si aliqua ab eo minus bene dicta fuissent, reputavit pro non dictis, et satis reverenter loquens se posuit in manibus Universitatis in omnibus corrigendis. Et post magnam relationem verborum supplicavit quod Universitas eum ab arresto liberaret. Circa que conclusit Universitas quod liberaretur ab arresto et recederet in nomine Domini, quia Universitas nullam habuit rationem detinendi, nisi quod se *promisit responsurum in omni facultate*, et quia *illud facere recusavit* et Universitas eum cogere non potuit ad hoc faciendum, conclusit quod iret in nomine Domini. Quantum ad secundum nullus supplicavit. A. Posthauwer.

1445

Electio magistri Dubboldi [de] Campis in procuratorem.

Celebrata fuit congregatio venerande nacionis Almanie anno 1445 quo supra apud Sanctum Maturinum XVI^a die mensis Decembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni procedere ad electionem novi procuratoris more solito et elegit magistrum Dubboldum [de] Campis in procuratorem. Quantum ad secundum supplicavit procurator antiquus ut in bene actis haberetur gratus, et in aliis, si que essent, supportatus. Cujus supplicatio erat concorditer concessa.

Eodem die [1] celebrata fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit facultati et eciam nacioni procedere ad electionem et ad hoc dare intrantem. Et electus est discretus vir magister Martinus Saboth [2], cujus electioni tamquam indebite, quia non tres ut dixerunt consensiebant, quidam de intrantibus obstabant; sed conclusione habita facultatis quod per rectorem [antiquum] et procuratores in conclavi examinaretur Normanus de veritate et re gesta, et postquam simile factum fuit de Almano, juramento prestito prius ab utroque examinatorum, consensiit facultas electioni prefati magistri Martini tamquam canonice et legaliter habite. Quantum ad secundum supplicavit dominus antiquus rector haberi gratus et avoatus in bene actis per eum, et in aliis supportatus. Cujus supplicatio erat admissa a facultate. Etiam supplicavit dominus rector novus de assistentia et concilio in agendis et de associatione pro vino et speciebus. Cujus supplicationes conformiter ad aliam fuerunt concesse. D. Campis.

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra, die Decembris XXII^a apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super audiendis quibusdam litteris; 2us erat communis super supplicationibus et injuriis. Primus articulus (*Fol. 100*) habuit tria puncta. Quantum ad primum presentavit dominus rector quandam litteram commissoriam que effluxerat a regia majestate super materia injuriarum alias Universitati illatarum [3], in qua voluit dominus rex ut fieret dilatio actionis injuriarum usque dominicam *Quasimodo geniti* [4], qua forte personaliter hic presens Universitatem redderet contentam de inju-

1. *Sed* lib. proc. nat. Gallic. *electionem ad Decemb.* 18 *refert.*
2. Lib. receptoris, *fol.* 38: Mart. Chiaboult; Lib. procur. nat. Gall. : Chaboz; *infra* Chabot *et* Chabotz. *Multa laude eum cumulat* Gerardus Macheti *an.* 1443, *cum factus est scholasticus eccl. S. Martini Turonens.* (Epp. Gerardi Macheti, *fol.* 53, *ubi* Chabot); *an.* 1448, *Mart.* 18, *Martinus* Chaboz *in* Suppl. Nicolai V, n° 417, *fol.* 57 b. *An.* 1435 *regens in art.* Andegavis (Suppl. Eugen. IV, n° 302, *fol.* 177 b). *Licent. in theol. an.* 1445 (1446), *Febr.* 7.
3. *Vid. supra* p. 594, 39 *et not.* 4.
4. *An.* 1446, *April.* 24.

riis sibi alias in suum rectorem illatis, que commissio fuit Universitati grata et accepta.

Secundus punctus erat super audienda quadam minuta littere mittende domino duci Burgondie, que tangebat honorem Universitatis et materiam istius doctoris in omni facultate, ut dixit, promoti, ne sibi nimium crederet dux. Placuit Universitati illa copia, dummodo tolleretur illud verbum « et se convenienter excusavit [1] », et apponeretur, quod dux injungeret sibi *reditum ad Parisius*, *ut suum compleret promissum*. Et placuit Universitati, quod similis littera mitteretur regi [2], mutatis mutandis.

3us punctus erat super *pragmatica sanxione*, audito namque ab Universitate quod quidam legatus sedis apostolice, qui ad regiam venerat majestatem [3], de hac re coram rege ageret, decrevit Universitas scribendum fore regie majestati, quatenus in hac re rex nichil innovaret, nisi ab Universitate prius essent super hac re quedam sibi declarata, maxime cum Universitas suum haberet interesse, et cum hic modus providendi non sit satis utilis; sed maluit Universitas ut aboleret[ur] pracmatica sanxio [4]. Pro nunc tamen placuit minuta communicata ad minus de nichil innovando.

Quantum ad 2um articulum supplicavit dominus rector de concilio et auxilio in agendis; cujus supplicatio fuit concessa. Et unus magister supplicavit pro littera gradus; cujus supplicatio fuit admissa probatis probandis. Item supplicatum fuit ex parte illius, qui defendit causam Universitatis in parlamento, viso quod bene CCC^{ta} folia papiri exposuit de propriis et fecit illa conscribi, quod sibi fieret aliqua restitutio; quod erat concessum.

D. Campis.

1446

Anno Domini M CCCC° XLVI°, IIII^{a} die mensis Januarii, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus super audiendo domino receptore de quibusdam que in facie nacionis narraturus erat. 2us erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum dominus receptor requisivit concilium a nacione quid esset acturus, cum rector modernus ab eo peteret pecuniam consuetam dari ad cappam rectoris secundum numerum promotorum, allegans etiam receptor prefatus quatenus de non dando domino rectori moderno sicut et antiquo nondum contento allegaverat, quatenus precessores eorum exinde nichil requisierant nec habuerant, et maxime cum promoti essent pauperes frequenter. Ad quod respondit dominus rector quod universaliter de omnibus teneretur nacio, licet rector haberet solum loqui receptori, quamquam ex gratia aut favore precessores illud non requisierunt. Et hoc de puncto narrationis domini receptoris [5]. Et quantum ad hoc placuit nacioni quod rectori daretur portio sibi debita ad cappam, cum gratia preteritorum jus non tollat consequentium [6], licet etiam pauperes fuerint promoti, cum ad hoc essent statuta et quod nacio deinceps provideret in promotione scholarium.

Quantum ad secundum articulum voluit nacio maturius deliberare de quodam alias in nacione tacto, puta de mutando *sigillo* eidem *arma Imperatoris et nomen Almanie inscribendo*. Et quantum ad hoc placuit nacioni supersedere de immutatione sigilli, sicut alias supercessit dum ista materia apud nacionem agitabatur, maxime duobus stantibus ut nunc, videlicet quod essent treuge inter reges Francie et Anglie in quibus nulla consueta est fieri immutatio, maxime que pacis sunt offensiva [7]; et etiam quia privilegia papalia et regalia de natione verbum facientia eandem nomine Anglicano nominaverunt et eidem sub tali tytulo privilegia contulerunt.

(*Fol. 100* ^{b}) Facta fuit congregacio facultatis artium anno quo supra, die Januarii XII^{a}, apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus ad dispensandum pro determinaturis qui alias tempore ordi-

1. *Sec.* lib. proc. nat. Gallic. *Universitas duci Burgundiae scripsit* : ne velit adhibere fidem dictis cujusdam doctoris Hispani, qui se obtulerat Universitati responsurum, qui tamen noluit respondere, sed se excusavit dicendo, quod celerrime erat iturus apud dominum ducem dictum.

2. « Suoque confessori », *ut in* lib. proc. nat. Gallic. *scribitur*, *i. e.* Gerardo Machcti.

3. *An.* 1445, *Aug.* 5, *Eugenius IV archiepiscopo Lugdunensi* (Gaufrido) *et nobili viro* Bianciardino *militi et legum doctori Perusino injungit*, *ut* capitula dudum inter regem Francie et Petrum episc. Brixiens. inita (*vid. supra*, p. 521, *not.* 1) concludant (Reg. Vat. Eugen. IV, n° 387, *fol.* 25). *An.* 1446, *Jun.* 28, *Eugenius* Bianciardinum *et* Robertum *archiepisc. Aquens. iterum ad regem Franciae de hac re tractaturos misit* (ibid., n° 378, *fol.* 190). *Salvus conductus pro* Bianciardino *est Jun.* 30 (ibid., *fol.* 189^{b}). *De hoc nihil ap.* Beaucourt, Hist. de Charles VII. *Utique unum istorum amborum significavit* Gerardus Macheti, *cum an.* 1447, *Febr.*, Jacobo de Ciresio *scripserit* : Ambaxiator apostolicus ad urbem (Romam) gressus dirigit, brevi reversurus, ut ait (Epp., *fol.* 91^{b}). *Gerardus archiepiscopum Aquens. tunc* « procuratorem regium in Rom. curia » *vocat* (ibid., *fol.* 92). *Sed Eugenio IV anno* 1447 *defuncto*, *successor Nicolaus V alium nuntium*, *scil.* Alphonsum de Segura *elegit*, *de quo infra ad an.* 1449, *Septemb.* 15.

4. *Vid. ad Febr.* 12, p. 639, 15.

5. *Postea plus quam una linea ita deleta est, ut nihil legi possit.*

6. *Ms.* presequentium.

7. *Postea plus quam dimidia linea deleta est.*

nario legitima causa interveniente determinare non potuerunt; quod fuit concorditer concessum. Quantum ad secundum articulum, qui est communis, nullus supplicavit.

Item quodam die congregata nacione in Sancto Maturino super quibusdam articulis ut prenotatum est et illis articulis terminatis, mag. Gilbertus de Schocia planxit se de quibusdam injuriis sibi a magistro vel magistris nacionis illatis. Et quoniam actore non probante reus absolvitur, ideo natio nichil de illo tradidit concludendum. Etiam fecit citari coram nacione quendam scholarem de injuriis, qui sibi objecta negavit; sed a nacione monitus est et persuasus ne magistris injuriaretur.

1446

Continuatio mag. Dubboldi [de] Campis.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie anno quo supra die Januarii XIII[a], super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et continuavit nacio magistrum Dubboldum Campis. 2[us] erat communis; et quantum ad illum supplicavit procurator, ut haberetur in bene actis gratus, et in aliis supportatus. Quod est concessum. D. Campis.

Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie XXV[a] die Januarii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super dispositione festi candelarum [1]. Et quoad hoc placuit nacioni facere festum sicut consuevit et ut alie naciones faciunt, providendo de cereis et ceteris requisitis, et in casu quo peccunie nacionis presentialiter habite non sufficerent, quod concederetur una quota de baccularíis proxime recipienda. Quantum ad 2[um], qui est communis, mag. Lambertus Schout, videns quia non esset sibi opus de scholis, resignavit regencie sue.

Facta fuit congregacio facultatis artium 10[a] Februarii apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit super terminanda quadam discordia exorta inter magistrum nostrum magistrum Petrum Corii ex una parte, et dominum receptorem nacionis Almanie ex parte altera. 2[us] fuit communis super supplicationibus. Quantum ad primum narravit dominus receptor magister Albertus Scriptoris, quatenus minus juste magister noster prefatus pretendebat dare signeta de audita *Ethica*, cum tamen mag. Albertus sex libros ante apertionem temptaminis compleverat, de quo nulli dubium quin eos audierint. Et magister noster prefatus respondit, hec non esse nova nec contra statuta sed antea practica. Sed mag. Albertus respondit quod bene vellet stare in judicio facultatis et favere quod petiit, dummodo sibi faveretur messis sub gallico [2] Ethico futuro, sicut jam magister noster petiit sub domino Ethico presente. Deductis singulis hinc inde, non fuit habita concordia et sic rector nichil conclusit; sed mag. Petrus prefatus petiit deputatos, magistro Alberto remanente in judicio facultatis ut prius. Quantum ad 2[um] supplicavit receptor nacionis Francie [3] de assistencia, cum ultra clericalem libertatem minus juste molestaretur in curia Castelleti a quibusdam sue nacionis, qui jus in receptoria habere presumebant. Et auditis partibus satis prolixe conclusum est ut sub pena privationis ille, qui causam hanc ad Casteletum detulit, ab infestatione omnimoda ibidem desisteret, illa que machinata sunt destruendo, et postea in facultate provideretur de remedio oportuno.

1446

(*Fol. 101*) Procuratio magistri Arnoldi Bernardi, Trajectensis civitatis.

Decima die mensis Februarii anni 1445 facta fuit congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad antiquum [continuandum]. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum placuit nationi procedere ad novi procuratoris electionem, ac singuli magistri nemine reclamante magistrum Arnoldum Bernardi concorditer elegerunt. Quantum ad 2[m] articulum magistrum Dubboldum in suis actis tempore sue procurationis habuit natio gratum et advoatum.

XII[a] die mensis Februarii anno quo supra facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad contentandum quosdam dominos consiliarios ac dominos parlamenti Parisiensis de consilio dato domino rectori et quibusdam magistris eidem assistentibus ab Universitate Parisiensi deputatis pro reparatione injuriarum magistro Alberto Scriptoris, anno preterito rectori, et quibusdam magistris de gremio Universitatis illatarum [4]. Et placuit singulis regraciari

1. *Purificationis.*
2. *Hanc de Ethica lectionem in facultate artium singulae nationes vice sua magistro proprio credebant. Vid. infra Septemb.* 5.
3. Guillelmus Riveti.
4. *Vid. supra ad an.* 1444, *Sept.* 3, p. 594, 39.

magistro Martino Chabot tunc rectori ac dominis et magistris ad hoc deputatis, etiam conciliariis alme matris Universitatis Parisiensis de laboribus ac penis occasione dictarum injuriarum sepius habitis. Sed pluribus videbatur quod consiliarii Universitatis copiosa munera consulendo matri nostre super agendis suis requirebant, viso quod jurati sunt Universitatis; quare nichil preter gratiarum actiones tenentur recipere. Propterea conclusum est per nationes et facultates, ut Universitas mitteret ad regem supplicando, quatinus dictis consiliariis suaderet nichilominus et mandaret, ut decetero mitius agerent Universitati Parisiensi consilium et auxilium prebendo.

Eadem die conclusum [fuit] per singulas facultates, ut fierent nominationes virtute *pracmatice sanxionis*, ut moris est, a V vel sex annis citra. Visum est tamen venerande nationi Almanie, Picardie ac Normannie, quod iste nominationes modice utilitatis[1] sunt, et quod aptius esset alium modum preter hunc invenire, saltem quod de consensu regis Francie in suo regno Universitas Parisiensis tertiam partem temporis pro vacatione beneficiorum optineret, et quod durent date nominationum hujus anni usque ad feriam secundam[2] post brandones.

Conclusum[3] est dicto die per facultates, quod nullus scolaris de cetero promoveatur ad baccalariatum in quacumque facultate nisi prius sit juratus Universitatis et intitulatus in libro rectoris. Ad quod mag. Petrus de Brena, decanus facultatis decretorum se opposuit, quousque maturius fuisset deliberatum per magistros et doctores facultatis decretorum. Supplicationes, videlicet magistri Petri de Brena, pro litteris recommendatoriis supplicantis ac duorum magistrorum pro testimoniali supplicantium concesse sunt.

(*Fol. 101*[b]) XV[a] Februarii anno [quo] supra facta est congregatio facultatis in Sancto Juliano Pauperum (*sic*) super duobus articulis. Primus erat ad cedandam quandam controversiam ortam inter duos venerabiles magistros venerande nacionis Francie occasione procurationis ejusdem nacionis, quorum uterque jus pretendebat habere, et fuerunt prefati magistri mag. Gervasius Meloti et mag. Johannes de Conflans, et horum uterque electum se ad prefatum officium secundum vocum pluralitatem canonice asserebat. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad primum proposuit mag. Gervasius in medium facultatis asserens se majorem partem vocum magistrorum deliberantium habuisse in dicta nacione Francie ad prefatum officium habendum, pro quo tres decani trium provinciarum dicte nacionis, qui voces singulorum deliberantium receperant pro eodem magistro Gervasio, concluserunt. Adveniens ex altera parte mag. Johannes de Conflans proposuit, probans dictum magistrum Gervasium ad dictum officium procurationis inabilem fore, tum propter paucitatem vocum, tum quia de receptoria predicte nacionis, quam annis excercuerat, compotum ex integro, prout moris est, in dicta nacione non reddiderat, sed tenebatur adhuc prefate nacioni in XXXIII libris vel circa. Racionibus hinc inde propositis et sigillatim auditis, concluserunt tres naciones (quia nacio Francie ad hoc votum non habuit), jus et omne emolumentum dicte procurationis a X[a] Februarii, qua facta fuit electio dicti officii, magistro Johanni de Conflans[4] cum suis juribus et pertinentiis juste pertinere.

XIX[a] Februarii, anno quo supra, facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum quasdam litteras missivas nomine Universitatis apud regem Francie pro reparatione quarundam injuriarum domino rectori et quibusdam magistris graviter illatarum, de quibus supra[5] mensio facta fuit. Secundus erat communis [super] supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum lecte sunt littere pretacte in facie cleri Universitatis in eodem loco, et illas ad deputatos remisit mater nostra ut corrigerentur, prout eisdem congruum videretur. Quoad secundum articulum supplicavit mag. Gervasius Meloti, qui de facultate artium ad Universitatem appellavit, pro officio procurationis in nacione Francie quod per facultatem adjudicatum erat magistro Johanni de Conflans, pro qua supplicatione non est habita concordia in Universitate, et sic remansit dictus de Conflans.

De ceteris nichil exprimit procurator, quia tunc absens erat cum majori parte magistrorum nacionis Almanie, qui tunc erat in Castelleto ad requirendum

1. Pragmatica sanctio *solum in regno Franciae vigorem habuit, nec per illam magistris de beneficiis extra regnum Franciae vel in terris ab Anglis occupatis provideri potuit, in regno Franciae vero solum subditis illius regni providebatur. Vid. ad an.* 1448, *Febr.* 12, 16, *et seq.*

2. *I. e. usque ad Mart.* 7.

3. *In margine manu antiqua scriptum est* : Nota quod nullus promoveatur ad gradum baccalariatus nisi prius sit juratus.

4. « Bursarius theologorum in regali collegio Navarre » *Parisiis, de quo jam supra*, p. 606, *not.* 2.

5. *Febr.* 12, p. 638, 45.

duos venerabiles magistros, videlicet magistrum Jacobum de Gouda et magistrum Timannum [1] fratrem ejusdem cum quibusdam [2] scolaribus dicti mag. Jacobi [detentos] [3]. Et hoc fuit ad instanciam magistri Radulphi Morini, cum quo prefatus magister Jacobus nuper manserat, qui se opposuit deliberationi ipsorum. Episcopus Parisiensis etiam instanter eos requirebat. Tandem domini de parlamento factum in suis manibus posuerunt, et protunc remanserunt ibidem.

Sequenti die [4] post prandium facta est congregacio Universitatis sollemnis per juramentum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad videndum modum congruum pro liberacione dictorum magistrorum et scolarium. Secundus erat communis. (*Fol. 102*) Suplicavit ibidem procurator venerande nacionis Almanie pro privacione magistri Radulphi Morini, qui hujus inconvenientis causa fuerat, quia ad ejus requestam prefatus magister Jacobus cum fratre in carcerem detinebantur pro levi casu et in contemptum ipsorum reclusi sunt, quod erat contra honorem tocius cleri et privilegia Universitatis. Et petebat dictus Radulphus caucionem burgensem de quadam summa, que sibi debebatur, ut asserebat, et opposuit se deliberacioni ipsorum propter causam predictam.

Ad primum articulum conclusum est per Universitatem, ut rector Universitatis cum decenti comitiva doctorum et magistrorum adiret sequenti die [5] dominos venerande curie parlamenti, ad exprimendum tenorem privilegiorum nostrorum et ad dictos magistros et scolares instanter requirendum. Et illa die non fuit audita Universitas propter certas occupationes parlamenti; sed sequenti die [6] proposuit coram prefatis dominis mag. Joh. Pain-et-Chair [7] nomine Universitatis Parisiensis privilegia studentium satis enucleando ac magistros et scolares pretactos instancius requirendo, et continuata fuit causa usque in crastinum propter absenciam domini Parisiensis, qui ecclesiam sanctorum Innocencium illo die [8] dedicavit. Altera die [9] rediit mater nostra ad pallacium regis instancius et instantissime reddicionem suppositorum suorum postulando, episcopo Parisiensi contrarium requirente, qui dictos captivos sue jurisdictioni reddi firmiter instabat. Ibidem advocatus Universitatis, videlicet mag. P. Pietdefer [10], legaliter proposuit in curia parlamenti casum, ad longum narrando, *protestando tamen quod mater nostra ibidem non venerat ut sisteret juri coram ipsis dominis*, quia regis interest privilegia matris interpretari et non nisi coram ipso Universitas, que filia primogenita fertur ipsius regis, in factis privilegiorum suorum compelli debet [11]. Tandem ordinavit curia prelibata, ut die lune sequenti [12] rediret mater nostra, sua privilegia prebendo (que fuit penultima [13] Februarii) ac alia de quibus commodum posset consequi pro conservacione dictorum privilegiorum et dictorum captivorum liberatione, domino Parisiensi pro facto suo idem assignando. Attamen intimatum est dominis de parlamento quod, nisi manum, quam in prefatos magistros et scolares arrestando miserant, levarent, Universitas ex tunc cessaret. Quo audito dominus primus presidens prefate curie parlamenti inhibuit domino *rectori tamquam capiti alme matris Universitatis* Parisiensis, quod sub pena inobedientie curie et regis non procederet ad cessaciones. Unde multum mirabatur, viso quod Universitas nullo modo in hoc casu dicte curie subditur.

Quantum ad secundum articulum deliberavit Universitas, ut magister Radulphus privaretur, casu quo culpabilis inventus fuerit ad incarceracionem predictorum magistrorum et scolarium. A. Bernardi.

(*Fol. 102*^{b}) Facta est congregacio Universitatis per juramentum ad Sanctum Bernardum XXIII^{a} die Februarii [14] anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad inveniendum modum congruum pro deliberacione dictorum magistrorum et scolarium in Castelleto existencium, quia ad requestam rectoris, qui sollemniter eos requisivit in curia parlamenti eodem die, non fuerunt redditi, sed ad instanciam et opposicionem episcopi, qui ad ipsorum deliberacionem formaliter se opponebat, remanserunt ibidem.

1. *Ms.* magistro Timanno.
2. *Septem, ut infra patebit.*
3. *Quae sequuntur, succincte exponuntur in principio litterarum Caroli VII ejusdem anni, Martii* 26 (Arch. nat., X^{1a}, 8605, *fol.* 110; Ordon. des rois, XIII, 457. Recueil des privil. de l'Université de Paris, p. 17. Bul., V, 539 *om., et finem solum affert*), *quae litterae, ut videbimus ad Maii* 10, *Universitatem jurisdictioni Parlamenti subjecerunt. In impressis perperam scribitur* Gonda *pro* Gouda.
4. *Febr.* 20.
5. *Febr.* 21.
6. *Febr.* 22, *quae fuit feria tertia, ut etiam rex in litteris dicit. Ad haec vid. not.* 8.
7. *Ms.* Penenchar. *Litterae Caroli* : Painecher.
8. *I. e. Febr.* 22. *Sed sec.* Journal d'un bourgeois, p. 380, *episcopus ecclesiam Febr.* 24 *dedicavit.*
9. *Febr.* 23. *Rex etiam in litteris* « le lendemain jour de mercredi ».
10. *Seu potius* Piedefer.
11. *Sed mox ut videbimus, immo durante hac lite, hoc privilegium perdidit.*
12. *Febr.* 28.
13. *Minime, nam dies penultima* dominica, *non* dies lunae *fuit.*
14. *Semper idem dies,* dies mercurii.

Secundus erat communis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit per duas facultates, videlicet per facultatem arcium et decretorum, quod fierent cessaciones ab omni actu scolastico usque ad revocacionem Universitatis; sed facultas theologie et medicine solum a sermonibus cessare voluerunt, et sic non fuit concordia nisi quoad sermones tantum. Et sic finaliter conclusum est, quod fierent cessaciones a sermonibus usque ad revocacionem alme matris Universitatis Parisiensis [1].

Eadem die Universitate sollemniter congregata, privatus fuit per facultatem arcium et decretorum mag. Radulphus Morini propter sua demerita, quia manifeste compertum est, quod causa incarceracionis dictorum magistrorum et scolarium fuit, prout constitit per quandam litteram in plena Universitate lectam, cujus testimonio bene standum erat, quia sigillo prepositi Parisiensis cum deposicione clientum, qui eos induxerant, sufficienter erat munita. Facultas theologie privavit ipsum Radulphum, quousque dictos magistros et scolares indampnes reddiderit. Et sic utrobique privatus a gremio alme matris Universitatis Parisiensis remansit.

A. Bernardi.

Facta fuit congregacio Universitatis III^a Marcii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad inveniendum modum liberationis [2] captivorum de quibus nunc facta fuit mensio, et an fierent cessaciones in Universitate ab *omni* actu, vel ne. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum conclusit facultas arcium cessare ab *omni* actu scolastico, ceteris autem facultatibus placuit adhuc differre pro dictis cessacionibus et graciori modo procedere ad deliberacionem dictorum magistrorum et scolarium incarceratorum. Sed tunc conclusum est quod episcopus Parisiensis et dominus prepositus ejusdem civitatis convocarentur in plena congregatione, et quod episcopus interrogaretur tamquam suppositum Universitatis, an bene servasset privilegia dicte matris nostre, et quod moneretur sub pena privacionis [ne] impediret privilegia *alme matris Parisiensis*. Item quod prepositus tamquam conservator privilegiorum Universitatis convocaretur in Universitate ad renovandum suum juramentum in Universitate, ipsum monendo ut decetero caveat de tanto ac tali inconvenienti in Universitate per ipsum habito, (*Fol. 103*) quia dum scolares in manibus ipsius erant, poterat eos preter consensum vel inhibicionem parlamenti vel episcopi Parisiensis aut cujuscumque alterius rectori Universitatis plenarie restituere, quod sue negligencie permaxime imputandum est, cum sit ipse judex delegatus secularis pro tuicione ac conservacione privilegiorum Universitatis Parisiensis, et in isto casu nec parlamento nec cuicumque juridictioni seculari subjectus est.

Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector alme matris Universitatis Parisiensis nomine magistri Radulphi Morini, ut audiretur coram aliquibus deputatis ab Universitate super aliquibus casibus, potissime super hiis pro quibus privatus fuit ab Universitate, pro qua supplicacione non est habita concordia. Et ad hanc supplicacionem nacio Almanie formaliter se opposuit. Supplicavit eciam tunc mag. Albertus Scriptoris, protunc receptor dicte nacionis Almanie, nomine magistrorum ac scolarium captivorum, viso quod dicti magistri ac scolares pro conservatione privilegiorum Universitatis tam diu [3] detinebantur in carcere, quod nisi possent a magistro Radulpho Morini expensas recuperare, Universitas redderet eos indampnes; pro qua similiter non est habita concordia.

Eadem die provisum est per magistros venerande nacionis Almanie super examine bachalariorum, et electi sunt secundum statuta dicte nacionis pro dicto examine antiquior regens et antiquior non regens, procurator et receptor, videlicet mag. Arnoldus Bernardi tamquam procurator dicte nacionis, mag. Albertus Scriptoris receptor ejusdem nacionis, mag. Albertus Posthauwer senior regens, et mag. Lambertus Schout senior non regens.

Sequuntur nomina determinancium hujus anni 1445, qui per prefatos magistros examinatores ad bachalariatum admissi sunt.

David Lindesay de Scocia, filius comitis Crawfordie [4], qui determinavit sub magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa XVI sol. [5].

Adam Staep de Doesborch, Trajectensis diocesis, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa VIII sol.

1. *Harum cessationum etiam rex in suis litteris mentionem facit.*
2. *Ms.* laberationis.
3. *Ms.* dieu.
4. *Ms.* Crafardie. *in margine inferiori* Craufurdie.
5. *In* lib. receptoris *fol.* 39 *additur* : defalcaverunt tamen taxatores de scolis a communi cursu, quia magnas bursas solverat, X sol.

Gerardus Nepotis [1] de [Haeften], diocesis Trajectensis, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa IIII sol.

Godfridus Hesacker, diocesis Trajectensis, qui determinavit sub mag, Alberto Posthauwer, cujus bursa IIII sol.

Johannes Tiderici, presbiter de Dacia, Roskildensis diocesis, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa V sol.

Petrus Nicolay alias de Noirtwiic, qui determinavit sub mag. Jacobo de Gouda, cujus bursa IIII sol.

(*Fol. 103*[b]) Florencius Jutfaes, diocesis Trajectensis, qui determinavit sub mag. Duboldo Campis, cujus bursa VI sol.

Jacobus Wighert, diocesis Trajectensis, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa IIII sol.

Laurencius Mathie, presbiter diocesis Roskildensis de Dacia, qui determinavit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa V sol.

Dodo Nicolay diocesis Trajectensis, qui determinavit sub mag. Dubboldo Campis, cujus bursa nichil, quia juravit paupertatem.

Andreas Coudenc, presbyter diocesis Sancti Andree in Scocia, cujus bursa IIII sol.

[Sequuntur [2] nomina bachalariorum aliarum Universitatum receptorum per venerabilem nationem Almanie.

Item Petrus Ivonis [3], Trajectens. dioc. cujus bursa nichil, pro scolis XX s.

Item Helyas de Norde [4], Trajectensis, c. b. VIII s., pro scolis L, facit IIII lib. X s.

Item Johannes Van der Hoeve, Trajectens. d., c. b. nichil, pro scolis XX s.

Item Henricus Byc [5], Traject. d., c. b. IIII s., pro scolis XXX, facit II lib. X s.

Item Petrus Daniel [6], Traject. d., c. b. VI s. et pro scolis XL, facit III lib X.

Item David Guthere [7], d. Sancti Andree, burs. IIII sol., pro scol. XXX, fac. II lib. X.

Item Hugo de Arbutnow [8], d. S. Andree, burs. VIII s., et pro scol. L, fac. IIII lib. X s.

Item Martinus Vaus, d. Abbordanensis, burs. IIII sol. et pro scol. XXX sol., fac. II lib. X s.

Item Thomas Vaus [ejus frater], d. Abbordanensis, burs. IIII sol. et pro scol. XXX sol., fac. II lib. X sol.]

(*Fol. 103*[b]) Facta fuit congregatio Universitatis IX[a] die Marcii anno Domini 1445° apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus erat super remedio oportuno per Universitatem inveniendo super liberacione dictorum magistrorum et scolarium, videlicet mag. Jacobi de Gouda [9] et mag. Timanni fratris [10] ejusdem cum 7 scolaribus in curia episcopi detentorum, in[n]ocenter tamen et pro levissima causa. 2[us] articulus erat communis super supplicacionibus, etc. Quoad primum articulum deliberavit Universitas quod Universitas nec rector dictos magistros et scolares ab episcopo Parisiensi nec a dominis parlamenti, qui liberationem dictorum sibi reservaverant, non requirerent, ne jus imposterum sibi in hac materia vendicarent, sed conclusit mater Universitas litteras missivas domino regi Francorum transmittere, excusando Universitatem super aliquibus que sibi imponebantur, ut quidam dicebant, et de lesione dicte matris in suis privilegiis conquirendo domino nostro regi. Eodem die conclusit Universitas ut dominus Parisiensis convocaretur in prima congregacione, et per debitum juramenti interrogaretur super aliquibus articulis privilegia matris tangentibus, precipiendo, quatinus sub debito juramenti redderet dictos incarceratos. Quoad secundum membrum primi articuli conclusit Universitas quod nominaciones Universitatis virtute *pragmatice sanxionis* hoc anno facte legerentur in Universitate, et quod tempus inscriptionis dicti rotuli adhuc duraret usque dominicam proximam, que erit 13[a] Marcii.

A. Bernardi.

(*Fol. 104*) Quantum ad secundum articulum supplicavit veneranda nacio Almanie, quia inventum est quod mag. Radulphus Morini pluries legerat in vico Straminis post privacionem suam, ab Universitate

1. *Estne* Gerardus Nicolai Nepotis, *qui an.* 1441 Coloniae *intitulatus est?* (Keussen, Matrikel, I, 332).

2. *Quae uncis inclusa sequuntur, desumpsimus e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 43). *Tres tantum eorum in* lib. procurat. *inter determinantes supra relatos scribuntur, quos in nota 7 notabimus.* In receptione baccalariorum aliarum Universitatum consumpti sunt in cervo XVIII sol., IIII den. (Lib. recept., *fol.* 42). *Non omnes eodem die recepti sunt.*

3. De Alcmaria, *an.* 1443 Coloniae (Keussen, Matrikel, I, 351), *an.* 1445 Heidelbergae *intitul.* (Toepke, Matrikel, 1, 247). *Posterius iterum Coloniae.*

4. Helias Norden de Trajecto *an.* 1444 Coloniae *intitul.* (Keussen, p. 358).

5. *Estne* Henricus Bye, *can. in Breda Leod. dioec., qui ut jurista* 1432 Coloniae *intitul. est* (ibid., p. 264)?

6. *An.* 1443 Coloniae *intitul.* (Keussen, p. 349).

7. *Quatuor sequentes erant baccalarei Universit. S. Andreae in Scotia. Primus et duo ultimi afferuntur inter determinantes* libri procur. (*ubi* Guthery *primus vocatur*) *cum bursa* VI sol.

8. *I. e.* Arbuthnott *seu* Abirbuthenoth.

9. *Ms.* Gauda.

10. *Ms.* magistro Timanno fratre.

fieret inhibitio dicto magistro Radulpho ne legeret amplius in facultate, quia tamquam membrum putridum ab Universitate resecatus erat, et quod scolares secum stantes in domo vel ab eodem lecturas audientes non proficerent quoad formalia, nec tempus acquirerent in Universitate.

1446

Continuacio magistri Bernardi.

Decima die mensis Marcii anno quo supra facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et quoad hoc nacio prefata magistrum Arnoldum Bernardi in officio procuracionis continuavit. 2us articulus erat communis, etc. Et supplicavit dictus procurator, ut nacio vellet ipsum habere gratum et advoatum in actis tempore sue procuracionis, quam supplicacionem nacio concessit ac eundem procuratorem gratum habuit. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt duo bachalarii, videlicet Johannes Tyderici et Laurencius Mathie presbiteri, quatinus nacio vellet cum eis dispensare ad non eundum ad vicum Straminis pro disputando *propter impedimentum, quod habebant in horis canonicis cotidie legendo*. Idem supplicavit procurator nomine Jacobi Wighert, dispensatoris in domo magistri Alberti Scriptoris, qui similiter vicum commode singulis diebus in Quadragesima visitare non poterat. Pro quibus supplicacionibus conclusit nacio, quod saltem visitarent dicti supplicantes vicum Straminis pro disputacionibus bis in septimana, de reliquo autem cum eisdem supplicantibus nacio dispensavit.

Eadem die receptus est per nacionem in bachalarium quidam scolaris, cujus nomen Dodo Nicolay Trajectensis diocesis, qui determinavit sub mag. Dubboldo Campis, qui paupertatem juravit in facie venerande nacionis Almanie secundum statuta dicte nacionis.

XI^a die mensis Marcii anno Domini 1445° more gallicano facta est congregacio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum modum liberacionis magistrorum et scolarium, de quibus nuper tactum est, qui diu in Castelleto et in curia domini episcopi Parisiensis detenti fuerant ad instanciam magistri Radulphi Morini pro levi casu, ut prius visum est, quod erat in scandalum tocius Universitatis et in detrimentum privilegiorum ejusdem. Quare conclusum fuit antea ab omnibus facultatibus, ut fierent cessaciones a sermonibus usque ad beneplacitum Universitatis. Et quia prefati magistri et scolares precedenti die fuerunt restituti et liberati a carceribus, proposuit dominus rector in medium querendo an placeret Universitati Parisiensi suos sermones resumere. 2us articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis.

(*Fol. 104^b*) Quantum ad primum regraciabantur singule facultates et naciones venerabilibus dominis ac magistris, qui fideliter laboraverunt pro liberacione dictorum incarceratorum, et placuit singulis facultatibus resumere sermones extunc, et quod die dominico sequenti, qui fuit 13^a Marcii, fierent processiones generales Universitatis, et quod illo die fieret unicus sermo coram populo.

Quantum ad secundum articulum supplicavit mag. Johannes Pain-et-Chair[1] pro quibusdam litteris recommendatoriis, et quidam alii magistri similiter supplicaverunt pro litteris recommendatoriis. Quorum supplicaciones Universitas remisit ad deputatos ad minutas legendas.

XVI^a die Marcii anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum lecturam rotuli Universitatis[2] pro nominacionibus hoc anno habendis. Secundus articulus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum placuit Universitati lectura dicti rotuli, et quod nullus suppositorum Universitatis haberet plus quam duas collaciones, sed solum de duabus collacionibus contentaretur, et quod rotulus clauderetur sequenti die. Quoad secundum articulum supplicavit dominus rector Universitatis protunc, videlicet magister Martinus Chabotz, ut Universitas[3] haberet ipsum ratum, gratum et recommissum in factis per ipsum tempore sue rectorie, quam supplicacionem concessit mater Universitas et habuit eum gratum in bene actis. Et quia in dicta rectoria supervenerunt plures ardue et perplexe materie racione detencionis et incarceracionis quorundam magistrorum et scolarium in Castelleto, unde cessavit Universitas a sermonibus per aliquod tempus, quare plures nobiles domini ac magistri, ut dicebatur, a curia parlamenti vocati sunt, et quodammodo penes regem accusati tamquam perturbatores, etc., super illo conclusit

1. *Ms.* Penenchar.
2. *Vigore* pragmaticae sanctionis.
3. *Ms. add.* vellet ipsum.

Universitas quod factum dictorum magistrorum haberet gratum et advoatum, quia bono zelo ad conservacionem privilegiorum Universitatis laboraverunt, et si ipsis magistris vel eorum alteri, quod absit, aliquod molestum occasione hujus in posterum illatum fuerit, unde dampna vel aliud inconveniens consequi posset, placuit alme matri Universitati Parisiensi extunc omnibus viis et modis possibilibus ad hoc obviare et procedere secundum exigenciam casus, quia nullum suppositorum dicte matris decet pro tuicione privilegiorum ejusdem matris incommodum importare.

XXIIII[a] die mensis Marcii anno Domini 1445° facta fuit congregacio facultatis arcium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit pro electione novi rectoris. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc quelibet nacionum dedit notabilem intrantem, et electus fuit illo die mag. Johannes Sollerii [1] magister in artibus et in sacra pagina licenciatus. Quantum ad 2um articulum supplicavit dominus rector antiquus, ut facultas haberet ipsum gratum et advoatum et recommendatum, super quo conclusit (*Fol. 105*) veneranda nacio Almanie ultra alias naciones ipsum dominum rectorem antiquum in bene actis habere gratum et advoatum et in aliis supportatum. Item supplicavit novus rector, videlicet mag. Johannes Sollerii, ut in agendis suis tempore rectorie sue durante facultas sibi daret auxilium, consilium et favorem et ipsum vellet associare usque collegium Sorbone [2], et ibi sumere vinum et species. Cujus supplicacioni annuit facultas in forma.

Penultima die Marcii anno quo supra facta est congregatio nacionis Almanie super duobus articulis. Primus erat circa aliquod concernens nacionem et honorem ejusdem nacionis, videlicet pro reparacione scolarum [3] dicte venerande nacionis in vico Straminis situatarum, et ad videndum si redditus debiti singulis annis super scolas prefatas dominis de Sancta Genovefa fuerint [4] hucusque bene persoluti ad dehoneracionem nacionis; et ad hoc dati sunt deputati, videlicet mag. Jacobus de Gouda [5], mag. Albertus Scriptoris et mag. Arnoldus Bernardi, qui dictas scolas visitare fac[i]ant et cum dominis de Sancta Genovefa computent, hoc est si nacio fuerit ab eisdem infestata. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Eodem die supplicavit Hermanus Vandenzande, nuncius nacionis Almanie, pro sigillo nacionis pro certificacione cujusdam translacionis facte de gallico in latinum et de sigillo prepositure Parisiensis ac duorum notariorum signis in fine illius positorum de quadam vendicione hereditatis, videlicet domus ac terrarum in villa Arnhemmensi situatarum, que quondam Henrico Biscop aurifabro hic Parisius defuncto pertinebant. Quam supplicacionem grate concessit nacio, quia servitor nacionis erat. Eadem [die] comparuit in nacione quidam juvenis de Trajectis, qui dedit provincie quemdam libellum, in quo continentur *sophismata Alberti*, de cujus dono veneranda nacio Almanie benigne sibi regraciabatur.

Item sexta die mensis Aprilis [6] anni 1445 facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit super facto injuriarum alias in persona domini rectoris ac quibusdam magistris illatarum, pro quarum reparacione dominus rex Francie alias scripsit quibusdam commissariis hujus civitatis. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusit Universitas iterum transmittere litteras ad dominum regem, prout alias sepius fecit, supplicando regie magestati ut factum alme matris Universitatis filie sue primogenite recommissum haberet pro reparacione dictarum injuriarum, et quod illis commissariis quibus nuper scripserat mandatum destinaret, quatinus modum congruum pro reparacione prefata ad honorem Universitatis indicarent et pro consilio vel auxilio dicte matris gratiarum actiones pro muneribus acciperent, attento quod alma mater Universitas nummis [7] opulenta minimum excistit (*sic*), aut ipse metuendus dominus noster rex eosdem super suis temporalibus redditibus de sallario contentare dignetur, propter quod consilium ministrare renuerunt Universitati super facto dictarum injuriarum.

A. Bernardi.

(*Fol. 105*[b]) Eadem die conclusit Universitas quod omnes licenciati aut licenciandi hoc anno in altera quatuor facultatum, videlicet theologie, juris canonici, arcium aut medicine quilibet ipsorum teneatur solvere domino rectori IIII sol. paris., et hoc pro solucione cujusdam summe dominis ambaciatoribus Universitatis debite, nam anno preterito fuerunt quidam notabiles et sollemnes viri de qualibet facul-

1. Bul., V, 927, *perperam* : Jacobum Luillier.
2. *Ubi habitabat.*
3. *Seu* magnarum scolarum, *ut April.* 18 *scribitur.*
4. *Ms. iterat* fuerint.
5. *Ms.* Gauda.
6. *Ms.* Martii.
7. *Ms.* mummis.

tate ab alma matre Universitate Parisiensi penes dominum nostrum regem legati pro reparacione sepedictarum injuriarum fienda ad honorem et laudem Universitatis [1], qui magnas pecuniarum summas exposuerunt, quibus nundum persolutum est, et ideo dictorum IIII^or solidorum solucio usque ad satisfactionem dicte summe a singulis facultatibus ordinata fuit. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector ut singule facultates in sua rectoria sibi prebere vellent auxilium, consilium et favorem, que supplicacio ut petebatur concessit Universitas. Item supplicavit mag. Ludovicus Bally, locum tenens conservatoris Universitatis Parisiensis in spiritualibus, quatinus Universitas ipsum tueri et deffendere dignaretur, quia archiepiscopus Senonensis [2] agebat in eum virtute cujusdam mandati regii in causa novitatis una cum sua ecclesiastica censura, eo quod quemdam scolarem extra muros Parisienses in foro suo trahere nitebatur, quod est directe contra privilegium Universitatis Parisiensis magistris et scolaribus indultum. Et ideo conclusit Universitas illud factum assumere tamquam proprium ejus factum ac ipsum conservatorem omnibus viis possibilibus deffendere, velud racioni consonum est. Cetere supplicaciones que fuerunt pro litteris recommendatoriis remisse sunt ad deputatos, ut si que fuerint addenda vel minuenda fiat secundum eorum discrecionem.

1446

Electio magistri Lamberti Schout.

Septima Aprilis facta fuit congregatio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nacioni procedere ad electionem novi procuratoris, et singuli magistri nemine reclamante magistrum Lambertum Schout eligerunt. Quantum ad secundum supplicavit procurator antiquus ut in actis suis haberetur gratus et avoatus, et concessa fuit sua supplicacio.

Decima octava mensis Aprilis facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum per juramentum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum relacionem dominorum deputatorum super facto *magnarum scolarum* contra illos de Sancta Genovefa. Secundus erat communis. Quantum ad primum retulit dominus receptor, scil. mag. Albertus Scriptoris, qualiter ipsi fecerunt omnem diligenciam de quitanciis habendis post mortem magistri Alberti Vordam [3]; illis habitis (*Fol. 106*) adhuc nacio debebat eis de Sancta Genovefa sex libras, quia scole non fuerunt locate tantum quantum redditus ascendebant; secundo quia per duos annos nullus inhabitavit, vel si aliquis inhabitavit, Bomundus recepit pecunias. Retulit ultra qualiter ipse tantum fecit apud illos de Sancta Genovefa quod pro libris parisiens. tantum daret turonenses, ista condicione tamen habita, quod in promptu haberet pecunias. Et ita conclusit nacio, et quod dominus receptor haberet unam quitanciam generalem. Eciam nacio habuit dominos deputatos gratos et avoatos. Insuper ta[c]tum fuit qualiter a paucis temporibus citra nacio erat multum gravata in ellectionibus procuratorum, et similiter procurator propter graves expensas que fiunt; quod tamen est contra statuta; ideo conclusit nacio servare statuta antiqua, scilicet quod nacio habeat dare tantum quatuor solidos, et procurator tantum sicut nacio, vel in ellectione octo et in continuacione nichil. Tactum fuit eciam incidentaliter quomodo aliqui debebant nacioni pecunias. Conclusum fuit adhibere omnem diligenciam de habendo hujusmodi pecunias de absentibus, sed de presentibus differt usque ad festum Johannis.

Sequuntur nomina licenciatorum anni M^i CCCC^i XLVI^i.

Dominus Andreas de Steenre, primus incepturus sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa sex sol.

Dom. Adulphus Tegelen [4], Coloniensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa octo sol.

Dom. Joh. Egart [de Amsterdam], Trajectensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa V sol.

Dom. Gerardus Pauli, ejusdem dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Joh. Sundere, Augustensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa nichil.

Dom. Johannes Kanedy, dyocesis Glasguensis, cujus bursa X sol.

Dom. Andreas Crodedayn [5] dyocesis Glasguensis, cujus bursa IIII sol.

Dom. Adam [Baron], ejusdem dyocesis, sub eodem cujus bursa nichil.

Dom. Ricardus [de Uchten] sub eodem, cujus bursa VIII sol. par.

1. *Vid. supra ad an.* 1444, *Novemb.* 8 *et Decemb.* 12.
2. Ludovicus de Meleduno.
3. *Seu* Vorden.
4. *Ms.* Itegeben. *An.* 1442 Coloniae intit., *de quo supra an.* 1445, *Octob.* 20. *Recte in* lib. receptoris, *fol.* 39 b.
5. Lib. receptoris *l. c.* Crouden.

Dom. Joh. [Tibis de] Houesden[1], sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Joh. Nicolai, Trajectensis dyocesis, sub mag. Jacobo de Gouda[2], cujus bursa IIII sol.

Dom. Egidius Morsels[3] [Leodiens. dioc.] sub mag. Lamberto Schout, cujus bursa IIII sol.

(*Fol. 106*[b]) Nomina incipiencium.

Primo dom. Andreas de Steenre incepit sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa VI sol.

Dom. Adulphus, Coloniensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa VIII sol.

Dom. Joh. Egart, Trajectensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa V sol.

Dom. Gerardus Pauli, ejusdem dyocesis, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Johannes Sundre, Augustensis dyocesis, sub eodem, cujus bursa nichil.

Dom. Joh. Canedy, dyocesis Glasguensis, sub mag. Jac. de Gouda[4], cujus bursa X sol.

Dom. Andreas Crodedame, ejusdem dyocesis, sub eodem[5], cujus bursa IIII sol.

Dom. Joh. [Tibis de] Hoeusden, Trajectensis dyocesis, sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa IIII sol.

Dom. Ricardus [de Uchten] ejusdem dyocesis, sub eodem, cujus bursa VII sol.

Dom. Adam de Baro[6] sub eodem, cujus bursa nichil.

Dom. Joh. Nicolay sub mag. Libaldo[7], cujus bursa IIII sol.

Dom. Egidius Morsels sub mag. Libaldo[8] de Campis, cujus bursa IIII sol.

XX^a Aprilis facta fuit congregatio facultatis arcium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiandum (*sic*) juramenta baccalariorum vocatorum pro primo mense. Secundus est communis. Quoad primum placuit facultati quod domini baccalarii ponerentur in cameris more solito et habeant prestare juramenta, et similiter domini examinatores. Posuit insuper dominus rector in deliberacione qualiter mag. Guillelmus Pomier non servavit ordinem baccalariorum in vocando secundum quod erat sibi datus, quod tamen est in dedecus magnum facultatis, et consequenter pugnicione esset pugniendus; sed de isto non fuit habita concordia; adtamen conclusit facere congregacionem facultatis arcium per juramentum, et si tunc veniat, pugniendus erit pugnitus.

XX^a septima Aprilis facta fuit congregacio facultatis arcium in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiandum juramenta duorum baccalariorum pro secundo mense et examinatorum. 2us erat communis. Quantum ad primum conclusit quod ponerentur more (*Fol. 107*) solito in cameris. Quantum ad secundum supplicavit mag. Joh. Cambron pro regencia, sed sua supplicacio fuit dilata ad aliam congregacionem.

XXX^a Aprilis facta fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat ad audiandum (*sic*) juramenta unius baccularii qui voluit jurare paupertatem. 2us erat communis. Quantum ad primum placuit nacioni quod haberet jurare paupertatem pro bursis tantum, sed pro jocundo adventu et capa rectoris haberet ponere vadium vel fidejussorem; et ita promisit. Retulit dominus receptor quod in baccalariatu fuit taxatus ad duos solidos, et non juravit paupertatem, quod tamen est contra statuta, et dedit tunc X solidos ad bonum computum. Quod illi solidi starent pro scolis, conclusum fuit, et residuum solveret cum aliis pecuniis. Et dixit illa dominus receptor, ne impungeretur ex aliquo postmodum.

1446

Continuatio magistri Lamberti Schout.

Anno Domini 1446°, 6^a mensis May, facta fuit congregacio nacionis Almanie super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat ad audiendum computa receptoris. 3us erat communis. Quantum ad primum nemine reclamante fuit continuatus antiquus, scilicet mag. Lambertus Schout. Quantum ad secundum dominus receptor retulit fideliter sua compota, et tunc defalcavit quatuor libras pro suo salario. Quantum ad 3^m supplicavit antiquus procurator, ut in actis suis haberetur gratus et av[o]atus, et concessa fuit sua supplicacio. Insuper supplicavit mag. Albertus Scriptoris tamquam receptor, ut nacio vellet habere sua compota grata et av[o]ata, et concessa est ejus supplicacio. Supplicavit insuper quomodo

1. *I. e.* de Huesden, *et vocatur in* lib. receptoris : Tibis.
2. *Ms.* Gauda.
3. *An.* 1450 *ut bursarius* Collegii XVIII scholarium *affertur* (Arch. nat. Paris., LL 117, p. 2).
4. Lib. recept. : « sub Dubboldo de Campis ».
5. Ibid. : « Alberto Scriptoris ».
6. *Ms.* de Setjenia. *In* lib. recept. *add.* : sed dedit pro scolis et jocundo adventu XLVIII sol. ; item pro cappa rectoris nichil.
7. *I. e.* Dubboldo de Campis.
8. Dubboldo. *In* lib. receptoris : dedit in toto XL sol.

fuerat injuriatus a quodam magistro nostre nacionis, sed illa supplicacio fuit remissa ad deputatos, et conclusit nacio quod dictus mag. Albertus non haberet ipsum trahere extra nacionem.

X^a May anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat ad providendum de quadam littera in parlamento publicata, *que visceraliter tangit nostra privilegia* [1], quia in ea tangitur qualiter erimus subditi parlamento in omnibus negociis nostris. Secundus articulus erat de unione pacis ecclesie et ad avisandum bonum modum pro unione habenda. Tercius est communis. Quantum ad primum conclusit Universitas ut fierent multe copie, et ille darentur dominis consiliariis nostris tam in parlamento quam in Castelleto, ut Universitas sanius possit providere de isto. Voluit eciam quod ante omnia fieret opposicio in predicta curia.

Quantum ad secundum conclusit laborare omnibus modis possibilibus pro unione ecclesie. Quantum ad tercium supplicavit mag. Paulus de Villa contra mag. Reynaldum de Palacio pro lectura prime cathedre decretorum, et retulit dictus magister quomodo appellaverat a facultate decretorum ad Universitatem. Retulit ibidem multa pro ipso contra alios et similiter alii oppositum. Tandem omnibus auditis conclusit Universitas quod mag. Paulus habebat bonum jus in re, et quod merito debebat habere, et ab illa conclusione appellavit De Brena ad Universitatem melius congregatam, et magister Arnaldus ad parlamentum.

(*Fol. 107*^b) XVI May anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus erat ad providendum de quadam inhibicione habita contra Universitatem in persona domini rectoris de abusoribus Universitatis. Secundus est communis. Quantum ad primum non placuit Universitati illa inhibicio, ymmo voluit Universitas quod mag. Arnaldus haberet revocare illam, et omnia alia per ipsum facta. Dedit insuper deputatos de providendo de abusoribus Universitatis. Quantum ad tercium multi supplicaverunt, sed supplicaciones fuerunt remisse ad deputatos.

Octava May anno quo supra facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus erat super quadam controversia orta inter dominum cancellarium Sancte Genovefe et temptatores facultatis, qui dati erant ad expediendum quartum mensem. Secundus erat communis. Quantum ad primum supplicavit mag. Petrus Richerii, qualiter scilicet dicti temptatores volebant mutare loca nacionum et preponendo scilicet unum normannizatum in loco gallicorum, et econtra, et sic in aliis nacionibus, et videbatur sibi secundum antiqua tempora hoc non posse fieri. Item supplicavit idem quatenus scilicet dicti temptatores volebant mutare supposita unius camere in aliam cameram. Et ex opposito dicti temptatores supplicaverunt volentes servare sua juramenta quod servaretur libertas facultatis arcium, quam dicta facultas habebat in temptamine Sancte Genovefe. Et quantum ad istum articulum conclusit facultas quod naciones tam in essencialibus quam accidentalibus non possent variari in suis locis, sed bene supposita unius nacionis. Et quantum ad secundum punctum conclusit quod dicti temptatores possent mutare supposita unius camere in aliam cameram.

1. *Hic de litteris Caroli regis ejusdem unni, Martii* 26, *agitur, de quibus supra*, p. 641, *not.* 3, *quae in parlamento Maii* 2 *publicatae et registratae sunt* (*vid.* Ordonn. des rois, XIII, 457). *Per istas litteras rex edixit, ut curia parlamenti causas litesque Universitatis dirimeret, quas alias ipse vel ejus consilium dirimebat. Quo, ut recte* Bul., V. 852, *animadvertit, Universitas duro jugo collum supponere coacta est, eique curiae parere, cujus se antea aemulam sororemque esse jactitabat. Rex hanc consilii sui rationem ostendit, se multiplici gravium negotiorum mole impeditum causas Universitatis dirimere non posse. Sed ratio alia quaerenda est. Universitas praesertim hoc tempore multos adversarios imprimis in parlamento sibi propria culpa generavit, qui Universitatem apud regem obtrectarunt. Plus quam alias Universitas litigabat cum parlamento et episcopo, eorumque consiliis contumaciam et recursum ad regem opponebat. Ex altera parte rex nec villae Parisiensi nec suae primogenitae filiae, Universitati Paris., veniam ex integro dabat illius personae quam gesserunt ab anno* 1418 *usque ad an.* 1436. *Non mirum, regem post an.* 1436 *rarissime Parisios venisse.* Se tenoit le roy, *scribit* Journal d'un bourgeois, p. 344 *ad an.* 1439, tousjours en Berry, et il ne tenoit compte de l'Isle de France, ne de la guerre, ne de son peuple, ne que s'il fust prisonnier aux Sarazins. *Ad an.* 1436 *ibid.* p. 327 *scribitur :* en celuy temps n'estoit nouvelle du roy nullement, ne se il fust à Romme ou en Jherusalem ; *seu*, ne que se ilz (le roi et les seigneurs) fussent a II^c lieues (*ad an.* 1444, p. 369). *Ad an.* 1445 *:* le roy ne nulz des seigneurs n'alloient ne venoient à Paris, et tout temps faisoit on grosses tailles (p. 379). *Auctor minime exaggeravit. Nunquam antea a Philippo Augusto usque ad Carolum VII, tale evenit, et si quis rex per longius temporis spatium absens erat, locumtenentem seu regentem cum consilio regio reliquit, ad quos Universitas recursum habuit, et lites faciliter dirimi potuerunt. Nunc autem, ubi quasi solum parlamentum Parisiis remansit, ambassiatores Universitatis longum iter arripere coacti erant, et interim Universitas a lectionibus, vel saltem a sermonibus cessavit, ita ut* le peuple a esté maintesfoiz scandalisé (*litterae regis Martii* 26). *Rex occasionem rapuit, et Universitatem parlamento subegit. Verisimiliter bono animo sic agebat, fortasse etiam ulciscendi studio impulsus. Caeterum, ut quilibet alius, sic rex Universitatem collapsam esse cernebat eamque animose aggrediendam decrevit. Universitas tamen minime cessit. Vid. ad an.* 1448, *Maii* 10.

1446

Electio magistri Roberti de le Poele, alias de Lacu, in procuratorem.

Secunda[1] die Junii anno ut immediate supra celebrata est congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super 2 articulis. Primus erat gratia electionis novi procuratoris fiende vel continuandi. Quoad primum articulum placuit nationi me Robertum in procuratorem constituere. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis; et quoad illum articulum veneranda natio concorditer mag. Lambertum Scout habuit gratum in omnibus suis actibus tempore sue procurationis. Rob. de Lacu.

9ª die Junii facta est congregatio nationis Alamanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super receptione quorundam baccalariorum aliarum Universitatum eodem anno in artibus volentium incipere, quorum unus de Scotia in persona supplicuit, pro reliquo vero mag. Johannes Dorlo. 2us articulus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod nulli receperentur[2].

(*Fol. 108*) Anno Domini 1446, 21ª die mensis Julii, facta est congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super 3 articulis. Primus quidem erat super quibusdam molestiis et gravaminibus illatis curie et toti juridictioni nostre conservatorie privilegiorum nostrorum. Cum enim quidam doctor in medicinis, nomine Johannes Aujoere[3] fecisset quosdam conveniri, qui eum in suo festo impudicissime molestassent super biretis in eo festo sue biretacionis distribuendis, coram nostro conservatore : curia Castelleti hiis auditis, hujusmodi esse cognitionem ad suum forum cum dixissent pertinere, graves inhibitiones promotori et conservatori, ne in hujusmodi causa quidquam agitarent, indixerunt, non dumtaxat eas eis publicaverunt, ymmo eosdem predictarum promotorem et vicegerentem conservatorem personaliter ut comparerent citaverunt. Verum quia hec nostre juredictionis fonditus causarent enervationem et nostrorum privilegiorum spiritualium et scolasticorum apostolico munimine protectorum cunabula hoc rigore laycali corruerent, nostra veneranda natio super hoc ita conclusit, ut jura et libertates et privilegia omnibus possibilibus defenderentur, et specialiter super hoc nostri consiliarii hujus Universitatis consulerentur, qui si appellationem apud regem nostrum valide fuisse intersertam judicarent, nos et eandem viriliter prosequeremur. Juxta quem articulum dominus rector Universitatem totam consuluit, an expediret procuratorem regium generalem, qui in absentia prepositi Parisiensis[4] suum excercet officium, concitare ad juramentum solite prestandum, cum alias ipsum dominus rector, ut retulit, temptasset, et satis graciose respondit, dicendo se suos advocatos primo consulturum, priusquam ad juramentum se nobis porrigeret, ubi nostra conclusit natio nostros eciam consiliarios fore alloquendos, an quod predictum est expediret, et penes eorundem responsa plenius intentum exequeretur.

2us erat articulus super provisione scolarium Parisius studentium circa beneficia, ubi dominus rector quemdam modum proposuit, videlicet quod ista *Universitas Parisiensis scriberet ad ceteras Universitates sub istius regni obediencia*, ut in unum convenirent complanctum coram nostro rege, ut nobis et aliis Universitatibus sui regni provideret[5]. Quem modum nostra natio satis accepit, remisit tamen ad deputatos qui in hoc ad longum et ad maturum materiam perforarent.

3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Circa quem articulum dominus rector sup-(*Fol. 108ᵇ*) plicuit ut remediaretur quedam injuria generalis cotidie occurrens in obprobrium et tedium Universitatis, videlicet ut in una diocesi non esset nisi unus noncius in unaquaque nacione, cum, ut allegavit, eorundem pluralitas magnam nausiam cotidie generabat, quod in nostra nacione, que totorum nonciorum erat expers, conformiter erat conclusum. Supplicuit etiam dominus rector, ut bursa trium illorum in unaquaque citacione solvendorum persolutis solvendis annullaretur; quod conclusum est. Supplicuerunt etiam duo notabiles viri pro litteris recommendatoriis ad suos principes; que concesse sunt. Supplicuerunt etiam duo magistri pro litteris gradus, quibus probatis probandis concesse sunt. Supplicuit etiam quidam pro bulla originali, que erat in archa Universitatis que continet jus patronatus Universitatis Parisiensis in curia Sancti Germani Veteris, quod a

1. *Iste procurator pessimae latinitatis auctor est et magis quam quivis alius ad sermonis rusticitatem decidit. Pessimus praeterea character scripturae hujus procuratoriae.*

2. *Jun. 23 novus rector,* Johannes Bockart *seu* Boucart *e* lib. receptoris, *fol.* 38ᵇ; *vid. etiam infra ad Septemb.* 19. *Pro eo* Bul., V, 921, *perperam* Petrus Pilatre.

3. *Nat. Gallic.*

4. Ambrosius de Loré *hoc anno, Maii* 23, *diem supremum obiit. Successor ejusdem,* Johannes d'Estouteville, *Julii* 24 *solum ut praepositus Paris. institutus est. Vid.* Journal d'un bourgeois, p. 383, *not.* 5.

5. *Universitas Paris. se solam non sufficere jam opinabatur.*

conventu et abbatibus Sancti Germani de Pratis nobis erat obtentum. Cujus supplicatio est concessa, pignore tamen et caucione sufficientibus super hoc apprestatis, ne forte in manibus inimicorum perveniret et nostrum jus patronatus et presentationis tali negligencia periret; nichilominus ad deputatos erat per nos remissum. Item supplicuit magister Guillelmus de Monte Canino[1] pro adjunctione Universitatis in sua causa quam habebat cum quodam capitulo, ad cujus collationem fuerat nominatus, tempore cujus nominationis vacavit quedam cura ad ejusdem capituli collationem, quo per eorundem dominorum de capitulo neggligentiam ad metropolitanum illius provincie esset devoluta collatio, cui etiam ab eo predicta cura dabatur, tandem obstetit capitulum, quare adjunctionem petierant Universitati. Cujus supplicacio remissa est ad deputatos. Supplicavit etiam rector ut die veneris sequente fierent processiones ad ecclesiam Sancte Katerine. Cujus supplicatio erat concessa. De Lacu.

30ª die mensis Julii ut immediate supra congregata est veneranda natio Alemannie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat[2] ut secundum conclusionem in plena Universitate edictam provideretur de remotione plurium nonciorum in una diocesi[3] dumtaxat uno permanente, vel nationi placeret eos ad alias transferre. Circa (*Fol. 109*) quem articulum placuit nationi neminem protunc officium exuere, sed quendam fabrum manentem in suburbiis Sancti Marcelli noncium nationis, prius ut decuit antequam deponeretur, voluit natio esse convincendum; quendam etiam alium[4], de quo ego procurator monui nationem, ipsum suum officium minus fideliter excercuisse, simpliciter et sine auditoria informatione admisit.

2ᵘˢ erat super supplicationibus et injuriis. Et supplicuit quidam baccalarius aliene Universitatis gratia recipiendi; cujus supplicationi per conclusionem nationis sepedictam non erat fautum. Supplicuit reverendus mag. Arnoldus Bernardi, ut natio pluribus viis possibilibus circa provisionem suorum suppositorum in ecclesiasticis beneficiis animadverteret, ubi natio ad pleniorem deliberandam distulit maturitatem. Supplicuit etiam Jacobus de Scydemaken pro officio nonciatus, quod sibi concessum; est qui juravit solita juramenta, quod etiam majori nostre nationis sigillo est confirmatum. Ego etiam supplicui pro visitatione quorundam registrorum, et michi supplicatio est concessa. Item etiam conclusum fuit eodem die ut omnis nuncius quicumque esset semel in anno presentaret se et suas litteras nationi sicut et bedelli et tunc natio si velit ipsum continuabit.

De Lacu.

3ª die Augusti anno ut statim supra in Sancto Maturino facta est congregatio nationis Alemannie super 2 articulis. Primus erat ad statuendum tempus baccalariorum extranearum Universitatum, quod hic haberent complere ad licencias in artibus adipiscendas; et statuit natio quod nisi venerint ante festum Purificationis et se nationi representaverint, eos non posse transire nisi compleverint realiter 2 Quadragesimas ante licentias eorum, et cum magno sigillo voluit confirmandum. 2ᵘˢ articulus erat super supplicationibus et injuriis. Et ego procurator supplicui ut provideretur nationi de una nova capa et de nova foderatura in ultima, et omnes ad hoc fuerunt concordes, eligentes et deputantes eos qui emerent pannum et alia. De Lacu.

Decima 3ª die mensis Augusti facta est congregatio nationis Alemannie in Sancto Maturino eodem anno super 2ᵇᵘˢ articulis. Primus erat super relevatione festorum a veneranda natione consuetorum celebrari, et concorditer placuit nationi ea relevare et celebrare cum sollemnitate nationis consueta, et ut magistri de cetero in festis consuetis ad vesperas et missam in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani sine deliberatione et convocatione venirent. 2ᵘˢ erat communis, et nullus supplicuit.

(*Fol. 109ᵇ*) Eodem anno 20ª die Augusti facta est congregatio Universitatis Parisiensis in Sancto Bernardo super tribus articulis. Primus articulus erat, ut tota Universitas ibidem adunata audiret litteram quandam aliis Universitatibus destinandam circa terminum provisionis beneficiorum scolaribus fiende, de quo in congregatione protunc ultimo facta tractabatur. Secundus articulus fuit super gravaminibus illatis curie conservationis privilegiorum nostrorum, de quibus in ultimata congregatione etiam est locutum, et causa brevitatis eodem modo deliberatum circa eundem est in nostra veneranda natione, sicut et in ultimata congregatione Universitatis. Tertius erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum deliberavit natio hanc litteram solerter esse per deputatos, si fas fuisset, corrigen-

1. *Nat. Gallic.*
2. *Ms. add.* ad.
3. *Quot nuntii essent, vid. ad Septemb.* 16.
4. Nicasium *nomine. Vid. ad Aug.* 26, *ubi procurator jure de sua obscuritate increpatur.*

dam et summopere visitandam, deinde, ut proponebatur, eam esse destinandam quinque Universitatibus, scilicet Universitati Haurelianensi, Universitati Andegavensi, Universitatibus Pictavensi et Tolosane et Montis Pessulani. Placuit etiam nationi nostro christianissimo regi scribere super hac materia cum, ut dicebatur, de grandibus materiis per diversorum dominorum ambaxiatores hec una cum eis optacius posset expediri. Voluit etiam scribere domino regi, ut collatores beneficiorum in suis libertatibus per totum orbiculum *pragmatice sanxionis* sinent, ut ea parte pragmatica sanxione non despecta studentes et scolares fructibus ejusdem, quamquam jam pauci, possent gaudere, et hoc supplicavit venerandus magister mag. Johannes Pein-et-chier. Quantum ad 2um articulum deliberatum fuit sicut in ultimata congregatione Universitatis a nostra natione extitit deliberatum. Quantum ad tertium articulum nostra omnes supplicationes admisit correctis corrigendis. Supplicavit protunc pro littera gradus quoddam venerabile nostre nationis suppositum; cujus supplicatio est concessa; hinc eciam et expense portitoribus harum litterarum per deputatos quo melius posset ordinari fuit deliberatum. DE LACU.

Eodem anno [1] in Sancto Maturino facta est congregatio venerabilis nationis Alemannie super 3 articulis. Primus erat ad statuendum pro tertia vice de receptione et temptatione baccalariorum; sed quia formidabatur de irregularitate et inordinato cursu temporis in facultate artium, hic articulus dilatus est ad futuram congregationem; similiter de quodam nuncio qui protunc habebat comparere in natione etiam ad proximam erat dilatum congregationem, et sic de duobus articulis. Quantum ad tertium nullus supplicuit. Et hec in procuratoria Roberti de Lacu, anno Domini 1446, 26 Augusti. DE LACU.

1446

(*Fol. 110*) Procuratoria Johannis de Dorlo, de civitate Trajectensi.

Anno Domini millesimo quadringentesimo XLVI^{to} XXVI^{ta} Augusti hora primarum facta fuit congregatio venerabilis nationis Alemanie super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus articulus erat ad concludendum novum statutum de amplius non ita cito admittendo ad gradum magisterii in artibus bachalarios aliarum Universitatum et cum tanta gratia, quemadmodum aliqui noviter admissi et recepti fuerunt. Tertius articulus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concorditer electus fuit ab omnibus magistris nemine reclamante mag. Johannes de Dorlo.

Quantum ad secundum placuit nationi concorditer concludere pro tertia vice novum statutum, videlicet quod bachalarii aliarum Universitatum desiderantes hic in alma Universitate Parisiensi promoveri ad gradum magisterii in artibus habebunt se ammodo presentare nationi Alemanie matri nostre, congregatione super hoc solempniter indicta, et magistris ejusdem nationis ad hoc specialiter vocatis, et ibidem se ostendere in aliis Universitatibus ad gradum bachalariatus in artibus legitime promotos, et de hoc nationem sufficientibus documentis certificare ante festum Purificationis Virginis gloriose et pro admissione ad magisterium hic assequendum humiliter supplicare, et ab illo tempore usque ad annum revolutum et ultra usque ad tempus sui examinis inclusive continue Parisius residere, scolas, lectiones, disputationes et cetera excercicia in artibus Parisius fieri consueta fideliter et sine fraude visitando ac eisdem debitis temporibus interessendo. Placuit insuper venerande nationi super isto statutum novum ultra statuta in libris facultatis et nationis desuper confecta condere et ordinare, ipsumque sub littera magno sigillo nationis nostre sigillari et in archa nationis reponi, ipsiusque copiam sive duplum presenti libro inscribi seu *libro nationis in pergameno*. Item interserendo fecit natio mensionem de quodam nuncio nationis, videlicet Johanne fabro in Sancto Marcello, qui accusatus fuerat de illegalitate. Et quia sufficienter expectatus non comparuit coram facie nationis, natio reputavit eum contumacem [2] et injunxit Nycholao su[b]bedello, ut eundem nuncium tercio et peremptorie citaret ad comparendum et secum apportandum litteras nunciatus sui ad proximam congregationem, etiam per juramentum suum.

Item, quia venerabilis magister Robertus de Lacu, procurator antiquus, conclusionem nationis prius captam quantum ad illam particulam, que tangebat nuncium quendam, nomine Nychasium, in terminis obscuris posuerat, placuit nationi concorditer illam particulam in terminis clarioribus et nationi magis placentibus poni et reformari, videlicet quod natio tenet, habet et reputat dictum Nychasium esse et fuisse verum et legalem nostre nationis nuncium, et talem et pro tali natio eum tenebit, habebit et repu-

1. *In margine* die 2^{a}. *Sed est* Aug. 26.

2. *Ms.* conputacem.

tabit, quousque et donec accusatus et convictus fuerit de illegalitate et probatum fuerit, quod fecerat contra honorem nationis; et tunc natio deliberabit.

Quantum ad tertium articulum supplicavit in natione antiquus pro avoatione. Supplicatio fuit concessa, excepto isto puncto jam dicto.

Joh. de Dorlo.

(*Fol. 110*[b]) Anno Domini 1446°, 27[ma] Augusti facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus ad videndum venerabilem virum magistrum Johannem Normanni [1] venerabilis nationis Francie ad manus venerabilis et religiosi viri domini cancellarii venerande ecclesie Sancte Genovefe ibidem presentis, una cum egregio viro magistro Johanne D'Aussy, subcancellario ejusdem ecclesie, super fidelitate et legalitate excercendi officium temptatorie pro dicta veneranda natione Francie, vacans ad presens per resignationem sive dimissionem honorabilis viri magistri Guillelmi Pomier, ibidem similiter presentis, et pro dicto novo temptatore supplicantis, et per dictum dominum cancellarium et reverendum patrem suum abbatem [2] memorato magistro Johanni collatum. Qui dictus magister Johannes, interveniente ad hoc consensu totius facultatis et magistrorum singularum nationum nemine reclamante, de fideliter excercendo et legaliter officium temptatorie, de quo sibi fuerat ut premittitur provisum, corporaliter prestitit solitum juramentum. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Supplicavit cum omni benivolentia et humilitate dictus venerandus magister Guillelmus Pomier, ut tempore excercitii hujusmodi officii, si in aliquo defecerit, haberetur excusatus, si bene, haberetur avoatus. Supplicatio fuit concessa, ymmo facultas habuit eum totaliter avoatum et recommissum, et regraciabatur sibi facultas, similiter et domino abbati et cancellario, quod de tam ingenioso et scientifico viro facultati et nationi Gallicane providissent.

Joh. de Dorlo.

Anno quo supra, mensis Septembris die quinta, facta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus de providendo de novo lectore *Ethice*. Secundus communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dominus rector posuit in medium quomodo bonum esset providere de honesto et scientifico viro pro lectura Ethice futura, quia lector modernus esset circa finem, et quia ista lectura solet habere cursum et turnum secundum ordinem [3] nationum, quod natio Francie veneranda vellet disponere de valenti viro et gravi. Quantum ad secundum articulum supplicavit magne scientie, probitatis et gravitatis vir mag. Thomas de Jarsono [4] pro hujusmodi lectura futura, postquam presens esset expleta. Cujus quidem supplicantis preces, habita aliquali deliberatione previa per nationes se seorsum retrahentes, concorditer fuerunt admisse regraciando eidem quod tam salubre et grande onus dignabatur subire.

Jo. de Dorlo.

(*Fol. 111*) Anno, mense, quibus immediate supra, die vero sexta, facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum quandam minutam mittendam domino nostro regi super provisione suppositorum matris nostre in vim *pragmatice sanctionis;* etiam de nunciis mittendis ad dominum regem pro pace habenda in ecclesia Dei. Quantum ad istum articulum conclusum fuit quod minuta lecta reformaretur in deputatis; et si ambassiatores deberent mitti, quod mitterentur in parvo numero. Quantum ad secundum communem articulum supplicationes fuerunt remisse ad deputatos.

Jo. de Dorlo.

XVI[a] Septembris facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super 4 articulis. Primus ad audiendum instructiones dandas nunciis Universitatis mittendis ad regem quantum ad provisionem suppositorum et ad exhortandum regem de unione ecclesie et extinctione scismatis [5]. 2[us] articulus fuit super admissione resignationis officii cujusdam librarii ad usum cujusdam alterius ibidem presentis. Admissa fuit supplicatio. 3[us] fuit trimembris et concernebat honorem Universitatis. Primo dominus rector proposuit in medium quomodo facultas decretorum sigillo facultatis sue sigillaverat litteras nominationum pro suppositis suis et sue facultatis, pretextu et vigore quarum certa supposita etiam minus graduata in illa facultate assecuta

1. *Ms. add.* de natione. *Ille* Johannes *fuit frater* Godefridi Normanni, *et etiam Navarr., de quo pluries in* Suppl., *v. g.* n° 250, *fol.* 109. *An.* 1461 (1462), *Jan.* 2, *lic. in theol., cum jam esset decanus Silvanect. ab an.* 1453 (Gall. christ., X, 1461).

2. Petrum Caillou (Feret, L'abbaye S. Geneviève, I, 172 : Caillon), *cui in Curia Rom., Roberto Marescalli defuncto, solum an.* 1434 (*non* 1432 *vel* 1433, *ut quandoque asseritur*), *April.* 12, *de abbatia provisum est* (Arch. Vat., Oblig., n° 66, *fol.* 12).

3. *I. e. unicus fuit generalis Ethicorum professor, qui a singulis nationibus per vices instituebatur.*

4. *Seu* Gersono. *Fuit Navarricus, et an.* 1449, *Dec.* 15, *licent. in theol. An.* 1448 *archidiaconus archidiaconatus ruralis S. Maxentii Pictavens. dioec.* (Suppl. Nicol. V, n° 415, *fol.* 52), *postea cantor Turonens.*

5. *Cum etiamtune antipapa Felix V pontifex esse vellet.*

fuissent beneficia in prejudicium doctorum et magistrorum aliarum facultatum. Decanus petivit terminum ad expurgandum facultatem. Item conclusit Universitas quod tantum bachalarii in decretis intuitu illius gradus non vocabuntur magistri, et quod injungatur notariis et scriptoribus curie quod non scribant eos magistros, nec dominus rector sigillet aliquas litteras ubi in scriptis nominantur magistri. Secundo proposuit rector quomodo a duobus annis citra facti sunt ultra centum LX novi nuncii Universitatis, quorum aliqui committunt maximas abusiones, Remissum fuit ad deputatos modus providendi de remedio. Tertio rector proposuit de quodam cordigero [1], quem fecerat incarcerari in Castaleto, qui predicaverat [2] se legisse in legenda et cronicis sancti Francisci, quomodo sanctus Franciscus dum viveret maledixerat Universitati Parisiensi [3], eo quod previderat in spiritu Universitatem suum Ordinem futuris temporibus debere et velle demoliri. Universitas habuit rectorem avoatum. 4us articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quidam magister supplicavit, et remissa fuit ad deputatos supplicatio. Joh. de Dorlo.

(*Fol. 111*^{b}) Facta fuit congregatio venerande facultatis artium in Sancto Juliano anno 1446, 19na Septembris, ad audiendum litteras apostolicas et processus inde secutos super provisione facta magistro Philippo Anglici [4], religioso monasterii Sancte Genovefe, super officio cancellariatus ejusdem ecclesie a domino nostro summo pontifice Eugenio quarto [5], conformiter ad statutum dicte facultati concessum et a sancta sede apostolica eidem indultum scilicet : « quod si contingat in dicto monasterio esse religiosum magistrum in artibus, sicut fuit et est dictus magister et dominus Philippus, abbas loci illius habebit illum in cancellarium prefigere et creare ac eidem de dicto officio cum suis privilegiis providere [6]. » Quibus litteris et processibus ibidem in facie facultatis publice lectis et recitatis, habita prius aliquali deliberatione previa inter nationes et supposita earundem, seorsum, ut moris est, ad loca deliberandi se retrahentes, ipsum magistrum et dominum Philippum, in vim statuti et comminationem censurarum et aliorum in processibus contentorum, in cancellarium receperunt, et concorditer ad exercitium hujusmodi officii admiserunt. Quibus deliberationibus sic ut premittitur redditis, et per venerabilem virum magistrum Johannem Bockart, rectorem Universitatis matris nostre, conclusis, statim et incontinenti prefatus dominus cancellarius de fideliter excercendo dictum officium corporaliter prestitit solitum et consuetum juramentum. Quibus omnibus sic factis et expletis frater et dominus Joh. Putei protestabatur de gravamine et vive vocis oraculo appellabat [7].

Joh. de Dorlo.

Ipso die Mathei anno quo immediate supra facta fuit congregatio nationis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum. Secundus super distributione scolarum. Tertius super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum auditus fuit computus antiqui receptoris scilicet magistri Alberti Scriptoris, qui fuit admissus et approbatus. Et electus fuit concorditer in novum receptorem mag. Jacobus de Gouda.

Quantum ad 2um articulum supplicaverunt pro scolis [8] :

Walterus de Wernea,
Dubboldus de Campis [9],
Adrianus Huesden [10],
Robertus de Lacu,
Johannes Kennedy [11],
Andreas Steenre,
Arnoldus Harlem,
Richardus de Dordraco alias de Uchten.

Quantum ad tertium articulum supplicavit dominus antiquus receptor pro avoatione, et concessa fuit sua supplicatio. Bedelli recommendaverunt se nationi, et propinavit natio utrique francum cum medio.

1. Reginaldo Velhaudi. *Vid. ad an.* 1448, *Mart.* 5.
2. Bituris, *ut infra ad an.* 1447, *Octob.* 7, *scribitur.*
3. *Fortasse dictum* Aegidii, *socii S. Francisci :* Parisius, Parisius, quare destruis Ordinem S. Francisci ? (Vita Egidii *in* Chron. XXIV General.), *vel verbum celebris* Jacopone da Todi *et quorumdam* spiritualium : Parigi distrusse Assisi, *ansam praebuit sententiae supra relatae.*
4. *I. e.* Philippo Langlois. *In* lib. proc. nat. Gallic. *narratur, ipsi officium commissum esse per episc. Meldens., i. e. per* Petrum de Versaliis, *conservatorem privil. Univers. Paris. istud officium. Contulerat vero* Johanni de Puteo *anno* 1445 *abbas S. Genovefae* (*vid. supra ad an.* 1445, *Maii* 3).
5. *Ms.* quinto.
6. *Ad haec vid.* Chartul. III, p. 145.
7. *Ad Universitatem, ut in* lib. proc. nat. Gallic. *narratur, et cum eo aliqui magistri ei adhaerentes.*
8. *Postea sequuntur isti magistri., sed deleti :* Joh. de Dorlo, Arnoldus Bernardi, Ja. de Gouda, Albertus Scriptoris, Henricus de Marxen, Lambertus Schout, Albertus Posthouwer, Tymannus de Gouda, Dubholdus Campis. *Iidem etiam* (praeter, Lambertum *et* Dubholdum) *in margine inferiori afferuntur, ubi simili modo deleti.*
9. *Inter lineas.*
10. *Postea* Joh. Cameron, *sed nomen deletum.*
11. *Postea* Egidius Morsels, *sed nomen deletum.*

1446

(*Fol. 112*) Electio magistri Johannis Cameron, diocesis Sancti Andree, in procuratorem.

Anno Domini M° CCCC° XLVI°, mensis Octobris XXIª [1] hora vero octava, facta fuit congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris; secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer ab omnibus nemine reclamante mag. Johannes Cameron [2]. Quantum ad secundum articulum [3] nullus supplicavit.

Anno Domini M° quadringentesimo XLVI°, die vero vicesima secunda Octobris, facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino hora octava super tribus articulis, quorum primus fuit de articulis ambasciatorum ad regie majestatis selsitudinem transmittendorum; secundus vero fuit de ipsis ambasciatoribus et de modo providendi ipsis; tertius fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum est quod hujusmodi instructiones placebant, et quod ingrossarentur et destinarentur. Quantum ad secundum articulum conclusum est, quod, quia venerabilis vir magister Gwillelmus Boulyhe [4], in artibus magister et in sacra pagina doctor, obtulit se serviturum Universitati propriis expensis, sic quod quedam summa ex causa cujusdam ambasciate a dicta Universitate sibi debita persolvatur nulli alii ab ipso, et magistro Roberto Julian transmitteretur, sed quod illi duo suis expensis habeant expedire negocia Universitatis, et restabit Universitati, si necesse sit, mittere aliam ambasciadam vel non. Et ultra placuit quod nulla alia bursa nova imponeretur, sed quod hii qui non solverant bursam presentialiter currentem, solvere cogerentur, et ex illo solveretur mag. Gwillelmus Boulyhe et alius. Quantum ad 3ᵐ articulum supplicavit dominus rector, quatinus Universitas sibi dignaretur in suis agendis prebere consilium, auxilium et favorem; que concessa fuit. Item supplicavit procurator nationis Picardie pro littera gradus cujusdam magistri probatis probandis; que concessa est. Alie etiam supplicationes concesse sunt. CAMERON.

Vicesima VIª, anno et mense quibus supra, facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum quandam litteram ab Universitate Pictavensi dicte Parisiensi Universitati transcriptam. Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum Universitas regraciabatur de bona affectione quam gerebant circa unitatem et pacem ecclesie, et etiam de hoc quod obtulerunt se destinare suos oratores ad regiam majestatem pro ipsa pace perficienda. Quantum ad secundum supplicavit minister Sancti Maturini [5], quod Universitas dignaretur providere eorum bidello, qui pro impositionibus solvendis fuerat a procuratore regio ad electores curie adjurnatus; cujus (*Fol. 112ᵇ*) supplicationem admisit et ordinavit quod dominus promotor adiret curiam electorum et haberet defendere causam illius bidelli omnibus modis. Item conclusum fuit, quod ille, qui citatus fuerat, iterum citaretur ad primam congregationem. CAMERON.

Octava die Novembris anno quo supra facta fuit congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus ad avisandum qualiter super appellatione quadam in Casteleto ratione berretorum interjecta procedendum sit ulterius. Circa quem articulum conclusum fuit quod domini ambassiatores haberent omnibus viribus prosequire appellationis illius sigillationem. Secundus vero fuit super quibusdam tangentibus honorem Universitatis, cujus tria fuerunt puncta. Primum fuit super processionibus fiendis; secundum super facto illius cordegiri; tertium fuit super facto illius abusoris Piccardi. Quantum ad primum conclusum est quod fi[e]rent processiones. Quantum ad secundum conclusum est quod ille cordiger adhuc audiretur in Universitate cum excusationibus et defencionibus suis. Quantum ad tertium punctum quod est illius abusoris privilegiorum, conclusum est quod audiatur in Universitate. Quantum ad tertium articulum nullus supplicavit. JOHANNES CAMERON.

VIª die Novembris anno et mense quibus supra facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis, quorum primus fuit ad eundum processionaliter apud Sanctum Martinum de Campis; secundus fuit super supplica-

1. *Octob.* 10 *in rectorem electus est* Joh. Parentis, *e* lib. receptoris, *fol.* 42, *ubi tamen exstat post rectorem Decembris.* BUL., V, 921, *perperam* Berengarius Mercatoris.

2. *In* lib. receptoris, *fol.* 42 *scribitur* : In electione mag. Joh. Cameron *in pavone* XIIII sol.

3. *Primo scriptum erat* : Supplicavit antiquus procurator [et] dixit, se non velle avoari, ideo nec fuit avoatus. *Sed sententia deleta est.*

4. *I. e.* Bouillé.

5. *Mag.* Johannes Fabri, *qui an.* 1433 (1434), *April.* 1, *licent. est in theol. per* Joh. Chuffardi (*vid.* Bibl. nat., *ms. lat.* 5494, *fol.* 160).

tionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit concorditer omnibus facultatibus et nationibus ad prefatum locum processionaliter procedere; quantum ad secundum nullus supplicavit.

JOHANNES CAMERON.

XIIIIa Novembris anno quo supra facta est congregatio preclare facultatis artium in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus fuit de relevatione cothlibetorum [1] et electione cothlibetariorum. Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Et (*Fol. 113*) circa illam particulam supplicavit dominus rector quod non fi[e]ret ulterior dilatio de resumptione cothlibetorum, sed quod eligerentur cothlibetarii. Quantum ad primum de quotlibetariis non fuit habita concordia nationum. Natio veneranda Francie elegit suum cothlibetarium magistrum Gofridum Calvi [2], natio Normannie magistrum Petrum Rychier, natio Picardie elegit unum, sed noluit eum nominare, et veneranda natio Almannie conclusit, quod, dum videret alios tres cothlibetarios electos, et illi tres essent contenti assumere onus illud, ipsa faceret tantum, quod facultas contentaretur de ipsa.

JOHANNES CAMERON.

XVIIIa die, anno et mense quibus supra facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis, quorum primus fuit super provisione officii conservatorie privilegiorum papalium a sancta sede apostolica nobis indultorum, vacantis per descessum bone memorie reverendi in Christo patris et domini domini Meldensis episcopi [3]. Secundus vero fuit super supplicationibus et injuriis, circa quem articulum supplicaverunt honorandi domini et magistri, vedelicet dominus primus presidens parlamenti, dominus locum tenens curie Castelleti, mag. Gerardus Gehee curatus Sanctorum Cosmi et Damiani, et alii quamplures notabiles domini pro domino episcopo Belvacensi [4], ut Universitas vellet dicto reverendo patri conferre hoc officium, attentis pluribus que dicti domini retulerunt pro parte sua. Ex adverso etiam supplicavit dominus decanus Silvanectensis [5], ut Universitas vellet conferre hoc officium domino Silvanectensi [6]. Circa primum articulum electus fuit ab omnibus nemine reclamante reverendus in Christo pater dominus episcopus Belvacensis in eorum conservatorem. Conclusit etiam Universitas quod propter discordiam alias habitam fi[e]ret supplicatio domino Belvacensi, ne officiarios curie conservationis deponeret vel mutaret. Quantum ad secundum articulum Universitas annuit supplicationibus illorum, qui pro domino Belvacensi supplicaverunt.

JOHANNES CAMERON.

1446

Continuatio magistri Johannis Cameron dyocesis Sancte Andree.

XVIa [7] mensis Novembris facta est congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis, quorum primus fuit super electione vel continuatione novi procuratoris; secundus vero fuit super provisione festi Sancti Eadmundi; tertius autem fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator mag. Johannes Cameron [8]. Quantum vero ad secundum placuit nacioni celebrare festum sancti Eadmundi et in ecclesia et in prandio, et ad ipsius ordinacionem deputavit dominum receptorem. Quantum ad tercium articulum supplicavit antiquus procurator haberi gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit quidam magister pro delitione (*sic*) cujusdam scripture que in depositione sua scripta fuerat; cujus supplicatio admissa fuit.

(*Fol. 113b*) XXIIa Novembris anno quo supra facta est congregatio Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super tribus articulis, quorum primus fuit super receptione juramenti domini episcopi Belvacensis nostri conservatoris per procuratorem. Secundi articuli duo fuerunt puncta, quorum primum fuit super juramento domini prepositi Parisiensis [9], an videlicet Universitas deberet expec-

1. *I. e.* Quodlibetorum. *Vid. ad an.* 1445, *Dec.* 4.
2. *Qui an.* 1457 (1458), *Febr.* 13, *licent. est in theol.*
3. Petri de Versaliis, *defuncti Novemb.* 11.
4. Guillelmo de Hellande, *qui jam an.* 1444, *Martii* 21, *pro hoc officio supplicavit. Vid. ibid.*
5. *Scil.* Joh. Baudouin, *an.* 1427 (1428) *lic. in theol. Fuit Constantiens. dioec.* (*vid.* Suppl. Mart. V, nº 166, *fol.* 97; nº 168, *fol.* 166).
6. Johanni Rafanelli. *Ord. Min.*, *qui an.* 1425, *Sept.* 5, *factus est episcopus Abeloncns.*, *et an.* 1435, *Sept.* 6, *translat. est ad Silvanect.* (Oblig. nº 66, *fol.* 19b; *in* Gall. christ., X, 1434, *plura erronea*, *et* Bellunens. *pro* Abelonens.). Joh. Rafanelli *fuit bacc. Paris. in theol.*; *ast non Parisiis, sed in curia Rom. a Mart. V ipso magisterii insignia* (*birretum*) *an.* 1423, *Aug.* 25, *cum esset ambassiator Caroli regis*, *accepit* (Reg. Lateran. Mart. V, *an.* 6, lib. 77, *fol.* 12b). *Fuit Mariae reginae confessor. Cf. praeterea* SIMEON LUCE, Jeanne d'Arc à Domrémy, p. 96, nº L.
7. *Sic in msto. Sed verisimiliter* XVIII *vel* XIX *legendum, cum istis diebus fere procurator eligeretur.*
8. *In* lib. receptoris *fol.* 42 *legitur :* Item in continuatione mag. Joh. Cameron *in mula* VII sol.
9. Johannis d'Estouteville, *a Jul.* 24. *Vid. ad. Jul.* 21.

tare adventum dicti prepositi[1] vel reciperetur per ejus locum tenentem. Secundum punctum fuit super facto unius cordigeri de observancia[2]. Tercius articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati recipere juramentum domini conservatoris per procuratorem suum, hoc tamen pacto quod quam cito in propria [persona] veniret, haberet in propria prestare juramentum; et receptum est juramentum per magistrum Johannem Schoffart[3]. Quantum ad primum punctum secundi articuli placuit Universitati, quod dominus rector haberet adjurnare locumtenentem domini prepositi Parisiensis ad prestandum juramentum dicte Universitati, hoc presupposito quod quamcito veniret dominus prepositus, ipse in propria prestaret juramentum. Quantum ad secundum punctum conclusum fuit quod darentur deputati notabiles viri ad audiendum ipsum cordigerum. Quantum ad tertium articulum supplicavit dominus rector pro littera recommendatoria ad quendam abbatem in Piccardia. Item ad idem supplicavit procurator Francie. Quorum supplicationes sunt concesse. Item supplicavit quidam presbiter pro littera testimoniali; cujus supplicatio remissa fuit ad deputatos. Item supplicavit quidam doctor in teologia cordiger, ut avoaretur in hoc quod non permisit copiam cujusdam instrumenti tradi[ti] dicto cordigero de observancia; de cujus supplicatione non fuit habita concordia.

Vicesima VI^a anno et mense quibus supra facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super tribus articulis, quorum primus fuit ad audiendum quandam litteram ab Universitate Andegavensi huic Universitati directam; secundus fuit de aliquibus tangentibus honorem Universitatis; tercius vero fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum Universitas regratiabatur Universitati Andegavensi de communicatione suarum litterarum. Quantum ad secundum articulum narravit dominus rector qualiter conformiter ad (*Fol. 114*) conclusionem Universitatis ipse misit ad dominum locumtenentem[4] et fecit eum adjurnari ad comparendum et prestandum Universitati juramentum loco fratris sui absentis, qui eis respondit, quod jam scripserat fratri suo circa illam materiam, et credebat in brevi accipere responsum, quo habito ipse nunciaret Universitati. Et circa illum articulum placuit Universitati dare sibi aliquam brevem dilationem. Quantum ad tertium articulum nullus supplicavit.

Tertia[5] Decembris anno quo supra facta est congregatio venerande *nationis Anglicane*[6] in Sancto Maturino super tribus articulis, quorum primus fuit super distributione scolarum, et secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nationi procedere ad distributionem scolarum, ad quarum distributionem deputavit duos notabiles viros, videlicet dominum receptorem et magistrum Arnoldum Bernardi. Quantum ad tertium articulum supplicavit quidam magister nationis, quatinus Nycholao dicte nationis subbidello egrotanti vellet subvenire; cujus supplicatio fuit concessa, et ordinavit natio quod sibi darentur duo franci Item supplicavit nullus[7]. CAMERON.

VI^a Decembris anno quo supra facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis, quorum primus fuit ad audiendum ambasciatores nostros a domino nostro rege reversos.; secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum Universitas regratiabatur domino cancelario et omnibus aliis, qui dictis nostris oratoribus prebuerunt auxilium, concilium vel favorem. Quantum ad secundum articulum dicti oratores supplicaverunt, quatinus Universitas, considerato quod propriis expensis laboraverant pro ipsa, vellet eis subvenire in aliqua cota pro parte expensarum suarum; quorum supplicationem Universitas concessit, taxam tantum cote remisit ad deputatos.

(*Fol. 114^b*) XIII^a Decembris anno quo supra facta est congregatio venerabilis nationis Almanie super tribus articulis, quorum primus fuit super auditione cujusdam littere a domino nostro rege transmisse. Secundus vero fuit ad audiendum minutam cujusdam littere conficiende de statuto bacalariorum aliarum Universitatum in nostra natione recipi volentium et sigillo nationis sigillande. Tertius vero fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum super littera regis et supplicatione ejusdem natio regratiabatur domino nostro regi de communicatione suarum litterarum, et ad litteram in se placuit na-

1. *Cum rege fuit.*

2. *I. e. illius partis, quae jam ab initio saec. XV sub nomine* observantiae (*i. e. strictius regulam S. Francisci observando*) *a reliquis divisa est, de qua parte saepe in* Reg. *et* Supplic. Arch. Vat.

3. *I. e. per* Joh. Chuffart, *cancellarium. Procurator nomen scripsit, quemadmodum audierat.*

4. Robertum d'Estouteville, *fratris praepositi, cui etiam an.* 1447, *Mart.* 28, *successit.*

5. *In hac rubrica plura deleta sunt.*

6. *Vid. ad an.* 1442, *Febr.* 20.

7. *Revera aliquis supplicaverat, sed supplicatio erasa est et vox* nullus *reposita.*

tioni matri mee, eo quod materia grandis erat et ardua, supersedere super sua supplicatione usque [ad] primam congregationem. Quantum ad secundum articulum natio voluit differre sigillationem illius littere, donec et quousque haberetur finalis conclusio super supplicatione regis. Quantum ad tertium articulum nullus supplicavit. CAMERON.

XV^a^ Decembris anno quo supra facta est congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primi articuli duo fuerunt puncta, quorum primum fuit super prestatione juramenti domini prepositi [1] Parisiensis per ejus locum tenentem. Secundum [2] fuit super privatione unius sacerdotis abusoris privilegiorum Universitatis matris mee. Tertius vero fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati matri mee dare locum tenenti domini prepositi Parisiensis terminum usque primam diem anni sequentis, videlicet usque diem Epiphenie, in quo quidem termino dictus vicegerens prefati domini prepositi haberet prestare ipsi Universitati, nomine prenominati prepositi solita juramenta; quod si nol[l]et facere, Universitas procederet contra eum omni via et modo possibili, per viam scilicet cessationum, vel per aliam viam. Quantum ad secundum punctum placuit Universitati, non obstante ejus [3] mala fama et quod privatus erat per deputatos, concedere supplicacionem suam, hoc est dare sibi deputatos nominatos et audire ipsum. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector quatinus Universitas vellet habere eum gratum, ratum et avoatum et facta per ipsum rata, grata et avoata; cujus supplicacioni Universitas annuit. Item supplicavit mag. Johannes Montynyhe pro adjunctione in quadam causa quam habebat contra Celestinenses Senonenses, cujus supplicacionem Universitas admisit. Item supplicavit quidam religiosus Ordinis Fratrum Minorum pro adjunctione contra inquisitorem fidei; ad oppositum supplicavit inquisitor fidei pro assistentia in suo officio. Ad quorum supplicationes Universitas respondit quod placuit ei, quod illud in quo tangit Universitatem terminetur in Universitate, et quod illud in quo tangit fidem, terminetur coram inquisitore fidei; supplicavit tantum Universitas sibi, quod mite ageret cum eo.

1446

(*Fol. 115*) Electio magistri Andree de Steenre in procuratorem, Trajectensis diocesis, nati de Doesborch in ducatu Gelrensi.

Anno Domini M° CCCC° XLVI°, die XVI^a^ mensis Decembris in septima hora de mane congregata fuit veneranda natio Almanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus articulus fuit super electione novi procuratoris. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Andreas de Steenre in procuratorem dicte nationis a singulis magistris nationis nemine reclamante. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus procurator antiquus, ut ipse haberetur gratus et avoatus, cujus supplicationem natio concessit.

ANDREAS DE STEENRE.

Etiam eodem die, videlicet XVI^a^ mensis Decembris, facta fuit congregatio facultatis artium in Sancto Juliano hora octava super tribus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum rectorem. Secundus erat ad audiendum utrum facultati placeret dispensare quod congregaretur tempore inordinario, et quod fierent determinantes pro illo anno post festum Nativitatis Domini. Tertius articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc dedit natio magistrum Tymannum de Gouda intrantem, et electus fuit in rectorem alme Universitatis mag. Johannes Bigiin [4]. Quantum ad secundum articulum facultas dispensavit quod tempore inordinario congregari posset et quod fierent determinantes pro illo anno post Natale Domini. Quantum ad tertium articulum supplicavit dominus rector antiquus pro avoatione. Etiam idem supplicavit quod dominus prepositus Parisiensis tunc de novo electus cogeretur ad prestandum juramentum prout moris fuit, etiam secundum ordinationem statutorum papalium. Et supplicavit dominus rector de novo electus, quod facultas ei daret consilium, auxilium et favorem in agendis per eum. Etiam supplicaverunt mag. Johannes Haneron et mag. Godefridus Calvi, qui electi erant quodlibetarii, ut facultas dominos quodlibetarios teneret excusatos pro illo anno, quoniam rationabiles causas allegave-

1. *Ms.* propositi *hic et infra.*
2. *Ms.* secundus.
3. *Ejus sacerdotis.*
4. *Sic etiam* BUL. Joh. Begini, *qui in* lib. proc. nat. Gallic. « magne gravitatis vir » *vocatur, an.* 1454, *April.* 29, *licent. in theol. est.*

runt ut quodlibeta non disputarentur pro illo anno. Et omnes iste supplicationes et singule fuerunt concesse. ANDREAS DE STEENRE.

Die XXIXª mensis Decembris celebrata fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus fuit ad providendum de remedio oportuno pro exemptione ipsius Universitatis a quadam decima nuper a summo pontifice aliquibus principibus Francie concessa[1]. (*Fol. 115*ᵇ) 2ᵘˢ articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod fieret appellatio ad summum pontificem seu ad Consilium generale futurum, et quod promotor Universitatis[2] se opponeret publicationi illarum litterarum pro decima predicta impetratarum. Etiam tunc voluit Universitas dare domino preposito Parisiensi de juramento prestando inducias usque ad diem octavam Januarii. Etiam petiverunt aliqui de parlamento nomina librariorum[3] in scriptis, nec hoc voluit Universitas. ANDREAS DE STEENRE.

1447

Continuatio magistri Andree de Steenre in procuratorem venerande nationis Almanie.

Anno Domini Mº CCCCº XLVIº, die XIIIIª mensis Januarii, facta fuit congregatio venerande nationis Almanie super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator mag. Andreas de Steenre a singulis magistris prefate nationis. Quantum ad secundum articulum supplicavit prefatus magister Andreas, procurator antiquus, ut natio eum haberet gratum et avoatum, cujus supplicatio fuit concessa.

Die XIIIIª mensis Januarii congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum super quatuor articulis. Primus ad audiendum ea que facta fuerant super facto decime imposite et ad ulterius providendum. Secundus erat ad providendum de remedio oportuno super facto cujusdam mandati regii impetrati et publicati per electos[4] contra privilegia Universitatis. Tertius ad audiendum diligentias factas super juramento domini prepositi Parisiensis; etiam et super facto cujusdam captivi in Castileto. Quartus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit super decima quod oppositio registraretur. Quantum ad secundum articulum placuit Universitati, quod impetraretur mandatum regium. Et quoad tertium articulum bene placuerunt Universitati littere alias lecte in facie Universitatis, mittende domino supremo regi Francie et domino confessori[5] super facto domini prepositi, ut sic haberetur remedium oportunum. Quantum ad quartum articulum Universitas (*Fol. 115 bis*) dedit adjunctionem magistro Ludowico Baille promotori et parti, et cepit Universitas factum tanquam suum contra captivum de quo supra fuit mensio, voluitque Universitas dare auxilium consilium et favorem magistro Dyonisio Sabrevois[6] et non habuit natio dominum rectorem gratum magistrum Joh. Beghyn, qui inconsultus litteras excommunicationis recepit pro magistro nostro Dyonisio prefato.

Die XVIIª mensis Januarii facta fuit congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super quatuor articulis. Primus erat ad recipiendum aliquos baccalarios aliarum Universitatum. Secundus erat ad audiendum debita nationis. Tertius erat ad audiendum an natio vellet celebrare festum Candelarum in ecclesie Sancti Cosme et Damiani. Quartus articulus erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum presentaverunt se aliqui baccalarii aliarum Universitatum, quos tunc natio non recepit, quoniam magistri singuli non erant in congregatione presentes, et suspendebatur eorum et aliorum receptio, quousque congregaretur natio per juramentum. Quoad secundum articulum voluit natio, quod potentes solverent nationi sine longa mora, vel quod procederetur contra eos omnibus viis et modis possibilibus, et posite fuerunt inducie non bene potentibus solvere usque ad festum Pasche. Quoad tertium articulum conclusum fuit, quod celebraretur festum Candelarum in ecclesia Almanorum more consueto, et quod ad hoc darentur candele magistris et quatuor nobilibus tunc Parisius studentibus. Quantum ad quartum articulum non fuit facta supplicatio. ANDREAS DE STEENRE.

Die XVIIª mensis Januarii celebrata fuit congregatio alme Universitatis octava hora in Sancto Matu-

1. *Vid.* BUL., V, 539, *sq.*
2. Petrus Desfriches.
3. *Ms.* liberariorum.
4. *Qui eligebantur ad colligendas impositiones.*
5. Gerardo Macheti, *episc. Castrensi.*

6. *Ms. hic et infra* Sabbervais. *In* lib. proc. nat. Gallic. *narratur, quod* « ipse de novo fuisset publice proclamatus excommunicatus, aggravatus et reaggravatus, cum ut ipse dicebat istud injuste fieret ». *Contra ipsum fuerunt duo fratres Praedicatores.*

rino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum responsum habitum ab ambasiatoribus domini regis, qui ab Anglia redierant [1], super redditibus collegiorum et beneficiatorum et ad ulterius providendum. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Dyonisius de Sabrevois, quod Universitas non mutaret conclusionem alias de eo captam. Supplicavit etiam magister Michael Aubert pro littera gradus magisterii in artibus. Quantum ad primum articulum regratiabatur Universitas magistro Guilhelmo Boulie, qui audivit responsum ab ambasiatoribus regis, et etiam (*Fol. 115 bis* [b]) regratiabatur illis dominis ambasiatoribus. Et super facto redditiuum collegiorum et beneficiatorum conclusit mater Universitas scribere regi et aliis, et quod ille littere mitterentur per unum cursorem. Etiam voluit Universitas scribere regi et aliis pro magistro Dionisio Sabrevois litteram recommendatoriam in laudem prefati magistri Dionisii, quem, ut habuit ex tunc, habere volebat gratum, et dedit ei consilium, auxilium et favorem. Supplicatio illius magistri antenominati pro littera gradus fuit concessa.

Andreas de Steenre.

Die XVIII[a] [2] mensis Januarii facta fuit congregatio nationis per juramentum in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad recipiendum aliquos baccalarios aliarum Universitatum; secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum recepit veneranda natio baccalarios aliquos aliarum Universitatum, qui se protunc nationi representaverunt, noticia ac testimonio habitis de baccalariatu ipsorum. Et conclusit natio, quod ipsi baccalarii recepti, et quicumque alii reciperentur, non procederent in illo anno in quo recipiuntur, et illud recepti juraverunt et recipiendi jurare tenentur. Etiam placuit nationi, quod ingrossaretur littera de illo statuto noviter condito, dum tamen addatur hec particula, videlicet quod nulli baccalarii aliarum Universitatum recipiantur nisi prius juraverint in facie nationis, quod non procedent de illo anno ad gradum magisterii in artibus, in quo recipiuntur, sed quod stabunt continue de post tempus receptionis eorum per duas Quadragesimas cum tempore intermedio. Quantum ad secundum articulum duntaxat supplicaverunt baccalarii aliarum Universitatum recepti. Andreas de Steenre.

Anno Domini M° CCCC° XLVI°, die XXVIII[a] mensis Januarii, per venerandam nationem Almanie recepti sunt ad gradum baccalariatus aliarum Universitatum baccalarii qui sequntur :

Gherardus Wittich, diocesis Constanciensis, cujus bursa VI sol. Etiam probavit suum baccalariatum adeptum in studio Vianensi per [3]. . . . .

1447

[Procuratoria mag. Alberti Scriptoris.]

(*Fol. 116*) ...Universitatum admitteretur ad baccalariatum presentans in facie nationis litteram super gradu baccalariatus Colonie habito [4]. Ad idem supplicavit mag. Dubboldus de Campis pro uno baccalario qui circa festum Pasche esset venturus de partibus Campensibus, et mag. Adolphus de Teghelen pro suo (vel fratre vel consanguineo) baccalario, qui ante festum sancti Johannis proximum esset Parisius venturus. Quoad omnes istas supplicationes conclusit natio stare inviolabiliter in textu statuti. Placuit de baccalario illo qui presentialiter affuit [5], quod examinaretur et omnia faceret que baccalariandi in natione hoc anno essent facturi. De qua conclusione pro parte dicti baccalarii Coloniensis appellavit mag. Gilbertus Hervey. Quoad primum articulum electi fuerunt secundum statutum procurator, receptor, magister Johannes Dorloe et mag. Everardus Harlem.

Die XVI[a] Februarii congregata Universitate in Sancto Maturino super facto nominationum pro suppositis Universitatis, ad audiendum diligentias factas in materia privilegiorum, et super supplicationibus et injuriis, conclusum fuit quod fieret rotulus, et volentes nominari, nominarentur infra XV dies, et quod darentur nomina librariorum electis.

Congregata natione Almanie XXII[a] die mensis Februarii anno quo supra super admissione vel refutatione Thome Cameron, qui apud dominos temptatores baccalariandorum repertus erat defectuosus in

1. *Vix de ambassiatoribus hic agitur, qui an.* 1445 *in Angliam profecti sunt, et in principio anni* 1446 *jam reversi erant* (*de quo* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. IV, 164 *sqq*.).

2. *Ms. postea* XXVIII.

3. *Duo folia postea avulsa sunt, in quibus caeteri baccalarei enumerabantur ac finis procuratoriae Andreae Steenre et electio procuratoris Alberti Scriptoris* (*verisimiliter Februarii* 10) *scripta erant. In quibuslibet* Matriculis *sive* Universitatis *sive* Artistarum Vindobon. (*in* Archivo Univers. Vindobon.) *non invenitur* Gerardus *cum cognomine* Wittich. *Fortasse significatur* Gerhardus de Hesslinga (Esslingen, Constant. dioec.), *qui an.* 1443 *Vindobonae pro baccalariatu solvit* (lib. receptoris, *ibid*.). *In* lib. receptoris *fol.* 47 b, *cum* Gerardo Wittich, *enumerantur etiam* Theodoricus Martini de Worden, Conradus Suterly *et* Johannes Florentii. *Sed in* lib. procur. *ad an.* 1448, *Jan.* 26, *afferuntur, ubi videas.*

4. De Joh. Lech *Scoto agitur. Vid. ad Febr.* 22.

5. *Scil.* Joh. Lech.

tempore duorum mensium, quos nec Parisius nec alibi habuerat, et super electione examinatorum pro mensibus in Sancta Genovefa et super supplicationibus. Conclusit natio admittere dictum Thomam Cameron de gratia speciali nemine reclamante. Quoad examinatores voluit stare in practica statuti. (*Fol. 116*ᵇ) Supplicavit in eadem congregatione Johannes Lech, baccalarius Coloniensis [1], de quo supra in presenti procuratoria, post examen quod subierat in habitu cum aliis baccalariis hujus anni, quod daretur ei scedula a procuratore ad receptorem, in qua nominaretur baccalarius Coloniensis, quodque procurator secum transiret de juramentis aliorum baccalariorum. Supplicationem istam natio interemit, a qua conclusione mag. Gilbertus Hervey appellavit. Eadem hora in facie nationis conquestus est quidam baccalarius in decretis, qui Mathias... [2] nomen habet, super quodam nuncio nationis, qui Johannes vocatur, de arte fabrili, extra portam Sancti Marcelli moram trahens, quoniam pecunias, certas ulnas panni cum litteris cuidam scolari Parisius ex Hollandia missis longo temporis tractu celaverat, et jam tandem post confessionem solvere non vellet. Conclusum fuit quoad hoc quod vocaretur dictus nuntius ad primam congregationem nationis una pro omnibus responsurus dicto Mathie et aliis, qui ejusdem criminis ipsum superiori tempore sepenumero accusaverant. Requisitus est etiam procurator in prima congregatione verbum facere de renovatione sigilli procuratoris.

XXVIIª Februarii congregata fuit Universitas in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus ad ordinandum clausuram rotuli; secundus super facto privilegiorum; tertius communis. Conclusum fuit, quod prorogaretur clausura rotuli ad octo dies, et quod data esset de die presenti, quod dominus rector audiret consiliarios Universitatis in deputatis. Concessa fuit littera gradus magisterii pro magistro Ludovico Bailli.

IIIIª Marcii anni Domini M CCCC XLVI congregata fuit facultas artium in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus super facto (*Fol. 117*) appellationis magistri Gilberti pro parte sepedicti Johannis Lech Scoti. Secundus super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum dicebat dominus rector, quatenus cum requisiverant magistri Johannes Cameron, Gilbertus Hervey et Johannes Amici facere congregationem facultatis ad recipiendum predictum Johannem ad baccalariatum, attento quod fuerat baccalarius Coloniensis et hic temptatus cum baccalariis nationis Almanie et sufficiens repertus. Respondit procurator nationis Almanie nomine nationis quod dictus Johannes a natione ad baccalariatum admitti non potuit eo modo quo petebat, obicem dante quodam statuto, quod nuper et de recenti tempore ad conservationem honoris potius facultatis circa suos magistrandos fecerat natio, cujus statuti textum ad longum expressit in facultate dictus procurator, supplicans quod nichil agere vellet facultas in prejudicium dicti statuti, cum protestatione quod ubi secus ageretur, natio appellando vel alias quereret remedia juris. Conclusum fuit quod scolaris ille remitteretur ad nationem.

VIIª Marcii congregata fuit natio in Sancto Maturino super IIIIor articulis. Primus super facto Johannis fabri nuntii de quo in precedenti pagina. Secundus super renovatione sigilli. 3us super debitis nationi recuperandis. Quartus communis. Conclusum fuit, quia dictus nuncius se nulla legitima ratione purgare visus est, privaretur officio nuncii, litteram quam a natione habuit in manibus procuratoris positurus. Quod manentibus eisdem inscriptionibus et armis renovaretur sigillum procuratoris solum quoad materiale, et fieret de argento. Quod debitoribus nationis prefigeretur terminus ultimatus pro solvendis debitis dominica *Letare* proxime ventura, et quod deliberativa voce quacumque post illam diem carerent in natione omnes illi, qui terminum prefatum preterirent non solvendo. Ita voluit tales natio deliberativa voce carere debere, quod nec eligant ipsi alios nec alii ipsos ad officia quecumque; in aliis eciam, ubi electio locum non habet, careant omni voce.

(*Fol. 117*ᵇ) Die VIIIª mensis Marcii congregata fuit Universitas in Sancto Maturino super duodus articulis. Primus ad audiendum lecturam rotuli; secundus super supplicationibus. Conclusum fuit quod clauderetur rotulus.

Sequuntur nomina determinantium hujus anni.

Theodericus de Brakel, Coloniensis diocesis, determinavit sub magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa VIII sol.

Wolterus Pol, Trajectensis diocesis, sub mag. Dubboldo Campis, cujus bursa nichil.

1. *Quem frustra quaesivimus in Matricula Univers. Colon. In* lib. receptoris *etiam non inter baccalarios aliarum Universitatum, sed inter* determinantes *invenitur. Vid. infra.*

2. *In ms. deest cognomen. Verisimiliter agitur de* Mathia de Stapele, *cleric. Leodiens. qui librum I decretal. in fac. decr. incipiebat* 1446, *Nov.* 17 (Mem. fac. decr. I, fol. 237ᵇ).

Johannes de Haghen, diocesis Fladislaviensis [1], sub mag. Temanno de Gouda, cujus bursa VI sol.

Simon Gherardi de Egmunda [2], Trajectensis diocesis, sub mag. Adriano de Mera, cujus bursa IIII s.

Simon Roverzeyer, Verdensis diocesis, sub mag. Dubboldo Campis, cujus bursa IIII sol.

Jacobus Egidii de Naeltwick, Trajectensis diocesis, sub mag. Temanno de Gouda, cujus bursa IIII s.

Egidius Andree, Trajectensis diocesis, sub mag. Dubboldo de Campis, cujus bursa IIII sol.

Petrus de Dimen, Trajectensis diocesis, sub mag. Temanno de Gouda, cujus bursa VI sol.

Ghiisbertus Ysbrandi, Trajectensis dioc., sub mag. Dubboldo de Campis, cujus bursa IIII sol.

Henricus de Beynem, Trajectensis dioc., sub mag. Adriano de Mera, cujus bursa nichil.

Wilhelmus Tibis, dioc. Trajectensis, sub mag. Temanno de Gouda, cujus bursa VI sol.

Bartholomeus de Driell, Trajectensis dioc., sub mag. Temanno de Gouda, cujus bursa IIII sol.

Johannes Necker, dioc. Constanciensis, sub mag. Dubboldo de Campis, cujus bursa nichil.

Balduinus Andree, Trajectensis dioc., sub mag. Dubboldo, cujus bursa VI sol.

Henricus Nicolai Servacii, Trajectensis dioc., sub mag. Arnoldo Petri, cujus bursa IIII sol.

Johannes Simonis Ab, Trajectensis dioc., sub mag. Arnoldo Petri, cujus bursa nichil.

Johannes Petri de Melmogia, dioc. Ottoniensis, sub mag. Adriano de Mera, cujus bursa IIII sol.

(*Fol. 118*) Godefridus de Niwener, Coloniensis dioc., sub mag. Arnoldo Petri, cujus bursa VI sol.

Balduinus Gherardi [de Eghe], Trajectensis dioc., sub mag. Adriano de Mera, cujus bursa nichil.

Jacobus Gray, dioc. Sancti Andree, sub mag. Johanne Kanedy, cujus bursa VI sol.

Jaspar Smytht, dioc. S. Andree, sub mag. Johanne Kanedy, cujus bursa VI sol.

Thomas Cameron [3], dioc. Sancti Andree, sub mag. Johanne Cameron, cujus bursa VIII sol.

David Crannoch [4], dioc. Sancti Andree, sub mag. Johanne Cameron, cujus bursa VI sol.

Johannes Lech [5], dioc. Glasguensis, cujus bursa IIII sol.

1447

[Continuatio ejusdem.]

Decima die mensis Marcii congregacione nationis facta super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui continuatus est antiquus, gratus habitus et avoatus in actis. Et quia in hac congregatione mag. Gilbertus Hervey post supplicationem, quam fecerat requisitus multipliciter, primo per magistros nationis, et tandem iteratis vicibus per procuratorem etiam per juramentum se ad partem retrahere noluit, nunc cassando suam supplicationem, nunc iterato supplicando more multum rebelli et puerili, requisitus est per nationem procurator super punitione dicti magistri brevi congregationem facere specialem. Supplicatio, quam mag. Gilbertus fecit contra quendam scolarem, non est concessa.

Decima tertia die mensis Martii ex ordinatione nationis et requesta certorum venerabilium magistrorum et scolarium de regno Scotie congregavit procurator venerandam nationem Almanorum in Sancto Maturino super punitione magistri Gilberti, de quo supra. Cujus rebellionibus id mali accessit ad ejus accusationem, quod per duos venerabiles magistros aliarum Universitatum et quendam honestum juvenem Parisius studentem, qui omnes Scoti erant natione, presentata est procuratori in facie nationis scedula quedam, que dictum magistrum Gilbertum obloquacem, mendacem, pacis turbatorem et aliis multis criminibus irretitum descripsit. Requirebant viva voce dicti tres conquerentes, nomine ut dicebant totius sue provincie, quod dictus magister Gilbertus, tamquam membrum putridum et palmes non ferens fructum, a consortio nationis abcideretur, addentes quod nisi sepedictus magister (*Fol. 118* b) Gilbertus a Pariseorum urbe expelleretur, non videbant quo pacto in pacis tranquillitate Scoti studium continuare possent Parisius. Attentis igitur multis aliis insolentiis et periculosis modis faciendi, quibus contra certos de natione ante novissimam congregationem usus fuerat dictus mag. Gilbertus ; visis etiam precipue rebellionibus, de quibus supra, et considerata ex superhabundanti requesta trium prememoratorum de sua provincia : natio dictum magistrum Gilbertum presentem et nulla ratione se humiliantem privavit a

1. *I. e.* Wladislaviens. (Cujaviens.), Leslau. *In* lib. recept., *fol.* 43, Waldisflaviens.
2. *Deest in* lib. recept.
3. *De nobili genere procreatus, canon. Glasguens. ac præbendarius de Giodanc, an.* 1444 *annorum* 17, *illegit. natal., studens in Universitate S. Andreae* (Suppl. Eugen., n° 393, *fol.* 157 b).
4. *Fortasse ille, qui an.* 1452, *ut par. eccl. de Tannades, S. Andreae diocc., occurrit, et ad decanatum Brechinens. aspiravit* (Suppl. Nicol. V, n° 452, *fol.* 50). *Distinguendus ab ipso* David de Crannoch, *frater episc. Brechin., an.* 1443 *Coloniae ut mag. art. intitulat.* (Keussen, Matrikel, I, 350).
5. *Is solum in* lib. receptoris, *fol.* 43, *inter* determinantes *invenitur.*

suo consortio ad annum. A qua conclusione dictus mag. Gilbertus appellavit. Ad hanc congregationem vocatus mag. Henricus Marxen negavit se dixisse de magistro Johanne Dorloe, quoniam Almanus non esset [1], sicut eum allegaverat mag. Gilbertus prefatus.

Congregata facultate artium XV^{a} die mensis Martii super decisione appellationis magistri Gilberti, nationes Francie et Normannie deliberaverunt quod non privaretur [2] et peteret veniam, casu quo deliquisset; natio Picardie dedit deputatos, qui se informarent si ita, ut per procuratorem nationis Almanie dictum fuerat, dictus magister Gilbertus articulaverat contra certos magistros de natione; quod si ita comperiretur, voluit eum puniri gravissime. Natio Almanorum stetit semper in privatione quam fecerat, protestando de remediis juris, casu quo facultas in adversum quidquam faceret. Placuit etiam tribus aliis nationibus, quod natio in hac re non haberet votum. Supplicavit in hac congregatione magister Johannes Betisy [3] pro reincorporatione magistri Egidii Morsels, alias injuste privati a natione Almanie [4]; cujus supplicationem nationes Francie et Normannie concesserunt. Domini Picardi dederunt deputatos. Protestata est natio Almanorum ut supra.

(*Fol. 119*) XVI^{a} die mensis Martii congregata matre Universitate in Sancto Maturino, prestitit in facie Universitatis juramenta solita reverendus in Christo pater dominus episcopus Belvacensis, conservator privilegiorum dicte Universitatis; juravit etiam tenere reformationem circa suam curiam nuper factam per matrem Universitatem.

Facta est congregatio Universitatis XIX^{a} Martii ad audiendum diligentias factas super juramentis, que prestare debebant in presentia domini conservatoris in suo consistorio advocati procuratores et scriba et alii officiales. Conclusum fuit quod scriba et alii qui antea jurare noluerant vocarentur ad deputatos citissime, dicturi causas quare jurare cum aliis refutaverant.

Congregatio preclare facultatis artium facta est in Sancto Juliano XXIIII^{a} die mensis Martii super electione rectoris. Electus est venerabilis et magne sciencie vir magister Thomas Gerson [5], qui ultra juramenta solita juravit prosequi diligenter materiam nunc dictam de juramentis officialium in curia conservationis.

Mensis Martii die XXVI^{a} congregata est natio veneranda Almanorum super tribus articulis. Primus ad deliberandum, si deliberativa voce carerent magistri illi qui nationi nondum satisfacerant, attento quod conclusio alias capta circa hanc materiam eis dederat pro ultimato termino dominicam *Letare* [6]. 2us de appellationibus (*Fol. 119*^{b}), quas protestata erat facere natio circa factum magistrorum Gilberti et Egidii. Tertius communis. Quantum ad primum datus est terminus magistro Henrico Marxen usque ad Penthecosten. Placuit etiam quod magister Thomas alterius Universitatis magister, qui debet nationi pro parte magistri Johannis Kennedy, haberet inducias usque ad *Quasimodo geniti* [7]. Quantum ad secundum placuit majori parti remediare in isto facto per levationem appellationis.

XXIX^{a} die mensis Martii congregata alma Universitate in Sancto Maturino, prestitit in facie Universitatis juramenta solita nobilis vir [Robertus d'Estouteville] [8] prepositus Parisiensis. Privati sunt licenciati et baccalarii facultatis decretorum, qui ex cancellaria per falsum quod intelligere dederant impetraverant litteram, qua presumebant compellere Universitatem, ut nominarentur ad beneficia sicut magistri in diversis facultatibus birretati. Placuit scribere domino nostro regi expensis offici[alium] super revocatione certi mandati, quod eos ad alia officia ab offic[iis] suis in Universitate exercenda illibertare videbatur. Voluit etiam Universitas, quod una pro omnibus vocarentur officiarii de curia conservationis, qui usque modo jurare rennuerant.

A. Scriptoris.

1447

[Procuratoria mag. Everardi de Harlem].

(*Fol. 120*) VI^{a} Aprilis facta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit super elexione vel continuatione procuratoris, et electus est concorditer honorandus vir mag. Everardus de Haerlem [9]. Et secundus fuit super quibusdam que narravit dominus receptor in natione, quantum ad primum punctum hujus articuli,

1. *Quidam dixerunt, ipsum* Picardum *esse. Vid. infra ad Nov.* 12.
2. *Pro Gilberto duo Scoti, Joh. Cameron et Joh. Kennedy, rogaverunt, contra ipsum Albertus Scriptoris agebat, ut e* lib. proc. nat. Gallic. *liquet.*
3. *Bacc. in theol.*
4. *Ut etiam in* lib. proc. nat. Gallic. *narratur.*
5. *Ita etiam* Bul., V, 921.
6. *Martii* 19.
7. *April.* 16.
8. *Pridie electus.*
9. *In* lib. receptoris *fol.* 42 *legitur :* Item in electione mag. Everardi *in cervo* XXVII sol., IIII den.

et super sigillatione littere de statuto nuper condito de receptione baccularíorum aliarum Universitatum. Et 3us fuit communis. Quantum ad primum punctum illius secundi articuli dixit receptor, tres baccularios venisse ad ipsum missos a magistro Alberto Posthouwer cum littera super solutione bursarum suarum, que littera habebat : « Domine receptor, tres mittimus ad vos, quorum cujuslibet bursa valet tantum, sicut bursa alias talis », nominando unum magistrum nationis, et tamen illi fuerunt de majori portione pro nunc. Quantum ad primum punctum illius 2^i articuli displicuit nationi illa forma, quam receptori illi baccularii presentabant, et placuit, ut in baccularialu secundum illam tamen taxationem bursarum transirent; sed in magisterio suo provideretur, scilicet alias judicando, scilicet secundum taxationem consuetam hiis, qui sunt de portione majori. 2us punctus secundi articuli fuit super sigillatione littere statuti nuper conditi, et placuit ut procurator electus, quia inexpertus ut novus, quemadmodum asserebatur, in hiis que statutum hoc concernebant, ut ipse prefatus procurator novus addito sibi concilio procuratoris antiqui providerent sibi ut littera statuti predicti infra hoc tempus et dominicam *Quasimodo* per diligentiam illorum amborum sigillaretur. Et placuit ut esset littera de datha XXIIII^a Augusti. Quoad tertium articulum concessa est a natione supplicatio procuratoris antiqui, scilicet magistri Alberti Scriptoris, quia natio in suis actis procuratorie hujus habuit eum gratum et avoatum.

Decima nona die mensis Aprilis facta est congregatio facultatis artium apud Sanctum Maturinum hora secunda post meridiem super duobus articulis. Primus erat ad deliberandum super vocatione bacallariorum facta eodem die ante meridiem post dominum cancellarium Sancte Genovephe, non obstante inhibitione facta per dominum rectorem Universitatis Parisiensis ad requestam dominorum temptatorum domini cancellarii Sancte Genovephe [1]. Et quoad illum articulum non fuit habita concordia predicte vocationis approbande vel reprobande. Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum articulum supplicavit magister Egidius Hervey pro copia cujusdam conclusionis capte alias per dominum procuratorem antiquum nationis Almanie; cujus supplicatio fuit admissa.

Vicesima die mensis Aprilis facta est congregatio facultatis artium in Sancto Maturino de mane hora septima super duobus articulis. Primus erat idem, qui pridem die precedenti propter discordiam non est sortitus effectum, et quoad illum conclusum est vocationem factam per dominum cancellarium non habere efficatiam, sed repetendam ea decentia qua solet fieri ab antiquo. Et ab ista conclusione capta appellavit dominus cancellarius Sancte Genovephe ad Universitatem. 2us erat communis super supplicationibus et injuriis; et quoad illum nemo supplicavit.

(*Fol. 120* ^{b}) Vicesima prima die mensis Aprilis hora VII ante meridiem facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super quorundam scolarium incarceratorum repetitione. Secundus fuit super discordia orta inter Universitatem Parisiensem et Universitatem Montis Pessulani in causa duorum scolarium studii Montis Pesselani, quorum unus [2] alium extra muros ejusdem Universitatis trahere voluit [3]. Tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum est, quod si dicti scolares incarcerati de crimine eis imposito non essent convicti, per dominum rectorem forent repetendi. Quantum ad secundum articulum conclusum fuit quod examinaretur procuratorium magistri nostri magistri Johannis de Oliva [4], quod asserebat se recepisse ex parte Universitatis Montis Pessulani pro cedanda discordia alias inter dictas Universitates habita, et si reperiretur sufficiens, placuit ulterius in predicta causa non procedere. Quantum ad tertium supplicavit dominus cancellarius [5], quod conclusio die precedenti in facultate artium capta super vocatione magistrandorum iteranda haberetur nulla; cujus supplicatio non fuit admissa [6].

(*Fol. 121*) Indicta est congregatio facultatis artium apud Sanctum Maturinum secunda die mensis May hora septima de mane super tribus articulis. Primus fuit super expeditione bachallariorum alias vocatorum per dominum cancellarium Sancte Genovephe. Et quoad illum articulum conclusum fuit quod dominus rector Universitatis Parisiensis cum notabili

1. *Expeditio scholarium licentiandorum apud S. Genovefam graviter impediebatur propter controversiam inter cancellarium S. Genovefae et temptatores ortam, ut e* lib. proc. nat. Gallic. *liquet.*
2. *Studii Montispessulani.*
3. *In* lib. proc. nat. Gallic. *hoc jam ad Jan.* 14 *narratur.*
4. *Mag. in theol., de quo supra.*
5. *S. Genovefae.*
6. *Nunc in msto sequuntur* nomina licentiatorum *et* incipientium, *quae tamen infra ad Jul.* 4 *iterum, sed adaucta, scribentur, ubi vid.*

comitiva deberet accedere dominos de parlamento ad petendum modum expeditionis eorundem bachallariorum, non obstante discordia venerabilium dominorum cancellarii Sancte Genovephe et temptatorum ejusdem, salvo tamen jure partis utriusque. Secundus articulus fuit super quibusdam statutis facultatis moderandis. Et quoad illum conclusum fuit quod dominus rector, non obstante statuto facultatis, posset facere congregationem ejusdem facultatis totiens quotiens sibi visum foret expedire, et etiam diebus quibus non legitur ordinarie, si opus esset. Item conclusum est, quod domini licentiati vel licentiandi apud Nostram Dominam possent incipere sine prejudicio vocatorum apud Sanctam Genovepham. Tertius fuit super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum supplicatum fuit ex parte dominorum bacallariorum hoc anno incipientium, ut etiam possent incipere diebus quibus non legitur ordinarie. Quorum supplicatio non fuit admissa.

(*Fol. 121*[b]) Quarta die mensis May indicta fuit congregatio Universitatis de mane hora septima apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum quandam litteram missam rectori et Universitati ex parte *Concilii Basiliensis*[1] exhortantem [ad] pacem et unionem ecclesie[2]. Cujus lectura fuit admissa. Secundus fuit super provisione molestationis quorundam officiariorum Universitatis, qui gaudere habent privilegiis ejusdem. Et quoad illum articulum conclusum fuit, quod deberent defendi vigore privilegiorum Universitatis toto posse. Tertius fuit super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum articulum supplicavit dominus rector ex parte domini Nivernensis[3], ut sibi darentur littere recommendatorie ad dominum regem. Cujus supplicatio fuit admissa.

1447

[Continuatio ejusdem.]

Die quinta mensis May indicta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie apud Sanctum Maturinum hora nona ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Continuatus fuit antiquus[4], gratus habitus et avoatus in actis suis. Admissa fuit supplicatio cujusdam baccallarii Coloniensis nomine Johannis. Item contulit natio unum scutum Nicolao subbedello.

Sexta mensis May indicta fuit congregatio facultatis artium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super discordia cedanda in natione Francie in officio procuratorie. Et quoad illum articulum conclusum fuit magistrum Bernardum de Miromonte verum procuratorem ejusdem venerabilis nationis Francie [esse]. Item conclusum fuit quod dominus rector deberet accedere commissarios in parlamento pro celeriori expeditione scolarium vocatorum per dominum cancellarium Sancte Genovephe. Item accusavit dominus rector quendam magistrum qui dixit sibi multas injurias. Et conclusum quod revocatione esset puniendus. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Et quo[ad] illum nemo supplicavit.

(*Fol. 122*) Duodecima die mensis May congregata fuit venerabilis [natio] Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum aliqua proponi per magistrum Albertum Scriptoris concernentia honorem nationis. Et quoad illum articulum proposuit idem magister Albertus, qualiter procurator nationis ad requestam domini procuratoris nationis Francie dedisset conclusionem nationis Almanie alias captam in Sancto Maturino sub sigillo nationis ejusdem, quod indecens videbatur. Venerabilis tamen natio audita excusatione procuratoris habuit eum supportatum. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum supplicavit quidam licenciatus super dilatione termini solutionis bursarum; cujus supplicatio non fuit admissa.

Tertiadecima die mensis May facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus erat super hiis que concernunt electionem summi pontificis sanctissimi in Christo patris ac domini domini Nicolai pape quinti, alias in urbe factam[5]. Et quoad illum articulum lecta fuit littera

1. *Concilium Basileense an.* 1443, *Maii* 16, *ultimam sollemnem sessionem habuit, et postea se cum beneficiis praesertim occupavit.*

2. *I. e. ad dirimendum schisma, quod Concilium ipsum per electionem Felicis V introduxit.*

3. Johannis de Stampis. *Supra agitur de seditione duorum contendentium. Vid.* Gall. christ., XII, 654.

4. *In* lib. receptoris *fol.* 42 *annotatur :* Item in continuatione mag. Everardi *in pavone* XXII sol.

5. *Eugenio IV Romae hoc anno, Febr.* 23, *defuncto, Martii* 6 Thomas Parentucelli de Sarzana, *card. Bononiens. in papam electus et Martii* 19 *coronatus est, sub nomine* Nicolai V (*vid.* Pastor, Gesch. der Päpste, 2. *ed.*, I, 299 *sqq.*). *In Franciam nuntius electionis tarde venit, ut etiam e supradictis apparet;* « ad regem die VII mensis Maii nova pervenerunt », *qua die ejusdem papae diem assumptionis in collegiata ecclesia B. Mariae de Magduno Bituricens. dioec.* solempnizari fecit et ipse solempnizavit. *omnesque sperabant per Nicolaum* Dei ecclesiam in sanctitate, virtutibus ac justitiam magnum incrementum recipere posse (Suppl. Nicol. V, n° 412, *fol.* 93b).

domini apostolici continens favorem quem gerit ad almam Universitatem Parisiensem [1]. Lecta fuit et missiva quorundam venerabilium dominorum cardinalium, continens merita et laudes domini summi pontificis ejusdem Nycolay pape quinti. Unde conclusum est quod fierent processiones solempnes ex parte Universitatis [2], et exequie decentes pro domino Eugenio papa quarto nuper defuncto. Supplicationes fuerunt remisse ad deputatos. Supplicavit Jacobus Wiggaert, ut poneret pignora pro bursis suis, et acceptavit natio libros quos optulit pro pecuniis, ad finem quod satisfaceret ante festum..... (*sic*) sub penis amissionis librorum suorum.

Vicesimatertia die mensis May indicta fuit congregatio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum procuratoris ejusdem. Et quia procurator protunc erat absens, reddidit compotum legaliter magister Tymanus de Gouda substitutus per dominum receptorem, et habuit natio dominum receptorem excusatum in absentia et avoatum in compoto. Item placuit nationi, quod procurator haberet viginti solidos pro laboribus suis in compoto reddendo per dominum receptorem, et quia illa consuetudo propter paucitatem impensarum tempore gwarrarum abolevit, conclusit natio quod de novo resumeretur. 2us erat super supplicationibus et injuriis. Et quoad illum supplicavit magister Arnoldus (*Fol. 122*^b^) Bernardi stipendiari de laboribus habitis quondam ex parte nationis. Et quoad hoc natio habuit eum recommendatum, et regraciabatur sibi de laboribus impensis.

Vicesima sexta die mensis May indicta fuit congregatio facultatis artium super duobus articulis. Primus erat ad audiendum appunctuamentum datum per dominos commissarios venerabilis curie parlamenti in expeditione scolariorum (*sic*) alias vocatorum per dominum cancellarium Sancte Genovephe. Et quoad illum articulum placuit appunctuamentum datum per predictos dominos commissarios, et recepit dominus rector juramenta dominorum examinatorum in cameris et [3] similiter juramenta scolarium examinandorum more solito. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis [4].

1447

(*Fol. 123*) Electio magistri Lamberti Schout.

Anno Domini M. CCCC quadragesimo septimo, secunda Junii, hora octava de mane facta fuit congregatio nationis Almanie super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit magister Lambertus Schout de Arnhem. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut natio vellet ipsum habere gratum et avoatum in factis suis, et concessa fuit sua supplicatio. Supplicuit insuper magister Robertus Poele, quia ipse intendebat per spacium de Parisius recedere, quod natio vellet sibi in archa nationis aliquos custodire libros, et ipse libenter solveret vinum. Et concessa est ejus supplicatio. Insuper supplicavit quidam bacalarius alterius Universitatis, ut natio vellet audire aliquos testes, qualiter alterius Universitatis esset bacallarius, ut duo anni pro uno sibi reputarentur. Et concessit suam supplicationem. Eodem die facta fuit congregatio facultatis ad ponendum residuum de Sancta Genovefa in cameris, et ad audiendum juramenta dominorum temtatorum et etiam bacalariorum, et ita factum fuit.

Anno [5] quo supra, XX^a^ Junii, refacte fuerunt scole *septem artium* et etiam *magne*, secundum quod conclusum fuerat a natione, et visitate fuerunt per deputatos.

Vicesimaprima mensis Junii facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus erat super reformatione curie conservatoris. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit Universitati, quod futurus rector haberet jurare prosequi reformationem illam. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus rector, scilicet magister Thomas de Jarsono, ut Universitas vellet ipsum habere gratum et avoatum in actis per ipsum. Et concessa est ejus supplicatio.

In profesto sancti Johannis Baptiste more solito facta fuit congregatio facultatis artium super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem et ad hoc dare intrantes vellet. Secundus fuit communis. Quantum ad primum dati fuerunt intrantes de natione Francie magister... (*sic*), de natione Picardie magister Albertus Leunez, de natione Norman-

1. *Epistola ad regem, Mart.* 21, *ap.* D'Achery, Spicileg.², III, 767, *in qua papa etiam ad publicas orationes exhortatur.*
2. *Maii* 14 *Universitas sollemnem processionem fecit ad Nostram Dominam* (Journal d'un bourgeois, p. 385).
3. *Ms.* ex.
4. *In eadem pagina tres paragraphi sequuntur, ad Jun.* 20, *Jul.* 16 *et* 20 *pertinentes, quas vid. infra.*
5. *Haec paragraphus fol.* 122^b^ *inscripta est.*

nie magister Ursinus Tibaut, de natione Almanie magister Tibaldus [1] de Campis, qui concorditer et via Spiritus Sancti elegerunt venerabilem et circunspectum virum artium magistrum Johannem Boukardi [2] pro tertia vice, qui more solito duas fecit supplicationes, que concesse fuerunt in forma.

(*Fol. 123*[b]) Die quarta mensis Julii facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus fuit super aliquibus previlegia tangentibus. Secundus articulus erat super aliquibus litteris transmittendis domino nostro summo pontifici, et etiam domino nostro regi. Tertius fuit communis. Quantum ad primum placuit Universitati defendere privilegia sua illesa, et voluit quod dominus rector cum bona comitiva haberet adire dominum prepositum Parisiensem et ei declarare privilegium super facto domorum, ut ad curiam rectoris remittantur dicte cause in curia rectoris orte. Placuit insuper Universitati, ut acquireretur unum mandatum in contrarium mandati dominorum electorum. Quantum ad secundum placuit scribere domino nostro Nicolao quinto et etiam domino nostro regi. Quantum ad tertium supplicavit dominus rector, scilicet mag. Johannes Boukart, ut Universitas velit sibi dare concilium, auxilium et favorem; et concessa est ejus supplicatio. Multe alie fuerunt supplicationes, sed remisse fuerant ad deputatos.

Secuntur nomina licenciatorum istius anni.

Dominus David Lindesay diocesis Brechinensis, sub magistro Everardo [de] Herlem, cujus bursa valet XVI sol.

Dom. Adam Scaep, Trajectensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Florentinus Jutfaes, Trajectensis dioc., sub mag. Tibaldo [3] de Campis, cujus bursa valet X sol.

Dom. Gerardus Nepotis, Trajectensis dioc., sub mag. Alberto Posthouwer, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Johannes Tiderici, Roskildensis dioc., sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. David Guthre, dioc. Sancti Andree, sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VI sol.

(*Fol. 124*) Dom. Hugo de Arbuthnow, ejusdem dioc. et sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Martinus Vaus, Abirduonensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Petrus Nortwiic, [Trajectens. dioc.], sub eodem, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Jacobus Wiggart, Trajectensis dioc., sub magistro Adriano de Heusdem, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Laurentius Mathie Roskildensis dioc., sub magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VIII s.

Dom. Godefridus Hesacket [4], Trajectensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VI sol.

Dom. Thomas Vaus, Abirdonensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Dodo Nicolai, Trajectensis diocesis, sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet nichil.

Secuntur nomina incipientium.

Dominus David Lyndesay, dyocesis Brechinensis, sub mag. Everardo Harlem, cujus bursa valet XVI s.

Dom. Adam Scaep, Trajectensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Florentius Jutfaes, Trajectensis dioc., sub mag. Tibaldo de Campis, cujus bursa valet X sol.

Dom. Gerardus Nepotis, Trajectensis dyoc., sub mag. Alberto Posthauer, cujus bursa valet IIII sol.

(*Fol. 124*[b]) Dom. Johannes Thiderici, Roskildensis dioc., sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. David Guthre, dioc. Sancti Andree, sub eodem, cujus bursa valet VI sol.

Dom. Hugo de Arbuthnow, ejusdem dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Martinus Vaus, Abirdonensis [5] dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Petrus Nortwiic, sub eodem, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Jacobus Wiggart, Trajectensis dioc., sub mag. Adriano de Heusden, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Godefridus Hesacket, Trajectensis dioc., sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VI sol.

Dom. Thomas Vaus, Abirdonensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet VIII sol.

Dom. Laurentius Mathie, Roskildensis [6] dioc., sub mag. Alberto Scriptoris, cujus bursa valet VIII s.

Dom. Dodo Nicholai, Trajectensis dioc., sub eodem, cujus bursa valet nichil.

Anno [7] quo supra XVI[a] Julii renovatum fuit sigillum parvum procuratorie, sed tamen mansit eadem

1. *I. e.* Dubboldus.
2. *De quo jam saepius. Recte* Bul. *Joh. tunc erat baccal. formatus in theol.*
3. *I. e.* Dubboldo.
4. *Seu* Hesacker.
5. *Ms.* Arbiduonens.
6. *Ms.* Rakildens.
7. *Hae duo paragraphi exstant ordine inverso fol.* 122[b].

scriptura, et fractum fuit antiquum presentibus deputatis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, XX^ma^ Julii repositi fuerunt libri magistri Roberti Poelle de Schothia in archa nationis, secundum quod conclusum fuerat a natione, et copia librorum jacet in archa,

XXVII^a^ Julii [1] facta fuit congregatio nationis Almanie super tribus articulis. Primus erat super facto statutorum nationis. Secundus erat super facto domus Almanie. Tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum retulit dominus procurator qualiter venerat quidam ad ipsum, qui alterius Universitatis erat bacalarius, ut asserebat, et tunc procurator ei quesivit utrum haberet testes ad hoc. Dixit quod sic. Utrum isto anno vellet incipere. Respondit quod ita. Procurator tunc sibi dixit, quod hoc esset contra statuta nationis, *quia nullus potest esse bacalarius et magister in eodem anno*. Ipse respondit, quod ab aliquibus magistris sibi dictum fuerat, quod ad hoc non habebamus statutum, et si haberemus, nondum fuit sigillatum. Ideo procurator posuit in medium ut predictum statutum sigillaretur. Et conclusum fuit, quod sigillaretur cum tamen alia statuta nostra sigillata non fuerint. Conclusit insuper, quod iste bacalarius nullomodo reciperetur.

Quantum ad secundum articulum retulit idem procurator qualiter domus Almannorum indigebat reparatione, et qualiter aliqui inhabitabant, qui inhabitare non debebant; sed conclusum fuit remittere ad provinciam. Quantum ad tertium supplicavit procurator ut natio vellet ei adjunxionem dare contra quosdam clientes, qui manus in eum posuerunt sine causa. Et concessa est ejus supplicatio.

(*Fol. 125*) Facta fuit congregatio Universitatis die quarta Augusti anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit super facto decime. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum retulit dominus rector, quomodo ista decima vigebat, et timendum erat, ne nostra supposita sint coacti (*sic*) ad solvendum illam, et tamen nichil audivit quod aliqui adhuc essent gravati. Super quo conclusit Universitas, quod dominus rector adiret dominum Orlianensem [2] ad supplicandum, ut nos in nostra libertate dimitteret, et quod placeret sibi suis scribere subditis, ut non vexarent nos, et casu quo responsum votivum non daret, staremus in nostra appellatione. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector pro domino conservatore, quia impositus erat ad decimam istam solvendam, quod gauderet privilegiis sicut et ceteri de nostra Universitate. Et ita conclusum fuit. Conclusit insuper, quod in una diocesi non esset nisi unus nuncius, nisi esset diversitas ydiomatum in illa, et quod presentarentur per procuratores suarum nationum. Multe alie fuerunt supplicationes, que remisse fuerunt ad deputatos.

Decima octava mensis Augusti facta fuit congregatio Universitatis ad eundum processionaliter apud Sanctam Katherinam de Val[l]e scolarium.

1447

(*Fol. 125^b^*) Electio magistri Johannis Kanedy.

Vicesima quarta die mensis Augusti congregata fuit venerabilis natio Almanie super duobus articulis. Primus articulus super electione novi procuratoris. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit conformiter magister Johannes Kanedy in procuratorem. Et in illo articulo etiam proponebatur per organum domini antiqui procuratoris, quomodo natio non habuit capicium (*sic*) pro ypitogio, sicut et cetere nationes; proposuit tunc quod expediret, quod arce nationis, que sunt in domo Bomundi bedelli repararentur et ponerentur in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, et ita conclusum est uniformiter. Et quantum ad articulum supplicationum unus venerandus magister supplicaverat, quod natio faceret fieri unum ypitogium commune pro regentibus nationis. Et quantum ad hoc nichil poterat concludi, quia oppositio fuit et quia supplicatio fuerat gratiosa. Jo. Kanedy.

Vicesimo sexto die mensis ejusdem facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus concernentibus privilegia Universitatis, et secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum proponebatur ad longum per organum domini rectoris, quomodo reverendus in Christo pater dominus episcopus Lemovicensis [3] tenebatur sibi in certa summa pecunie occasione suorum nepotum, qui aliquod tempus manserunt in domo sua, et quomodo post plures dilationes faceret eum citari in curia domini rectoris. Quo audito prefatus reverendus

1. *Ms. prius* Augusti.
2. *Ad* Carolum ducem Aurelianensem, *qui tunc jus suum in Italia superiori sibi vindicare conabatur. Vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. IV, p. 244 *sqq.*, 249, 251. *Quamobrem pecuniis indigebat.*
3. Petrus de Montberon.

pater impetravit in curia requestarum domus regie unam litteram prohibentiam (*sic*) domino rectori, ne ipse traheret ipsum ad aliquam curiam, nisi ad illam venerabilem curiam requestarum, quia est de magnis consiliariis regis, et quia ista littera fuit de directo contra privilegia curie domini rectoris. Ideo supplicavit dominus promotor Universitatis, ut, nisi iste prefatus reverendus revocaret illam litteram, privaretur ab Universitate et declararetur perjurus. Et quantum ad istud conclusum fuit per Universitatem, quod certi solennes deputati ex parte Universitatis adirent prefatum dominum, et intimarent sibi, quod, nisi illo die ante occasum solis revocaret illam litteram impetratam in curia requestarum, Universitas privaret ipsum et declararet perjurum. Quantum ad articulum supplicationum supplicaverat quidam magister de natione nostra pro litteris gradus et pro litteris recommendatoriis, et unus magister similiter venerande nationis Francie. Et ambe supplicationes erant concesse. Jo. Kanedy.

Duodecimo die mensis Septembris facta fuit congregatio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus fuit super reformatione curie conservationis. Secundus fuit super controversia de quodam nuncio in veneranda natione Francie. Et tertius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Materia primi articuli remissa fuit ad deputatos, ut deputati solennes haberent videre articulos confectos et augere, si aliquid esset augendum, et diminuere, si aliquid esset diminuendum. Quantum ad secundum articulum de nuncio non fuit habita concordia. Quantum ad articulum supplicationum multi erant supplicantes, sed omnes [supplicaciones] erant remisse ad deputatos. Jo. Kanedy.

(*Fol. 126*) Vicesimo primo die mensis ejusdem facta fuit congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus articulus fuit ad audiendum compotum antiqui receptoris. Secundus fuit ad continuandum eundem vel ad eligendum novum; et tertius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum auditus fuit compotus domini antiqui receptoris. Quantum ad secundum articulum, quia dominus receptor antiquus non supplicabat pro continuatione, electus fuit in receptorem magister Lambertus Schout. Quantum ad articulum supplicationum, supplicavit antiquus receptor, ut ipse haberetur gratus et avoatus in compoto suo. Et ejus supplicatio fuit concessa, quia ejus compotus fuit bonus et legalis, et natio regratiabatur sibi de laboribus assumptis in sua receptoria. Supplicabat etiam magister Jacobus Vinthorst pro quadam littera; cujus supplicatio fuit remissa ad deputatos Universitatis. Supplicavit etiam magister Theomannus de Gouda, ut ipse haberet aliquid pro labore quem assumpsit in reparatione scolarum, et natio conclusit quod haberet dimidium scutum. Supplicaverunt etiam bedelli, ut continuarentur in officiis suis et ut haberentur recommissi, et presentaverunt virgas suas nationi. Quorum supplicatio fuit concessa. Item supplicavit quidam nuncius, ut continuaretur in officio suo, et pro littera testimoniali. Cujus supplicatio fuit concessa.

Johannes Kanedy.

1447

[Continuatio ejusdem.]

Vicesimo tertio die mensis ejusdem facta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem ved ad continuandum antiquum. Secundus articulus fuit ad audiendum juramenta novi receptoris; et tertius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum antiquus procurator fuit continuatus [1]. Quantum ad secundum articulum novus receptor juravit in facie nationis juramenta solita jurari in institutione novi receptoris, et tradidit cautionem pro pecuniis receptis ex parte nationis. Quantum ad articulum supplicationum supplicavit antiquus procurator, ut facta per ipsum haberentur grata et avoata. Cujus supplicatio fuit concessa.

Johannes Kanedy.

Die septimo mensis Octobris facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus erat super facto curie conservationis. Secundus erat de quodam relligioso de ordine Minorum, qui, ut dicebatur alias [2], in sermone suo Bituris dixit aliqua male sonantia, et signanter quod beatus Franciscus maledixit Universitatem Parisiensem; et illo articulo inserebatur de nunciis et de quibusdam reditibus pertinentibus Universitati existentibus in villa Lovaniensi. Et tertius erat communis super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod futurus rector haberet jurare prosequi secun-

1. *In* lib. receptoris *legitur fol.* 46 : Item pro continuatione mag. Joh. Kanedy *in cervo* XXXIX sol. par.

2. *Vid. supra* p. 665, *not.* 3, *ad an.* 1446, *Septemb.* 16.

dum vires illam reformationem curie conservationis.

Quantum ad primam partem secundi articuli de religioso conclusum fuit, quod omnibus viis et modis possibilibus Universitas laboraret ad rehabendum illum religiosum, sive scribendo reverendo in Christo patri archiepiscopo Biturisensi, in cujus dioceci est predictus religiosus, sive quocumque alio modo.

Et quantum ad nuncios conclusum fuit quod admodo non passarentur aliqui nuncii, nisi per ipsam Universitatem, et quod littere eorum sigilarentur sigillo Universitatis. Quantum ad reditus Lovanienses conclusum fuit, quod Universitas laboraret ad rehabendum illos redditus, et quod transmiteret unum generale procuratorium aliquibus magistris de ista Universitate, qui sunt Lovanie, qui haberent laborare pro Universitate in hoc facto [1].

Quantum ad articulum supplicationum supplicavit dominus rector, qui protunc erat, ut Universitas haberet ipsum gratum et avoatum in factis per eum tempore sue rectorie; cujus supplicatio fuit concessa in forma. Supplicavit etiam quidam venerabilis magister de nostra natione, magister Jacobus Vinthorst, pro litteris regraciatoriis aliquibus, qui favore Universitatis contulerunt sibi beneficium. Cujus supplicatio fuit concessa. Supplicavit etiam pro litteris treugarum et pacis inter aliquos dominos de partibus suis; cujus supplicatio remissa fuit ad deputatos. Supplicavit etiam dominus rector pro scriba, ut ipse haberet aliquam quotam pecunie; et conclusum fuit, quod ipse haberet decem scuta. Procurator etiam Almanie, qui protunc erat, supplicavit ex parte magistri Johannis Cameron pro litteris recomendatoriis dirigendis summo pontifici. Cujus supplicatio erat concessa, dummodo littere visitarentur in deputatis.

(*Fol. 126* [b]) Die nona mensis ejusdem facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum lecturam litterarum a summo pontifice transmissarum ipsi Universitati. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum Universitas cum omni reverentia et honore, secundum quod dicebat, recepit prefatas litteras, et audivit lecturam earundem. Et quia in eis summus pontifex persuadebat Universitatem ad bonum pacis et unionis sacrosancte universalis ecclesie, ideo conclusit Universitas, quod omnibus viribus laboraret ad unionem ecclesie, et regraciabatur ipsa Universitas summo pontifici de bono affectu, quem habet erga Universitatem et de communicatione suarum litterarum. Quantum ad articulum supplicationum nulli erant supplicantes. JOHANNES KANEDY.

Decima die mensis ejusdem facta fuit congregatio facultatis artium in Sancto Juliano super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; et secundus erat ad dispansendum de quodam statuto, quo cavetur, quod non possit fieri disputatio in vico Straminis, quando legitur festive. Tertius erat super supplicationibus et injuriis. Quoad primum articulum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris; et quoad hoc singule nationes dederunt suos intrantes. Et ipsis existentibus in conclave, via Spiritus Sancti eligerunt in rectorem alme Universitatis Parisiensis magistrum Johannes Luillier [2]. Quantum ad secundum articulum non placuit facultati protunc dispansare de illo statuto. Quantum ad articulum supplicationum supplicavit dominus rector [antiquus] similiter, sicut in die precedente supplicaverat in Universitate, ut haberetur gratus et avoatus in factis per ipsum tempore sue rectorie; cujus supplicatio tunc fuit concessa sicut in die precedenti ipsa facultas concedebat ipsam in congregatione matris Universitatis.

Vicesimo die mensis Octobris facta fuit congregatio Universitatis ad eundum processionaliter apud Nostram Dominam Parisiensem. JOHANNES KANEDY.

1447

(*Fol. 127*) Electio magistri Arnoldi Bernardi.

Vicesima prima die mensis Octobris anno XLVII facta fuit congregatio venerande nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad procedendum ad electionem novi procuratoris ejusdem nationis vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem dicte nationis magister Arnoldus Bernardi [3] diocesis Trajectensis a majori parte vocum venerabilium magistrorum nationis prefate. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus procurator antiquus, ut natio haberet ipsum ratum ac gratum in

1. *In margine :* Nota quod Universitas Lovaniensis debet redditus Universitati Parisiensi.

2. *Ms.* Lulier. *Sic etiam* BUL., V, 921. *De isto rectore jam supra.* « Opere et sermone potentem » *ipsum vocat* lib. proc. nat. Gallie.

3. *In* lib. receptoris *legitur fol.* 46 b : Item in electione mag. Arnoldi Bernardi *in tribus candelabris* XVIII sol. par.

actis per eum tempore sue procurationis. Que concessa ab omnibus magistris nemine reclamante.

A. Bernardi.

Vicesima quinta mensis Octobris anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum quasdam litteras mittendas ad dominum papam Nicholaum quintum. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Et quoad primum articulum placuit Universitati, ut minuta dictarum litterarum visitaretur in deputatis cum matura deliberatione, et mitterentur ad dominum nostrum summum pontificem quam citius commode posset. Que quidem littere in substantia commendationem suppositorum Universitatis ac monitionem caritativam pacis et unionis universalis ecclesie continebant. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector, ut Universitas vellet ei dare auxilium, consilium et favorem in suis agendis; que libere concessa est. Item supplicavit venerabilis magister ac dominus magister Nicolaus de Coquerel, prepositus majoris ecclesie civitatis Ambianensis, quatenus Universitas vellet ei dare adjunxionem super conservatione quorundam privilegiorum eidem magistro ratione sue dignitatis et aliorum quorundam ecclesiasticorum dicte civitatis pertinentium, et hoc super venditione vini dictorum privilegiatorum ac studentium in hac Universitate. Que supplicatio remissa est ad deputatos[1], ut viderent merita cause. Item supplicavit magister Dodo pro adjunxcione Universitatis in quadam causa transportus sibi facti; que similiter remissa est ad deputatos.

A. Bernardi.

(*Fol. 127*[b]) In festo apostolorum Simonis et Jude facta fuit congregatio venerande nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de redemptione redituum, videlicet XXXVI sol. parisiens., quos percipere consuevit honorabilis vir Nicolaus de Viletain scutifer, qui a paucis diebus diem clausit[2] extremum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum deputati fuerunt per nationem dominus procurator et receptor dicte nationis cum quibusdam magistris ad loquendum cum heredibus dicti Nicolai de Viletain. Et congregati sunt die sequenti prefati domini ac magistri in ecclesia majori Parisiensi, sed illo die nichil factum est, eo quod unus heredum a civitate Parisiensi absens erat. Ipso die nullus supplicavit.

A. Bernardi.

Duodecima die mensis Novembris congregata fuit natio veneranda Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum quasdam litteras missas a civitate Cameracensi per venerabilem ac circumspectum virum magistrum Nicolaum de Valkenisse[3] doctorem in medicinis, ecclesie Cameracensis canonicum. Secundus fuit communis super supplicationibus, etc. Quantum ad primum articulum regraciabatur nacio prefato magistro de communicatione suarum litterarum, que continebant in effectu, venerabilem ac discretum virum magistrum Joh. Dorloe[4] non natum fuisse in Zelandia. Sed idem venerandus Nico[laus] potuit forsan dixisse, ipsum magistrum Johannem Dorloe a Zelandia traxisse originem ac ipsum magistrum Nicolaum locum novisse ex audire dici, unde cognomen sumpserit; nec ipsum magistrum Johannem Dorloe Picardum in Universitate Parisiensi fore cencendum, sed Almanum, sicut quidam magistrorum dicte nationis estimabant. Super quibus deliberaverunt quidam magistrorum, quod pacifice remaneret in natione, donec constaret de contrario; deinde autem dixerunt, quod melius vellent super hiis informari. Eadem die conclusum fuit per venerabiles magistros prefate nationis Almanie, quod celebraretur festum Sancti Eadmundi, quod est festum Almanorum, in ecclesia et in prandio, sicut anno precedenti.

A. Bernardi.

(*Fol. 128*) Decimaquinta mensis Novembris anno quo supra facta fuit congregatio facultatis artium in Sancto Mathurino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendam et discutiendam quandam difficultatem ortam inter quosdam magistros dicte facultatis; que difficultas orta occasione presidendi in vico Straminis eodem die in disputationibus et responcionibus bachalariorum in artibus. Secundus articulus fuit communis.

Quantum ad primum articulum supplicavit venerabilis et discretus vir magister Nicolaus Repus[5] nacionis Picardie, commorans in venerabili collegio Sorbone, ut facultas eum permitteret disputare.

1. *Ms.* duputatos.

2. *Ms.* clausis.

3. Nicolaus Lamberti de Valkenisse *an.* 1429 *in Universitate* Lovaniensi *admissus est ad regentiam in artibus et in iisdem ibid. postea rexit* (*vid.* Reusens, Promotions de la faculté des arts de l'Université de Louvain, p. 18 *sqq.*); *med. doctor ibid. an.* 1439 (Fasti academici stud. Lovaniens., 1650, p. 226), *et rector Universitatis an.* 1435, 1440 (*ibid.*, p. 36). *Adhuc an.* 1448 *et* 1452 *ut canon. Cameracens.*, *et an.* 1448 *ducis Burgundiae ambassiator ad papam affertur* (Suppl. Nicol. V, n° 418, *fol.* 223[b], n° 450, *fol.* 96).

4. *De hoc vid. supra ad Mart.* 13, p. 683, 4.

5. *Vid.* Franklin, La Sorbonne, p. 229; Delisle, Cab. des mss., II, 164.

Eodem die quidam venerabiles magistri de prefata nacione Picardie ad hoc se opposuerunt dicentes, quod dictus magister Nicolaus non erat regens in dicta facultate, quia non supplicaverat pro regencia tempore et loco debitis et consuetis in nacione Picardie, prout hactenus consuetum est. Ad quod respondit prefatus magister Nicolaus ac quidam alii magistri de collegio Sorbone, quod privilegiati erant in hoc, videlicet quod non tenebantur supplicare pro regencia sicut ceteri magistri, sed totiens quotiens volebant de mane suas lectiones resumere in vico Straminis, quod illo die poterant disputare ceterosque actus scolasticos excercere in dicta facultate et pro regentibus tunc reputantur. Super quo deliberavit veneranda nacio Almanie cum ceteris nacionibus, quod mitterentur deputati in collegio Sorbone ad videndum dictum privilegium. Et immediate post congregacionem perrexerunt quatuor procuratores quatuor nacionum cum quibusdam deputatis [1], quibus per priorem et bursarios dicti collegii de Sorbona ostensum est quod[d]am instrumentum publicum, signo duorum notariorum publicorum munitum, in quo continebatur quedam conclusio Universitatis Parisiensis cum nominibus decanorum singularum facultatum cum testibus sufficientibus, in fine quod [2] *magistri in collegio venerabili Sorbone commorantes, dum et quando suas lectiones resumunt* [3] *in vico Straminis, illo die pro regentibus reputantur*, et possunt omnes actus legitimos illo die facere, que faciunt ceteri magistri continue regentes in veneranda facultate arcium [4]. Supplicavit etiam magister Bernardus de Miromonte [5], magister in artibus et bachalarius formatus in theologia, ut illa die posset disputare et presidere dominis baccalariis in scolis Francie, quamvis plures magistrorum dicte facultatis eum pro regente non tenebant. Super quo deliberavit veneranda nacio Almanie, quod, si bona fide promittere vellet, quod lectiones suas continuare vellet more ceterorum regentium in facultate artium, hoc pacto disputaret illo die. Eadem die supplicavit magister Gerardus Nepotis pro regencia, et concessa est ejus supplicacio. A. Bernardi.

1447

(*Fol. 128*[b]) Continuacio magistri Arnoldi Bernardi.

Decimaseptima die mensis Novembris anno 1447 facta fuit congregacio venerande nacionis Alemanie apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus articulus fuit super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui; secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit per magistros dicte nacionis magister Arnoldus Bernardi de Trajecto inferiori, et habuit ipsum nacio gratum in actis suis tempore prioris procuracionis. Item eodem die supplicavit magister Jacobus Wigghart pro regencia et scolis; cujus supplicacio concessa est. Eodem die supplicavit Boemondus antiquus bedellus nacionis Almanie, ut placeret nacioni facere honorem cuidam suo filiolo, qui die sequenti matrimonium Parisius contraxit. Super quo deliberavit, quod dominus procurator et receptor presentarent se sponso et sponse in actu nupciali [6] una cum duobus aut tribus magistris, et presentarent eis ex parte nacionis unum scutum auri. Et ita factum est sequenti die. A. Bernardi.

Septima die mensis Decembris anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de quodam advocato Universitatis in Castelleto Parisiensi per obitum venerabilis ac discreti viri magistri Jacobi Charmolue nuper defuncti. Secundus fuit communis super supplicationibus, etc. Et quoad primum articulum plures notabiles viri ac jurisperiti supplicaverunt in Universitate pro dicto officio, sed illa die nulla fuit inter quatuor facultates habita concordia. Quantum [7] ad secundum articulum supplicavit magister Robertus Chibolle [8] nomine ecclesie Parisiensis, ut Universitas vellet dare reverendis dominis ecclesie prefate litteras recommendatorias ad dominum nostrum summum pontificem pro confirmacione honorandi ac circonspecti viri magistri Guillermi Quadrugarii die precedenti, videlicet in festo sancti Nicolay in episcopum et pastorem ecclesie Parisiensis electi [9]. Item

1. *Inter quos* Joh. Beguini *et* Joh. Fornelli. *e* lib. proc. nat. Gallic.

2. *In margine legitur :* Nota quod magistri commorantes in Sorbona possunt facere actus in vico Straminis.

3. *I. e. quando legunt.*

4. Dum tamen significarent die precedenti suo procuratori, *addit* lib. proc. nat. Gallic.

5. *Lic. in theol. an.* 1449, *Decemb.* 15. *Fuit nat. Gallic.*

6. *Similis gratia bedello nuptias filiae celebranti jam facta erat. Vid.* Auctar. I, 581, 24.

7. *Ea quae sequuntur* Bul., V, 542 *sq., perperam ad an.* 1448, *Dec., refert.*

8. *I. e.* Ciboulle. *In* lib. proc. nat. Gallic. *hoc refertur ad Dec.* 12.

9. *E supra dictis et sequentibus, adhibitis* Reg. Vat., *factum quoddam explicatur, quod in* Gall. christ., VII, 149 *sq. non sol-*

supplicavit dictus magister Robertus pro eodem domino electo litteras recommendatorias ad dominum nostrum regem Francie et ejus confessorem[1], item ad reverendissimum in Christo patrem dominum archiepiscopum Senonensem[2], metropolitanum Parisiensis ecclesie. Que supplicaciones concesse fuerunt, dummodo minute viderentur in deputatis.

A. Bernardi.

(*Fol. 129*) Nona die mensis Decembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad providendum de advocato et conciliario in curia Castelleti Parisiensis ad deffencionem causarum Universitatis et singulorum suppositorum ejusdem, dum opus fuerit. Secundus articulus fuit communis [super] supplicacionibus et injuriis. Et quoad articulum primum plures viri notabiles in Castelleto practicantes pro dicto supplicaverunt officio. Tandem tres facultates, videlicet theologie, decretorum et medicine, condescenderunt in personam venerabilis ac discreti viri magistri Johannis Longuerobbe, in artibus magistri et in utroque jure licenciati. In facultate vero artium non fuit concordia. Quantum ad secundum articulum supplicavit quidam magister, quatinus Universitas ei vellet solvere de laboribus suis pro confectione quorumdam instrumentorum per ipsum factorum et conscriptorum. Cujus supplicacio remissa est ad deputatos.

A. Bernardi.

In[3] ista procuracione redempti fuerunt XXXVI solidi parisiens., quos debebat nacio Almanie singulis annis super scolas *septem artium* Parisius cuidam scutifero, cui nomen Nicolaus de Villetain, qui a tribus mensibus citra diem clausit extremum, pro qua redempcione comparuerunt ejus heredes, videlicet magister Guillermus Courtois, in legibus licentiatus, advocatus in curia parlamenti Parisius, et magister Vedastus, procurator in dicta curia, cum suis uxoribus, quarum causa se dicebant heredes dicti Nicolay de Villetain. Qui quidem magistri cum suis uxoribus renunciaverunt dictis redditibus coram duobus notariis de Castelleto anno Domini M° CCCC° XLVII° septima die mensis Decembris in ecclesia Sancti Mederici Parisius, presentibus ibidem venerabilibus ac discretis viris et magistris Arnoldo Bernardi, tunc procuratore, Lamberto Schont receptore nacionis Almanie, magistro Johanne de Dorloe, magistro Jacobo de Gouda[4], magistro Evrardo de Harlem, magistro Albertus (*sic*) Scriptoris, magistro Timanno de Gouda et magistro Jacobo Wigart, ad hoc per nacionem deputatis. Super quibus nacio litteras dictorum notariorum sigillo regis sufficienter munitas habet vel saltem habebit in proximo cum litteris originalibus dictorum redditunm.

A. Bernardi.

1447

(*Fol. 129 b*) Electio magistri Temanni de Gouda.

Anno Domini M° CCCC° XLVII°, decima sexta die Decembris, facta fuit congregatio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus erat communis. Quoad primum electus fuit concorditer nemine reclamante magister Temanus de Gouda in procuratorem dicte nacionis. Quoad secundum supplicavit antiquus, ut nacio haberet eum gratum et ratum; cujus supplicacio concessa erat.

Anno et die quibus supra facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus erat communis. Quantum ad primum intrantes 4^or nacionum elegerunt via Spiritus Sancti nemine reclamante virum ydoneum ac honestum magistrum Albertum Scriptoris[5] dicte nacionis suppositum, diocesis Trajectensis, in rectorem studii Parisiensis. Quoad secundum supplicavit antiquus rector, ut haberetur gratus et ratus et recommissus, cujus supplicacio concessa erat. Item

vitur. Dionysio de Molendino *episc. eod. anno, Septemb.* 15, *defuncto, Nicolaus V, sine capitulo Paris., Octob.* 27 Antonium Crepin (*i. e.* Crespin), *can. Paris., notar. apost., in episc. Paris. elegit* (Reg. Lat. *an.* 1, *lib.* 1. *fol.* 204 b; Vat. n° 385, *fol.* 179 b). *Capitulum Paris., ista electione pontificis neglecta, Dec.* 4 Guillelmum Quadrigarii (*sic etiam in* Reg. Vat. n° 409, *fol.* 150 b, 152) *seu* Chartier, *juris utriusque doct., archidiaconum de Gandavo in eccl. Tornac., in episc. elegit. Propterea* Robertus Ciboulle, *can. Paris., rogavit Universitatem, ut Guillelmum a capitulo electum, summo pontifici, regi ejusque confessori, et archiepiscopo Senonensi recommendaret, unde electio majorem vim reciperet. Nicolaus V jam ante Jun.* 13, *an.* 1448, *electionem hanc recognovit. ut e* Reg. Vat. n° 409, *l. c. concludimus, minime tamen formaliter Guillelmum promoverat, nam an.* 1449, *Aug.* 18, *summus pontifex eum absolvit et rehabilitat, quod ecclesiam Paris. ante promotionem administraverit* (Arch. Vat., Oblig. n° 72 fol. 37). *Papa Antonium Crespin eodem anno, Martii* 3, *ad eccl. Laudunens. transtulit, ipsum absolvendo a vinculo quo in eccl. Paris. tenebatur* (*ibid., fol.* 35 b).

1. *Semper adhuc* Gerardum Macheti, *episc. Castrens.*
2. Ludovicum de Meloduno.
3. *Hic in margine additur :* Nota qualiter XXXVI sol. par. quos debebat natio omni anno super scolas *septem artium* sunt redempti.
4. *Ms.* Gauda, *et postea.*
5. *Sic etiam* Bul., V, 921.

tunc dispensatum fuit, ut tempore inordinario determinaturi determinarent [1]. Item illo tunc nacio concorditer conclusit, quod receptor dicte nacionis daret curato ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani, scilicet magistro Gheerardo Ghee, unum scutum pro reformacione vitrine nostre, in qua sunt sancti, scilicet Eadmondus et Thomas de Kantillenborch [2].

TE^us DE GOUDA.

1448

(*Fol. 130*) Continuacio magistri Temanni de Gouda.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° XLVII more Gallicorum, die tredecima mensis Januarii super duobus articulis. Primus super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit concorditer procurator antiquus nemine reclamante. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus haberi gratus et avoatus et acta sua in precedenti procuratoria grata, rata et avoata; cujus supplicacio concessa erat.

Facta fuit congregacio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XVIII^a mensis Januarii super quatuor articulis. Primus erat ad audiendum lecturam quarundam litterarum transmissarum ex parte studii Andagawensis; secundus erat super provisione suppositorum in beneficiis ecclesiasticis; tercius erat super facto privilegiorum; quartus erat communis. Quoad primum punctum super facto litterarum, in quibus, ut alias scripsimus, ipsis habebatur ut ab opere sancto incepto, scilicet pro unione et pace procurandis in sancta Dei ecclesia, non desisteremus. Et quoad hoc deliberavit veneranda Universitas primo regraciando illis de illo venerabili studio; et voluit Universitas stare in prius conclusis, scilicet laborare apud summum pontificem et apud dominum nostrum regem pro pace habenda. Quoad secundum punctum, viso quod unio adhuc in ecclesia Dei non esset ad mittendum rotulum [3], nec essent adhuc alie provisiones, conclusit Universitas adhuc stare in *pracmatica sanctione*, *quamvis infructuosa sit et inutilis quoad multos*; et doctores et magistri qui vellent inrotulari venirent ad rectorem secundum modum consuetum. Quoad tercium conclusit Universitas, quod rector ageret secundum consilium deputatorum et consiliariorum nostrorum tam de curia parlamenti quam de curia Castelleti. Quantum ad quartum supplicaciones concesse erant.

TEMANUS DE GOUDA.

(*Fol. 130^b*) Anno Domini M° CCCC° XLVII°, xxvi die mensis Januarii facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad recipiendum baccalarios aliarum Universitatum et ad audiendum juramenta dominorum tentatorum, qui in vim statuti electi erant. Secundus erat ad disponendum de festo Purificationis nostre Domine. Tercius erat communis. Quoad primam partem primi articuli recepti sunt baccalarii aliarum Universitatum excepto uno, scilicet Johanne Florencii de Alcmaria [4], qui uni magistro nostre nacionis injuriatus est, ideo retardatus erat quousque predictus magister esset de ipso contentus. Et nomina aliorum hic sequuntur :

Conrardus Suterli de Pregancia [5], Constansiensis dyosesis; cujus bursa nichil et juravit paupertatem.

Johannes Villenmalier [6] de Constancia, dyosesis Constansiensis; cujus bursa octo sol.

Johannes Langh de Arusia [7], dyocesis [Arosiens.]; cujus bursa VI sol.

Gregorius Arnszdorf [8], Misnensis dyoc.; cujus bursa octo sol.

Johannes Petri [9], dyoc. Treverensis; cujus bursa octo sol.

Theodericus Martini [de Worden], dyoc. Trajectensis; cujus bursa sex sol.

Quoad secundam partem primi articuli aliqui magistri dixerunt, quod tentatores jurarent in manibus procuratoris, alii autem nichil dixerunt. Quoad secundum articulum placuit nacioni selebrare festum Purificacionis secundum modum consuetum, scilicet cum candelis cereis et distribucionibus. Quoad tercium nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio Universitatis die XXVII^a mensis Januarii anno quo supra super tribus articu-

1. *Post festum Nativitatis Domini, ut in* lib. proc. nat. Gallic. *scribitur*.
2. *I. e.* Thomae de Canterbury. *In Alemannia dicebatur quandoque* Kantelberg.
3. *I. e. Universitas tunc solum ad summum pontificem mittere intendebat, si in ecclesia unio foret; interim contentabatur provisionibus in* pragmatica sanctione *admissis*.
4. *An.* 1443 Coloniae *intitulato* (KEUSSEN, Matrikel, I, 350).
5. *I. e.* Bregenz. *An.* 1439 Heidelbergae *intitul.*, 1442 *baccal.* (TOEPKE, Matrikel, I, 224). *An.* 1456 *iterum Heidelbergae ut mag. invenitur* (II, 395).
6. *Infra* Wittenviler.
7. Westeras *in Suecia*.
8. *Baccal.* Lipsiens. *an.* 1442.
9. *An.* 1437 Heidelbergae, 1439 *ibid. bacc.* (TOEPKE, p. 218).

lis. Primus erat ad audiendum relacionem magistri nostri magistri Joh. de Oliva factam in presencia episcopi Remensis [1]. Secundus erat ad audiendum diligenciam factam per dominum rectorem et dominos deputatos in camera compotorum in qua etiam predictus magister noster fecerat proposicionem solemnem. Tercius erat communis. Quantum ad primum Universitas regraciata est episcopo Remensi de benigna suscepcione et audicione dominorum de Universitate, et de bono affectu quem habet erga Universitatem et suppositos ejusdem. Et etiam regraciabatur magistro nostro magistro Johanni de Oliva de eleganti proposicione facta in presencia episcopi et etiam dominorum de camera compotorum. Et, ut protulit idem[2] magister in Universitate quod expediens visum erat per episcopum prenominatum, ut fierent processiones Universitatis pro pace et unione ecclesie; et concluse erant. Quoad secundum Universitas regraciata est domino rectori de diligencia et laboribus suis eundo ad dominos de camera compotorum, et etiam aliis deputatis et magistro nostro de solemni proposicione sua. Quoad tercium supplicaciones concesse erant.

Temanus de Gouda.

(*Fol. 131*) Die XXVIII mensis Januarii facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eundum proces[s]ionaliter et devote apud Nostram Dominam Parisiensem. Secundus erat communis. Quoad primum placuit Universitati ire devote et proces[s]ionaliter ad Nostram Dominam Parisiensem ad exorandum Altissimum pro pace et unione ecclesie. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum die XXX[a] mensis Januarii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum unum baccalarium Coloniensem, cujus nomen est Theodericus Graft[3], et ad audiendum juramenta aliquorum, qui voluerunt jurare paupertatem. Secundus erat communis. Quantum ad primum nacio admisit eum tali condicione, ut in proxima congregacione nacionis adduceret sufficiens testimonium, quia tantum unum testem adduxerat[4]. Item illo tunc admissus est baccalarius de quo superius mencio facta est, scilicet Johannes Florencii. Item isti tunc juraverunt paupertatem :

Fredericus Scellinc, Trajectensis dyocesis;
Teobaldus Johannis de Leidis, dyoc. Trajectensis;
Laurencius Nicolay, diocesis Trajectensis;
Cristancius de Fonte Salutis.

Quoad secundum supplicavit unus ut admitteretur ad tentamen baccalariorum, qui, ut dicebat, habebat tempus suum alibi et etiam formalia. Sed quia de isto testimonium non potuit adducere, ideo nacio non concessit supplicacionem suam.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani prima die mensis Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad audiendum testes baccalarii prefati, scilicet Theoderici Graft, et ad audiendum juramenta aliquorum, qui voluerunt jurare paupertatem. Secundus communis. Quantum ad primum auditi sunt testes predicti baccalarii, qui per juramenta ipsorum deposuerunt quod predictus esset baccalarius Coloniensis, et tunc admissus est. Secundo juraverunt aliqui paupertatem, quorum nomina sequuntur :

Theodericus Graft; Joh. Jacobi; Adrianus Scriptoris, Trajectensis dyocesis.

Quantum ad secundum supplicaverunt aliqui, ut nacio dispensaret, ut presenti quadragesima non disputarent, sed alia, propter causas; sed nacio non concessit supplicacionem illorum.

1448

(*Fol. 131[b]*) Electio magistri Walteri de Wernia [nati de Riiswiick] in procuratorem nacionis Almanie.

Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie anno Domini 1447, 10[mo] die mensis Februarii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus fuit super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui; secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer nemine reclamante magister Walterus de Wernia in procuratorem prefate nacionis. Quantum ad secundum supplicavit dominus antiquus, ut in actis per eum tempore sue procuracionis haberetur gratus, avoatus et recommissus; cujus supplicacio fuit concessa. Eadem eciam congregacione placuit nacioni, ut sigillum receptoris innovaretur; quod similiter fuit conclusum. Retulit etiam [in] eadem congregacione receptor predicte

1. Jacobi Juvenalis des Ursins.
2. *Ms.* eidem.
3. *Quem frustra tamen quaesieris in Matricula Univers. Coloniens.*
4. *Ms. potius* addixerat.

nacionis nacioni ibi congregate, quod nundum bacularii aliarum Universitatum recepti sibi solvissent; de bursis etiam dictum erat, quod aliqui jam habito sigillo nacionis super eorum receptione essent intencionis recedendi. Quare ordinavit nacio, quod, nisi solverent ante diem jovis de proximo venturum, essent retardandi per annum a gradu. Supplicavit eciam magister Jacobus de Gouda, ut nacioni placeret ei accommodare epitogium nacionis ad usum ejus pro isto anno, sicut jam usus fuerat precedente anno, sub tali condicione, ut in estate proxime ventura caperet foderaturam illam antiquam, et poneret sub eo bonam, pulchram, novam et honestam foderaturam, et illo modo nacio annuit sue suplicacioni. Verum est tamen quod quidam magister ejusdem nacionis se huic conclusioni opposuit. DE WERNIA.

Duodecima die mensis Februarii celebrata est congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad avisandum de modo bono et oportuno super rotulo nacionis mittendo summo nostro domino pontifici pro provisione in graciis exspectativis ejusdem nacionis magistris per summum dominum nostrum pontificem fienda, viso et considerato quod *sanxio pragmatica* penitus erat eis inutilis, cum alienigene et de hoc de regno non essent, et sic per illum modum nulla eis fieret provisio [1]. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni summe quod rotulus iste conficeretur mittereturque summo nostro pape, casu quo super hoc possit licentiam Universitatis et eciam litteras recommendatorias et ad dominum illustrissimum regem Francie et eciam ad dominum appostolicum obtinere; et quantum ad hoc magister Albertus Scriptoris, vir magnarum scienciarum et probitatis, pro tunc alme Universitatis rector, offerebat se nacioni fideliter in hac re laboraturum per amicos suos apud supremum regem nostrum et eciam in Universitate Parisiensi, condicione tamen interjecta quod data istius rotuli fieret durante sua rectoria, videlicet per 4^{or} dies ad minus ante deposicionem ejus, quod [ipse Albertus] eciam in dicto rotulo poneretur nomine rectoris [2] Universitatis Parisiensis. Et quoad hoc placuit nacioni quod data istius rotule [3] fieret per 4^{or} dies ante deposicionem ejus, et quod inrotularetur ut regens et ut rector Universitatis. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

J. DE WERNIA.

(*Fol. 132*) Celebrata fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud S. Maturinum 16ta die mensis Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum unum magistrum prefate nacionis in ambaciatorem, qui haberet deferre rotulum nacionis supremo domino nostro pontifici, sicut in congregacione precedente conclusum exstiterat. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nichil fuit conclusum, quia dicebant plures magistri, quod congregacio per negligenciam bedelli non erat eis intimata. Quantum ad secundum supplicavit magister Joh. de Dorlo, ut nacio vellet cuidam baculariorum dare dilacionem quantum ad solucionem bursarum suarum, et protunc nichil erat conclusum.

Decima septima die mensis Februarii facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super 2^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum unum magistrum de predicta nacione in ambaciatorem, qui deportaret rotulum alias conclusum domino pape pro graciis expectativis optinendis, casu quo prememorata nacio habere possit favorem et licenciam supremi domini nostri regis et alme matris Universitatis Parisiensis ac litteras recommendatorias ejusdem Universitatis et ad dominum papam et ad regem. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum [4] ad primum articulum placuit nacioni tunc procedere ad electionem hujusmodi ambaciatoris, supposita condicione superius expressa. Et quoad hoc concorditer eligerunt virum probum, facundum et bonorum morum et scienciarum magistrum Albertum Scriptoris, in theologia bacularium, protunc alme Universitatis Parisiensis rectorem, in ambaciatorem, qui haberet honeste exspensis nacionis deferre hujusmodi rotulum, qui propter utilitatem magistrorum et multorum suplicacionem onus acceptavit. Voluitque nacio, quod cicius quo commode fieri potuerit procurator nacionis protunc supplicaret in Universitate nomine nacionis pro licencia obtinenda in re predicta. Eadem eciam congregacione supplicavit quidam bachellarius jam receptus a nacione, ut nacio vellet sibi dare terminum dilacionis de solucione bursarum suarum cum ei, ut asseruit, protunc facultas solvendi non adesset. Et quoad hoc placuit nacioni sibi dare terminum, dummodo tamen poneret vadium sexquialterum aut fidejussorem.

Decima nona die mensis Februarii congregata fuit

1. *Vid. supra an.* 1446, *Febr.* 12, p. 639, 14 *sqq.*
2. *I. e.* ut rector.
3. *Vox* rotula *tanquam* rotulus *usurpatur. Cf.* 715, 2.
4. *In margine adnotatur :* Nota qualiter pragmatica sanxio non prodest Almanis, sed magis nocet. Vide etiam sequentes conclusiones.

Universitas apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus articulus erat bipartitus. Erat enim prima pars illius articuli super appellacionibus quibusdam relevandis in curia parlementi et Chasteleti et super quodam casu novitatis accepto inter Universitatem Aurialenensem et Universitatem Parisiensem, quia illi de illa Universitate asserunt se habere sicut alma Universitas Parisiensis privilegium, quod nullus scolaris possit trahi extra muros eorum, sicut privilegiata est Universitas Parisiensis. Secunda articuli pars fuit de gravaminibus illatis per dominos electos quibusdam scolaribus et officiariis Universitatis, qui erant impositi ad taleas, qui tunc presentaverunt se conspectui Universitatis. Secundus erat super nominacionibus et inrotulacionibus magistrorum, nominaciones virtute *pragmatice sanctionis* habere volencium, et ut nominarentur magistri inrotulati vocaliter secundum consuetudinem; et eciam utrum littere aliquorum poterant aut debebant expediri, nondum actuali lectione in Universitate facta. 3us erat communis super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad 2am partem[1] primi articuli, voluit Universitas omnes veros scolares et officiarios Universitatis exemptos esse et gaudere privilegiis secundum tenorem privilegiorum. Voluit ulterius quod rector pro tempore nulli traderet sigillum de scolaritate, nisi prehabita diligenti informacione per litteras suorum doctorum aut magistrorum, quorum scolares se asserunt. (*Fol. 132*b) Quantum ad primam partem, videlicet quantum ad materiam hujusmodi appellacionis, voluit Universitas stare consilio suorum consiliariorum de curia parlamenti et Chastelleti et deputatorum. Quantum ad 2m voluit Universitas, ut nominacio inrotulatorum fieret vocaliter congregacione proxime fienda in conspectu Universitatis, et si qui nondum inrotulati cupientes inscribi, poterant inscribi usque ad tempus quo fierent vocaliter nominaciones iste in Universitate; non voluit tamen quod littere cujuscumque expedirentur, nisi prius facta vocali nominacione in presencia Universitatis. Quantum ad tercium articulum supplicavit procurator venerande nacionis Almanie nomine nacionis, quatinus Universitas vellet eidem nacioni dare litteras recommendatorias ad summum nostrum dominum pontificem pro graciis exspectativis optinendis, ut sic aliqua magistris poterit esse provisio, attento et considerato quod nulla penitus eis possit esse provisio per *pragmaticam sanxionem*[2] in hoc regno aliquot annis practicatam, cum hujusmodi magistri alienigene et remoti sunt ab hoc regno. Et eciam supplicavit, ut vellet scribere pro dicta nacione ad supremum dominum nostrum regem, ut ipse eidem dignaretur dare favorem, licenciam ac litteras recommendatorias in hac re, quia casu quo poterit ista obtinere, esset mentis mittere unum magistrum nacionis, qui haberet deferre rotulum nacionis domino pape. Et quoad hoc voluit Universitas scribere libenter pro dicta nacione ad summum dominum pontificem et regem, sed non solum pro magistris illius prememorate nacionis, *ymmo pro magistris omnium nacionum et facultatum*, et ut illi cum illis inrotularentur, quia visum fuit Universitati, quod ista *pragmatica sanxio non erat multum proficua magistris*, etc. *cujuscunque nacionis aut facultatis existerent*. Eadem congregacione supplicavit magister Petrus de Breyna[3] cujus supplicacio fuit remissa ad deputatos. Supplicavit etenim quidam magister pro litteris recommendatoriis ad illustrem ducem Burgundie et eciam pro adjunxione Universitatis in quadam causa alia; cujus supplicacio fuit concessa, dummodo tamen hujusmodi littere legerentur in deputatis et fierent in forma communi. Supplicavit eciam magister Jacobus de Gouda, ut quedam littere de domo Dei sigillarentur; cujus supplicacio non fuit concessa[4].

[Sequuntur nomina baccalariorum istius anni.

Primo a domino Nicholao Reneri de Leides, cujus bursa V sol.[5].

Item a dom. Theobaldo Johannis de Leides[6], cujus bursa nichil.

Item a dom. Nicholao Theodorici de Harlem, Tracjatens.[7] dyoc., c. b. IIII sol.

Item a dom. Guillermo de Hagis, Tracjatens. dyoc., c. b. IIII s.

Item a dom. Volpardo de Amaroghoen, c. b. VIII s.

1. *Ordinem inversum litterae* b *et* a *notant.*

2. *Hic in margine legitur :* Nota hic iterum de sterilitate pragmatice sanxionis.

3. *l. c.* Brenna.

4. *Deinde sequitur rubrica :* Sequuntur nomina aliquorum determinantium hujus anni, qui admissi sunt ad gradum bachelariatus in artibus. *Postea sequuntur nomina quinque determinantium. Supra omnes determinantes supplevimus e* lib. receptoris *in* Arch. nat. Paris., H 2587, *fol.* 47b.

5. *Sequitur post quemcumque baccalariorum quam summam pro scolis solverit.*

6. Theobaldus Johannis de Leydis *etiam* Coloniae, *sed an.* 1450 (Keussen, Matrikel, I, 401).

7. *l. c.* Trajectens., *et sic postea.*

Item a dom. Simone Horth, Tracjat. dioc., c. b. V s.

Item a dom. Cornelio Guilermi, Trajat. dyoc., c. b. V s.

Item a dom. Florentio de Dam, Tracjactens. dyoc., c. b. VI s.

Item a dom. Arnoldo Fuquini, Tracjectens. dyoc., c. b. V s.

Item a dom. Thoma de Driel, Coloniens. dyoc., c. b. IIII s.

Item a dom. Theodorico Arnoldi, Tracjatens. dyoc., c. b. IIII s.

Item a dom. Wessilo ten Kate de Amhoult [1], c. b. nichil.

Item a dom. Francone Pauli de Hagis, Tracjatens. dyoc., c. b. V s.

Item a dom. Henrico de Malduichc, Trajact. dyoc., c. b. VIII s.

Item a dom. Theodorico Johannis de Graft, c. b. nichil.

Item a dom. Radulpho Vriez, Trajactens. dyoc., c. b. IIII s.

Item a dom. Stephano Hugonis de Amstredamis, c. b. IIII s.

Item a dom. Johanne Johannis de Amstredamis, c. b. IIII s.

Item a dom. Petro Merci, Aboens. dioc. [c. b. VI s.].

Item a dom. Theodorico Wistick, Tracjatens. dioc. [c. b. VIII s.].

Item a dom. Johanne Noe[l] [2], c. b. 4 sol.

Item a dom. Nicholao Juvenis [c. b. VIII sol.].

Nomina aliquorum baccalariorum istius anni [3].

Item a domino Guillermo de Crennoch antiquiore pro bursis XXX sol.

Franco de Kel pro bursis et scolis solvit IIII lib. X sol.

Item a domino Johanne de Mosa, cujus bursa IIII sol.

Item a domino Adriano Scriptoris, cujus bursa nichil.

Item a domino Laurentio Nicholay de Leydis, cujus bursa nichil.

Item a domino Guillermo de Crennoch, cujus bursa VI sol.]

Item [4] a Johanne Wittenwiler, Constanciensis dioc., cujus bursa VIII sol.

Item a Johanne Jacobi de Montfordia, cujus bursa nichil.

(*Fol. 133*) Celebrata fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum 24ª die mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad audiendum vocalem nominacionem, ut moris est, inrotulatorum pro illo anno. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati lectura rotuli et nominacionum, voluitque quod illo die clauderetur rotulus, et quod littere magistrorum expedirentur cicius quo expediri possint, et quod quelibet facultas ac eciam nacio possit habere duplum de nominacionibus suorum suppositorum, si volet. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator nacionis Almanie, ut Universitas vellet concedere predicte nacioni litteras prius in precedente congregacione lectas et dare nobis litteras ad supremum nostrum dominum regem, ut nobis licenciam et favorem verum eciam litteras recommendatorias ad dominum apostolicum dare ac mittere dignaretur, similiter et Universitas. Quantum ad hoc concessa fuit supplicacio predicta tali condicione adjecta, ut eciam cum magistris nacionis Almanie alii aliarum nacionum, qui non essent sub jurisdictione hujus regni magistri, etc. inrotularentur, suis tamen exspensis, sicut sunt Brabantigienses, Zelandrini, Hannonienses [5], Arrogonenses [6], etc. Item eciam supplicavit magister noster mag. Joh. Peynechier [7] pro nominacione ad unum beneficium in grave prejudicium nacionis Almanie; et suplicacio ejus non erat concessa, cum satis exstiterat iniqua. Supplicavit eciam decanus facultatis theologie pro nominacione ad collacionem summi pontificis; cujus supplicacio similiter non fuit concessa. Item supplicavit quidam doctor in medici[ni]s, ut nominaretur ad collacionem aliquorum dominorum; cujus supplicacio fuit concessa. Eadem eciam congregacione supplicavit quidam magister pro expedicione litterarum suarum super nominacione anno quadragesimo quinto; cujus supplicacio fuit concessa tali condicione, quod si docere posset testibus fide dignis

1. *In* lib. proc. « Wesselus Anholt, al. ten Kate, Monasteriens. dyoc. »
2. Noel *in* lib. procur. *et etiam infra.*
3. *Hi baccalarei sunt post* 29 *Aprilis, sub procuratore* Posthouwer, *ut in* lib. receptoris *fol.* 48 b *scribitur.*
4. *Duo nomina quae sequuntur addidimus e libro receptoris* (fol. 53 b) *anni* 1449, *ubi cum rubrica :* Nomina baccalariorum istius Universitatis de preterito anno.
5. *Qui omnes ad Picardos pertinebant.*
6. *Qui nat. Gall. prov. Bituricens. fuerunt.*
7. *I. e.* Pain-et-Chair.

et medio juramenti, quod illo anno fuerat nominatus, verum eciam graduatus ante lectionem rotule in Universitate protunc, quod ei expedirentur littere sue, alias non. Supplicavit eciam magister Johannes Ballye, cujus supplicacio fuit concessa casu quo legittime doceret se illo anno nominatum fuisse.

DE WERNIA.

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra, 27ma die mensis Februarii, apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eundum processionaliter ad Sanctum Maglorium ad exorandum Altissimum pro concordia et unione ecclesie et pro transquillitate et pace hujus regni. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit Universitati ire ad locum predictum; et ita factum fuit. Supplicaciones protunc fuerunt remisse ad sequentem congregacionem.

Indicta fuit congregacio nacionis Almanie 28va die mensis Februarii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum quendam virum probum in nuncium nacionis predicte; et quoad illum articulum supplicavit pro illo viro magister Johannes Wits, in medici[ni]s magister, et receptus fuit Johannes.... [1] in nuncium pro dyocesi Maguntinensi. Quantum ad 2m nullus supplicavit.

DE WERNIA.

(*Fol. 133b*) Quinta die mensis Marcii celebrata fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus articulus tres habebat partes. Prima pars erat super conservacione curie conservacionis, quia scriba nundum juravit juramenta ad ipsum requisita; secunda [2] erat super quadam littera accepta in relevacionem cujusdam materie appellacionis in parlamento; tercia pars erat super significatione conclusionis Universitatis capte super gravamine scolarium dominis de camera compotorum. 2us [3] erat ad audiendum quandam litteram Universitati transmissam a fratre Reginaldo Velhaudi Ordinis fratrum Minorum de observancia [4]; et quoad illum eciam magister noster magister Joh. de Oliva presentavit domino rectori litteras a regia majestate transmissas, que eciam tunc ibi fuerunt lecte sicut alie. Et tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit, quod scriba cogeretur per juramentum vel quovis alio modo ad jurandum juramenta avizata per Universitatem, et quod dominus rector prosequeretur materiam illam cum consiliariis de parlamento et eciam Chastelleto. Quantum ad secundam partem ejusdem articuli voluit Universitas, quod, si hujusmodi renovacio appellacionis tangeret privilegia Universitatis, quod littera dimitteretur et non fieret processus in parlamento, sed magis fieret relevacio in presencia regis. Quantum ad terciam partem regraciata est Universitas domino rectori et aliis, qui eum associaverunt in transitu ad dominos de camera compotorum pro laboribus ejus, et eciam regraciata est dominis illis de gratuita responsione illorum dominorum. Quantum ad 2m articulum regraciabatur Universitas supremo domino nostro regi de gratuita communicacione suarum litterarum, que cavebant *de reformacione Universitatis* [5], et voluit Universitas plenarie obedire regi in hac materia, voluitque [ut] proxima congregacione fienda quelibet nacio et facultas dare[t] aliquos certos magistros, qui hanc rem prosequi deberent. Quantum ad supplicacionem illius fratris, qui supplicavit, ut Universitas misericorditer secum ageret, placuit Universitati [6] ut faceret secundum seriem litterarum suarum ultimo missarum, quia voluit misericorditer secum agere. Quantum ad secundum supplicavit quidam pro littera gradus; cujus supplicacio fuit concessa probatis probandis. Alie supplicaciones fuerunt remisse ad deputatos.

GA. DE WERNIA, Ghelrensis,
natus de Ryswiick, Trajectensis dyocesis

1448

(*Fol. 134*) Continuacio magistri Walteri de Wernia.

Nona die mensis Marcii facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit concorditer antiquus procurator, videlicet magister Walterus de Wernia nemine reclamante.

1. *Postea spatium.*
2. *Ms.* secundus.
3. *Ms.* 3us.
4. *Qui Bituris praedicavit. Vid. ad an.* 1446, p. 665, 13 *sqq.*
5. *Universitatem schismata ecclesiae cum eorum consequentiis et bellorum tumultus plurimum deformaverant. Jam an.* 1433 *de reformatione Universitatis agebatur. Nunquam antea regia potestas in reformatione Universitatis versabatur. Ex supradictis liquet, regem non an.* 1452 *primum in reformatione laboravisse, ut* CREVIER, Hist. de l'Université de Paris, IV, p. 171, *praetendit, sed jam an.* 1448.
6. *Ms.* universitas.

Quantum ad secundum supplicavit idem procurator protunc continuatus, ut nacio vellet eum habere in actis per eum durante sua procuracione gratum, avoatum et recommendatum; cujus supplicacio simpliciter fuit concessa. Supplicavit eciam discretus vir magister Arnoldus Bernardi, ut nacio vellet ei dare aliquod stipendium pro laboribus suis, quos olim habuit pro nacione, servando honorem ejus, cum non essent scolares unde habuisset aliquod lucrum, viso et attento quod quidam alii jam receperunt pro suis laboribus. Supplicavit eciam ut nacio mutuaret sibi aliquam summam pecunie, cum jam esset licenciandus in facultate decretorum; quare pluribus indigeret. Quantum ad hoc placuit nacioni sibi mutuare summam sex conronarum ad annum, dummodo se obligaret nacioni predicto termino revoluto satisfacere sub penis, nisi, etc. Videbatur eciam nacioni, quod ipse tempore transacto pro laboribus suis receperat unum regale quitando, et protunc nichil pro illo sibi nacio deputavit.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super 3 articulis. Primus articulus habebat duas partes. Prima pars erat super conservacione curie conservatoris, quia scriba juramenta avizata per matrem Universitatem jurare noluit; secunda pars concernebat illos de camera compotorum, quia illi restitui fecerunt invadiatis vadia et stare voluerunt conclusione Universitatis prius capta. Secundus articulus erat *super reformacione Universitatis secundum tenorem litterarum regiarum Universitati missarum, et quelibet facultas et nacio daret ad hoc deputatos*[1], qui hujusmodi reformacioni intenderent. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit, quod scriba viribus et viis possibilibus cogeretur ad jurandum juramenta avizata per Universitatem, et quod rector haberet prosequi reformacionem ejus curie. Quantum ad secundam partem illius regraciata est Universitas domino rectori de laboribus et diligencia factis per eum in illa curia; regraciabatur etenim dominis de camera compotorum et precipue domino thezaurario et domino receptori, quia voluerunt credere sigillo rectoris de scolaribus aut officiariis; placuit eciam, ut dominus rector et aliqui alii regraciarentur ipsis de bono affectu et effectu eorum in re illa. Voluit eciam, quod rector pro tempore nulli expediret sigillum, asserendo eos veros scolares aut officiarios, nisi prehabita diligenti informacione de scolaritate aut officiatu eorum, et si non esset juramentum, quod rector novus hoc cum aliis juramentis juraret.

Quantum ad secundum placuit Universitati dare deputatos in singulis facultatibus et nacionibus, qui huic reformacioni intenderent et procederent[2]. Facultas arcium nominavit suos, alie facultates vocalem nominacionem tunc facere noluerunt.

Quantum ad 3^m supplicavit dominus rector nomine cujusdam venerabilis (*Fol. 134*^b) domini de parlamento, curati de Sancto Andrea, ut habere poterit nominaciones in Universitate ad 2 collaciones, in quarum una nullus nominatus erat, in secunda quidem aliqui nominati fuerunt; supplicacionem illius Universitas concessit. Supplicavit insuper dominus rector, ut Universitas in actis in sua rectoria vellet eum habere gratum, avoatum et recommendatum; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam rector Universitatis pro littera recommendatoria ad sanctissimum dominum nostrum summum pontificem; que similiter concessa erat. Supplicavit quidam magister pro littera gradus; cujus supplicacio fuit admissa. Supplicavit quidam pro reverendo in Christo patre abbate Sancti Germani de Campis[3] pro adjunxione Universitatis in quadam causa; que supplicacio fuit remissa ad deputatos.

Celebrata fuit[4] congregacio facultatis arcium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem Universitatis secundum modum consuetum; secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum accidit quedam discordia in nacione Picardie ex una parte, quod duo erant litigantes pro intrancia, scilicet magister Joh. Godart et magister Joh. Bolangarii, quilibet enim illorum dicebat se habere jus in illa intrancia. Audite fuerunt ibi ambe partes, et positum erat in diliberacione facultatis arcium. Similiter exorta fuit discordia in nacione Normanie. Quantum ad primum placuit facultati pro-

1. *Ut e* lib. proc. nat. Gallic. *liquet* (*ad Mart.* 4), *primo in curia Parlamenti reformatio, saltem nationis Gallic., insequenda erat, de qua reformatione ibid. ad an.* 1447, *Maii et Jun. Rex tamen an.* 1448 *ad mag. theol.* Johannem de Oliva *litteras direxit, quibus ad Universitatem ipsam remittebat reformationem, et nominatio reformatorum a praedicto J. de Oliva erat facienda. Hoc tamen Universitati minime placuit, sed quaelibet natio et facultas* « unum aut plures nominaret reformatores », *et nat. Gallic.* « nominavit honorabilem et discretum virum mag. Joh. Luillier, baccal. in theol., actu legentem Sententias Parisius in venerabili collegio Sorbone ».

2. *Ms.* prodederunt.

3. S. Germani de Pratis. *Semper adhuc* Herveus Morillon *ibi abbas fuit. Universitas se adjunxit, ut apparet e litteris abbatis April.* 8 *ap.* Bul., Mém. hist. sur la propriété et seigneurie du Pré-aux-Clercs, p. 139.

4. *Mart.* 15, *e* lib. procur. nat. Gallic.

cedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc dederunt intrantes viros notabiles, et similiter in *nacione Anglicana*[1] fuit electus magister Everardus Custodis de Harlem, qui cum aliis tribus aliarum nacionum elegerunt via Spiritus Sancti probum et honestum virum magistrum Johannem Pluette[2] nacionis Francie. Et quantum ad materiam discordiarum quantum ad primam partem non fuit concordia; tamen magister Johannes propter preces aliquorum permisit intrare magistrum Johannem Goddart. Quantum ad secundum articulum supplicavit rector antiquus haberi gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa.

Item eadem congregacione supplicavit rector novus de novo electus, ut facultas vellet ei dare auxilium, concilium et favorem in agendis per eum tempore sue rectorie. Supplicavit eciam, ut magistri dignarentur associare eum usque ad collegium Navarre; et ambe supplicaciones fuerunt concesse.

DE WERNIA.

(*Fol. 135*) Decima 8va die mensis Marcii congregata fuit nacio Almanorum mater mea apud Sanctum Maturinum super 3 articulis. Primus erat ad audiendum diligenciam factam in curia regis super licencia habenda pro eadem nacione, ut posset mittere rotulum domino pape et super summa taxanda que assignanda esset illi qui ire deberet ad curiam Romanam. Secundus erat ad recipiendum quendam virum in nuncium nacionis Almanie. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum expressa erat ibi diligencia facta in re illa, ita quod protunc nuncius ille pro nacione litteras tales inpetrare non potuit. Quantum ad secundam partem placuit nacioni dare duos, qui haberent interesse huic taxacioni et deliberare quid expediret. Et quoad hoc electi fuerunt viri discreti magister Joh. de Dorlo et magister Jacobus de Gouda, et similiter magister Albertus Scriptoris, qui erat condicionaliter electus, accepit duos pro ipso, videlicet magistrum Arnoldum Bernardi et magistrum Johannem Kanedi. Quantum ad secundum supplicavit vir probus Gherardus[...][3] natus de Leidis, ut nacio dignaretur eum assumere in nuncium ad serviendum fideliter magistris et scolaribus nacionis Almanie; et quoad hoc receptus fuit concorditer et deputatus pro dyocesi Padeburnensi. Quantum ad tercium supplicavit magister Andreas de Steenre noviter veniens de partibus, ut inrotularetur cum aliis. Ad idem supplicavit magister Jacobus de Gouda[4] pro magistro Dodone, et magister Everardus pro magistro Johanne de Huesden; et supplicacio magistri Andree fuit concessa hoc modo, ut inrotularetur ut absens; sed quia illi alii duo fuerunt Parisius per majorem partem ordinarii, admisit nacio simpliciter supplicaciones illorum, ut inrotularentur sicut alii presentes. DE WERNIA.

Congregata fuit Universitas Parisiensis quinto die mensis Aprilis apud Sanctum Maturinum super 3 articulis. Primus erat concernens privilegia Universitatis, quia domini de sacra capella palacii dicebant, se habere privilegium, contra quod non possent excommunicari, interdici aut suspendi in curia conservatoris. Secundus erat de resignacione et permutacione officii librariatus, cum esset quidam vir librarius cupiens alteri resignare, et alter supplicavit, ut Universitas dignaretur ei largiri et assignare hoc officium. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit dominus rector magister Johannes Pluyette[5], ut Universitas vellet ei dare assistenciam, concilium et favorem in agendis per eum sua durante rectoria. Quantum ad primum articulum regraciata est Universitas domino rectori et dominis deputatis de laboribus assumptis pro observacione privilegiorum; et quantum ad factum illius articuli voluit Universitas, quod domini illi de capella palacii citarentur ad primam congregacionem Universitatis, responsuri super quibusdam proponendis per dominum promotorem aut alium; si tamen in tempore intermedio possit haberi bona concordia in presentibus deputatis, quod ibi audirentur et postea denunciaretur Universitati. Quantum ad 2^{m} articulum, (*Fol. 135^{b}*) placuit Universitati illa resignacio, dummodo ille alius esset, non esset tabernarius, sed abilis ad tale officium. Quantum ad tercium, admissa fuit supplicacio domini rectoris; voluit autem Universitas sibi ipsi dare assistenciam, auxilium et favorem, prout consuevit aliis dare rectoribus. Supplicavit magister Joh. de Oliva, ut Universitas vellet acceptare et approbare reformacionem in quibusdam articulis factam per regem et magnum concilium ejus, ut asserebat. Et quoad hoc Universitas voluit stare in conclusis alias, voluit enim quod ista reformacio fieret per ipsam Universitatem[6]; voluit eciam Universitas, quod magistro

1. *Vid. ad an.* 1442, p. 538, *not.* 7.
2. *Seu* Pluyette. *Sic etiam* BUL., V, 921.
3. *Sic in ms*to.
4. *Ms.* Gonda *sed alia manu add.*
5. *Ms.* Piette.
6. *In* lib. proc. nat. Gallic. *narratur,* quod articuli a rege Universitati transmissi ponerentur in manibus rectoris, quorum quidem articulorum copia debet distribui per singulas nationes necnon communicari dominis deputatis electis ad reformationem fiendam.

Johanni significaretur, et fieret exhortacio, quod memor esset sui juramenti, eo quod non debebat accusare aliquam personam aut revelare secreta Universitatis [1]. Supplicavit eciam magister Albertus Scriptoris, quatinus placeret Universitati ne trahc-retur ad aliam curiam extra Universitatem super facto locagii, cum de illo erat discordia inter ipsum et procuratorem et magistrum collegii Marchie, eo quod illi conquerebantur de mala solucione. Remisit Universitas supplicacionem illius ad deputatos. Supplicavit eciam quidam magister pro reverendo in Christo patre abbate Sancti Germani de Campis ut Universitas daret ei adjunxionem; cujus supplicacio fuit concessa. G. de Wernia [2].

1448

(*Fol. 136*) Electio magistri Alberti Posthouwer in procuratorem venerande nacionis Almanorum.

Sexta die mensis Aprilis anni Domini M CCCC^{mi} XLVIII^{mi} facta fuit congregacio nacionis Almanorum apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris; secundus super taxacione sallarii ambassiatoris mittendi ad summum pontificem; tercius erat communis super, etc. Quantum ad primum electus fuit concorditer magister Albertus Posthouwer de Boemell natus, sita in partibus Gelrie. Quantum ad secundum deliberavit nacio, quod deputati ad ordinacionem quantitatis premii domini ambassiatoris convenirent eodem die hora 3^{a} post prandium in Nostra Domina, et avisarent unum bonum modum, videlicet racionabilem quotam pro domino ambassiatore electo, et illa ordinacione pretii facta referrent nacioni; tunc nacio circa eam deliberaret vel augendo vel diminuendo vel quotam a deputatis ordinatam confirmando. Quantum ad tercium supplicavit procurator antiquus, ut in actis per eum gratus haberetur; cujus supplicacionem nacio concessit; habuit eum omnino gratum et acta per cum grata et rata. A. Posthouwer.

Septima die ejusdem mensis facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super 2^{bus} articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem deputatorum pro taxacione quantitatis sallarii ambassiatoris mittendi ad summum pontificem, ut die precedenti per nacionem extitit conclusum. Secundus communis, etc. Quantum ad primum retulit antiquior de deputatis, videlicet magister Joh. Dorloc, quod post magnum tractatum et deliberaciones multas convenerunt in unum modum sallarii dandi ambassiatori, in quem duo deputati, videlicet prefatus mag. Joh. Dorloe et mag. Jacobus de Gouda, consensum dederunt, et alii duo, videlicet mag. Arnoldus Bernardi et mag. Joh. Kennedy, condicionaliter, videlicet in casu quo magistro Alberto Scriptoris, qui electus fuit ambassiator, ille modus placeret. Et sic in nullum modum sallarii absolute ipsi quatuor convenerunt. Modus autem iste, in quem convenerunt, fuit, quod ante accessum suum ad curiam Romanam ambassiator electus haberet viginti scuta, et post reditum suum de curia Romana, in casu quo profecisset nacioni et bonam datam et provisionem apportavisset, nacio eum quadam summa, qua merito contentari deberet, pro laboribus suis et expensis remuneraret. Quem modum, cum magister Albertus Scriptoris non acceptaret, processum est per deliberaciones magistrorum ad taxacionem summe pecuniarum sibi pro laboribus suis et penis assignande, circa quam multi de senioribus deliberaverunt, quod assignabant ei precium secundum modum quem avisaverunt duo antiquiores deputati, videlicet quod ante recessum suum in promptu haberet viginti scuta, et post reditum suum, in (*Fol. 136^{b}*) casu quo aliquid boni apportaverit pro magistris nacionis, erant contenti ei tantum dare quantum ipse isto die congregacionis exigebat, et cum hoc plus. In contrarium vero et ad partem adversam deliberaverunt multi, qui majorem numerum magistrorum nacionis faciebant, quod magister Albertus Scriptoris electus in ambassiatorem iret ad summum pontificem laboraturus pro provisione suppositorum nacionis, et pro laboribus et expensis, quas facere necesse habebat, eidem assignaverunt nonaginta dies pro transitu et reditu, et pro quolibet die decem et novem solidos paris. Quorum deliberacionibus et conclusioni ex eorundem sumende votis, cum multi de senioribus opponerent, cum ut eis videbatur factum illud pecunearum visceraliter nacionem tangebat et graciosum fuit (quia quod omnes tangit ab omnibus debet approbari), visum fuit procuratori expediens nichil in illa materia concludere, sed procurator protunc conclusionem distulit, tum primo, quia graciosum videbatur, occasione cujus unus etiam minimus poterat impedire; tum 2° quia pecunearum distribucio et

1. *In* lib. proc. nat. Gall. : Displicuit nationi (Gallic.) promulgacio aliquorum suppositorum facta per mag. Joh. de Oliva in presencia regis in detrimentum et dedecus Universitatis, et hoc contra proprium juramentum ipsius de Oliva.

2. *Postea* : Magister Walterus de Wernia natus de Riiswiick in terra ducis Gelrie prope Tielam, studens in theol.

presertim tam magnarum visceraliter nacionem tangebat. Quapropter dilacio illius conclusionis procuratori visa est summe utilis, honesta et pro bono nacionis necessaria. Quantum ad secundum articulum supplicavit mag. Albertus Scriptoris, quod in casu quo nacio ei decem et novem solidos pro die dare non vellet, ut magister prefatus exigebat, nacio solveret expensas cujusdam nuncii, quem misit idem ille ad curiam regis pro obtinenda licencia, ut nacio rotulum mittere posset ad summum pontificem, quia videbatur sibi missio ista rotuli contravenire *pragmatice sanxioni*. Cujus supplicacio concessa fuit.

A. Posthouwer.

Anno quo supra, XVI^a die mensis Aprilis, celebrata fuit congregacio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Bernardum per juramentum super duobus articulis. Primus habebat duas partes; prima pars fuit de quadam inhibicione et precepto factis domino rectori, decanis facultatum, procuratoribus nacionum, ad requestam et procuracionem dominorum de sacra capella pallacii; secunda pars fuit super recusacione quam mag. Joh. de Oliva fecit rectori, cum ab eodem peteret originale quarundam instructionum tangentium reformacionem Universitatis, quas ut idem (*Fol. 137*) de Oliva dixit, dominus rex ei, et non Universitati, transmisit. Tercius communis est, etc. Quantum ad primum lecta fuit illa inhibicio, in qua cavebatur, quod occasione manutenencie privilegiorum illorum canonicorum de sacra capella illam inhibicionem ipsi procuraverant, contra que, ut illi dixerunt, dominus conservator unum ex suis clericis chori excommunicari fecit, nam, ut dicebatur in illa inhibicione, domini illi per privilegium speciale ipsis indultum a quocumque judice nec excommunicari nec interdici [1] poterant, nec aliquam jurisdictionem alias super ipsos habere debent, nisi per rescriptum apostolicum faciens de illo specialem mencionem. Circa quam inhibicionem Universitas deliberavit, conclusit ac ordinavit aliquos notabiles deputatos, qui haberent una cum deputatis dominorum et canonicorum sacre capelle conferre et bonum medium pacis invenire, privilegiis Universitatis semper in integritate remanentibus. Quantum ad secundam partem, quia mag. Joh. de Oliva se copias sui originalis dare optulit, placuit Universitati recipere illas ex originali illo manu auctentica duorum vel plurium notariorum extractas. Quantum ad tercium supplicavit mag. Bernardus de Miremonte [2] contra unum magistrum, qui a sentencia lata per dominum rectorem in sua curia pro mag. Bernardo appellavit ad parlamentum contra solitum morem faciendi. Circa cujus supplicacionem conclusit Universitas, quod ille magister, qui appellavit, sub pena privacionis haberet hujusmodi appellacioni ad parlamentum renunciare. Supplicavit eciam quidam magister in causa beneficiali contra unum non graduatum; cujus supplicacio remissa fuit ad deputatos. Supplicavit eciam unus laycus pro adjunctione Universitatis circa imposicionem ejus ad taliam, in quo non fuit concordia.

Eodem die quo supra fuit congregacio facultatis arcium in eodem loco super duobus articulis. Primus fuit ad ponendum unum baccalarium in cameris, qui remanserat ex anno preterito non licenciatus, sed tamen vocatus fuit. Secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum voluit facultas et conclusit, quod, docto primo sufficienter quod esset vocatus, ipse poneretur in cameris et audirentur juramenta ejus et examinatorum in cameris, et presentaretur domino cancellario. Quantum ad 2^m supplicavit in nacione magister Albertus Scriptoris, quod nacio ei licenciam impertiri vellet, quod suos injuriantes, quos multos se habere dicebat, trahere posset ad alios judices et cum eis contendere in aliis locis a nacione. Circa cujus supplicacionem non voluit ei nacio dare licenciam contendendi cum sibi injuriantibus extra nacionem, sed quod omnes discordie et controversye, si que essent inter ipsum et aliquos magistros de nacione, a nacione tanquam a pia matre ad bonam pacem, si possibile esset, reducerentur. Et super illis [3] et similibus voluit nacio unam congregacionem fieri, ut in illa omnia ad concordiam possent reduci.

A. Posthouwer.

(*Fol. 137^b*) Vicesima 2^a mensis Aprilis anni quo supra facta fuit congregacio facultatis arcium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum juramenta dominorum baccalariorum vocatorum ad examen Sancte Genovefe, et eciam juramenta examinatorum illorum baccalariorum. Secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum placuit facultati recipere examinatores ad juramenta solita et eciam dominos baccalarios; quibus prestitis placuit eos presentare domino cancellario venerabilis ecclesie Sancte Genovefe, ad finem quod in cameris ponerentur. Et circa istud rector in medium posuit, quod facultas vellet cum statuto dispensare de non

1. *Ms.* intertidici.
2. *Nat. Gallic., de quo supra.*
3. *Ms. add.* voluit.

congregando facultatem nisi semel in septimana. Circa quod facultati placuit dispensare cum statuto, et voluit quod tociens congregaretur, quociens videretur expediens et utile pro materiis facultatis tractandis. Quantum ad secundum supplicavit unus quod reservaretur locus uni scolari, qui absens erat; cujus supplicacionem concessit facultas; scolaris enim ante capcionem conclusionis venit et in suo loco est collocatus. A. Posthouwer.

Vicesima 3ª ejusdem mensis anni prescripti fuit congregata veneranda nacio Almanorum apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad reducendum ad pacem et concordiam aliquos notabiles viros de gremio venerande nacionis Almanorum, quorum discordia ortum et originem habuit ex quibusdam injuriis, que uni, ut dicebant, per alterum fuerunt illate. Secundus erat super facto regencie mag. Alberti Scriptoris, an scilicet regens reputari deberet. Tercius est communis super, etc. Quantum ad primum articulum auditus est primo mag. Albertus Scriptoris, qui retulit in nacione multos et magnos honores, quos in nacione habuit, occasione quorum, ut dicebat, multos ei habebat invidentes, quia, ut dicebat, « alta petit livor, etc. », ut dicit Ovidius [1]. Ex alia parte auditus est mag. Everardus Harlem alias Custodis, qui respondit ad puncta mag. Alberti, in quibus prefatum magistrum Everardum tangebat, et precipue ad hoc quo mag. Albertus se dicebat gravatum, quia dixit ipsum fore perjurum, eo quod prefatus mag. Albertus Scriptoris se juraverat de legittimo et legali thoro fore natum [2]. Circa quod dicebat mag. Everardus, quod illa in forma nunquam dixit, sed male ei illa que dixit essent relata. Dicebat enim sic : se dixisse, quod facultas theologie bene sciebat, si mag. Albertus prefatus perjurus esset vel non. Et sic magno certamine utrisque auditis, voluit nacio ut ipsi se ad partem retraherent ex nacione, ad finem quod tanto melius ipsos posset concordare. Ipsis igitur sic recedentibus voluit et conclusit nacio, quod ipsis imponeretur silencium, et quod de cetero nec ipsi nec alii magistri nacionis sub pena privacionis et resecacionis et perdicionis viginti solidorum paris. haberent in injurias prorumpere. Et in robur pacis et amoris voluit et placuit nacioni ire cum illis magistris duobus ad locum honestum pro bibendo et dijanctando [3] amicabiliter cum eis; sicut factum fuit. Quantum ad secundum articulum conclusit nacio, quod (*Fol. 138*) mag. Albertus Scriptoris esset verus regens, si legerit per majorem partem ordinarii; sin autem, quod sit et reputetur regens honoris. Quantum ad tercium articulum nullus supplicavit.

Vicesima septima die mensis ejusdem anni prefati fuit arcium facultas convocata in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad ponendum baccalarios in cameris; secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum placuit facultati, quod reciperentur juramenta baccalariorum ponendorum in cameris et eciam eorundem examinatorum pro secundo et tertio mensibus, et illis prestitis in presencia facultatis presentarentur baccalarii domino cancellario et ponerentur in cameris. Quantum ad secundum supplicavit quidam magister nomine magister Johannes Corminers, quod facultas dignaretur ponere remedium et provisionem circa quosdam baccalarios, qui temptati fuerant et vocati in Nostra Domina, qui tamen illo anno effecti fuerant et passati baccalarii, qui modus agendi, ut dicebat, erat in magnum gravamen statutorum et laudabilium consuetudinum facultatis. Circa cujus supplicacionem deliberavit facultas quod ipse haberet nominare illos domino rectori et procuratoribus nacionum, et informacione facta, si ita esset, ut dicebat, rector haberet ei[s] denegare sigillum, et eciam domini procuratores haberent ei[s]dem similiter sigillum denegare ; et voluit eciam, si opus esset, illam conclusionem denunciari cancellario [4] examinis Nostre Domine et in casu, quo aliquis in contrarium fieret, se opponeret. Quantum ad istum articulum quidam magistri supplicaverunt pro locis reservandis aliquibus scolaribus, qui erant absentes in principio congregacionis. Quantum ad hoc voluit facultas, quod absentes haberent sua loca, si et in quantum venirent ante introductionem illius camere, in qua erant vocati, et haberent sua

1. Ovid. Rem. am. 369 : « Summa petit livor. »

2. *Si* Albertus Scriptoris *hoc juravit, certe affinis erat culpae, nam ante quatuor annos ipsemet minime securus erat, se e legitimo thoro natum esse, nam ipse,* « cler. Trajectens. diocc., mag. in art. et hachal. in theol. Parisius, uhi continue studet » *sic ad Eugenium IV factum narrat, quod* « ex matris sue asscrtione credat se forc de legitimo matrimonio procreatum ; quia tamen communis opinio vicinieque rumor hahet, quod ipsc fuit ct est de soluto et dicta ejus matre soluta procreatus, propter quod dubitat, in futurum super hoc inquietari posse, nisi eidem de apostolice provisionis [gratia] succurratur », *et petit dispensationem in quantum indiget* (Suppl. Eugen. IV, nº 390, *fol.* 102 b *ad an.* 1444, *Maii* 9). *Immo in supplici libello posteriori dicit, se super defectu natalium* « quem patitur dc soluto genitus et soluta » *dispensatum fuisse, et nunc propter eumdem defectum petit ut ad gradum magisterii in theol. promoveri possit, obstante in hoc statuto Universitatis* (Ibid., nº 399, *fol.* 230, *ad an.* 1445, *Jun.* 23). *Nihilominus minime Parisiis magisterium recepit, quamvis ibid. adhue an.* 1464 *manserit* (*vid.* Spirgatis, Personalverzeichniss dcr Pariser Univcrsität vom J. 1464, p. 18).

3. *I. e.* jantando *vel* dejejunando.

4. Johanni Chuffart.

juramenta facere in presencia rectoris et procuratorum. A. Posthouwer.

Vicesima nona mensis ejusdem facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum receptoris; 2us fuit communis, etc. Quantum ad primum articulum auditus est compotus domini receptoris, et voluit nacio quod pecunie remanentes ponerentur ad archam, sicut eciam obtulit dominus receptor. Et quia circa istum articulum propositum fuit in nacione quod multi erant baccalarii aliarum Universitatum recepti pro baccalariis Parisiensibus, qui tamen nondum satisfecerant receptori de suis bursis, ideo voluit nacio quod omnes citarentur ad nacionem in die sabbati proximo responsuri super hiis que interrogarentur ab eis. Et quia unus modus expedicionis sigillorum procuratoris et receptoris diu in nacione fuit practicatus secundum statuta et juramenta baccalariorum, quod videlicet primo sigillum procuratoris haberent recipere, et post adire receptorem, visus est nacioni satis periculosus pro honore et decore nacionis ac eciam utilitate, quia habito sigillo procuratoris, si eos ad aliam Universitatem se dirigere contingeret, pro baccalariis reputarentur, et ita nacio suis juribus maneret privata. Hinc est quod nacio vo-(*Fol. 138*[b]) luit illi morbo obviare, conclusitque quod de cetero baccalarii, sive recepti, sive Parisius temptati, haberent primo receptorem adire et ei satisfacere, antequam procurator alicui procuratoris expediat sigillum; et ita voluit nacio quod nullus de cetero reciperetur baccalarius ad nacionem, nisi ad statim ante finem congregacionis de suis bursis plenarie contentaverit primo receptorem. Taxacio eciam bursarum, que a procuratore fieri consuevit, reservata est nacioni in baccalariis aliarum Universitatum, et examinatoribus baccalariorum circa baccalarios proprios.

Quantum ad secundum supplicavit receptor, ut in suo compoto haberetur gratus et av[o]atus; cujus supplicacionem nacio concessit, habuit enim gratum, ratum et recommissum in factis per eum. Supplicavit eciam magister Gerardus Nepotis, quod posset inrotulari ut presens, in casu quo rotulus mitteretur ad summum pontificem, quia, ut dicebat, recessurus erat in brevi; cujus supplicacionem nacio concessit, viso quod per majorem partem ordinarii stetit in villa Parisiensi tanquam suppositum nacionis.

A. Posthouwer.

1448

Electio magistri Arnoldi Bernardi.

Facta fuit congregacio apud Sanctum Mathurinum 4ta die May anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novem (*sic*) procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quoad primum articulum electus fuit in procuratorem venerande nacionis Almanie magister Arnoldus Bernardi Trajectensis. Quantum ad secundum articulum supplicavit procurator antiquus, ut nacio haberet ipsum gratum in actis tempore sue procuracionis, et eundem continuare vellet in officio procuracionis. Cujus supplicacio non fuit concessa, sed solum in bene actis ipsum gratum habuit, etc.

Eadem die facta fuit congregacio facultatis arcium apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus fuit ad admittendum aliquos licenciatos in artibus ad magisterium illo die, qui licenciati fuerant in examine ecclesie Parisiensis [1], quod videbatur aliquibus derogare libertati examinis Sancte Genevefe, cum quidam ibidem licenciati eosdem precedere debebant. Et quoad hoc placuit facultati ut predicti baccalarii illa die inciperent sine prejudicio licenciatorum in examine Sancte Genovefe, quod est examen facultatis artium. A. Bernardi.

(*Fol. 139*) Septima die mensis May proxima sequente congregata fuit veneranda facultas arcium apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus fuit ad recipiendum bacalarios pro examine Sancte Genovefe, et hoc pro quarto mense; quorum juramenta recepta cum juramentis dominorum examinatorum modo et forma consuetis. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis; et quoad hoc supplicavit magister Albertus Scriptoris, quatinus facultas aliquos examinatores mittere vellet ad examinandum quendam suum scolarem, cujus nomen erat Balduinus Magistri, qui protunc gravi detinebatur egritudine. Cujus supplicacio concessa fuit.

Eadem die decrevit facultas, quod propter multitudinem baccalariorum et propter brevitatem temporis ordinarii duo menses examinarentur et expedirentur in examine Sancte Genovefe in eodem tempore, sub diversis tamen examinatoribus et in diversis cameris; et ita factum est. A. Bernardi.

Decima die mensis ejusdem congregata fuit Universitas apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus fuit ad habendum concordiam cum

1. *De tribus agebatur, ut e* lib. procur. nat. Gallic. *liquet.*

dominis de sacra capella regalis pallacii super quadam controversia inter eosdem et Universitatem mota circa factum privilegiorum Universitatis et ipsorum dominorum. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quoad primum articulum voluit nacio quod pro concordia habenda teneretur ille modus, qui lectus fuerat in Universitate, per consiliarios Universitatis avisatus. Et placuit ut prefati domini sacri pallacii desisterent a suis vexacionibus et impeticionibus, quas contra Universitatem intentaverant in parlamento, et hoc sub pena privacionis ab Universitate, *cum mater Universitas non in parlamento, sed solum coram persona regis de privilegiis suis litigare tenetur* [1], prout manifeste continetur in privilegiis regalibus ipsius Universitatis. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus minister Sancti Mathurini [2], quatinus Universitas Ordini Sancte Trinitatis litteras recommendatorias concedere dignaretur ad regem Francie ac alios dominos temporales, ut similiter hii suas litteras favorabiles et recommendatorias largiri dignarentur fratribus dicti Ordinis pro elemosinis ac aliis piis subsidiis pro redempcione captivorum Christi fidelium. Cujus supplicacio concessa fuit, visa tamen et lecta littera coram deputatis.

Eadem die supplicavit magister Gauffridus Normani in sacra pagina licenciatus, ut Universitas dignaretur conferre officium librariatus Roberto fratri ejus, quod vacabat per obitum Helye Prestic [3]; cujus supplicacio concessa fuit, quamvis prefatus Robertus absens esset. Alie vero supplicaciones de litteris recommendatoriis et litteris testimonialibus gradus remisse sunt ad deputatos [4].

A. Bernardi.

(*Fol. 139* [b]) Vicesima tercia die mensis May anno XLVIII° facta fuit congregacio venerande facultatis arcium Parisius apud Sanctum Julianum Pauperem super tribus articulis. Primus fuit ad obviandum ne in examine inferiori ponerentur bachalarii in tanto numero pro gradu magisterii, sed teneretur *modus antiquus, videlicet quod solum ponantur sexdecim in qualibet audicione* [5]. Secundus articulus fuit super renovacione sigilli domini rectoris et rectorie. Tercius articulus fuit communis super supplicacionibus etc. Decrevit ergo veneranda facultas prefata super primo articulo, quatinus dominus rector mandaret vel adiret dominum cancellarium inferioris examinis [6], eundem monendo et inducendo ut graciose et secundum morem antiquum procederet in sui examinis audicionibus, videlicet quod solum XVIII (*sic*) bachalarios in audicione qualibet induceret seu per ejus subcancellarium induci faceret. Et quoad secundum articulum placuit facultati quod sigillum domini rectoris et rectorie renovaretur, servata tamen eadem quantitate cum impressione quam prius habuerat. Supplicaciones concesse fuerunt, etc.

A. Bernardi.

Die visecima septima mensis May anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum diligencias domini rectoris pro concordia habenda inter venerabiles dominos de sacra capella regis Parisiensi. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad primum articulum placuit nacioni quod prefati domini tenerent tractatum et modum advisatum per conciliarios Universitatis, qui vicibus iteratis lectus fuit in Universitate; sin autem, quod convocarentur jurati Universitatis existentes in collegio dominorum dicte capelle, qui si jura, libertates et privilegia Universitatis servare et manutenere contempserint, voluit nacio ad privacionem talium procedere. Quantum ad 2m articulum supplicavit quidam venerandus pater in sacra pagina doctor [7] canonicus et thesaurarius ecclesie Ebroycensis, ut Universitas vel[l]et ei emandam procurare de quodam magistro in theologia Ordinis fratrum Predicatorum, qui eum hereticum vocaverat et quamplurimum famam ejus leserat. Et quia hec materia grandis erat et multi erant articuli visitandi, quorum aliqui heresim tangere videbantur, alii vero malesonantes : ideo remissi sunt ad facultatem theologie et facultatem decretorum. Supplicavit eciam magister Guillermus Evrardi habere litteras recommendatorias ad papam et ad regem pro magi-

1. *In margine scribitur manu antiqua :* Nota hic, quod Universitas non tenetur agere de privilegiis suis in parlamento, sed solum ante personam regis. *Ad haec vid. supra an.* 1446, *Maii* 10.

2. Johannes Fabri, *de quo jam supra.*

3. *Tam* Helias Prestic, *quam* Robertus Normanni *hucusque ut* librarii Universitatis *ignoti erant.*

4. *Maii* 23, *secundum* lib. recept. *fol.* 51, « pro expensis *in cunabulo* factis per deputatos in positione tesauri in archa nationis per receptorem, XVII sol. »

5. *Vid. tom.* I Auctar., p. xxv.

6. *I. e.* Nostrae Dominae.

7. *Scilicet* Michael Anglici. *Vid.* p. 732, 25. *Supra primo de quaestione tunc imprimis inter fratres Minores et Praedicatores agitata, an aliquid de sanguine Jesu Christi effuso tempore passionis in terris remanserit agi videtur. Vid.* D'Argentré, Coll. jud. I², p. 250. *De hoc etiam postea. Vid.* Quétif-Echard, Script. Ord. Praed., I, 822 *sq. Sed alia etiam quaestio tunc movebatur, et quidem contra Mendicantes, imprimis de confessionibus. Ut ex infra ad Aug.* 12 *relatis apparet,* Michael Anglici *inter alia praedicaverat, saltem semel in anno confessionem fieri debere proprio curato.*

stro Petro Burelly [1], electo ecclesie Aurelianensis; super quo non placuit nacioni pro eodem scribere, nisi capellanus illius ecclesie pro eodem scriberet. Relique supplicaciones [2] remisse sunt ad deputatos.

A. Bernardi.

1448

(*Fol. 140*) Electio magistri Alberti Posthouwer in procuratorem.

Prima die mensis Junii anni Domini M^mi^ CCCC^mi^ XLVIII^vi^ facta fuit congregacio venerande nacionis Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus communis. Quantum ad primum fuit electus mag. Albertus Posthouwer [3], natus ex partibus Gelrie ex villa Boemelensi. Quantum ad secundum supplicavit procurator antiquus, ut, etc., circa cujus supplicacionem deliberavit, quod eum in bene actis gratum habebat et avoatum.

Eadem die fuit congregata veneranda facultas arcium apud Sanctum Julianum Pauperem super tribus articulis. Primus fuit ad cedandum discordiam ortam in nacione Normanie occasione procuracionis; secundus fuit ad dispensandum cum statuto de non congregando facultatem in tempore inordinario; tercius fuit, etc. Quantum ad primum audite sunt partes contendentes, scilicet mag. Johannes Bavant procurator antiquus, ex una parte et mag. Johannes Accumbart pro mag. Guilhelmo Dagonnet, ex alia parte. Quibus auditis, cum nullius jus evidenter pateret, remisit facultas novam electionem nacioni celebrandam illa hora congregationis facultatis, in illa tamen conclusione nacione Normanie non habente votum. Quantum ad secundum fuit dispensatum per facultatem de statuto. Quoad tercium supplicaverunt partes, quarum supplicaciones terminate fuerunt per facultatis conclusionem. A. Posthouwer.

Die tercia ejusdem mensis anni quo supra facta fuit congregacio Universitatis Parisiensis per juramentum apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit super facto quarundam inhibicionum factarum rectori, procuratoribus et decanis facultatum ad requestam et impetracionem illorum de sacra capella regali. Secundus fuit ad audiendum causas opposicionis magistri nostri magistri Michaelis de Pila [4] a conclusione Universitatis, de qua supra sermo habitus est. Tercius, etc. Quantum ad primum lecte sunt inhibiciones, quarum una dumtaxat fuit impetrata a canonicis sacre capelle, secunda cum eis a procuratore regio, et quoad illas inhibiciones voluit Universitas quod consulerentur consiliarii Universitatis vocandi ad aliquem locum non impeditum, et suis consiliis Universitati manifestis procederet Universitas mature et cum magna gravitate ad privacionem et resecacionem illorum dominorum de sacra capella a gremio Universitatis, si et in quantum essent jurata ejus supposita; alios vero si desistere nollent conservator privilegiorum Universitatis haberet excommunicare nomine Universitas et prefato conservatori Universitas daret adjunctionem; voluit tamen in omnibus istis primo habere consilia suorum consiliariorum tam de curia Castelleti quam parlamenti.

(*Fol. 140*^b^) Quantum ad secundum articulum remisit Universitas causas opposicionis magistri nostri prefati et injuriarum materiam inter magistrum prefatum et magistrum Michaelem Anglici [5] et materiam fidei et articulos in Universitate lectos male sonantes et heresim includentes ad deputatos notabiles, qui haberent illos duos concordare, si esset possibile, sin autem, sua acta Universitati referre; quibus auditis Universitas remedium apponeret. Quantum ad tercium concessit supplicacionem unius abbatis Sancti Medardi Suecionensis [6], si et in quantum ipse esset juratus Universitatis, et alias non. Concessit eciam supplicacionem magistri Ge[rardi] Rotarii, correctis tamen eis prius in deputatis. Concessit eciam supplicacionem magistri Gerardi, nacionis nostre magistri, pro littera gradus, probatis probandis. A. Posthouwer.

Die undecima mensis prefati congregata fuit Universitas Parisiensis per juramentum in Sancto Bernardo super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum quandam inhibicionem factam domino rectori ad requestam domini abbatis Sancti Dyonisii [7] super

1. *Vid.* Gall. christ., VIII, 1479.
2. *Ms. add.* litteras.
3. *Hac occasione receptor solvit* in balista XXXIII sol. (Lib. recept., *fol.* 51 b).
4. *Ord. Praed., qui in* Catal. licent. *vocatur* de Epila *et sic etiam ap.* D'Argentré, Coll. jud., I², p. 250. *Lic. in theol. an.* 1443 (1444), *Jan.* 20. *An.* 1448 *fuit inquisitor haereticae pravitatis Parisiis.*
5. *De quo Maii* 27. Michael Anglici *an.* 1427 (1428), *Jan.* 12. *licent. est in theol. An.* 1436 *rector paroch. eccl. B. Mariae de Calidobecco Ebroic. dioec.* (Suppl. Eug. IV, n° 317, *fol.* 101 b). *An.* 1451 *ut decanus eccl. b. Mariae Antwerpiens. Camerac. dioec. occurrit* (Reg. Lateran. Nicol. V, *an.* 5, *lib.* 1, *fol.* 172 b).
6. Johannis Guion, *lic. in decret.*
7. Philippi de Gamaches, *jam an.* 1440, *Aug.* 17 *in curia Romana in abbatem S. Dionysii confirmati, cum antea fuisset abbas S. Pharonis Meldens.* (Arch. Vat., Obl. n° 66, *fol.* 53 b).

usu capcionis pergameni. Secundus fuit ad distribuendum et conferendum quandam cappellaniam vacantem per mortem unius, qui habebat eandem. Tercius fuit communis. Quantum ad primum lecta fuit inhibicio et narravit dominus rector quantam et qualem injuriam intulerit Universitati, suas portas [claudendo] et campanam pulsando, die qua dominus rector ad Sanctum Dyonisium pro capiendo pergamenum iverat, occasione quarum injuriarum Universitas privavit, resecavit et removit illum abbatem a gremio ejus ac ipsum perjurum reputavit, et voluit litteras sui perjurii et privacionis in locis publicis reponi. Et nedum eum privavit, verum eciam omnes suos religiosos eidem adherentes. Quantum ad secundum, quia turnus protunc fuit nacionis Almanorum, voluit Universitas, quod nacioni turnus reservaretur, sed quoad collacionem isto die non fuit concordia habita. Quantum ad tercium, etc. [1].

A. Posthouwer.

1448

(*Fol. 141*) Electio magistri Dubboldi Campis in procuratorem, vel substitucio ejus.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie anno quo supra 2ª Julii super tribus articulis. Primus fuit ad substituendum aliquem in procuratorem nacionis, cum procurator antiquus esset iturus ad partes. Secundus fuit super provisione suppositorum nacionis. Tercius communis. Quoad primum substitutus est concorditer magister Dubboldus Campis. Quoad secundum placuit ut alias, quod magister Albertus Scriptoris, impetratis litteris recommendatoriis a rege et ab Universitate, iret ambaciator ad summum pontificem pro provisione suppositorum nacionis, maxime cum non essent sub *pragmatica sanxione*, et pro stipendio dabant sibi magistri 19 sol. par. cotidie ad tres menses. Et si diffortunium aliquod in corpore vel insecundius (quod absit) sibi contingeret in via, voluit cum illo misericorditer agere. Quoad tercium supplicavit procurator magister Albertus Posthouwer inscribi rotulo cum aliis in suo ordine, si non rediret satis tempestive. Que supplicacio concessa est.

Facta fuit congregacio Universitatis Parisiensis 15 Julii anno quo supra super duobus articulis. Primus habuit 4or puncta : primum erat super controversia inter illos de sacra capella pallacii et Universitatem. Cum enim citatus esset quidam juvenis de illa capella in curia conservatoris privilegiorum Universitatis Parisiensis ad perhibendum testimonium veritati, contumax factus est et excommunicatus; quam excommunicacionem illi de sacra capella nullius roboris vel momenti estimabant, dicentes se per indultum apostolicum ad instanciam regum Francie esse exemptos. Et hoc sigillo auctentico docere non potuerunt, ut presumebant, querentes dilacionem; sed citati non comparuerunt, et privati sunt et scriptum est ad valvas ecclesiarum modo in talibus consueto. Secundum punctum fuit de abbate Sancti Dyonisii, qui portas ville sue clausit, dum rector pergamenum caperet, de quo supra. Et conclusum est, quod citaretur comparere per se vel procuratorem in deputatis vel Universitate, et sic secundum exigenciam sue excusacionis [2] res tractaretur, ipsum privando vel reuniendo. Tercium punctum fuit de controversia inter magistrum Michaelem Anglici et inquisitorem heretice pravitatis [3]. Dicebat enim inquisitor prefatus aliquando dogmatizasse et publice predicasse quosdam articulos, numero fere XXVIII, quorum alii saperent heresim, alii autem erant scandalantes (*sic*), alii autem piarum aurium offensivi. Et conclusum [est] ut 8, alias deputati, doctrinarum illam materiam disculerent et specialiter videndo, si materia esset talis quod inquisitor manum in eam mittere haberet. Quartum punctum erat super provisione suppositorum Universitatis, pro quo placuit scribere regi et cardinalibus, cum archiepiscopus Remensis [4] jam esset in curia, ut tractarent rem cum archiepiscopo prefato ad commodum suppositorum Universitatis. Secundus articulus erat communis; et supplicavit rector electus nuper pro concilio, auxilio; et minister Maturinorum pro processione generali, in qua populo exponeretur necessitas illius Ordinis pro redemptione captivorum; et alii pro litteris gradus; que omnia concessa sunt. In nacione supplicavit magister Albertus Scriptoris, quod placeret ut dictaretur littera ad dominum confessorem [5] pro promovendo causam nacionis in lit-

1. *Jun.* 23 *novus rector, scil.* Johannes Normanni, *e collegio Navarrae, electus est, e* lib. proc. nat. Gallic. *et e* lib. receptoris, *fol.* 51 b. *Perperam* Bul. V, 921 *in* Nomenclatura : Jacobus Bernardi, *recte tamen ibid.* p. 543. *Anno eodem* Joh. Normanni *ut baec. theol. affertur, regens in art. jam per* 10 *annos* (Suppl. Nicol. V, n° 422, *fol.* 156 b).

2. *Ms.* excusaciones.

3. Michaelem de Pila.

4. Jac. Juvenalis des Ursins.

5. *Regis, fortasse jam* Johannem Borchart, *cum* Gerardus Machet *Jul.* 17 *ejusdem anni obiisset et plures menses antea se retraxisset.*

teris recommendatoriis ad summum pontificem, de quo supra; et concessum est, dummodo per procuratorem et seniores visitaretur. Eciam supplicaverunt II magistri nacionis pro inrotulacione si abessent; quod concessum est. Et citata est nacio ad Castelletum die mercurii proximo sequente [1] ab illo, qui inhabitavit domum [2] que debebat canonico Nostre Domine quosdam annuos redditus, etc. Et deputavit nacio quosdam, ut irent ibi et tractarent ut ipsis videretur expedire. Deputati fuerunt procurator, receptor, magister Albertus Scriptoris, magister Ja. de Gouda, magister Armandus de Sancto Quintino et magister Joh. de Pallacio; qui ita illuc iverunt.

Facta est congregacio nacionis Almanie anno quo supra, 1ma Augusti, super duobus articulis. Primus fuit ad narrandum nacioni acta super citacione passiva nacionis in Castelleto; et placuit appellacio facta per deputatos nacionis ad curiam parlamenti et ut illam prosequeremur secundum dictamen consiliariorum nostrorum, presertim cum sentencia lata esset nacione nec vocata nec audita ad requestam textoris, qui inhibitavit alias *domum Dacie*, dicentis se gravatum in expensis factis in Castelleto contra nacionem. Secundus articulus fuit communis; et supplicavit magister Joh. Dorlo ut redderentur sibi expense facte ab eo ad certificandum nacioni quod esset Trajectensis de villa Trajectensi natus, cujus oppositum sibi alias quidam imponebant; et placuit nacioni sibi refundere unam libram grossorum, quia ostendit de manu autentica instrumentum curie Trajectensis, in quo per testes fide dignos juratos Trajectensis natus omni scrupulo semoto declarabatur, et similiter per II curatos ecclesie parrochialis Sancti Nicolai Trajectensis. Item supplicavit quidam pro officio nunciatus de notitia receptoris; qui admissus est ad episcopatum Mi[n]densem, et juravit solita et ostendere se semel nacioni in anno ad minus. Item magister Simon Matheus illius supplicavit pro inrotulacione, si esset absens in missione ejus. Que omnia concessa sunt. (*Fol. 141*ᵇ) Item placuit primo articulo quod receptor, cum sciret sufficienter gallicum, haberet sollicitare in materia appellacionis ad curiam parlamenti visitando procuratores nacionis in septimana ter vel quater, occasione cujus dedit sibi nacio V albos septimanatim.

Facta est congregacio nacionis Almanie anno quo supra, 7a Augusti, super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum quoddam mandatum regium impetratum a textore, qui alias inhabitavit *domum Dacie*, in quo mandabatur, ut appellacio nacionis facta alias in Castelleto leviter relevaretur, ne ex temporis dispendio textor prefatus gravaretur, et consultum est super hoc, ut procurator, receptor, magistri Ja. de Gouda, Joh. Dorlo, Joh. de Pallacio accederent conciliarios nostros, procuratores et advocatos super concilio habendo, et sic ante finem temporis, quo in illo mandato nacio citabatur, essemus super responsionibus avisati. Secundus articulus fuit ad requestam receptoris, qui dixit se non velle tangere pecunias arche (et alique modice quas in bursa habuit jam fere exposite fuerunt); et placuit ut debitores monerentur ad solucionem. Quod fecerunt singuli. Et placuit solvere. 3us fuit communis. Nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio Universitatis XIIa Augusti anno quo supra super aliquibus articulis. Primus erat ad sedandum discordiam inter illos de sacra capella et Universitatem; et placuit cedula per illos de capella prefata signata, et quod signaretur per scribam Universitatis; sed transiret per parlamentum similiter. Secundus punctus fuit super discordia inter abbatem Sancti Dyonisii, de qua supra. Et placuit ut veniret ad Universitatem vel deputatos, et audiretur et post referretur Universitati. Tercius punctus fuit super discordia inter inquisitorem heresis et magistrum nostrum Anglici, et dati sunt deputati, et concessa est supplicacio Anglici de non trahendo extra muros et non perturbando in sermonibus, et tamen approbando, confessionem semel in anno non debere fieri proprio curato vel ejus locumtenenti [3]. Secundus articulus fuit super accessu episcopi Parisiensis; et placuit ut rector notabili comitiva associatus adiret eum, congratulando suo jocundo adventui et regraciando invitacioni rectoris et procuratorum in suo festo [4], et ammonendo eum ad conservacionem privilegiorum Universitatis, et ne pro delinquentibus scholaribus peccuniariam penam acciperet,

1. *Jul.* 17.

2. *In marg. ms. add.* de domo textoris.

3. *Vid. supra ad Maii* 27. *Eodem an., Jun.* 29, Nicolaus V *epistolam Eugenii* IV *an.* 1447, *Jan.* 16, *errores* Johannis de Poliaco *circa confessiones Mendicantium iterum condemnantem, confirmavit* (Bull. Ord. Praed., III, p. 256).

4. Guillelmus Chartier *seu* Quadrigarii (*de quo jam supra* p. 702, *not.* 9) *Julii* 28 *in eccl. S. Victoris ab episcopo Laudunensi consecratus est, et Aug.* 4 *ingressum solemnem in Nostra Domina habuit* (Journal d'un bourgeois, p. 388 *sq.*, *et not.* 1). *Ut in* lib. proc. nat. Gallic. *narratur ad Aug.* 3, *praefatus episcopus rectorem cum quatuor procuratoribus ad suum solemne prandium invitavit ordinando,* « ut intuitu antique Universitatum parentis et etiam scolastice professionis dominus rector omnibus prelatis preponeretur », *cum rector Universitatis episcopis in actibus scolasticis episcopis praeferri deberet,* « quia a tam longinquis temporibus ita solitum est fieri, quod non est memoria de contrario » (*vid. etiam* Bul., V, 543).

ut dicit privilegium Gregorii pape. Item placuit ut celeri computo habito cessaret bursa currens de duobus sol. Item placuit avisare de modo provisionis suppositorum Universitatis usque reditum domini Remensis de curia, et tunc scribere exequendo. Supplicaciones pro litteris recommendatoriis et gradus concesse sunt probatis probandis, et correctis corrigendis; et hoc quantum ad tercium articulum.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie 19[a] Augusti anno quo supra super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum ambaciatores nacionis venientes de rege Francie; et narraverunt, quomodo elemosinarius D'Aucy [1] commissus in causa illa cum cancellario Francie et duobus episcopis, respondit eis ex parte illorum commissariorum, per modum concilii et tamen ultime difensionis, quod nisi Universitati quoad omnes naciones fuerit sufficienter provisum in regressu ambaciatorum regis quoad beneficia optinenda, redirent ad regiam majestatem, que tunc ad XX leucas esse debet prope Parisius, et providerentur. Et regraciata est nacio ambaciatoribus, propinando eis prandium pro jocundo adventu, et eciam elemosinario regis pro favore exhibito, qui eciam suasit, ut mitterentur aliqui de Universitate circa adventum ambaciatorum, ut si aliqua essent immutanda, fieret quoad beneficia ad salutem Universitatis.

Secundus articulus fuit super *baccalariis receptis*, quorum quidam *a toto anno non studuerunt, sed fecerunt domicellum* [2] *spaciando gentiliter per plateas*. Et placuit ut regentes tres considerarent, et secundum statuta procederetur contra eos. 3[us] fuit communis. Supplicavit magister Albertus Scriptoris pro adjunctione, quia aliqui domum ejus pro punicione, quam meruerant, exierunt; et placuit stare in conclusione facultatis, ut non acquirerent tempus nisi redierint cum humilitate ad locum primum, a quo exierunt.

1448

(*Fol. 142*) Electio magistri Johannis Cameron in procuratorem nationis Almanie [3].

Die vicesimasexta mensis Augusti facta fuit congregacio venerande nationis Almanie super duobus articulis in Sancto Maturino. Primus fuit super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Johannes Cameron. Quantum ad secundum suplicavit antiquus haberi in suis factis gratus et avoatus; cujus suplicatio erat admissa. Suplicavit insuper magister Arnoldus Bernardi, ut corrigeretur scriptura magistri Alberti Postov[er] antecedentis procuratoris qui scripserat eum solum avoatum in bene actis [4], cum a natione simpliciter avoaretur. Suplicavit insuper quidam magister recessurus, ut casu quo rotulus nacionis expediretur, non obstante ejus absentia, ipse in dicto rotulo inscriberetur.

Ultima die Augusti anni Domini 1448 facta fuit congregacio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras domini nostri summi pontificis Nycholaii pape quinti dicte Universitati Parisiensi transmissas. Secundi articuli quinque fuerunt puncta, quorum primum erat ad audiendum diligencias per dominum rectorem in visitatione domini episcopi Parisiensis factas et propositionem factam et responsum eis datum. Secundum erat super facto domini abbatis monasterii Sancti Dyonisii; et proposuit dominus rector qualiter visum est deputatis, quod injuria per dictum abbatem Universitati illata modica erat, et quod si vellet dictus abbas sine impedimento et molestatione aliqua permittere dominum rectorem suum recipere pergaminum, sufficeret. Tercium punctum fuit tangens materiam inter Universitatem et dominos de palatio, an scilicet placeret Universitati, quod dominus rector traderet dominis de palatio litteram originalem aut *vidimus* illius littere. Quartum punctum erat super aliquibus peccuniis debitis cuidam camsori; et proposuit dominus rector, quod utile videbatur pro solucione istius peccunie levare unam bursam quatuor solidorum. Quintum erat super ambasatoribus transmittendis regie majestati in reditu suorum ambassatorum. Tercius articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum regratiabatur Universitas domino nostro summo pontifici de cincera affectione quam habebat erga Universitatem de communicatione suarum litterarum ac apostolice benedictionis, et conclusit quod quam citius fi[e]ri posset, fierent generales processiones pro statu universalis ecclesie, domini nostri summi pontificis, regis et totius regni Francie. Insuper regratiabatur magistro Roberto Syboull [5]

1. *Ms.* Doulci. *De* Joh. D'Auxy, *mag. in theol.*, *jam supra. Eleemosinarius ab an.* 1446, *post* Stephanum de Montmoret.
2. *In lingua germanica :* Sie spielten den noblen Herrn.
3. In electione mag. Joh. Cameron *in balista* receptor solvit XVI sol. par. (Lib. recept., fol. 52 b).
4. *Supra ad Jun.* 1, p. 731, 19.
5. *I. e* Rob. Cybole, *de quo jam supra.*

de laboribus assumptis in factis Universitatis. (*Fol. 142b*) Quantum ad primum punctum secundi articuli Universitas regratiabatur domino episcopo Parisiensi de sua grata responcione; regratiabatur insuper domino rectori et hiis qui eum associaverunt, et etiam domino proponenti. Quantum ad secundum punctum secundi articuli conclusit Universitas quod dominus rector prosequeretur omnibus viis et modis possibilibus emendam et reparacionem injurie per dictum abbatem Universitati illate. Quantum ad tercium punctum placuit Universitati, quod daretur illa littera originalis dominis de parlamento, sed unum *vidimus* dumtaxat. Ad quartum articulum conclusit quod caderet presens bursa, nec elevaretur alia. Ad quintum placuit Universitati quod congregarentur notabiles deputati super ambassatoribus transmittendis. Quantum ad tercium articulum Universitas concessit supplicationes illorum, qui supplicaverunt pro litteris gradus, probatis probandis, et concessit pariformiter litteras recommendatorias in Universitate lectas, dummodo corrigerentur in deputatis, alias non. JOHANNES CAMERON.

Septima die Septembris facta fuit congregatio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum quasdam litteras ab Universitate Cracoviensi dicte Parisiensi Universitati transmissas [1]. Secundi articuli tria fuerunt puncta. Primum erat tangens provisionem suppositorum; circa quod proposuit dominus rector quod certa nova jam erant de brevi adventu ambassatorum domini nostri regis. Secundum punctum fuit tangens abbatem Sancti Dyonysii, qui obtulit se juraturum in presentia deputatorum quod non fuit causa pulsationis illius campane nec etiam clausure portarum. Tercium fuit tangens aliquos non adhibentes fidem sigillo rectoris. Tertius [articulus] fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum Universitas regratiabatur rectori, doctoribus, magistris et ceteris studentibus studii Cracoviensis, et placuit dicte Parisiensi Universitati rescribere dicto studio Cracoviensi, et ad hoc faciendum dedit cujuslibet facultatis notabiles deputatos. Quantum ad primum punctum secundi articuli ordinavit Universitas quod congregarentur notabiles deputati et avisaretur utilior modus providendi. Quantum ad secundum punctum ordinatum fuit, quod abbas Sancti Dyonisii veniret in propria coram deputatis, juraturus quod non fuerit causa pulsacionis campane nec clausure portarum; et super hoc caperetur instrumentum. Ad tercium punctum conclusum fuit quod promotor Universitatis haberet procedere contra illos, qui non adhibebant fidem sigillo rectoris omnibus viis et modis possibilibus. Quantum ad tercium articulum supplicavit quidam magister nostre nationis, nomine magister Albertus [2] Postow[c]r ad curiam Romanam recessurus, ut non obstante ejus abcencia, casu quo rotulus impetraretur, ipse tanquam presens inrotularetur; cujus supplicacio concessa fuit quoad ordinarium in quo jam eramus, eo quod fuit verus regens per majorem partem ordinarii. Alie supplicaciones remisse fuerunt ad deputatos.

JOHANNES CAMERON.

(*Fol. 143*) XIa Septembris fuit facta congregacio preclare facultatis arcium in Sancto Juliano super tribus articulis. Primi articuli duo fuerunt puncta. Primum erat tangens reformacionem facultatis arcium quoad discursum scolarium de domo ad domum sine licencia magistri domus. Secundum erat quod bacalarii in facultate arcium non admitterentur ad licenciam, nisi prius in utroque examine temptati; circa quod punctum supplicavit ex parte domini cancellarii Nostre Domine [3] quidam venerabilis magister quod nichil innovaretur in illa materia, nisi prius dicto cancelario audito. Secundus articulus erat super facto cujusdam licenciati in artibus, qui suplicavit admitti ad gradum magisterii, non obstante ejus privacione a facultate facta ad duos annos. Tertius fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primam partem primi articuli conclusum exstitit, quod nullus scolaris transieret (*sic*) de domo in domum sine licentia principalis magistri domus. Quantum ad secundum punctum illius articuli conclusum erat quod dominus cancellarius audiretur antequam aliquid innovaretur in illa materia. Quantum ad secundum articulum admissus fuit ille licenciatus ad gradum magisterii. Quantum ad tercium nullus supplicavit.

Decima quarta Septembris facta fuit congregacio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super rescripcione facienda rectori et scolaribus studii Cracoviensis; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum conclusum

1. *Anni ejusdem Jul. 16, in quibus rector, magistri et doctores studii Cracoviens. Universitatem Parisiensem,* « caeterarum Universitatum matrem » *consulunt de praestanda Nicolao V papae obedientia* (MARTÈNE-DURAND, Thes. nov. anecd., II, 1751; Cod. diplom. Univers. studii Cracoviens., II, p. 73).

2. *Ms.* Albertum.

3. Johannis Chuffart.

fuit quod primo scriberetur domino nostro regi, et sibi transmitteretur copia littere ab Universitate Cracoviensi transmisse; et postmodum habita intencione regis rescriberetur eis. Quantum ad secundum articulum suplicaciones remisse erant ad deputatos.

Decima sexta ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eundum processionaliter ad Nostram Dominam. Secundus erat, an debebant [fieri] exsequie pro anima domini episcopi Castrensis [1] et domini episcopi Parisiensis [2]. Tercius fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum placuit ire processionaliter ad Nostram Dominam. Quoad secundum placuit celebrare exsequias pro anima domini confessoris regis. Quoad tercium nemo suplicavit.

Decima octava die mensis ejusdem facta fuit congregacio preclare facultatis arcium in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus erat super electione novi lectoris *Ethicorum*. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer venerabilis vir magister Gofridus Normani [3]. Quoad secundum suplicavit lector antiquus, ut in bene actis haberetur avoatus, et in male suportatus; et facultas habuit eum simpliciter avoatum.

(*Fol. 143*[b]) Vicesima prima Septembris facta fuit congregacio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem. Secundus erat ad audiendum compotum receptoris antiqui. Tercius fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer honorandus vir magister Johannes de Palacio. Quoad secundum articulum natio audivit compotum et natio habuit eum gratum et legalem in toto, et ita conclusum exstitit, cum oppositione tamen unius magistri quoad decem et septem solidos per procuratorem, receptorem et aliquos alios magistros nationis expositos in quadam colacione; et oppositione duorum magistrorum quoad quinque scuta diliberata magistro Johanni Dorlo pro impetracione cujusdam littere testimonialis. Ulterius conclusum exstitit, quod quilibet receptor futurus haberet quatuor libras in primo computo et quatuor in secundo. Quoad 3[m] articulum suplicavit quidam magister nationis qui per aliqua tempora grave detenebatur infirmitate, et non habuit unde posset suis necessitatibus succurrere, ut nacio sibi aliquid dignaretur conferre; circa quod conclusum erat, quod sibi darentur duo scuta. Suplicaverunt insuper bidelli ut continuarentur in officiis, et eciam, quia eorum cellarium [4] modicum erat, natio conferret eis aliquam taxam pecunie. Suplicavit insuper receptor antiquus, ut haberetur in suis actis gratus et avoatus; cujus suplicacio fuit concessa, preterquam ab hiis qui opposuerunt se in punctis predictis.

1448

[Continuatio ejusdem.]

Vicesima tercia die mensis ejusdem facta fuit congregacio venerabilis nationis Almanie super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum continuatus fuit concorditer antiquus procurator. Quoad secundum suplicavit procurator haberi gratus et avoatus; cujus suplicacio fuit admissa.

1448

[Substitutio mag. Joh. Kanedy.]

Vicesima quinta die mensis ejusdem facta fuit congregacio venerabilis nationis Almanie super duobus articulis. Primus erat ad substituendum aliquem loco procuratoris, qui erat recessurus propter aliqua sua agenda. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quoad primum substitutus erat concorditer magister Joh. Kanedy. Quoad secundum articulum nulli erant supplicantes.

Vicesima sexta die mensis ejusdem facta fuit congregacio Universitatis Parisiensis super tribus articulis. Primus erat ad scribendum supremo domino nostro regi. Secundus erat super provicione suppositorum ipsius Universitatis; et tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum conclusum erat quod scriberetur (*Fol. 144*) supremo domino nostro regi super proventibus et redditibus collegiorum et suppositorum ipsius Universitatis, qui sunt in partibus Normanie sub obediencia regis Anglie, ut ipse faciat collegia et supposita pacifice gauderi [5] suis redditibus. Quoad 2[m]

1. *I. e.* Gerardi Macheti, *confessoris regis*, *Jul.* 17 *defuncti.*
2. Dionysii de Molendino, *jam an.* 1447, *Septemb.* 15 *defuncti.*
3. *In* lib. proc. nat. Gallic. *hoc ad Sept.* 19 *narratur, ubi scribitur nationem valde gaudere*, quod vir tam eruditus, exercitatus et tam eloquens vellet et dignaretur hujusmodi lecturam ad honorem facultatis, profectum suum et audientium suscipere.
4. *I. e.* salarium.
5. *Ms.* gaugeri.

articulum conclusum erat quod articuli confecti per dominum decanum facultatis decretorum visitarentur per deputatos, et removenda removerentur et augenda augerentur, et postea transmitteretur ambasiata. Quoad 3^m articulum omnes supplicaciones remisse erant ad deputatos, exceptis supplicacionibus eorum qui supplicabant pro litteris gradus, quorum supplicaciones erant concesse, probatis probandis.

Secunda die mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus articulus erat ad audiendum lecturam litterarum transmissarum a supremo domino nostro rege et ad rescribendum Universitati Cracoviensi. Secundus erat tangens incarceracionem unius scolaris contra privilegia nostra. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum audita est lectura litterarum supremi domini nostri regis [1], et Universitas regraciabatur sibi de bona communicacione suarum litterarum, et conclusum erat, quod conformiter ad mentem regis Universitas scriberet ad Universitatem Cracoviensem [2]. Quantum ad secundum articulum conclusum erat quod secundum formam privalegiorum (*sic*) nostrorum laboraretur ad expedicionem illius scolaris incarcerati. Quantum ad articulum supplicacionum supplicaverunt dominus abbas Sancti Bertini [3] et magister Jerardus [4] Rotarii quod ex parte Universitatis recommendarentur ambasiatoribus domini ducis Burgundie; quorum supplicaciones erant concesse. Omnes alie supplicaciones remisse erant ad deputatos. Et eodem die positum erat unum punctum spectans specialiter ad nationem in deliberacione, videlicet utrum magister Joh. Dorlo debet habere quinque scuta sibi deliberata per antiquum receptorem, viso quod non placuit omnibus magistris dum supplicaverat pro eiisdem; et quoad hoc conclusum erat quod inquireretur a jurisperitis, utrum *non placere* illorum magistrorum sit equivalenter opposito; et si sic, quod non haberet; et si non, quod haberet.

Octava die mensis ejusdem facta fuit congregacio venerabilis nationis Almanie super tribus articulis. Primus erat pro distribucione scolarum. Secundus erat ad constituendum procuratorem et advocatum in parlamento ex parte nacionis, et unum de nacione qui haberet sollicitare factum nationis apud procuratorem et advocatum. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum erat quod scole distribuerentur more solito secundum antiquitatem regentium ceteris paribus. Quantum ad secundum articulum assignati erant deputati ad eligendum procuratorem et advocatum in parlamento; et conclusum erat, quod magister Egidius esset sollicitator ex parte nacionis. Quantum ad articulum supplicacionum nulli erant supplicantes.

Nona [5] die mensis ejusdem facta fuit congregacio preclare facultatis artium in Sancto Juliano Pauperum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in rectorem notabilis et discretus vir magister Joh. Dokard [6]. Quantum ad secundum articulum dominus antiquus rector supplicavit ut facultas haberet ipsum gratum; cujus supplicacio fuit concessa in forma.

[(*Fol.* 49) Sequuntur [7] nomina licenciandorum istius anni.

Primo, dominus Theodoricus Brakel, Traject. dioc. cujus bursa viij sol., solvit xl sol.

Dominus Thomas Cameron, cujus bursa viij, xl sol.

Willermus Tibis de Gouda, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol. xxx sol.

Johannes Lec, diocesis Gleanensis [8], cujus bursa iiij sol., xx sol.

David de Crannoch [9], dyocesis Sancti Andree, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Henrico de Bien, de Campis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

1. *Qui mense Junii ambassiatores ad Nicolaum V misit, inter quos Thomam de Courcellis, ut ii obedientiam praestarent et cum ipso conferrent* (Jean Chartier, Chron., II, 54 *sqq.*; Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. IV, p. 275 *sqq.*

2. *Revera epist. Universitatis Paris. ad Univers. Cracoviens. data est Octob. 3, et Cracovienses certiores facit de jam praestita Nicolao V obedientia* (Cod. diplom. Univers. studii Cracoviens., II, p. 96).

3. Guillelmus Fillastre, *episc. Verdunens., qui an.* 1447, *Octob.* 13, *hanc abbatiam a Nicolao V, supplicante duce Burgundiae, in commendam recepit, cum tamen monachi* Johannem de Medon *in abbatem elegissent et ad Nicolaum appellassent; sed cesserunt* (Reg. Vat. Nicol. V, n° 390, *fol.* 76; Oblig. n° 72, *fol.* 29). *Juxta concordiam inter episcopum et Johannem de Medon*, « monachum monasterii », *huic Johanni a Guillelmo pensio persolvenda erat* (Reg. Vat. Nic., n° 395, *fol.* 21). *Cf. etiam* Gall. christ., III, p. 504.

4. *l. c.* Gerardus, *qui an.* 1455 (1456), *Mart.* 4, *lic. est in theol*

5. *Correctius in* lib. proc. nat. Gallic. *scribitur* : die jovis, decima Octob.

6. Bul. Daucart; *in* lib. receptoris, *fol.* 53 : Doucart.

7. *Nomina* licentiandorum *an.* 1448 *frustra quaesieris in* lib. procur., *quae e* lib. receptoris *desumpsimus*.

8. *l. c.* Glasguens. *dioec.*

9. *In* lib. proc. *iste et* Petrus Yvonis de Alemaria *ad an.* 1449 *afferuntur*.

Item, a domino [Johanne] Petri[1] de Malmogia, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne Mu[r]tov, cujus bursa viij sol., xl. sol

Item, a domino Jacobo Gray, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne de Haguen, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Jacobo Naldewiick[2], cujus bursa iiij sol., xxx sol.

Item, a domino Bartholomeo Wlturis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a domino Henrico Beynem, cujus bursa nichil.

Item, a domino Petro de Diemen, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Balduino de Leydis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Simone Ze[l]tvedel, diocesis Verdinensis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Gaudefrido Newenar, diocesis Coloniensis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Gilberto Esbrandi, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Egidio Andree, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Balduino Age, Trajectensis diocesis, cujus bursa nichil.

Item, a domino Johanne Simonis Abe, Trajectensis diocesis, cujus bursa nichil.

Item, a domino Petro Danielis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Petro Yvonis, de Al[c]mariam (*sic*), cujus bursa nichil.

Item, a domino Henrico Servaci, cujus bursa nichil.

Item, a domino Gerardo Witic, Constantiensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item a domino Jaspardo Smit[3], cujus bursa vi sol., xxx sol.

Item, a domino Helia de Norde, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a domino Johanne Vorde, cujus bursa nichil.

Summa istius pagine xxxj l.

(*Fol. 49*[b]) Nomina[4] incipientium istius anni.

Primo dominus Theodoricus Brakel, Trajectensis[5] diocesis, incepturus sub magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa viij sol., solvit xl sol.

Item, ab eodem pro capa rectoris, viij sol.

Item, pro jocundo adventu ad nationem, xxxij sol.[6].

Dominus [Thomas] Cameron sub eodem, cujus bursa VIII sol.

Item, a domino David de Crennoch, cujus bursa vj sol., xxx sol,

Item, a domino Guillermo Tibis de Gouda, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Henrico de Bien, de Campis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne Lech, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne Petri de [M]almogia, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Jacobo Gray, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne Murtov, cujus bursa viij sol., xv sol.

Item, a domino Helia de Noerde, Trajectensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a domino Johanne de Voerde[7], cujus bursa nichil.

Item, a domino Johanne de Haghen, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Guillermo Wlturis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a domino Jacobo Naldvic, cujus bursa iiij sol., xxx sol.

Item, a domino Henrico Beynem [de Ryenem], cujus bursa nichil.

Item, a domino Petro de Diemen[8], cujus bursa vj sol., xxx s.

Item, a domino Balduino de Leydis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Simone Zoltvedel[9], Verdinensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Gaudefrido Nouvenart[10], Coloniensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

1. *Ms.* Petro, *sed cf.* 746, 20.
2. *Ms.* Valdemierck.
3. *Ms.* Zint.
4. *Sequentia etiam e* lib. recept. *desumpta sunt; in* lib. procurat. *non omnes incipientes et sine bursis afferuntur.*
5. Coloniensis *superscripsit procurator.*
6. *Similia etiam ad sequentes apposita sunt, quae omittimus.*
7. *I. e.* Vorden. *In* lib. proc. « Wordin ».
8. *In* lib. proc. « Demyn ».
9. Lib. proc. « Saltweydyn ».
10. *I. e.* Newenar.

Item, a domino Gilberto Hesbrandi, de Leydis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Egidio Andree, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Johanne Simonis Abe [1], cujus bursa nichil.

Item, a domino Petro Danielis, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Gerardo Witic [2], cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Jaspardo Smit, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a domino Henrico Servaci, cujus bursa nichil [3].]

(*Fol. 145*) Decima quarta die mensis Octobris facta fuit congregatio venerabilis nationis Almanie super tribus articulis. Primus erat super promotione suppositorum nationis; secundus erat ad dispensandum de quodam statuto, si videretur nationi; tercius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod magister Albertus Scriptoris caperet concilium cum aliquibus jurisperitis et conficeret quosdam articulos tangentes promocionem suppositorum nacionis dandos domino Aurilianensi cum mememoriali ipsius Universitatis. Quantum ad secundum articulum nacio dedit deputatos, videlicet magistrum Evrardum, dominum receptorem, magistrum Lambertum et magistrum Joh. Kanedy ad avisandum, utrum expediat dispensare de illo statuto de examinatoribus bacalariandorum. Quantum ad tercium articulum nulli erant supplicantes.

1448

Electio magistri Lamberti Schout.

(*Fol. 145*[b]) Anno Domini millesimo quatricentesimo quadragesimo octavo, vicesima secunda mensis Octobris, facta fuit congregacio venerande nationis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem predicte nacionis magister Lambertus Schout oriundus de Arnhem in Ghelria. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut in actis suis haberetur gratus et advoatus; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit insuper magister Lambertus Schout, qui alias fuit electus ad solicitandum quandam causam in curia parlamenti contra quendam textorem, et depost subtitutus fuit magister Egidius Morsel, quia ut relatum fuit in natione, predictus magister Lambertus vaccare non poterat, et ideo supplicavit, quod nacio in actis per ipsum in predicta causa haberetur gratus et advoatus, et eciam quod sua haberet stipendia. Cujus supplicatio fuit concessa. Supplicavit eciam magister Albertus Scriptoris, qui alias per turnum Universitatis quoddam habuit beneficium, ut sua imponeretur investitura in libro nationis et in procuratoria illius, qui pro tempore erat procurator. Cujus supplicacio in forma fuit concessa. Supplicaverunt eciam duo magistri scilicet magister Johannes de Heusden et magister Nicolaus, ut, si contingeret mittere rotulum, ut inrotularentur; quorum [4] supplicaciones fuerunt concesse.

(*Fol. 145 bis*) Vicesima octava mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat ad audiendum relacionem magistri nostri magistri Guillermi Boulle [5], qui proposicionem ante dominum Orli[an]ensem fecerat. Secundus fuit ad eligendum embasiatores pro eundo apud supremum dominum dominum nostrum regem pro unione pacis ecclesie [6], et eciam de modo habendi pecunias. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum Universitas regraciabatur magistro nostro magistro Guillermo Boulle [7], qui ita eleganter proposuit, et ceteris deputatis, qui in ista materia ita laboraverunt, et specialiter illustrissimo principi domino Orli[an]ensi de benigna sua responsione. Quantum ad secundum articulum electi fuerunt per tres facultates, ut dixit dominus rector, in embasiatores magister Guillermus Boulle pro facultate theologie, magister Petrus Maugier pro facultate decretorum, pro facultate medicine magister Guillermus de Camera, et pro facultate artium magister Johannes Boucquardi [8]. Quantum eciam ad istum articulum dixit dominus rector, qualiter magister noster magister Michael Anglici sibi dixerat qualiter ipse suos gressus versus summum pontificem dirigere intendebat, et ideo bonum esset sibi litteras recommendatorias mittere;

1. Lib. proc. « Albee ».
2. Lib. proc. « Weyteche ».
3. *Receptor addit*: « Recepi a Jennetta Quotorette pro locagio scolarum VII artium, XL sol. »
4. *Ms.* cujus.
5. *I. e.* Bouillé.
6. *Quae nondum erat, cum Junii* 15 Concilium Basileense *translatum fuerit* Lausanam (*cf.* Bibl. Vat. ms. Palat. 595, *fol.* 270) *et* Felix V *antipapa cedere adhuc recusaverit.*
7. *I. e.* Bouillé.
8. *Tunc jam in theol. licentiatus. Vid. supra.*

et ita factum fuit. De modo habendi pecunias pro ambasiatoribus non fuit habita concordia. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus rector, ut Universitas in agendis suis vellet sibi dare consilium, auxilium et favorem. Cujus supplicacio fuit concessa in forma. Supplicavit insuper quidam magister nostre nationis, scilicet magister Johannes de Merode habere litteras recommendatorias ad dominum nostrum summum pontificem, cujus supplicacio fuit concessa dummodo tamen visitarentur in deputatis. Supplicavit eciam predictus magister ad partem in natione, ut natio sibi similes litteras concedere vellet; quod factum fuit. Multe aliter fuerunt supplicaciones, que fuerunt omnes ad deputatos remisse. Dixit eciam dominus rector qualiter erant multi incarcerati de officiariis nostris pro tallia, et quod domini electi de sigillo domini rectoris non curabant, et quod bonum esset invenire modum oportunum de remedio habendo. Et circa hoc conclusum fuit procedere secundum vim statuti.

Anno quo supra, die tercia mensis Novembris, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus erat ad providendum de solicitatore in causa illa contra textorem in curia parlamenti, ex quo magister Egidius Morsel non erat presens, et periculum (*Fol. 145 bis*[b]) esset in mora. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit magister Lambertus Schout pro solicitando in predicta causa. Quantum ad secundum supplicavit procurator, ut nacio vellet capere quendam librum inpignoratum per magistrum Ernoldum Barnardi[1] pro duabus libris; cujus supplicacio fuit concessa, dummodo liber apreciaretur secundum formam statuti. Supplicavit eciam magister Albertus Scriptoris pro quodam baccalario alterius Universitatis[2], ut reciperetur in baccalarium istius Universitatis. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo non procedat isto anno, et eciam quod sufficienter suum probaverit baccalariatum.

Anno quo supra die quindecima mensis Novembris facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum lecturam litterarum transmissarum a domino nostro summo pontifice Nicholao quinto. Secundus erat super promotione suppositorum. Tercius erat communis. Quantum ad primum articulum lecte fuerunt littere et cum omni reverencia recepte; et quoad hoc regraciatum est domino nostro de bona affectione, quam ad istam gerit Universitatem. Quantum ad secundum articulum duo fuerunt puncta. Circa primum punctum retulit dominus rector, qualiter isti electi et eciam generales multa faciebant mala suppositis in facto taliarum; et circa istud dixit dominus rector, qualiter habuit a deputatis quod bonum esset adire dominum de Prechegni[3], dominum Dunois[4] et ad ceteros nobiles Parisius existentes, et significare ipsis ista, ut ipsi velint super isto providere. Et quantum ad istud habuit verbum honorabilis magister noster magister Guillermus Boulle. Circa secundum punctum conclusum fuit, quod non mitteretur ambaciata donec et quousque haberemus alia nova de curia Romana, et non placuit eciam, quod bursa amodo curreret. Quantum ad tercium articulum multe fuerunt supplicaciones tam pro litteris gradus quam pro litteris recommendatoriis; et omnes ad deputatos fuerunt remisse.

Decima nona mensis Novembris conclusit nacio in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, quod nos faceremus festum Conceptionis Marie sicut et illi de Parisius.

1448

Continuatio magistri Lamberti Scout.

(*Fol. 146*) Decima octava mensis Novembris facta fuit congregacio venerande nationis Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit ad ordinandum de festo Sancti Eudomondi. Tercius fuit communis. Quantum ad primum articulum placuit nationi continuare antiquum procuratorem, scilicet magistrum Lambertum Schout. Quantum ad secundum placuit nationi facere festum solito more, scilicet quod magistri nacionis, curatus et suus capellanus habeant esse in prandio, et non alii. Quantum ad tercium supplicavit antiquus procurator, ut natio in actis per eum in sua procuratoria, natio velit ipsum habere gratum, ratum et advoatum; et ita habuit ipsum gratum et advoatum.

Septima mensis Decembris[5] facta fuit congregatio facultatis artium super duobus articulis in Sancto Juliano. Primus fuit ad cedandum quandam controversiam ortam in nacione Francie de disputando in vico Straminis, quia duo erant proclamati[6], et qui-

1. *I. e.* Arnoldum Bernardi.
2. *Vid. ad an.* 1449, *Jan.* 24.
3. Bertrandum de Beauvau, *dominum de* Précigny.
4. Johannem « bâtard d'Orléans », *comitem de Dunois.*
5. *Ms.* Novembris *in rasura.*
6. *Scil.* Bonitus *et* Joh. de Martigniaco, *ut in* lib. proc. nat. Gallic. *ad Dec.* 3 *narratur.* « Ambo cathedram conscenderunt». *Conclusum est,* quod nulla illo die fieret disputacio.

libet ipsorum se jus habere dicebat. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit, quod antiquior regens haberet disputare secundum quod consuetum est. Et quia multe fuerunt controversie temporibus preteritis, ideo voluit facultas quod dominus rector haberet facere congregacionem per juramentum ad providendum, ne amodo ista ita eveniant, et ad pugniendum illos qui ita faciunt. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Johannes Normani, quod facultas vellet super istis providere, quia timendum est, ne magna eveniant scandala; que supplicacio fuit concessa.

Undecima die mensis Decembris facta fuit congregacio facultatis artium per juramentum super duobus articulis. Primus fuit (*sic*).

(*Fol. 146*[b]) Duodecima mensis Decembris facta fuit congregatio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super facto privilegiorum; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum retulit dominus rector qualiter isti electi et alii impositores vexant supposita Universitatis, quantum ad factum impositionum et taliarum, non solum Parisius, sed eciam extra Parisius in multis locis, et non est ipsis de sigilo rectoris cura. Et quantum ad hoc conclusit Universitas quod dominus conservator habeat facere inhibiciones ipsis sub pena excommunicacionis, ut ipsi cessent ab ipsis. Retulit insuper dominus rector qualiter illi de pallacio non volunt nunc tenere apunctuamentum factum inter Universitatem et ipsos; et quoad hoc conclusit Universitas stare in alias deliberatis, scilicet quod teneant apunctuamentum, vel quod priventur. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector ut Universitas in actis per eum vellet ipsum habere gratum, ratum et advoatum; et ita habuit Universitas ipsum gratum et advoatum. Supplicavit insuper magister Gerardus de Bellomonte pro adjunctione Universitatis contra istos impositores qui sua retinent bona, et quod haberet proponentem ad proponendum coram domino de Croys [1] super isto. Que supplicacio fuit remissa ad deputatos. Multe alie fuerunt supplicaciones tam pro litteris gradus, quam pro litteris recommendatoriis; que omnes ad deputatos fuerunt remisse.

1448

[Procuratoria mag. Adriani de Mera.]

(*Fol. 147*) Anno Domini millesimo CCCC° XLVIII, decima sexta die Decembris facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuatione antiqui. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum unanimi consensu magistrorum electus fuit in procuratorem magister Adrianus de Mera, Trajectensis diocesis. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus antiquus haberi gratus et avoatus; cujus supplicacio erat concessa.

Anno et die [2] quibus supra facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem; secundus fuit de dispensando cum hiis qui tempore ordinario non determinaverunt; tercius fuit communis super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc more consueto dedit suos intrantes, videlicet magistrum Johannem Beghyn pro nacione Francie, magistrum Albertum Loms pro [nacione] Piccardie, magistrum Wilhelmum Dageuet pro nacione Normanie, magistrum Johannem de Dorlo pro nacione Almanie, qui concorditer et via Spiritus Sancti elegerunt honestum ac discretum virum magistrum Jacobum Carpentier [3]. Quantum ad secundum articulum placuit facultati quod determinaturi, si opus esset, tempore inordinario determinarent. Quantum ad tercium supplicavit dominus antiquus rector haberi gratus et avoatus, similiter ut acta et facta per ipsum haberentur grata et avoata; cujus supplicacionem nacio concessit. Supplicavit eciam novus rector more consueto duas supplicaciones, que erant concesse.

1449

(*Fol. 147*[b]) Continuacio magistri Adriani de Mera.

Decima III[a] die mensis Januarii facta fuit congregacio venerande nacionis Almanorum in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus fuit super facto examinacionis baccalariandorum occasione cujusdam conclusionis

1. *Seu potius* Croy, *scil.* Antonio.
2. *In* lib. proc. nat. Gallic. *ad Dec.* 17.
3. *Sic etiam* Bul., V, 921. *In* lib. receptoris, *fol.* 53 : Carpentiir.

tempore procuracionis magistri Johannis Kennaudi capte. Conclusum enim erat in illa congregacione, ut darentur quatuor deputati qui haberent videre, an expediret ut dispensaretur cum quodam statuto, in cujus vim singulis annis examinatores determinantium eligi consueverunt. Tercius articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator scilicet magister Adrianus de Mera. Quantum ad secundum articulum conclusit nacio quod predicti quatuor convenirent ad avisandum unum bonum et congruum modum circa factum illius statuti, et casu quo non fecerint, deputarentur alii, et ita fuit factum. Quantum ad tercium articulum supplicavit antiquus procurator haberi gratus et avoatus; cujus supplicacio erat concessa. Supplicavit eciam pro regencia magister Johannes Petri de Malmodia, et posuit fidejussorem magistrum Albertum Scriptoris; cujus supplicacio fuit concessa.

Decima sexta die mensis Januarii facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad providendum de remedio oportuno super facto cujusdam mandati regii impetrati et publicati per dominum prepositum Parisiensem [1] contra privilegia Universitatis. Secundus fuit super facto nominacionum. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusit Universitas ut deputaretur unus notabilis proponens, qui cum solempni comitiva adiret dominum propositum Parisiensem et alios dominos generales, monentes eos ut ab hujusmodi vexacionibus et tribulacionibus cessarent, monicione facta, nisi desistere vellent. Conclusit injungendo promotori sub debito juramenti sui et resecacionis a gremio Universitatis, ut viriliter omnibus modis et viis sibi possibilibus contra eos procederet. Quantum ad secundum placuit Universitati, ut fieret rotulus et quod volentes nominari nominarentur infra dominicam primam Quadragesime. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus rector ut Universitas vellet ei dare consilium, auxilium et favorem; cujus supplicacio erat concessa.

Vicesima prima die mensis Januarii facta fuit congregacio venerande nacionis Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem dominorum deputatorum occacione cujusdam statuti examinacionem baccalariandorum concernentis. Secundus fuit communis etc. Quantum ad primum articulum retulit in nacione unus deputatorum, videlicet magister Johannes de Palacio, protunc receptor nacionis per modum avisamenti, quod statutum illud ab antiquis patribus conditum servaretur in esse, in quem modum alii duo, videlicet magister Ewerardus Harlem et magister Lambertus consensum dederunt; quarto vero, videlicet magistro Johanni Kennaudi, predictus modus non placuit, sed voluit ut IIII^{or} vel quinque annis nacio dispensaretur cum predicto statuto. Nacione vero desuper congregata super eodem facto, aliqui magistri deliberaverunt ut dispensaretur cum predicto statuto; alii vero opposuerunt se, et ita nichil concludebatur, quia non erat concordia.

(*Fol. 148*) Vicesima IIII^{a} die mensis Januarii anno quo supra congregata veneranda nacione Almanorum super IIII^{or} articulis. Primus fuit ad recipiendum bacularios aliarum Universitatum. Secundus fuit super disposicione festi Purificacionis. Tercius fuit ad recipiendum juramenta examinatorum, qui in vim statuti electi fuerunt. Quartus fuit communis super supplicacionibus et injuris. Quantum ad primum articulum nacio solutis solvendis recepit in baccularium Bertoldum Lindenpols [2] Maguntinens. diocesis, tali tamen condicione interjecta ut certius doceret de gradu baccularialus alibi adepto, quem protunc sufficienter probare non potuit. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni ut more consueto cum distribucione candelarum predictum festum celebraretur. Quantum ad tercium articulum audita fuerunt eorum juramenta secundum tenorem statuti in facie nacionis. Et quoad materiam illius articuli et similiter quoad alios prenominatos conclusit nacio, ut singulis annis in profesto [3] Conversionis Sancti Pauli fieret congregacio nacionis super electione temptatorum pro determinantibus temptandis et admittendis, et quod in illa congregacione ibidem celebranda predicti examinatores habeant sua juramenta in facie nacionis prestare. Similiter conclusit nacio ut quoad hoc servetur antiqua ordinacio pro examine Sancte Genovefe de mensibus distribuendis, videlicet quod procurator protunc sit pro primo mense, receptor pro secundo, senior regens pro tercio, senior non regens pro quarto, ut statutum predictum quoad omnem sui partem equaliter servetur.

Tricesima die mensis Januarii fuit congregacio

1. Robertum d'Estouteville.
2. *An.* 1444 Erfordiae *intitulatus* (Weissenborn, Acten d. Erfurter Universität, I, 202). Bertoldus Lindenholcz *ibid. an.* 1446, *Octob. intitulatus* (Weissenborn, *l. c.* I, 210), *alius esse videtur.*
3. *Jan.* 24.

facultatis artium apud Sanctum Julianum super discordia cedanda in veneranda nacione Francie. Et quantum ad hoc retulit ibidem magister Jacobus Lullier, quod nacione Francie more consueto solempniter congregata ad eligendum examinatores baccalariandorum, qui dum electi fuerunt, unus illorum [1] gravitate quadam vel infirmitate detentus resignavit in facie nacionis officium suum ad utilitatem et usum magistri Nicolai de Foro; cui resignationi aliqui magistri ejusdem nacionis se opposuerunt. Supplicavit predictus magister Jacobus Lullier, ut conclusio per dominum procuratorem tunc capta haberetur rata et valida, et quod magister Nicolaus maneret in officio suo; cujus supplicacio fuit concessa.

1449

*Fol. 148*b) Electio magistri Temanni de Gouda in procuratorem anno 1449°, die 10ª Februarii.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie super duobus articulis anno M°CCCC°XLIX, decima die mensis Februarii. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit mag. Temanus de Gouda, dyocesis Trajectensis, ex communi consensu magistrorum in procuratorem. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut nacio haberet eum gratum et avoatum et similiter facta grata et avoata peracta per eum; cujus supplicacio concessa erat in forma. Secundo supplicavit mag. Joh. Dorlo nomine bedelli nostre nacionis Nicolay, allegando infirmitatem et paupertatem ejusdem, ut nacio sibi vellet subvenire in aliqua quota in sublevamen ipsius. Nacio autem mota pietate concessit supplicacionem factam, et sibi de gracia dedit duo scuta auri, que sibi tradita erant per manus domini procuratoris in presencia domini receptoris et mag. Johannis Dorlo et aliorum magistrorum.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die quinta mensis Marcii super tribus articulis. Primus erat ad concludendum rotulum nominatorum et de data ejusdem. Secundus erat super resignacione officii notatorie sive scribe Universitatis. Tercius erat communis. Quantum ad primum conclusa erat clausio rotuli prenominati, et data de eodem. Quantum ad secundum non erat habita concordia, quia scriba non simpliciter resignavit, sed ad utilitatem unius [2] tantum; sed quando simpliciter resignaret, Universitas maturius deliberaret. Quantum ad tercium supplicaciones erant concesse.

1449

Continuacio predicti magistri Temanni de Gouda.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum die 10ª mensis Marcii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus erat communis. Quantum ad primum continuatus fuit concorditer mag. Temanus de Gouda in procuratorem. Quantum ad secundum idem supplicavit pro avoacione; cujus supplicacio erat concessa. Insuper supplicavit mag. Albertus Scriptoris, allegando et unum, magnas expensas quas pro nacione habuit per se et per alium eundo et mittendo ad regem Francie pro litteris licenciatoriis, ut nacio lib[e]re posset mittere ad dominum nostrum summum pontificem pro graciis exspectavivis, et totidem fecit apud Universitatem, viso quod *pragmatica sanccio* nichil proficeret nobis. Et summa per ipsum exposita se extendebat, ut retulit, ultra LII scutorum auri. Nacio autem deliberavit sibi restituere XXXII libr. par., sic tamen quod prosequeretur materiam inchoatam per ipsum nacionis; et ita conclusum est.

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra die 13ª mensis Marcii apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum vocalem nominacionem inrotulatorum; et quantum ad hoc placuit illa vocalis nominacio, et protunc conclusus erat rotulus et data pro eodem. Secundus erat super facto scribe Universitatis; et quantum ad hoc conclusum erat quod si magister Michel [3] simpliciter resignavit in manibus Universitatis, tunc contulit mag. Gwilhermo Nicolay nacionis Francie; si non, posuit eundem in adjutorem sibi, isto tamen condicione stante, quod predictus mag. Gwillermus secundum dictamen deputatorum Universitatis haberet providere predicto mag. Michaeli de victu et vestitu; et ita conclusum est ut prius in Universitate, quamvis non posui propter inadvertentiam in articulo immediate predacto (*sic*).

Facta fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum Pauperem die XXIIIIª mensis Marcii anno

1. Gaufridus de Amancia, *examinator pro prov. Remensi* (Lib. proc. nat. Gall., *fol.* 95b).

2. Richardi Viart, *secundum* lib. proc. nat. Gall., *fol.* 97.

3. Heberti.

quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; et quantum ad hoc nacio dedit notabilem intrantem, scilicet mag. Adam Scaep, dyocesis Trajectensis; et electus fuit concorditer mag. Jacobus Lullier [1], nacionis Francie [2] dyocesis Parisiensis. Quantum ad secundum supplicavit antiquus rector, ut facultas vellet eum habere gratum et avoatum; cujus supplicacio concessa erat in forma.

(*Fol. 149*) Facta fuit congregacio facultatis per dominum electum eodem die et loco super duabus supplicacionibus. Prima erat, ut facultas vellet sibi ascistere in dando consilium, auxilium. Secunda erat ut facultas se sibi vellet associare usque ad collegium regale Naverre, et ibi capere vinum et species. Cujus supplicaciones concesse erant.

[(*Fol. 53* b) Nomina [3] baccalariorum aliarum Universitatum.

Item, a Gregorio Arensdorf, diocesis Misnensis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Burcardo Helchner, Bambergensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a Bertoldo Lindenbulcze [de Hungen] [4], diocesis Maguntinensis, cujus bursa nichil.

Nomina baccalariorum istius anni et istius Universitatis.

Item, a domino Ottone de Tiela, de civitate Trajectensi, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Ludolpho Zwanken [5], Trajectensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Theodrico Kistemaker [6], Trajectensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Gotfrido Heymerik, Coloniensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Rodolpho Balinoet, Coloniensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Johanne Wesanen, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

(*Fol. 54*) Item, a Lamberto Neerden, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a domino Andrea Laurentii, Aboensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a Johanne Bovis de Arovo, Constantiensis diocesis, cujus bursa nichil, solvit pro scolis xx sol.

Item, a[b] Arnido Jacobi, Aboensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a Judoco Pontz, Constantiensis diocesis, cujus bursa nichil, pro scolis xx sol.

Item, a Johanne Kello [7], diocesis Sancti Andree, cujus bursa nichil, pro scolis xx sol.

Item, ab Alexandro Mac Alexander, Glasguensis diocesis, cujus bursa nichil.

Item, ab Andrea Conradi Hagen, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a Laurentio Leydis, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a Mauricio Wilhelmi Camerlinck, Trajectensis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a Johanne Henrici de Velsen, Trajectensis diocesis, cujus bursa, iiij sol., xx sol.

Item, ab Alexandro Bothuil, diocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Johanne Grebber, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Item, a Henrico Truchses [8], diocesis Herbipolensis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Wernero Susinger [de Loffenberch], diocesis Basiliensis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a David Abrecrumbi [9], diocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., xl sol.

Item, a Nycolao Johannis de Haerlem, Trajectensis diocesis, cujus bursa nichil, pro scolis xx sol.

Item, a Johanne Vogel de Kyrs, Treverensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, a Galtero de Spaldyng, diocesis Brechinensis, cujus bursa viij sol., xl sol.]

(*Fol. 149* b) Facta fuit congregacio nationis Almanie apud Sanctum Maturinum anno Domini 1449° die 5ta mensis Aprilis super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris, scilicet

1. *Sic etiam* Bul., V, 921.
2. *Et collegii Navarrae* (*v.* Launoi, Nav. gymn., p. 939).
3. *Quanquam liber procuratoris licentiatos hujus anni enumeret, librum receptoris potius sequimur, qui diligentius Universitates distinguit et nomina plenius refert. Notemus tamen ex libro procuratoris, alios sub Adriano de Mera, alios sub Temano de Gouda juravisse.*
4. Erfordiae. *Vid. supra* p. 724, 25.
5. *Ms.* Zwafken; *sed in* lib. proc. « Sveesken ».
6. *An.* 1447-1448 Coloniae *intitul.* (Keussen, Matrikel, I, 383). *De ipso etiam in* Suppl. Nicol. V, n° 445, *fol.* 52, *ad an.* 1451. *An.* 1453 *in curia Romana morabatur* (ibid., n° 461, *fol.* 128 b).
7. *Utique* Kellyn.
8. *Fortasse, qui* an. 1445 *ut canon. Novi Monasterii Herbipolens.* Erfordiae *intitul. est* (Weissenborn, Acten d. Erfurter Universität, I, 204).
9. David de Abircrumbyn, *nobilis ex utroque parente, ac* « in studio. Paris in fac. art. actualiter studens » *designatur in* Suppl. Nicol. V, n° 435, *fol.* 33, *ad an.* 1450).

mag. Jo. de Pallacio. Secundus erat ad deliberandum super exequiis fiendis de obitu unius magistri nostre nacionis, scilicet mag. Baldevini de Oech. Tercius erat communis. Quantum ad primum auditus est compotus domini receptoris, et omnibus hinc inde defalcatis, mansit receptor nacioni obligatus in summa LXX lib. par..., II den. Quantum ad secundum obiit venerabilis magister, scilicet mag. Baldevinus de Oech anno Domini 1449° secundum cursum curie Romane mensis Aprili[s] die prima, et sepultus est super cimiterium Sanctorum Cosme et Damyani. Et deliberatum erat die 5ta Aprilis quod nacio haberet selebrare exequias suas cum vigiliis et missa solenni, et 4^{or} candelis cereis et distribucionibus communibus et consuetis. Quantum ad 3^{m} supplicavit dominus receptor, scilicet mag. Joh. de Pallacio, ut nacio vellet ipsum habere gratum et facta sua grata et rata. Cum nacio audivisset compotum suum, qui habitus erat legalis et fidelis, ipsum habuit gratum et avoatum et facta sua grata, rata et avoata. Et ita conclusum fuit.

1449

Electio magistri Ade Scaep in procuratorem [1].

Anno Domini M° CCCC° XLVIII, vij^{a} Aprilis facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis. Quantum ad primum articulum ex unanimi consensu magistrorum electus fuit in procuratorem mag. Adam Scaep, Trajectensis dyochesis, natus de Doesboerch. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut nacio vellet ipsum habere gratum et facta sua grata et avoata; cujus supplicacio fuit concessa, nacio enim habuit eum gratum et facta sua grata, rata et avoata.

Facta fuit congregacio Universitatis anno M° CCCC° XLIX°, III May apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super inhibicione quadam facta domino conservatori, ejus vicem gerenti, domino promotori et magistro Regnaldo Bryel, solicitatori unius scolaris qui etatem non habuit, ne ulterius proced[er]ent in causa contra Joh. de Insula auctoritate sedis apostolice, et casu quo ipsi procederent vel procedere intenderent, quod essent citati ad curiam abbatis Antvorpie [2] et ad curiam domini decani Sancte Crucis Leodiensis, qui haberent connoscere illam causam, quod expresse est contra privilegia nostra et contra *pracmaticam sanxionem*. Que inhibicio infixa fuit walvis ecclesie Nostre Domine Parisius. Secundus articulus fuit super facto sacre capelle palacii Parisius. *(Fol. 150)* 3us fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit quod duplici via procederetur contra illum Johannem de Insula, scil. spirituali et seculari : spirituali [3], scil. quod reverendus in Christo pater episcopus Silvanectensis [4] conservator illius privilegii haberet procedere contra eum omnibus viis et modis possibilibus ; seculari vero, quod procureretur unum mandatum regium expensis partis nomine Universitatis, et cum illo unum citatorium, sic quod omnia bona sua ponerentur in manu regis, et quod ipse citaretur ad curiam Casteleti Parisiensis vel incarceraretur, si possibile fieri possit. Quantum ad secundum articulum conclusum fuit quod dominus rector haberet ire ad dominos de parlamento, ut ipsi concordiam factam inter Universitatem et canonicos de sacra capella admitterent; et ad hoc dedit deputatos solempnes qui haberent ire cum domino rectore pro associando eum. Et quoad tercium articulum supplicavit dominus rector ut Universitas ei [5] vellet dare auxilium, concilium et favorem; cujus supplicacio fuit concessa, et alie supplicaciones fuerunt remisse ad deputatos.

1449

Continuacio magistri Ade Scaep in procuratorem [6].

Facta fuit congregacio venerande nacionis Allmanie V^{a} Maji anno quo supra in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator in officium scilicet mag. Adam Scaep. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator, ut nacio vellet eum habere gratum et facta sua rata et avoata; cujus supplicacio fuit concessa in forma. Et suppli-

1. « In prandio tempore electionis mag. Ade Scaep in procuratorem *in cervo* presentibus magistris nationis, II lib. VI sol. » (Lib. recept., *fol.* 54 b).
2. *Utique monasterii S. Michaelis, Ord. Praemonstrat.*
3. *De hoc facto c* lib. proc. nat. Gallic. *ap.* BUL., V. p. 544.
4. Simon Bonnet, *ab an.* 1447.
5. *Ms.* eum.
6. « Ipsa die qua continuatus fuit... *in pavone* in prandio presentibus magistris nostre nacionis, III scuta, IV sol., VI den. » (Lib. recept., *fol.* 54 b).

cavit magister Godefridus Neuvener casu quo rotulus mitteretur in absencia sui, quod posset inrotulari; cujus supplicacio similiter fuit concessa. Eadem die conclusum fuit quod cathedra et alia sedilia in scolis *septem artium* reparentur[1].

Facta fuit congregacio venerande facultatis artium anno quo supra decima Maji in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta baccalariorum et vocatorum, ut ponerentur in cameris secundum modum consuetum habitis juramentis ab ipsis. Quantum ad secundum nullus supplicavit. A. Scaep.

Item facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra XI^a mensis Maji in Sancto Maturino pro eundo ad processiones apud Sanctam Katherinam. A. Scaep.

(*Fol. 150*^b) Facta fuit congregacio facultatis artium in Sancto Maturino anno quo supra XIII^a Maii super duobus articulis. Primus erat ad ponendum baccalarios vocatos pro secunda camera vel pluribus, si opus fuerit, in cameris. Secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit quod ponerentur pro tribus mensibus in diversis cameris, ut eo cicius expedirentur, et similiter conclusum fuit, quod rector, tociens quociens expediretur, haberet congregare facultatem. Quantum ad secundum articulum nemo supplicavit.

Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie anno quo supra XIIII^a Maii in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad providendum super eligendum unum supstitutum in officio bedellorum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit in substitutum venerabilis et discretus socius Johannes Losen, qui haberet ponere fidejussorem pro virga; et conclusum fuit quod Nicolaus debuit habere unum scutum, quia erat infirmus, et quia ipse haberet tradere virgam infirmitate sua durante, et bedelli deberent habere jura sua antiqua, et substitutus debuit habere octo scuta a nacione. Quantum ad secundum supplicavit Johannes predictus solus, cujus supplicacio fuit concessa.

Facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra XV^a Maji in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras a sancta sede apostolica transmissas per venerabilem et discretum virum magistrum Donatum[2] in theologia professorem. Secundus articulus fuit super facto sacre capelle. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum fuit, quod regraciabatur domino nostro summo pontifici de bona communicacione suarum litterarum[3], et similiter regraciabatur magistro Donato de sua bona relacione, quam fecit ex parte summi pontificis; et conclusum fuit ut fierent processiones ad regraciandum Altissimum de unione ecclesie[4]. Quantum ad secundum articulum conclusum fuit quod si domini de sacra capella concordatum passatum non vellent tenere, quod tunc privarentur, sicut alias conclusum fuit. Quantum ad tercium articulum omnes supplicaciones fuerunt remisse ad deputatos.

Facta fuit congregacio facultatis artium anno quo supra in Sancto Maturino XVII^a Maji super duobus articulis. Primus erat ad ponendum baccalarios in cameris; secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit, quod placuit recipere juramenta baccalariorum et similiter examinandorum, ut ponerentur in cameris. Quantum ad secundum supplicavit magister Albertus Scriptoris, ut haberet examinare scolares in cameris, sicut magister Godefridus Calvi[5] fecit, vel quod ipse magister Godefridus de cetero non temptaret. Cujus supplicacio pro secunda parte fuit concessa, scilicet quod ipse de cetero non haberet examinare, quia contra statutum fuit.

Facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino anno quo supra XVIII^a Maii ad eundum processionaliter[6] ad Sanctum Martinum.

A. Scaep.

[(*Fol. 55*)[7] Nomina duorum incipientium anno preterito licentiatorum.

Dominus Petrus Yvonis de Alcmaria, cujus bursa nichil.

1. *Nunc sub rubrica* : Sequuntur nomina duorum licenciatorum de alio anno *sequuntur* Petrus Yvonis de Allecmaria *et* David de Cranoch.

2. Donatum de Puteo, *Italicum Ord. Min., lic. in theol. an.* 1435, *Dec.* 23. *An.* 1450 *nomine magistrorum theol. Univers. Paris. Ordinum mendicant. supplicavit, ut ipsi poenitentes etiam in casibus episcopalibus absolvere possent* (Suppl. Nicolai V, n° 439, *f.* 296^b).

3. *Quae tamen non sunt litterae ap.* Bul., *l. c.*, p. 545 *publicatae, cum eae sint Jun.* 18.

4. *April.* 7 *antipapa* Felix, *dux Sabaudiae, resignavit papatui, et April* 19 *conciliabulum Lausanense etiam Thomam de Sarzana, i. e. Nicolaum V, in papam elegit, et April.* 25 *sequebatur solutio Concilii* (*vid.* Hefele, Conciliengesch., VII, 848 *sqq.*; Pastor, Gesch. der Päpste, I, 321 *sq.*). *Cum nuntius hujus facti Parisios venit, omnes gaudio repleti sunt, et processionem instituerunt ad S. Victorem, et minimum* 10.000 *personae numerabantur* (Journal d'un bourgeois, p. 390).

5. *Nat. Gallic.*

6. *Ms.* processiones.

7. *Eam seriem nominum in libro procuratoris deficientem e libro receptoris protraximus.*

Item a domino David de Grannoch, cujus bursa vj sol.

Nomina licentiandorum istius anni.

Dominus Franco de Keel, cujus bursa viij sol., xl sol.

Dominus Guilhelmus de Granoch junior, cujus bursa vj sol., xl sol.

Dominus Folpardus de Amerongen, cujus bursa viij sol., xl sol.

Dominus Arnoldus Foykin[1], Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Thomas de Driel, cujus bursa iiij sol. xx sol.

Dominus Guilhelmus de Granoch senior, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Theodricus Vustinch, Trajectensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.

Dominus Radolphus Vriesi, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

(*Fol. 55*[b]) Dominus Florencius de Dam, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Conradus Suterlin, cujus bursa nichil.

Dominus Johannes Langh Aroisiensis diocesis, qui solvit bursas pro baccalariatu et pro licentia, iiij lb. cum media.

Dominus Johannes Noel, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Dominus Johannes de Mosa Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Franco Pauli, cujus bursa vj sol., xxx s.

Dominus Nicolaus Reneri, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Wilhelmus Hagen, cujus bursa IIII sol., xx sol.

Dominus Theobaldus Johannis, cujus bursa nichil.

Dominus Petrus Marci, Aboensis diocesis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Johannes Jacobi de Montfordia, cujus bursa nichil.

Dominus Wesselus ten Kate de Anholt, Monasteriensis diocesis, cujus bursa nichil.

Dominus Johannes Florentii [de Alcmaria], Trajectensis diocesis, cujus bursa nichil.

Dominus Theodricus de Graft, Trajectensis diocesis, cujus bursa nichil.

Dominus Cornelius Wilhelmi, Trajectensis diocesis, cujus bursa v sol., xxx sol.

Dominus Theodricus Martini, diocesis Trajectensis, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Nycolaus Theodrici Johannis, Trajectensis diocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Dominus Theodricus Arnoldi Hagen, cujus bursa vj sol., xxx sol.

Dominus Gregorius Arnserdorf, Misnensis diocesis cujus bursa viij sol., xl sol.

Dominus Christianus Sleicken, diocesis Herbipolensis, cujus bursa nichil.

Dominus Johannes Wittenviler, Constantiensis diocesis, cujus bursa viij sol., xl sol.]

(*Fol 151*) Sequuntur[2] nomina incipientium anno Domini M° CCCC° XLIX.

Dominus Franco de Kel Trajectensis dyochesis sub magistro Alberto Scriptoris, cujus bursa VIII sol.

Dom. Gwilhelmus de Crenoech junior, sub eodem, cujus bursa sex sol.

Dom. Folpardus de Ameronghen, sub mag. Ev[er]ardo Johannis, cujus bursa VIII sol.

Dom. Arnoldus Fokini, sub eodem, cujus bursa VI sol.

Dom. Thomaes de Driel, sub eodem, cujus bursa IIII sol.

Dom. Gwilhelmus de Crenoch senior, cujus bursa VI sol., qui incepit sub magistro Johanne Kennedi.

Dom. Florencius de Daem, sub mag. Ev[er]ardo Johannis, cujus bursa VI sol.

Dom. Teodericus Vustinc, cujus bursa VIII sol., qui incepit sub mag. Johanne Kennedi.

Dom. Rodolphus Vriese, cujus bursa IIII sol., qui incepit sub eodem.

Dom. Johannes Noel, cujus bursa IIII sol., qui incepit sub mag. Adriano de Mera.

Dom. Franco Pauli, cujus bursa VI sol.

Dom. Petrus Marci, cujus bursa VI sol.

Dom. Johannes Laeng, cujus bursa IIII sol., qui incepit sub mag. Adriano de Mera.

Dom. Johannes Jacobi, cujus bursa nichil; qui incepit sub mag. Johanne Petri.

Dom. Johannes de Mosa, cujus bursa VI sol., qui incepit... (*sic*)

Dom Vesselus ten Kate de Anhoelt, cujus bursa nichil, qui incepit sub mag. Johanne Petri.

Dom. Nicolaus Regneri, cujus bursa VI sol., qui incepit... (*sic*)

1. *Vel* Foikini, *rector an.* 1457 et 1460.

2. *Abhinc ad librum procuratoris recurrimus.*

Dom. Teobaldus Johannis Caper, cujus bursa IIII sol.

Dom. Wilhelmus Hays, cujus bursa V sol.

Dom. Johannes Wittenville, cujus bursa VIII sol., qui incepit sub mag. Ewardo Johannis.

Dom. Cornelius Wilhelmi, cujus bursa V sol., qui incepit sub eodem.

Dom. Theodricus de Grayft, [Traject. dioc.], cujus bursa nichil.

Dom. Teodericus Martini, cujus bursa VI sol.

Dom. Nicolaus Teodrici de Harlem, cujus bursa IIII sol. [sub mag. Everardo Harlem].

Dom. [1] Conradus de Suterli, Constant. dioc., cujus bursa nichil [sub mag. Joh. Petri].

Dom. Theodricus Arnoldi Hagen, cujus bursa VI sol. [sub mag. Temanno de Gouda.]

(*Fol. 151*[b]) Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie anno quo supra XXIIII[a] Maii in Sancto Maturino super duobus articulis [2]. Primus erat super facto unius baccalarii, qui receptus fuit ad nacionem et vocatus in inferiori temptamine, et non visitavit vicum Straminis quemadmodum et ceteri solent facere, et sic, ut dicebatur, quod ipse non audiverat libros ad gradum requisitos, et ideo citatus fuit ad nacionem ad respondendum de hiis que sibi obiciebantur. Et respondit quod audivit aliquos libros Parisius, et alios in Universitate Libcensi [3]. Et quoad illum articulum conclusum fuit quod ipse deberet certificare procuratorem de libris auditis tam hic quam allibi, antequam procurator haberet ei dare sigillum, et quod unus magister haberet adire domino cancellario (*sic*), qui esset deputatus a nacione, ut ipse examinaret eum, et si tunc non esset repertus suo ordine sufficiens, quod haberet eum potestatem refutandi. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Facta fuit congregacio facultatis anno quo supra XXVI[a] Maji in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat super facto unius baccalarii, cui [4] negatus fuit *placet* a regentibus in vico Straminis, *quod nimis parvus erat, et, ut videbatur, non habuit annos suos.* Secundus fuit ad ponendum adhuc duos in cameris, qui absentes fuerunt; et pro ipsis supplicatum est tempore quo debebant poni in cameris. Tercius est communis. Quantum ad primum conclusum fuit quod ille baccalarius deberet probare etatem suam et incipere. Quantum ad secundum placuit presentare domino cancellario illos baccalarios, et dedit examinatores. Quantum ad tercium supplicavit quidam magister pro expedicione unius baccalarii; cujus supplicacio fuit concessa.

Facta fuit congregacio facultatis artium anno quo supra XXIX[a] Maii in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat super facto magistrandorum in artibus, qui tunc petiverunt *placet*. Secundus fuit communis. Quoad primum articulum, quia fuit unus Gallicus qui volebat incipere, qui fuit de 4[to] mense superius [5], et fuerunt alii qui fuerunt de 3° mense inferius, et ille qui fuit de 4[to] mense superius volebat incipere, quia ultimus de 3° mense superius non incepit, et sic ipse voluit implere vicem suam. Et conclusum quod ille de 4[to] mense non deberet, sed ordine suo, et similiter fiet de alio examine. Et quoad aliam partem fuerunt quidam normanizati et quidam almanizati [6] licentiati superius, et quidam veri Normani et veri Almani inferius; et illi veri Allamani et Normani volebant precedere [7] normanizatos et almanizatos in suis scolis. Et quoad hoc conclusum fuit quod idem esset judicium de almanizatis et normanizatis et veris Normanis et Almanis, et quod almanizati et normanizati deberent precedere ordine suo aliis [8]. Quoad tercium nullus supplicavit.

1449

(*Fol. 152*) Procuratoria magistri Henrici de Bye, Trajectensis dyocesis, nati de Campis.

Anno Domini M° CCCC° XLIX°, II[a] Junii, facta fuit congregacio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem corcorditer magister Henricus de Bye. Quantum ad secundum supplicavit primo antiquus procurator nationi ut in actis tempore sue procuratorie haberetur gratus, avoatus et recommendatus; cujus supplicatio fuit concessa; avoavit enim et grata et recommendata habuit natio singula per ipsum facta nomine nationis. Insuper

1. *Duo sequentes desumpti sunt e* lib. receptoris, *fol.* 56[b], *et in* lib. proc. *posterius annotantur.*

2. *Ea die receptor solvit* « presentibus magistris nationis *in epitogio* II scuta, XI sol., XI den. » (Lib. recept.).

3. *I. e.* Lipsiensi.

4. *Ms.* qui.

5. *I. e.* apud S. Genovefam, *inferius* apud Nost. Dominam.

6. *Antea dicebatur* anglicandus *et* anglicatus (*vid.* Auct. I, p. xxv, *not.* 6, *et* Chartul., II, 19, *not.*, *et* p. 475); *sed mutato nomine* nationis Anglie. *in* nat. Alemaniae *voce* almanizati *usi sunt. Vid. an.* 1443. *April.* 12.

7. *Ms.* procedere.

8. *In margine :* Nota, qualiter almanizati vel normanizati facultatis precedunt veros Almanos et Normanos.

supplicavit magister Dubboldus Campis, si contingeret ut ante sui reditum in ejus absentia (quia iturus erat ad partes) rotulus mitteretur ad summum pontificem super provisione suppositorum Universitatis aut nationis, quod possit rotulo inscribi. Quam supplicationem, attento quod idem magister per majorem partem ordinarii regens fuerat in vico Straminis Parisius, omnes magistri ejusdem venerande nationis concorditer concesserunt[1].

Anno quo supra, XIII[a] mensis Junii, congregata fuit facultas artium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super celeri expeditione licentiatorum ante tempus inordinarium; omnes autem ante illud tempus expediri non poterant *nisi plures cathedre essent uno die in una natione;* sed hoc contrarium erat consuetudini, que est jus quoddam moribus institutum et pro lege accipitur. Positum igitur erat in deliberationibus dispensare super illo. Secundus articulus erat communis. Quantum ad primum articulum due nationes, scilicet Francie et Picardie, in redditionibus deliberatorum dixerunt, ut omnibus modis et viis possibilibus laborarent pro expeditione magistrandorum omnium ante tempus inordinarium; et quia alio modo fieri non potuit nisi uno die plures essent cathedre in una natione, in hoc ideo convenerunt. Alie autem due nationes, scilicet Normanie et Almanie, considerantes inordinationes, que propter remisionem laudabilium consuetudinum contingunt, et eciam actus magistralis dignitatem, quare non cum tanta levitate erat ibi procedendum, se primis duabus nationibus opposuerunt, convenientes in hoc ut consuetudo super cathedris habendis hactenus servata (quia multum laudabilis videbatur) nullomodo infringeretur, sed tantum ut consuetum erat, *quelibet natio uno die unam cathedram haberet*, adicientes quod non placeret eis ut illi, qui eodem die petierunt *placet* pro transeundo ad magisterium in scolis Almanie, transirent, cum hoc egerant non habito consensu nationis, nec eciam essent Almani neque almanisati. Et requisitus erat procurator a magistris nationis, ut clavem scolarum Almanie exigeret ab habente, et ut scole clauderentur, ne decetero aliquid temptaretur concernens nationem, prius non habito concilio ejusdem. Rector autem protunc videns discordiam nationum, magis tamen favens primis duabus nationibus, dixit per modum conclusionis, ut fieret multiplicatio cathedrarum ultra solitum modum in scolis earundem nationum (aliis duabus nationibus, Normanie scilicet et Almanie, se opponentibus), et essent tot cathedre uno die sicut expediens videretur et congruum pro expeditione omnium magistrandorum ante inordinarium tempus. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

Vicesima prima die mensis Junii anno quo supra facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum diligencias factas circa factum Universitatis ex parte una, et dominorum de sacra cappella ex altera. Secundus erat communis, etc. Quantum ad primum articulum accordum predictarum partium nondum sigillatum sigillis omnium dominorum de sacra cappella et specialiter magistri Johannis Typheyne, pro tunc absentis, adhuc servabatur a procuratore regio. Pro expeditione igitur istius rei et passatione ejusdem accordi, nisi predictus magister in brevi rediret, Universitas sibi scriberet ut sufficiens mitteret (*Fol. 152*[b]) procuratorium domino procuratori regio, ut accordum istud suo sigillo sicut et aliorum posset sigillari pro appunctuamentum passando. Quantum ad secundum articulum supplicavit imprimis dominus rector ut haberetur gratus et avoatus in actis tempore sue rectorie et pro littera gradus; cujus supplicaciones fuerunt concesse, probatis probandis quantum ad litteram gradus. Item supplicavit quidam doctor in theologia pro recommendatione religiosorum ecclesie Beate Marie de Caritate, et erat lecta minuta in Universitate. Cujus supplicatio eciam fuit admissa, correctis tamen prius corrigendis in deputatis. Item plures alii erant supplicantes pro littera gradus et pro litteris recommendatoriis; quorum supplicationibus annuit Universitas probatis probandis.

Vicesima tercia die mensis Junii anno eodem congregata fuit facultas artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi procedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc dedit unum notabilem intrantem, videlicet magistrum Temannum de Gouda, qui cum aliis intrantibus aliarum nationum elegerunt notabilem virum magistrum Jacobum de Gouda[2] nationis Almanie, qui habito concilio cum cunctis suis acceptavit officium in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Quantum ad secundum supplicavit primo dominus

1. *Postea tres* incipientes *jam supra allati annotantur.*

2. Bul., V, 921, *perperam* Joh. Escombart *Normann.* Jacobus de Gouda *pluries etiam in* lib. receptoris (H 2587 *fol.* 54 *sqq.*) *ut rector occurrit, omittitur autem in* lib. proc. nat. Gallic.

antiquus [1] qualiter facultas vellet eum habere gratum, avoatum et recommendatum in factis suis; cujus supplicatio ab aliis nationibus fuit concessa, sed natio Almanie in bene actis avoavit ipsum, in aliis autem habuit eum supportatum. Insuper supplicavit dominus rector de novo electus imprimis ut facultas vellet sibi dare concilium, auxilium et favorem in omnibus agendis suis; secundo ut omnes magistri vellent ipsum associare usque ad domum suam et accipere vinum et species; et ambe ejus supplicationes fuerunt concesse. Item supplicaverunt duo magistri pro duobus baccalariis temptatis, sed non examinatis propter eorum absentiam legitimam; quorum supplicationes concesse fuerunt, probatis tamen primo vocationibus eorundem.

Decima quarta Julii congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super provisione suppositorum Universitatis; secundus erat super quibusdam tangentibus privilegia Universitatis; tercius fuit communis. Quantum ad primum articulum requisitus fuit dominus rector, ut haberet convocare deputatos solempnes scelerius quo poterit, qui haberent rem hanc mature tractare et videre articulos confectos, si quidam essent, summo pontifici mittendos, et corrigere, addere seu diminuere, si opus esset. Et curreret una bursa duorum solidorum quoad omnes, nemine excepto, quousque sufficeret pecunia pro ambatiata ad summum pontificem mittenda. Quantum ad secundum articulum voluit Universitas ut mitteretur unus magister notabilis vel duo non per modum ambatiate, sed tanquam nuncii cum litteris Universitatis ad dominum nostrum regem pro conservatione privilegiorum Universitatis, quia cotidie ratione impositionum et talliarum supposita Universitatis molestantur. Quantum ad tercium articulum supplicavit imprimis dominus rector pro concilio, auxilio et favore; cujus supplicatio fuit concessa in forma. Item quidam doctor in theologia supplicavit pro scriba Universitatis [2], qui ob magnam paupertatem ejus esset in Domo Dei et ob ejus infirmitatem officium exercere non potuit; quare unum substituit in servitorem ejus [3], qui promiserat predicto scribe cum certa quota subvenire omni mense; sed, ut retulit idem doctor, iste substitutus nullam penitus sibi pecuniam dedit infra tres menses. Substitutus autem salva cujuscumque reverentia contrarium allegavit. Et sic ratione discordie conclusum erat, ut ipse substitutus omnia faceret secundum dictamen deputatorum. Item supplicavit quidam magister, scilicet magister Johannes Kennedi nationis Almanie, pro adjunctione Universitatis ratione cujusdam cause contra quendam condempnatum, qui impetravit quasdam inhibitiones contra istum predictum magistrum, ne sententia posset mandari executioni, et ideo supplicavit iste magister, quia procedere non potuit, ut promotor Universitatis in causa illa fungeretur officio suo, et procederet contra illum, excommunicando eum, nisi ab inceptis desisteret. Et quia erant inhibitiones facte diverse et cotidie contra privilegia Universitatis, [que] fierent in magnum prejudicium ejus, multis suppositis Universitatis per dominos camere requestarum et principaliter domino conservatoris locumtenenti et domino promotori, ne in certis causis contra quosdam procederent : requisitus erat dominus rector [ut] cum solemni comitativa accederet primo dominos camere requestarum supplicando eisdem, ut de cetero in prejudicium Universitatis tales litteras inhibitionum sigillare non vellent attemptare; eciam ut eidem viceconservatori injungeretur, ut non obstante quacumque inhibitione semper fungeretur officio suo, et si quidquam mali inde sibi accideret, Universitas vellet capere factum illud tamquam proprium.

Henricus de Bye.

(*Fol. 153*) Anno quo supra, 25ª mensis Julii, congregata fuit veneranda natio Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum diligencias factas per promotorem cause nacionis pendentis in curia parlamenti. Secundus erat ad eligendum quendam in nuncium nationis. Tercius erat communis. Quantum ad primum articulum audite erant diligencie circa causam facte, et consideratis omnibus ordinavit natio quosdam solemnes qui haberent accedere ad dominum presidentem requestarum et supplicarent sibi ne in causa nationis acceleraretur nec sententia definitiva diceretur, nisi prius habitis quibusdam cedulis vel copiis earundem tentis a dominis de Castelleto, que causam nationis possunt promovere. Quantum ad secundum articulum electus fuit in nuncium nationis discretus vir Jacobus Aurifabri, eo tamen presente [4] nec supplicante personaliter, sed quodam magistro nationis ex parte sui; et quia personaliter presens non fuerat, juramentum prestare non potuit; quare nec erat receptus nec sibi dyocesis assignata. Quantum ad tercium articulum supplicavit promotor cause pre-

1. *I. e.* rector antiquus.
2. Michaele Heberti.
3. *Scil.* Guillelmum Nicolai. *Vid. ad Mart.* 13.

4. *Sic construendum* : nec tamen eo presente vel supplicante personaliter.

dicte, scilicet magister Lambertus Schout, haberi gratus et avoatus in actis per eum circa causam nacionis; cujus supplicatio fuit concessa. Item supplicavit magister Helias Noort pro regentia; cujus eciam supplicationem natio concessit, non tamen reputaretur regens ante novum cursum in inrotulatione, si rotulus mitteretur.

Sexta die Augusti et anno supradicto congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum super 4^{or} articulis. Primus erat ad audiendum instructiones pro dominis ambatiatoribus [1] confectas. 2us erat ad providendum de receptoribus burse currende pro ambatiata ad summum pontificem mittenda. 3us erat ad eligendum unum notabilem ad officium scribe Universitatis, quod per mortem magistri Michaelis [Heberti] vacaverat. 4us fuit communis. Quantum ad primum articulum placuit Universitati lectura instructionum et quod multiplicarentur per singulas facultates et nationes et quod visitarentur per notabiles deputatos, qui, si esset aliquis defectus in ipsis, corrigere deberent. Quantum ad secundum articulum venerandus dominus rector nominavit magistrum Petrum de Vaucello, doctorem in theologia, ordinatum in receptorem burse per dominos deputatos, et magistrum Gotfridum Normani in contrarotulatorem quos Universitas acceptavit. Quantum ad tercium contulit Universitas officium scribe per mortem alterius vacans magistro [Guillelmo Nicolai] integre et sine diminutione. Quantum ad quartum supplicationes petentium pro litteris gradus probatis probandis erant concesse, sed supplicavit quidam pro adjunctione in causa pendente in Castelleto; cujus supplicatio fuit remissa ad deputatos. Item voluit Universitas quod scriberetur principalibus [2] de villa Bituricensi, ut quibusdam de suppositis Universitatis impositis per eos ad tallias, et receptis ratione talliarum vadiis ab eisdem, pro privilegiorum Universitatis conservatione reddere non negarent.

Octava die mensis predicti congregata fuit apud Sanctum Maturinum veneranda natio Almanie super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum quendam virum alias in congregatione nominatum in nuntium nationis. Secundus fuit communis. Quantum ad primum supplicavit vir probus Jacobus Praet, ut natio dignaretur ipsum assumere in nuncium ad serviendum fideliter et legaliter magistris et scolaribus nationis Almanie. Qui prestito juramento prius, ut consuetum est et decet, receptus fuit, et deputatus pro dyocesi Monasteriensi. Quantum ad secundum nullus supplicavit nisi nuncius predictus, ut habetur in articulo primo.

1449

(*Fol. 153^b*) Eleccio magistri Thome Cameron canonici Glasguensis, rectoris de Gowayne [3].

Anno Domini M°CCCC°XLIX°, die XXVI^a mensis Augusti, facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad elegendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum uniformiter electus fuit in procuratorem magister Thomas Cameron. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus antiquus procurator, ut nacio ipsum haberet gratum et recommissum in hiis que per ipsum facta sunt tempore sue procuratorie. Cujus supplicacio concessa fuit et habuit nacio ea que per ipsum facta erant grata et recommissa. Nulli alii supplicaverunt.

Vicesima septima die mensis Augusti anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus articulus fuit super articulis mittendis domino nostro regi [4], qui concernunt privilegia Universitatis et de ambassiata mittenda. Secundus articulus fuit ad conferendum officium liberarie quod protunc in Universitate vacabat per obitum precedentis, et super resignacione alterius officii. Tercius articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum non fuit inter naciones uniformis concordia, quia aliqui volebant illos articulos sigillari, alii vero non, quia dicebant dominum regem esse impeditum circa multa alia que accidebant [5] in regno [6]. Sed dicebant facultates pro conclusione, spectandum esse usque ad adventum do-

1. *Ad regem.* Bul., V, 549 *confundit hanc legationem cum illa mense Januarii sequentis facta, et* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. V, p. 203, *not.* 9, *quoad hoc non fuit attentus. Caeterum ista legatio ad regem Aug.* 27 *nondum iter arripuerat. Mense Septemb. duo oratores Universitatis,* Guillelmus Bouillé *et* Robertus Ciboulle *ad regem profecti sunt. Vid. ad Octob.* 4.

2. *Seu* rectoribus, *ut in* lib. proc. nat. Gallic. *scribitur; restituant vadia nuncii et pergamenarii.*

3. *I. e. eccl. paroch.* de Govan.

4. *Vid. supra Aug.* 6.

5. *Ms.* accedebant.

6. *Hoc anno, Jul.* 17, *rex Carolus inducias belli praecidit et hostilia contra Anglos incipere conclusit* (*vid.* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. IV, p. 330 *sq.*). *Rex rebus militaribus occupatus erat.*

mini patriarche [1], et tunc poterant secure ab eo informari et mittere super singulis Universitatem et privilegia Universitatis concernentibus.

(*Fol. 154*) Quantum ad secundum articulum, qui fuit super disposicione officii, constitutus fuit in officio per Universitatem clericus magistri nostri magistri Johannis de Oliva, qui fideliter, firmiter et honeste exerceret illud officium ad honorem Universitatis et quod semper post processiones haberet portare libros ad singulos ordines, sic quod nullam haberent occasionem vagandi alubi (*sic*). Insuper resignavit mag. Goffridus Normani ex parte magistri Johannis Generi quoddam officium in manibus Universitatis in favorem alterius magistri et non alias. Que resignacio concessa fuit et uniformiter singulis placuit. Insuper supplicavit procurator regius de Castelleto pro fratre suo super officio papiriatus, quia dixerat fratrem suum unum molendinum construxisse propriis expensis, ubi faciebat papirum. Cujus supplicacio concessa fuit. Insuper decrevit quod fierent processiones ad libitum domini rectoris; et quia bursa domini rectoris nimis fuit aggravata propter fiendas expensas in processionibus, decreverunt quod de bursa communi haberet tres francos in subsidium. Eciam placuit singulis facultatibus ut in omnibus collegiis qualibet ebdomada fieret missa de Sancto Spiritu et quod omnes illius collegii interessent.

Quantum ad tercium articulum que est super supplicacionibus et injuriis supplicavit decanus [2] facultatis doctor medicine pro quadam littera recommendatoria ab Universitate summo pontifici in forma communi, et unus de domo magistri Petri Carros ex parte predicti magistri Petri pro quadam littera recommendatoria ad quemdam prelatum de regno Arrogonie, cujus minuta lecta erat in Universitate. Super quibus decrevit Universitas illas corrigi in deputatis, quo facto Universitati placeret. Insuper supplicaverunt aliqui pro litteris gradus, que supplicacio concessa fuit probatis probandis.

Vicesima nona die mensis Augusti anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum ad eundum processionaliter aput Sanctum Martinum de Campis. Insuper supplicavit unus magister pro litteris recommendatoriis; que missa fuit ad deputatos.

Prima die mensis Septembris anno quo supra imposuit dominus receptor in archa nacionis in ecclesia Cosmi et Damiani quinquaginta scuta auri monete Francie et decem salucia auri hiis presentibus: magistro Thoma Cameron procuratore, magistro Johanne de Palacio receptore, magistro Alberto Scriptoris, magistro Lamberto Schoute, magistro Themano de Gowda, magistro Johanne Kennady et substituto nacionis Johanne [3], cujus cognomen non novi. M. Thomas Cameron.

(*Fol. 154*[b]) Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum die tercia mensis Septembris anno quo supra super duobus articulis. Primus articulus fuit ad audiendum quasdam litteras Universitati missas de civitate Biturisensi, in qua continebatur responsio cujusdam littere misse per Universitatem ad civitatem predictam super libertate privilegiorum Universitatis. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum decrevit Universitas pro superhabundanti iterum scribendum esse incolis predicte civitatis, videlicet 4[or] principalioribus super hujusmodi reformacione libertatum et privilegiorum Universitatis, et quod amplius non molestarent Universitatem nec supposita ejusdem; casu quo predicti 4[or], qui habent predictam civitatem regere, noluerint, sed animo indurato perseveraverint, quod usque ad excommunicacionis sentenciam conservator haberet contra eos omnino procedere. Insuper supplicavit magister noster magister Petrus Maugier [4] decretorum doctor pro duobus molendinariis quos dixit esse supposita Universitatis et a longis temporibus gavisos fuisse previlegiis Universitatis, quos asserebat graviter vexari in predictis previlegiis, ita, quod dum ipse cum domino promotori (*sic*) Universitatis veniebant ad illos, qui pro tribunali sedebant, nullam ab eis poterant habere audienciam, sed statim incarcerari fecerunt predictos molendinarios. Super quo decrevit Universitas, ut haberet adjunccionem, et quod conservator eodem modo contra illos procederet sicut contra alios predictos. Quantum ad secundum articulum supplicavit unus magister pro litteris recommendatoriis ad summum pontificem; que concessa erat, sic quod mitteretur ad deputatos et quod corrigeretur, si aliquid sit corrigendum. Insuper supplicavit ille idem pro littera gradus, que concessa erat probatis probandis. Item supplicavit magister Henricus de Campis in nacione pro intitulacione; super quo decrevit nacio, quod casu quo rotulus fieret ante

1. *I. e.* Jacobi Juvenalis des Ursins, *patriarchae Antiocheni ab hoc anno Martii, et administratoris eccl. Pictavens. Ut in* lib. proc. nat. Gallic. *ad Maii* 15 *legitur*, bonum et sincerum affectum ad Universitatem habuit.

2. Guillelmus de Camera, *qui Roberto Juliane defuncto* 1448 *Maii* 11 *successerat*.

3. Loesen *postea add.*

4. *Ms.* Mageris.

novum ordinarium, bene vellent ipsum inrotulare tanquam presentem, sed si rotulus fieret post, voluit ipsum tanquam absentem inrotulare, nisi in propria esset ibi. THOMAS CAMERON.

Facta fuit congregacio alme Universitatis Parisiensis in Sancto Maturino desima quinta die mensis Septembris anno quo [supra] super quatuor articulis. Primus fuit articulus ad audiendum (*Fol. 155*) relacionem collacionis facte reverendo in Christo patri ac domino domino patriarche per reverendum magistrum nostrum magistrum Gilelmum Bulze [1] et ad audiendum relacionem sue responsionis. Secundus articulus fuit super facto dominorum de sacra capella regia. Tercius articulus fuit ad audiendum litteram Universitati missam de civitate Biturisensi, que tangebat previlegia Universitatis. Quartus articulus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum regraciabatur alma Universitas domino rectori ceterisque dominis deputatis super laboribus assumptis. Insuper regraciabatur Universitas venerendo in Christo patri ac domino domino patriarche Antheochino [2] de sua humillima recepcione et uberrima responsione et de suo consilio fructuoso. Insuper regraciabatur Universitas reverendo magistro nostro magistro Gilelmo Bulze super suis laboribus. Insuper decrevit Universitas, ut fierent processiones ad libitum domini rectoris. Insuper decrevit, quod dum videretur exspediens, quod solempniter Universitas congregaretur ad eligendum ambassiatores ad summum pontificem, et eciam quoad regem quia dixit dominus patriarcha, unum legatum [3] esse venturum apud dominum nostrum regem super diversis materiis; et voluit Universitas quod ambassiata esset parata. Quantum ad secundum articulum decrevit Universitas quod dominus rector haberet convocare dominum conservatorem coram consiliariis Universitatis, et secundum quod ipsi decreverint, haberet procedere. Quantum ad 3^m articulum, qui est super facto illorum de sacra regia capella, decrevit Universitas quod illa copia, que signata erat per canonicos predicte sacre capelle, mitteretur ad thesaurarium [4] ejusdem capelle, et quod ipse illam signaret suo manuali signeto. Quantum ad 4^m articulum [5], qui est super suplicacionibus et injuriis, suplicavit reverendus magister noster magister Johannes Pennecheir [6] ex parte domini abbatis Sancti Victoris [7], qui protunc fuit ibidem in propria, pro quadam littera recommendatoria in subsidium monasterii, quod protunc, ut ipse proponebat, fuit in magna penuria propter magnas reparaciones, quas de novo fecit dominus abbas. Insuper dominus Johannes Conflans [8] venerande nacionis Francie pro adjunccione quadam contra suum adversarium in camera requestarum regis. Insuper supplicaverunt alii pro littera gradus, que concesse erant probatis probandis, ut precedentes. Insuper postmodum suplicavit unus magister in medicinis, ut Universitas vellet mittere duos viros notabiles ad procuratorem regium, ut ipse et alii desisterent super injuriis predicto magistro illatis; que concessa erat. THOMAS CAMERON.

(*Fol. 155* b) Vicesima prima die mensis Septembris facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie super duobus articulis. Primus articulus erat ad elegendum novum receptorem seu ad continuandum dominum antiquum, et ad audiendum compotum

1. *I. c.* Bouillé.

2. *I. c.* Jacobo Juvenalis des Ursins.

3. Alphonsum de Segura, *qui jam antea, cum esset decanus Toletanus, decret. doctor, et in palatio apostol. causarum auditor* (*vid.* Suppl. Nicol. V, n° 413, *fol.* 66, 193 b), *hoc anno mense April. ut legatus papae cum patriarcha Antiocheno aliisque Lausanae antipapam Felicem ad resignationem induxit, posteaque cum ambassiatoribus regis Romam ad papam profectus est* (*vid.* BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. IV, p. 278 *sqq.*). *Interim (et haec omnia hucusque ignota erant), scil. Jul.* 14 (*vid.* Arch. Vat., Oblig. n° 72, *fol.* 37 b), *episcopus Mindoniens.* (Mondoñedo) *a Nicolao V creatus est, et iterum ut legatus in Franciam, et quidem ad regem, redivit. Papa ipsemet postea* (*an.* 1450, *Sept.* 16) *in epistola ad eumdem Alphonsum narrat, se eum in episc. Mindoniens.* (*an.* 1449, *Jul.* 14) *elegisse, cum sibi relatum fuisset, praedecessorem Petrum defunctum esse* « Deinde cum te pro nonnullis arduis negociis Rom. ecclesiam et sedem apostolicam concernentibus ad partes Francie transmitteremus, ut tanquam episcopus incederes, voluimus et apostolica tibi auctoritate concessimus, quod munus consecrationis susciperes. » *Sed Petrus nondum defunctus erat; nihilominus papa concessit ut Alphonsus titulum episcopi Mindoniensis retineret, usquedum Petrus mortuus esset, quod et brevi accidit* (Reg. Vat. Nicol. V, n° 412, *fol.* 311). *De hac secunda legatione* Alphonsi de Segura, *tunc episc. Mindoniens., papa loquitur etiam an.* 1449, *Sept.* 2, *Alphonsusque vocatur* in Francie et Sabaudie partibus nuncius et orator noster (Reg. n° 425, *fol.* 17); *an* 1450, *Sept.* 13, *cum jam ad papam reversus erat ut de peractis referret* (Reg. n° 412, *fol.* 367 b). *Finis hujus legationis erat imprimis suppressio* pragmaticae sanctionis. *Vid. infra ad an.* 1450, *Jan.* 3 *et Maii* 7.

Docti, inter quos BEAUCOURT, *l. c.*, t. V, p. 203, *illum legatum, qui an.* 1449, *Septemb. et postea in Francia morabatur, nominarunt* episcopum Minturnens. (Minturno, *in Italia, Terra di Lavoro*), *seducti per* D'ACHERY, Spicil., 2. *ed.*, III, 785; *immo* BEAUCOURT, *l. c.*, t. VI, p. 555, *ejusdem etiam nomen invenit, scil.* Jacobum, *cum tamen sedes episcopalis Minturnens. jam a pluribus saeculis suppressa esset. Et sic omnes secunda legatio* Alphonsi de Segura *fugit.*

4. Joh. d'Auxy.

5. *Ms.* 3^m articulum.

6. *I. c.* Pain-et-chair.

7. Johannis Lamasse, *ab an.* 1448, *Octob.* 26.

8. *Non confundendus cum* Nicolao, *qui jam fuit mag. theol. de quo* p. 605, *not.* 2.

domini antiqui receptoris. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus est in receptorem nacionis mag. Themannus de Gouda, qui haberet illud fideliter exercere officium. Insuper suplicaverunt quamplurimi magistri nacionis pro regencia; que fuere concesse. Insuper deliberavit nacio quod Nycholayus haberet ex gratia unum scutum in subsidium, eo quod infirmabatur, et quod Bomundus staret in propriis stipendiis, et quod Johannes substitutus haberet duo scuta; et fuerunt omnes continuati in suis officiis [1] et eis fuerunt date virge nacionis. Insuper auditus est compotus domini antiqui receptoris presentibus multis magistris nacionis. Supplicavit dominus receptor ut haberetur gratus et recommissus in omnibus illis, que ad suum compotum spectabant; cujus supplicacio concessa erat ab omnibus. Insuper suplicavit procurator tunc temporis pro regencia, cujus suplicacio erat concessa gratanter. THOMAS CAMERON.

Vicesima secunda die mensis Septembris facta fuit congregatio Universitatis super duobus articulis. Primus fuit ad eundum processionaliter aput Sanctam Genovefam; secundus communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad secundum articulum multi suplicaverunt pro litteris gradus; que concesse erant probatis probandis.

1449

Continuacio magistri Thome Cameron.

Visissima (*sic*) tercia die mensis Septembris facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super disposicione clavarum de archa nacionis. Tercius erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum continuatus fuit dominus antiquus, et habuit nacio ea que per ipsum acta erant grata et avoata. Quoad secundum articulum voluit nacio, quod dominus procurator haberet unam, dominus receptor aliam, magister Jacobus de Gowda pro seniore regente, magister Johannes de Palacio pro seniore non regente, magister Johannes Kennadi pro Scoto, magister Johannes Teoderici pro An[glico deficiente in nacione]....

1449

(*Fol. 156*) Eleccio magistri Theodrici de Brakel [2].

Anno Domini millesimo CCCC° XLIX°, ultima die mensis Septembris, facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus fuit ad substituendum unum novum procuratorem, cum ipse procurator peracturus esset in partibus. Secundus articulus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum retulit reverendus magister Jacobus de Gouda, decanus nacionis [3], protunc rector alme Universitatis, quatenus antiquus procurator magister Thomas Cameron sibi apportavit libros et claves nacionis, ut ipse haberet convocare nacionem ad eligendum alium procuratorem loco sui, quia dixit subito eum esse recessurum, quod non haberet tempus convocandi nacionem. Qui magister Jacobus predictus presentavit nacioni magistrum Theodericum de Brakel loco sui substituendum, qui cum communi concordia fuit substitutus loco procuratoris predicti. Eadem congregacione retulit magister Albertus Scriptoris, qualiter bonum esset, ut nacio semel congregaretur ad avisandum de quadam domo provincie Lincopiensis, quam magister Johannes Penneser sibi ascribi intendit et proclamari fecit, ad audiendum magistros illius provincie, qualiter et quale jus ipse haberet, ut, si opus esset ei resistendum, nacio daret adjunctionem, et in consiliis dandis et in pecuniis concedendis, ad muros reformandum. Idem eciam narravit qualiter bonum esset quod procurator haberet convocare magistros provincie Almanie ad avisandum modum secundum statuta provincie, que jam quasi per annum fuit sine provisore, ut ille qui eligeretur in provisorem compelleretur a magistris provincie, si non vellet acceptare, et similiter quod novicii [4] contribuerent subsidium pauperum, quilibet secundum suam facultatem, sicut temporibus transactis consueverunt. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit. T. BRAKEL.

Anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis die 4ª mensis Octobris super tribus articulis. Primus articulus fuit super ambasiata mittenda domino regi. Secundus fuit super factis privilegiorum, qui habebat duas partes; prima erat super inhibicione facta curie rectori; secunda erat de quo-

1 *Ms. iterum* suis.

2. *Receptor in electione mag. Theoderici* in duobus angelis *exposuit* II *lib.* VI *s.* VI *d.* (Lib. recept. *fol.* 57).

3. *Primum hic in natione Alemanniae adhibetur vox* decani, *et quidem in sensu* antiquioris. *Sed jam an.* 1412, *Febr.* 23, *rector vocatur decanus facultatis artium* (*vid.* Chartul., IV). *De* decanis provinciarum *in nat. Gallic. vid.* Chartul., III, p. 774.

4. *Magistri novi.*

dam gravamine illato libertatibus Universitatis per dominum officialem curie Parisiensis. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum non fuit concordia, sed placuit quod mitteretur unus nuncius cum litteris Universitatis ad magistrum Gwilhelmum Bolge [1] et magistrum Robertum Sibole [2], qui protunc existentes in curia regis [3] haberent proponere domino regi gravamina illata Universitati et nostris libertatibus. Quantum ad secundum articulum quoad primam ejus partem retulit dominus rector, quod erat quidam sitatus in curia domini rectoris nomine Philippi Lullier, qui procuravit sibi quandam litteram inhibitoriam ex curia parlamenti, per quam facta erat inhibicio domino rectori, ut contra eum non sentenciaret, et quoad illum articulum venit idem Philippus Lullier ad dominum rectorem ei supplicando, quod haberetur supportatus, viso quod non ex maturo consilio fecerat, et vellet stare in sentencia domini rectoris et procuratorum, renunciando eciam suam inhibicionem rectori factam; quem Universitas, illa supposita, habebat supportatum.

Quoad 2^{am} ejus partem erant duo scholares Universitatis, qui in quodam *ludo palme* [4] habebant contencionem parvam adinvicem, quod unus fecerat alium sitari in curia domini officialis Parisiensis, qui, audita causa contencionis, condempnavit reum ad emendam alteri faciendam in octo solidis paris. infra octo dies sub pena excommunicacionis; quibus octo diebus lapsis dominus officialis misit ei litteram excommunicatoriam. Reus enim circa hoc sollicitus, sciens esse privilegium Universitatis quod nulli jurati Parisienses per quamcumque curiam condempnari possunt ad emendam pecuniariam sed penitentiariam, accessit dominum rectorem quid super isto esset acturus. Qui dominus rector misit eum cum quadam cedula ad dominum officialem, in qua continebatur quod reum absolveret ab excommunicacione et injungeret ei facere emendam penitentiariam secundum privilegia Universitatis. Officialis, quasi odio motus injunxit sibi quod iret ad Nostram Dominam de Liance [5], que penitentia injuncta reo per dominum officialem, cum non videbatur Universitati delicto condigna, eo quod eundo et redeundo ad Nostram Dominam de Liance exponeret duo scuta auri, ubi primo fuisset solutus de 8 sol., ideo circa hoc decrevit Universitas quod magister Joh. Boncart, qui bene familiaris esset domino episcopo Parisiensi, accederet ad eum sibi proponendo illata per suum officialem suppositis Universitatis, ut eum instrueret quod de cetero caveret se de talibus excessibus.

(*Fol. 156*[b]) Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus rector magister Jacobus de Gouda, ut haberetur gratus et avoatus et acta tempore suo grata et avoata. Cujus supplicacio erat concessa in forma. Supplicavit quidam magister in decretis pro adjunctione in Casteleto occasione nominacionum, cujus supplicacio erat concessa si non haberet adversarium nominatum. Supplicavit eciam quidam magister pro litteris gradus; cujus supplicaciones erant concesse probatis probandis. Supplicavit insuper magister Jacobus Bernardi pro adjunctione contra eos qui detinent redditus capellarum que ab Universitate conferuntur; cujus supplicacio erat concessa. Supplicaverunt insuper magister Loduicus Staubliege et magister Theodericus Helmont quod sentencia lata per deputatos Universitatis contra magistrum Johannem Rosiin haberetur firma et fixa, casu quo arbitri non concordarent eos. In contrarium supplicavit mag. Joh. Rosiin quod sentencia illa annichilaretur, viso, ut ipse asserebat, [quod] sentencia esset lata per deputatos non nominatos ex parte sui, eciam ipso non existente. Super quo decrevit Universitas, quod sentencia per deputatos lata esset vigorosa, si non concordarent eos arbitri. T. Brakel.

Facta fuit congregacio facultatis artium die decima [6] mensis Octobris anno quo supra apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum rectorem; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in rectorem notabilis vir magister Guillelmus de Castroforti [7], bachalarius formatus sacre theologie. Quantum ad secundum supplicavit in primis dominus antiquus, ut facultas haberet eum gratum et avoatum et acta per ipsum grata et rata; cujus supplicacio erat simpliciter concessa. Supplicavit insuper prior conventus Sancti Juliani, ut facultas vellet sibi subvenire ad fabricam ecclesie, quia, sicut asserebat, pateretur ruinam et

1. Bouillé.
2. Ciboulle.
3. *Vid. supra ad Aug. 6, not.*
4. Jeu de paume. *Vid.* Ducange-Henschel, V, p. 41.
5. *I. e.* Notre-Dame-de-Liesse (*Aisne, arr.* Laon).
6. *Primum in ms.* decima 4ta.
7. *Ap.* Bul., V, 921, *perperam* Tilmannus de Gouda, *nat. Anglic. Guillelmus hoc eodem anno, Dec.* 15, *adhuc rector Universitatis, licent. est in theol.* (Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 5637c, *fol.* 1). *Fuit Collegii Navarrae. Vid.* Launoius, Navar. gymn. hist., p. 589 *sq.*

destruccionem in postibus precipuis ecclesie. Quoad hoc non erat concordia, sic quod sibi determinabatur quantitas pecuniarum, sed due naciones dederunt deputati, scilicet nacio Francie et Normanie, et alie due naciones secundum eorum facultatem et in comparacione ad alias naciones offerebant contribuere. Insuper supplicavit dominus rector de novo electus, ut facultas vellet sibi dare auxilium, concilium et favorem in omnibus suis agendis; supplicavit secundario ut facultas vellet eum associare ad collegium regale Navarre, et ibi capere vinum et species; cujus supplicaciones erant concesse.

Theodericus Brakel.

Die decima 4ª mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis anno quo supra super duobus articulis. Primus fuit ad eundum processionaliter apud Nostram Dominam [1] ad orandum Altissimum pro pace regni et sanitate domini nostri regis, etc.; quod conclusum fuit, si non irent circuiendo vicos, sed per rectam viam devote incederent. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector ut Universitas sibi vellet dare assistenciam, auxilium et favorem; cujus supplicacio erat concessa.

Theodericus de Brakel.

1449

(*Fol. 157*) Continuacio [2] magistri Theoderici de Brakel, nati de Novimagio.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono facta fuit congregacio die 22ª mensis Octobris venerabilis nacionis Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus erat super opposicione quadam cujusdam domus provincie Lincopensis proclamate. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer nemine reclamante magister Theodericus de Brakel, natus de Novimagio in Gelrensi ducatu. Quantum ad secundum articulum proposuit dominus procurator, quod ad aures ejus venit, quod esset quedam domus propria provincie Lincopensis situata juxta muros domus magistri Johannis Pennetser in vico montis Sancti Hylarii vel montis Carmelii, quam magister Johannes Penneser proclamari fecit occasione cujusdam muri reformandi, qui utrisque domibus contiguatur, ad cujus reformacionem proprietarii domus predicte tenentur ex una parte, et proprietarii domus sue ad quam domus provincie contiguatur ex alia parte. Magister Joh. Pennetser sciens quod nulli proprietarii domus provincie predicte essent Parisius, et quod locus iste subserviet domui sue, fecit poni quendam proprietarium a rege, qui forte propter eorum compacta refutavit edificare muros cum eo, ut ipse magister Joh. Pennetser per proclamacionem sibi locum illum hereditarie acquireret. Super quo nacio dedit deputatos, dominum procuratorem, magistrum Jacobum de Gouda, dominum receptorem, scil. mag. Tymannum de Gouda, mag. Johannem de Palacio, et magistrum Albertum Scriptoris, qui haberent avisare de remedio oportuno, ne locus iste ad manus magistri Joh. Pennesert veniret. Die sequenti hora octava de mane deputati super hoc congregati, inter alios mag. Albertus dixit, quod commode nacio se opponere non potuit, sed quod Bomundus bedellus nacionis Almanie, cui quondam commissum erat gerere curam illius domus per procuratorium quoddam approbatum notario et testibus, per magistros illius provincie in recessu eorum de Parisius ei datum, haberet se opponere vim cure sibi commisse per procuratorium. Bomundus vero, dum ei dicebatur, respondebat quod per magistrum Johannem Penetser coram procuratoribus de Casteleto ductus renunciavit aliquod jus habere more proprietarii. Nichilominus tamen, non obstante renunciacione facta, injunctum sibi fuit per procuratorem et ceteros deputatos quod se opponeret, cum non renunciavit potestatem sibi traditam per procuratorium, quod repertum fuit bonum; quamquam enim renunciavit potestatem vendendi more proprietarii, tamen non renunciavit tenere in esse et in conservacione et utilitate provincie, quod et fecit una cum procuratore et ceteros deputatos (*sic*). Quantum ad tercium supplicavit dominus procurator substitutus ut nacio haberet ipsum gratum et avoatum, et acta per ipsum tempore sue substitutionis grata; cujus supplicatio fuit concessa. Insuper supplicavit magister Lambertus Schout, sollicitator nacionis in parlamento, quod nacio dignaretur ipsum exonerare de sollicitacione

1. *Haec processio non confundenda cum illa, de qua in* Journal d'un bourgeois, p. 392, *narratur ad Octob.* 13, *fuisse* une procession bien piteuse des enffans, des IIII ordres mendians et de toutes les escolles de Paris..... à Notre-Dame de Paris. *Et fuerunt* XII mil Vᶜ enfans et plus. *Nam in ista processione* il n'y avoit que seulement des enfans allans à l'eschole hors de la cité depuis l'aage de sept jusques à dix, tant masles que femelles... avec les maistres d'iceux enfans... Lesquels partirent tous de Sainct-Innocent (Jean Chartier, Chron., II, 200).

2. *Ms.* eleccio. — *In* lib. recept. (*fol.* 57) *legitur* : In continuatione Theoderici *in pavone* I lib. XI sol. Pro deputatis *in aranea* 29ª oct. IX s. VI d.

propter occupaciones que sibi nunc et non prius advenerunt, ut asserebat, et quod nacio per ipsum facta haberet grata et rata et ipsum gratum et avoatum, et quod sallarium datum sibi in sua institucione a nacione daretur. Cujus supplicacio fuit concessa audita sollicitacione facta per procuratorem nacionis de parlamento. Insuper supplicavit magister Egidius Morsel, ut in exoneracione magistri Lamberti sollicitatoris predicti daretur sibi onus sollicitandi stipendium septimanatim traditum predecessori. Cujus supplicacio fuit concessa, si deputatis nacionis visum fuerit opus amplius sollicitari. T. BRAKEL.

(*Fol. 157*[b]) Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, vicesima nona die mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus concernebat visitacionem cujusdam legati sancte sedis apostolice [1]. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum retulit dominus rector quod deputatis ultime congregatis aperuit adventum istius legati ut eum instruerent, quid circa ejus adventum esset acturus; quibus omnibus visum erat multum expediens et honestum, quod sua paternitas visitaretur; qui tamen per modum concilii deliberabant, quod haberet congregare Universitatem quando et quo tempore, videlicet utrum ante festum Omnium Sanctorum vel post sua reverenda paternitas esset visitanda, et si opus esset, conficere aliquos articulos de modo provisionis. Super quo decrevit Universitas, quod dominus rector cum decanis et procuratoribus ceterisque deputatis et cum eloquenti proponente [2] haberent suam paternitatem accedere post festum Omnium Sanctorum, si per inquisicionem secretam perciperetur quod per aliquod tempus deberet stare Parisius; si non, quod celerius quo fieri poterit, esset accessurus, et quod proponens staret in terminis generalibus de modo provisionis, non aperiendo aliquem modum provisionis in particuliari, nisi reverendus in Christo pater primo regiam majestatem adiverat, ut sciretur convencio summi pontificis et regis [3], que deberet terminari in concilio regis. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector quod quia sepius processiones Universitatis faceret pro prosperitate domini nostri regis et pro pace et unione ecclesie, quod Universitas sibi subveniret de bursa communi, sicut suo precessori; quod concessum erat. Supplicavit insuper quidam doctor sacre theologie, quod aliqui deputati Universitatis una cum rectore accederent [4] reverendum in Christo patrem dominum episcopum Parisiensem, regraciantes ei de auxilio sibi prestito occasione cujusdam beneficii per Universitatem sibi collati [5], propter quod viginti quinque vel sex annis, ut dicebat, habuit lites et placita. Supplicavit insuper quidam pro littera gradus. Supplicavit insuper quidam doctor sacre theologie, cui concesse erant littere recommendatorie ad summum pontificem anno 48°, qui protunc non potuit eas dirigere, ut sibi sigillarentur sub data presenti. Cujus supplicacio fuit concessa. T. BRAKEL.

Anno quo supra, die secunda mensis Novembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eundum processionaliter et devote apud Sanctum Germanum cum reliquiis et habitibus decentibus ad orandum Altissimum pro pace regni et pro prosperitate domini nostri regis, regine et domini delphini [6]. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis.

(*Fol. 158*) Anno Domini M° quadringentesimo quadragesimo 9°, die octava mensis Novembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super 4^{or} articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem magistri Roberti Sibole, qui proposicionem fecit ante reverendum in Christo patrem legatum sancte sedis apostolice et audiendum responsum ejus. Secundus fuit super facto privilegiorum quoad defensionem. Tercius fuit ad resignandum quoddam officium liberariatus. Quartus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum [Universitas] regraciabatur magistro nostro magistro Roberto Sibole, qui eleganter propositionem fecit et in ea matrem Universitatem recommendavit, domino rectori [7] et ceteris [8] deputatis, qui eum associaverunt; regraciabatur insuper reverendo in Christo patri de sua grata et benigna responsione, qui plus offerebat quam ei proponebatur. Quantum ad 2^{m} retulit dominus rector, quod ad requestam domini decani ecclesie Laudunensis sitati erant duo canonici ejus-

1. *I. e. episcopi Mindoniens., de quo supra* p. 775, *not.* 3.
2. Robertus Ciboulle *electus est. Vid. Nov.* 8.
3. *Circa* pragmaticam sanctionem.
4. *Ms.* accenderent.
5. *De* archipresbytero S. Severini Paris. *agebatur. Vid. ad Nov.* 8.
6. *Supra non mentio fit processionis Octob.* 28 *ad S. Martinum de Campis, cui intererat etiam Universitas, et composita erat* de bien L mil personnes (Journal d'un bourgeois, p. 393). *Hae processiones fiebant in gratiarum actionem, quod Rotomagum inter Oct.* 19 *et* 26 *dominatione Anglorum abjecta restitutum est regi Francorum.*
7. *Intelligas* regratiabatur Universitas.
8. *Ms.* et ceterisque.

dem collegii ad curiam conservatoris privilegiorum respondentes quibusdam interrogatoriis; qui non comparuerunt, sic quod inciderunt in excommunicacionem et aggravacionem. Ipsi vero scientes eos eos aggravatos inpetraverunt quendam casum novitatis contra privilegia Universitatis, per quem fiebat inhibicio domino conservatori, ut non sentenciaret contra eos, et quod non teneret stare juri curie illius. Super quo decrevit Universitas quod privarentur a consorcio et gremio Universitatis, si non vellent renunciare casui sue novitatis perpetrato. Retulit insuper dominus rector quod idem privilegium inpetravit capitulum ecclesie Laudunensis contra privilegia Universitatis et curie conservatoris. Super quo decrevit Universitas quod omnes et singuli illius capittuli tam jurati quam non jurati sitarentur, casu quo demandarent privilegium illud execusioni, et quod sitacio fieret sub magno sigillo Universitatis.

Quantum ad tercium resignavit magister Martinus de Fraxinis, decretorum doctor, quoddam officium libereriatus nomine Michaelis...[1] in manus domini rectoris et Universitatis, et supplicavit ut illud officium contribueretur Johanni de Vossato[2] qui ad exercendum istud officium esset multum ydoneus et aptus. Cujus supplicacio fuit concessa. Quantum ad quartum supplicavit prior venerabilis conventus Sancti Maturini, ut haberent 6 vel 8 solidos propter celebracionem misse Universitatis; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit dominus rector quod dum regraciaretur domino Parisiensi de archipresbytero Sancti Severini, quod ei eciam regraciaretur de expedicione cujusdam magistri dudum excommunicati propter aliquod delictum; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit insuper quidam pro littera gradus. Et quoad istum articulum placuit Universitati quod conficerentur aliqui articuli de modo provisionis, et quod scriberetur aliquibus amicis Universitatis in curia regis existentibus, quod manifestarent Universitati si in concilio regis materia provisionis tractaretur, et si esset opus ibi aliquos notabiles cum illis articulis mittere, etc. T. Brakel.

1449

(*Fol. 158*[b]) Continuacio magistri Theoderici de Brakel.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono die XVII[a] mensis Novembris facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem; secundus fuit super disposicione festi beati Eadmundi regis; tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus magister Theodericus de Brakel. Quantum ad secundum placuit nacioni celebrare festum more consueto, et quod curatus et ejus capellanus ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani et frater magistri Jacobi de Gouda magister Guillelmus de Gouda interessent. Quoad tercium supplicavit procurator idem ut haberetur gratus et avoatus et acta per ipsum rata; cujus supplicacio fuit concessa in forma. Supplicavit insuper magister Egidius Morsel, ut nacio daret ei assistenciam contra quendam; qui tamen non dixit causam suam[3] propter quam et contra quem haberet. Conclusit nacio quod dum aperiret causam suam et racionabilis esset, daret ei adjunctionem et assistenciam. T. Brakel.

Anno quo supra die XXIII° Novembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit super facto privilegiorum quoad defensionem; secundus fuit super modo provisionis; tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum retulit dominus rector quod noviter occurrerunt tres casus contra privilegia: primus fuit super facto can[on]icorum ecclesie Laudunensis, qui inpetraverunt quoddam mandatum supra mandatum alias inpetratum, per quod inhibebatur domino conservatori et domino decano ecclesie Laudunensis quod non procederent contra illos, qui ad requestam domini decani erant citati in curia privilegiorum Universitatis. Super quo decrevit Universitas quod omnes et singuli illius collegii sitarentur Parisius, et placuit Universitati minuta lecta in Universitate qua citarentur, et quod sigillaretur sigillo magno Universitatis, et quod dominus conservator viriliter et fortiter procederet contra eos per excommunicaciones, per aggravaciones et hujusmodi. Secundus casus fuit super papiretariis ville Corbcl, qui fuerunt incarcerati occasione taliarum, quam (*sic*) solvere refutabant, allegantes libertatem datam eis ab Universitate; et quoad hoc ordinavit Universitas aliquos, qui pro redempcione eorum adirent dominorum electorum curiam et eos peterent nomine Universitatis. Qui domini electi, sicut per sermones eorum qui deputati erant

1. *Spatium in ms.*
2. Johannes de Fossato *hucusque ignotus inter librarios Universitatis.*
3. *Ms.* summam.

asserebatur, responderunt quod collector taliarum ville Corbel esset excommunicatus ad requestam Universitatis; si enim absolvere intenderent, suos papiretarios deliberarent a carceribus, quod placuit Universitati ex nunc; sed si sepius contingeret, quod procederetur contra eos per excommunicacionis fulminaciones et cessaciones, si opus fuerit. Tercius casus fuit super quodam incarcerato qui detulit quandam citasionem ad quandam villam. Placuit quoad hoc quod citarentur et procederetur contra eos omnibus modis possibilibus.

Quantum ad secundum articulum retulit dominus rector, quod ab ore magistri Joh. Boucardi intellexit, qui ex curia regis veniebat, quod materia provisionis deberet tractari in concilio regis. Quoad hoc placuit Universitati quod mitterentur aliqui ambaciatores, sed de mittendis non erat concordia. Quantum ad tercium supplicavit rector nomine prioris conventus Sancti Maturini, ut eis contribueretur aliquid de bursa communi propter servicium Universitati factum in ecclesia. Supplicavit insuper quidam magister pro adjunctione in Castelleto occasione controversie quam habet propter nominacionem, cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit quidam alius similiter pro adjunctione occasione trium nominationum captarum per suum adversarium, quod contra statum Universitatis videtur esse; qui remissus fuit ad deputatos. T. Brakel.

(*Fol. 159*) Anno quo supra facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum XXIX^a^ die mensis Novembris super tribus articulis. Primus fuit super contribucione facienda ecclesie Sanctorum Cosmi et Damiani; secundus fuit super recepcione nuncii; tercius fuit communis. Quantum ad primum placuit nacioni libere dare 4 scuta pro edificio parve turris et renovacione alterius lateris ecclesie, scilicet [1] loco illo ubi procurator sedit. Quantum ad secundum receptus fuit in nuncium Jacobus Figuli et determinata est ei dyocesis Marsoburgensis [2]; placuit tamen nacioni quod si poterit habere fidejussores pro ducentum scutis, propter periculum, quod accidit in nacione Picardie per Christoferum. Quantum ad tercium supplicavit magister Joh. Petri de Melmogia pro recepcione unius bachalarii, qui acturus erat in partibus. T. Brakel.

Anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis apud sanctum Bernardum super duobus articulis die IX^a^ mensis Decembris. Primus fuit super controversia et lite orta inter matrem nostram Universitatem et capitulum Laudunense. Secundus fuit communis. Quantum ad primum retulit dominus rector quod secundum execucionem conclusionis u[l]timate capte sitati erant omnes canonici, quorum quidam comparuerunt et renunciaverunt omnibus per eos impetratis; alii autem miserunt quamdam litteram sigillatam sigillo capituli, in qua continebatur quod per illa impetrata non intendunt aliquid presumere contra privilegia Universitatis. Quoad hoc non placuerunt Universitati renunciaciones particulares sed quia fieret renunciacio generalis sigillata sigillo capituli. Quantum ad secundum supplicavit quidam pro littera gradus; concessa fuit. Supplicavit insuper dominus doctor magister Petrus Maugier quod noviter in partibus Normanie [3] impositi erant jurati Universitatis ad solvendum decimas, ut dominus rector vellet congregare deputatos super remedio oportuno. Supplicavit quidam pro recepcione notariatus officii. Concessa [est supplicatio]. T. Brakel.

1449

(*Fol. 159^b^*) Eleccio magistri Adriani de Mera in procuratorem.

Decima quinta mensis Decembris facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus communis, etc. Quantum ad primum unanimi consensu nemine reclamante electus fuit in procuratorem magister Adrianus de Mera, de Huesden oriundus. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus antiquus haberi gratus et av[o]atus; cujus supplicacio fuit concessa.

Anno et die quibus supra congregata veneranda facultate arcium apud Sanctum Julianum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum rectorem; secundus ad dispensandum cum hiis qui tempore ordinario non determinaverunt; tercius erat communis super, etc. Quantum ad primum articulum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et quoad hoc more solito dedit suos intrantes, qui via Spiritus Sancti elegerunt virum prudentem ac eloquentem magistrum Joh. Versoris nacionis Normanie, qui cum ad facultatem arcium more consueto advenerat propositis multis impedimentis quibus necessario dicebat se involutum et impeditum,

1. *Ms.* similis.
2. Osoburgens. *etiam legi possit.*
3. *Ubi rex tunc fortiter contra Anglos dimicavit.*

humillime facultati supplicavit, ut illa vice haberet eum supportatum, quia officium predicte rectorie acceptare non intendebat. Cui supplicacioni audita excusacione sua annuit veneranda arcium facultas concludens eosdem intrantes de novo reintrare, qui virum protunc elegerunt notabilem et prudentem magistrum Godefridum Calvi [1]. Cujus supplicaciones quas modo antiquo supplicaverat erant concesse.

Decima 7ª mensis Decembris facta fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus ad audiendum lecturam quarundam litterarum a supremo domino nostro domino rege Universitati transmissarum. Secundus erat communis, etc. Quantum ad primum Universitas regraciabatur domino nostro regi de grata communicacione suarum litterarum; et quantum ad contenta in ejusdem placuit fieri [2] plenam et solempnem ambaciatam, et quod quelibet facultas et nacio suos eligeret ambaciatores ad *Consilium ecclesie gallicane in villa Rothomagensi* [3] celebrandrum transmittendos. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector sibi dari auxilium et consilium in suis agendis. Cujus supplicacio fuit concessa.

Facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum decima 8ᵛᵃ die mensis quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum ambaciatores. Secundus erat communis super, etc. Quantum ad primum placuit Universitati procedere ad electionem ambaciatorum; de numero tamen mittendorum non erat concordia. Illis vero de superioribus facultatibus placuit ut mitterentur tres theologi, duo decretiste, duo medici et quatuor artiste secundum distinxionem quatuor nacionum. Illi tamen conclusioni se opposuit facultas arcium, sed voluit quod servaretur *mos antiquus et consuetus*, ut videlicet mitterentur duo theologi, unus decretista, unus medicus et quatuor artiste [4]. Placuit tamen facultati quod quelibet nacio eligeret suum ambaciatorem; et ita fuit factum. In veneranda tamen nacione Almanie protunc non erat concordia; quidam enim considerantes electionem magistri Alberti prius factam et pluribus vicibus confirmatam; considerantes eciam rem istam esse solempnem et arduam requirentem virum notabilem et expertum, elegerunt magistrum Albertum Scriptoris; inter quos aliqui se opposuerunt, casu quo aliquid in prejudicium suum concluderetur; in contrarium vero et ad partem adversam multi et quamplures deliberaverunt condescendentes in magistrum Joh. Kennadi. Ista discordia sic stante visum fuit procuratori expediens nichil concludere in illa materia, sed protunc conclusionem distulit usque ad diem sequentem.

Decima nona ejusdem mensis facta fuit congregacio Almanorum per juramentum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad roborandum eleccionem magistri Alberti dudum factam, vel ad elegendum de novo si opus esset. Secundus erat communis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni sic per juramentum convocate roborare eleccionem magistri Alberti prius factam et de novo eundem reeligere. Ab illa tamen conclusione multi de nacione ad facultatem arcium appellabant, que cum desuper fuerat convocata, et racionibus parcium hinc inde auditis, conclusit conformiter ad nacionem Almanie pro magistro Alberto Scriptoris.

(*Fol. 160*) Anno quo supra XXIIIIª die mensis Decembris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super *celeri expedicione dominorum ambaciatorum* supremo domino nostro domino regi mittendorum; et eciam ad audiendum lecturam quarundam litterarum et instructionum. 2ᵘˢ erat communis. Quantum ad primum articulum auditis instructionibus conclusit Universitas illas instructiones esse nimis generales, ampliore specificatione indigentes; et quoad hoc dedit certos deputatos qui per modum avisamenti haberent addere addenda et diminuere diminuenda et postea in facie Universitatis legerentur. Quantum ad secundum articulum occasione cujusdam discordie orte inter Universitatem Parisiensem et canonicos de venerabili ecclesia Laudunensi transmissa fuit Universitati quedam renunciacio per dominum archidiaconum ejusdem ecclesie, in qua hujusmodi canonici renunciabant omnibus factis et impetratis per ipsos contra privilegia Universitatis [5], quam quidem renunciacionem conclusit Universitas visitari per deputatos, quia non erat satis generalis. Similiter et alie supplicaciones remisse fuerunt ad deputatos.

Anno quo supra XXIXª die mensis Decembris facta fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus ad audiendum addiciones et correxiones quorundam articulorum, et eciam super taxa assignanda ambaciatoribus. Secundus erat communis.

1. *Nat. Gallic. Sic etiam* Bul., V, 921, *e* lib. proc. nat. Gallic., *ubi tamen ad Octob.* 17.
2. *Ms.* sibi.
3. *Vid. infra* p. 791, *not.* 2.
4. *Sed vid. infra ad Jan.* 3.
5. *Haec renuntiatio est Dec.* 17, *ap.* Bul. V, 553.

Quantum ad primum articulum placuerunt Universitati addiciones et correxiones avisate per venerandam facultatem decretorum et eciam per alias naciones, *dummodo tamen non fieret mensio de auctoritate consiliorum generalium et domini nostri summi pontificis*[1]. De taxa assignanda protunc non erat concordia.

1450

Anno quo supra III^a^ die mensis Januarii facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super expedicione ambaciate[2] et super cota ambaciatoribus assignanda. Quantum ad primum placuit Universitati expedicio ambaciate. In eadem eciam congregacione de numero mittendorum [conclusum est] quod pro illa vice dumtaxat mitterentur tres theologi, duo decretiste, duo medici et quatuor artiste[3], tali tamen condicione interjecta, ut daretur instrumentum publicum ab illis ambaciatoribus de superioribus facultatibus electis, in quo fieret protestacio ne hujusmodi traheretur in consequentiam. De taxa habenda placuit protunc tribus facultatibus, quod quilibet de ambaciatoribus individualiter haberet unum francum. Ambaciatores vero de veneranda facultate theologie, dignitatem et eminenciam ejusdem facultatis considerantes, hujusmodi conclusioni acquiescere non volebant. Et ita pro bono pacis et concordie Universitas super eadem materia altera die solempniter congregata conclusit, quod quilibet de theologis haberet decem et octo sol., aliis tamen remanentibus in equalitate taxe ipsis prius assignate.

Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Albertus Scriptoris quod casu, quo non sciret redire ante apercionem temptaminis, presentaretur unus quem ipse vellet domino cancellario, qui prestitis juramentis in manibus ejusdem cancellarii loco magistri Alberti in ejus absencia haberet temptare. Cujus supplicacio fuit simpliciter concessa.

Nona die mensis quo supra facta fuit congregacio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum juramenta cujusdam licenciati, qui propter defectum pecuniarum secundum formam statuti intendebat jurare paupertatem. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nacioni recipere juramenta predicti licenciati secundum modum et formam statuti ad hoc ordinati, solutis tamen solvendis. Quantum ad secundum articulum nullus supplicavit.

1450

(*Fol. 160*^b^) Electio magistri Helie de Noerde, Trajectensis civitatis.

Anno Domini M^o^ CCCC^o^ XLIX, die XIII^a^ mensis Januarii facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel continuacione antiqui. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit magister Helyas de Noerde civitatis Trajectensis in procuratorem[4]. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus, avoatus et facta per eum grata et avoata. Cujus supplicacio fuit concessa. HELYAS DE NOERDE.

Anno quo supra die XVI^a^ Januarii facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad recipiendum baccalarios aliarum Universitatum. Secundus erat ad audiendum juramenta temptatorum secundum modum antiquum vel ad dispensandum

1. *Quia quoad hoc Universitas ipsa divisa erat.*

2. *Ad Concilium* Rotomagense, *circa* 15 *Jan. celebratum. Febr.* 9 *et* 13 *legati capituli Paris. jam reversi erant* (Arch. nat. Paris. LL 116, *fol.* 411 b; 413). *Vid. insuper infra ad Mart.* 9. *Scimus in hoc Concilio fere de eadem re ac in sequenti Carnotensi actum esse, scil. de* pragmatica sanctione. *Illi adfuit legatus papae, ut scribit Carolus* VII *ad Nicolaum papam* (D'ACHERY, Spicil.[2], III, 785, *ubi, ut jam* p. 775, *not.* 3, *observavimus, bis legibitur* episc. Minturnens. *pro* Mindoniens.), *et propter exortas differentias praelati* « absque finali conclusione recesserunt ». *Rex legatum retinuit quia in animo habuit mox aliud Concilium convocare* (*vid.* D'ACHERY, *l. c.*), *quod etiam circa finem Martii* Carnoti *Maii* 15 *celebrandum edixit* (*vid. ad Martii* 29). BEAUCOURT, Hist. de Charles VII, t. V, p. 204, *not.* 1 *scribit* : « il fut question á Rouen des privilèges de l'Université : le 17 Janvier 1450 (et non 1451), l'Université entendait le rapport présenté par ses délégués envoyés au concile de Rouen pour la tuition et conservation de ses privilèges ». *Sed* BEAUCOURT *in errorem ductus est per* BUL. V, p. 554, *qui dicit, die* 17 *Jan. Universitatem audivisse relationem oratorum,* « qui ad Concilium Rothomagense missi fuerant », *etc., et tres oratores affert. Ast ut saepe, sic etiam hoc loco* BUL. *confundit tempora et acta. Utique Universitas Jan.* 16-18 *audivit relationem suorum oratorum, minime tamen an.* 1450, *sed an.* 1451, *et non oratorum missorum ad* Concilium *Rotomagense, sed missorum in Normanniam, vel Rotomagum ad regem et comitem Dunensem. Vid. infra ad an.* 1451, *Jan.* 16 *et* 18. *Ut e* lib. proc. nat. Gallic. *apparet, Universitas an.* 1450, *Jan.* 28, litteras ambaciatorum Universitatis existentium in civitate Rotomag. in consilio eccl. Gallicane ibi per dom. regem congregato *audivit. Vid. infra ad Jan.* 28. BEAUCOURT, p. 203, *not.* 9, *a* BUL., V, 549, *etiam in errorem inducitur, dicendo,* regem Concilium Rotomag. postulante papa per legatos convocasse, *quod nullo documento comprobatur.*

3. *Revera in legatione ad* Concilium Carnotense *mensis Maii mos antiquus conservatus est.*

4. *Receptor exposuit in electione mag. Elie* in cunabulo II *lib.* IV s. (Lib. recept. *fol.* 57 b)

cum illo statuto. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum punctum presentaverunt se tres baccalarii aliarum Universitatum qui taxatis bursis recepti sunt. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni dispensare cum dicto statuto et dispensavit, cum tamen appellacione aliquorum magistrorum. Et elegit in temptatores baccalariandorum magistrum Walterum de Warnia, magistrum Thomam Camerun, magistrum Henricum de Campis et magistrum Conrardum..... Quantum ad tercium articulum nullus supplicavit.

Helyas de Noerde.

(*Fol. 161*) Anno quo supra die XIX^{a} mensis Januarii facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum controversiam ortam inter magistros venerande nacionis Almanie super dispensacione statuti de temptandis baccalariandorum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum veneranda facultas remisit ipsum factum ad nacionem, a qua conclusione aliqui de nacione Almanie appellaverunt. Quantum ad secundum supplicavit venerabilis magister Nycolaus de Quoquerel [1], ut loco sui facultas velit recipere magistrum Nycolaum Savage in temptatorem examinis Sancte Genovefe; cujus supplicacio erat concessa et juravit predictus magister Nycolaus Savage [2] in manibus concellarii in presencia facultatis. Supplicavit eciam in nacione Almanie quidam baccalarius Pragensis ut reciperetur; cujus supplicacio fuit concessa, et juravit paupertatem.

Helyas de Noerde.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum supra juramentum die XX^{a} mensis Januarii super duobus articulis. Primus erat an nacio velit stare in dispensacione statuti prius facta, aut non. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni dispensare de statuto sicut et prius, a qua conclusione appellaverunt illi magistri, qui prius in facultate appellaverant. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

Helyas de Noerde.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum die XXI^{a} Januarii supra juramentum super duobus articulis. Primus erat utrum nacio velit stare in dispensacione statuti alias facta, et si sic, quod determinaretur tempus dispensacionis. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni stare in alias deliberatis, videlicet dispensare. Quantum ad tempus placuit nacioni dispensare per quatuor annos. Quantum ad secundum proposuit quidam magister qualiter injuriatus fuisset a quodam scolare nacionis Almanie, et petiit, ut citaretur in facie nacionis, et ita placuit nacioni.

Helyas de Noerde.

(*Fol. 161 b*) Anno quo supra [3] facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras missas ab ambaciatoribus Universitatis [4] et ad audiendum litteram renunciacionis missam a capittulo Laudunensi. Secundus erat ad audiendum causam appellacionis aliquorum magistrorum nacionis Almanie. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur ambaciatoribus de communicacione litterarum. Placebat eciam littera renunciacionis missa a capitulo Laudunensi [5]. Quantum ad secundum placuit, ut pro anno presenti temptatores secundum modum antiquum temptarent, et quod postea aperiretur factum coram deputatis. A qua conclusione appellavit procurator nacionis Almanie ex parte nacionis. Quantum ad tercium fuerunt facte multe supplicaciones, que omnes fuerunt remisse ad deputatos.

Helyas de Noerde.

Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie die XXIX^{a} Januarii super duobus articulis. Primus erat ad visitandum registra nacionis propter discordiam ortam in nacione. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis; et quantum ad hoc erat citatus quidam scolaris contra magistrum quemdam de nacione super injuriis; qui non comparuit. Quantum ad primum [6] placuit nacioni visitare registra, et dabat deputatos octo, videlicet seniores magistros ejusdem nacionis.

Helyas de Noerde.

Facta fuit congregacio nacionis Almanie die XXX^{a} Januarii super duobus articulis. Primus erat ad inveniendum bonum modum concordie pro expedicione baccalariandorum. Secundus erat communis. Quantum ad primum magister Jacobus de Gouda aperuit quendam modum concordie, videlicet quod

1. *Vid. de ipso supra ad an.* 1432, *Martii* 24. *Jam an.* 1446 *ut* « magistrandorum in art. Parisiis de nat. Picardie temptator seu examinator » *affertur* (Suppl. Eugen. IV, n° 404, *fol.* 105 b). *Ap.* Spirgatis, Personalverzeichniss der Pariser Universität von 1464, p. 13 *perperam* Conqrel.

2. *Ms.* Savege.

3. *Et quidem Jan.* 28, *ut e* lib. proc. nat. Gallic. *apparet. Vid. supra ad Jan.* 3, *not.*

4. *Qui erant Rotomagi in Concilio ecclesiae Gallicanae.*

5. *Haec secunda renuntiatio est Jan.* 9, *ap.* Bul. V, 553.

6. *Ms.* secundum.

templatores secundum modum antiquum et duo alii magistri pro presenti anno templarent determinantes sine prejudicio omnium eorum; que facta sunt. Quantum ad secundum nullus supplicavit[1].

HELYAS DE NOERDE.

1450

(*Fol. 162*) Continuacio magistri Helie de Noerde.

Facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie die X^a mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad eli[g]endum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit procurator antiquus[2]. Quantum ad secundum supplicavit antiquus procurator ut haberetur gratus et acta per eum grata et avoata. Cujus supplicacio fuit concessa in forma.

HELYAS DE NOERDE.

[(*Fol. 58^b*) Sequuntur[3] nomina bacchalariorum istius anni 50ⁱ.

Petrus Brechtelt, cujus bursa viij sol., II lib.

Johannes Meny, cujus bursa 4^or sol., I lib.

Reymeus de Camera, cujus bursa 4^or sol., ex toto solvit ij lib. x sol.

Johannes Majoris, cujus bursa vj sol., in toto solvit iij lib. x sol.

Theodericus Ghiisberti Delft, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. x den.

Petrus Bartholomei de Sparawolde, cujus bursa 4^or sol., solvit ij lib. x sol.

Nicolaus Ysbrandi Herlem, cujus bursa nichil.

Ido Henrici de Scoenhovia, cujus bursa 4^or sol. solvit ij lib. x sol.

Petrus Hoern, cujus bursa 4^or sol., solvit ij lib. x sol.

Arnoldus Barnardi de Aemsstelredam, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. x sol.

Robertus Forest de Scotia, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa vj sol., I lib. x sol.

Conrardus Sartoris, Constantiensis dyocesis, cujus bursa nichil.

Balthasar Mesnang de Ysnina[4], Constantiensis dyocesis, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Symon Cuper, dyocesis Leodiensis, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Petrus de Scoeten, cujus bursa vj sol , solvit iij lib. x sol.

Petrus Izidderwalt[5] diocesis Treverensis, cujus bursa v sol., I lib. v sol.

Petrus Heinrici Mey, cujus bursa 4^or sol., solvit ij lib. x sol.

Theodericus Hoern, cujus bursa nichil, I lib.

(*Fol. 59*) Johannes Lutzenburch, cujus bursa vj sol. solvit iij lib. x sol.

Ulricus Berken, cujus bursa 4^or sol., solvit ij lib. x sol.

Winandus Bell, Coloniensis dyocesis, cujus bursa sex sol. solvit iij lib. x sol.

Brechtorus Wilhelmi de Miert, Trajectensis dyocesis, cujus bursa 4^or sol., solvit ij lib. x sol.

Johannes Sailteti, dyocesis Spirensis, cujus bursa nichil.

Henricus Lecbaert, dyocesis Treverensis, cujus bursa nichil.

Wilhem de Dumeto, dyocesis Leodiensis, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Johannes Camencz, Misnensis dyocesis, cujus bursa nichil.

Lambertus Camp, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. 2 sol.

Johannes Amelonc, dyocesis Trajectensis, cujus bursa 4^or sol., ij lib. x sol.

Heinricus Zelem, dyocesis Trajectensis, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. x sol.

Petrus de Gernsheym, cujus bursa 4 sol., solvit ij lib. x sol.

Johannes Gerlaci, dyocesis Magontensis, cujus bursa nichil.

Theodericus Petri de Harlem, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. x sol.

Arnoldus de Delft, cujus bursa v sol. solvit iij lib. v sol.

Franco Leidis, cujus bursa vj sol., solvit iij lib. x sol.

Stanislaus Wenczlai, dyocesis Pragensis, cujus bursa nichil.

Vintherus Zeucha, Misnensis dyocesis, cujus bursa nichil].

1. *Penultima Januarii pro deputatis* in mula *receptor exposuit* VIII s. (Lib. recept. *fol.* 57^b).
2. *In continuatione mag. Elie* in platella *receptor expos.* II *lib.* XVI s. (Ibid).
3. *Baccalariorum seriem hujus anni, quem omittit liber procur., e libro receptoris edimus.*
4. *An.* 1442 Heidelbergae *intitul. et ibid. baccal.* (TOEPKE, Matrikel, I, 236).
5. *Sine dubio* Petrus Zederwalt, *qui an.* 1447 Coloniae *intit. est* (KEUSSEN, Matrikel, I, 381).

1450

(*Fol. 162*) Substitucio magistri Walteri de Wernia in procuratorem venerande nationis Almanie.

Indicta fuit congregacio nacionis Almanorum apud Sanctum Maturinum 3a die Marcii super duobus articulis. Primus fuit ad substituendum aliquem magistrum prefate nacionis in procuratorem; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum exposuit procurator quomodo necesse habuit meare ad partes natales, nacioni supplicando ut aliquem in locum sui assumere dignaretur, et nominavit eis magistrum Walterum de Wernia, quem protunc nacio concorditer nemine reclamante in locum procuratoris recepit[1]. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator haberi gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. De Wernia.

Celebrata fuit congregacio facultatis arcium in Sancto Juliano Vta die Marcii super tribus articulis. Primus erat super quadam discordia exorta inter duos regentes ejusdem facultatis, scilicet inter magistrum Clementem Parmentarii de nacione Normanie, et magistrum Baldewinum de Navigiis de nacione Francie. Dicebat enim magister Baldewinus quomodo magister Clemens tradit quinque scolaribus nacionis Normanie signetum suum de audicione librorum, quos prefati scolares sub magistro Baldewino in vico Straminis audiverunt et similiter certificavit prenominatus mag. Clemens suo procuratori de determinacione prefatorum, qui tamen determinaverunt sub magistro Radulpho Morini, et eciam prefati scolares audiverunt reparaciones suorum librorum more consueto (*Fol. 162*b) sub prenominato magistro Baldewino, antequam exierent domum magistri Radulphi Morini. Unde exigebat mag. predictus a quolibet [scolari] unum scutum. Fuit eciam auditus magister Clemens parte ex altera. Secundus articulus fuit super quodam magistro qui de novo incepit, de quo conquerebatur mag. Radulphus Morini quod contra sentenciam facultatis et domini rectoris et curie conservacionis ei per prius non satisfaciendo de quibusdam debitis incepisset, aut saltem dando caucionem burgensem, referens quomodo iste novus magister incepit non petito *placet* de mane, et non incipiendo sub illo sub quo juravit incipere, non habito ejus consensu aut eciam petito. Tertius fuit communis. Quantum ad primum articulum deliberavit facultas quod illi predicti scolares satisfacerent et persolverent mag. Baldevino prenominato. Quantum ad secundum non fuit concordia, quia due naciones scilicet Francie et Picardie reputabant ipsum magistrum, alie volebant ipsum punire, casu quo ita esset inventus culpabilis; et de facto nacio Normannorum protestabatur de appellando ad Universitatem. Nullus supplicavit. De Wernia.

Congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum super tribus articulus 9na die Marcii. Primus erat ad audiendum relacionem magistri Gerardi Thome[2] qui descenderat de Concilio ecclesie Gallicane[3] ad quod cum aliis oratoribus Universitatis missus fuit, qui ibidem aliis redeuntibus mansit ut finale responsum Universitati reportaret. Secundus erat super facto nominacionum secundum morem antiquum et super quibusdam gravaminibus quibusdam scolaribus illatis contra privilegia Universitatis. Tercius fuit communis super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum auditus fuit mag. Gerardus Thome[4] et auditis diligenciis factis per eum habuit eum Universitas gratum, avoatum et recommissum, et regraciabatur eidem de laboribus assumptis, voluitque ut ipsi fieret bona et plenaria persolucio. Quantum ad 2m voluit Universitas quod interim, ut consuetum fuit annis precedentibus, fierent nominaciones pro volentibus nominari. Quantum ad secundum punctum illius articuli voluit Universitas, ut contra tales injuriatores et turbatores conservator vel ejus vicegerens et dominus promotor procederent, eos monendo ut desistant, et via excommunicacionis eos compescendo, et quod sine timore viriliter contra eos procederet, eo quod Universitas promisit eum semper habere indampnem. Et si ipse non vellet procedere secundum formam privilegiorum, quod ipse hoc diceret, et Universitas provideret de uno, qui non tantum timeret. Quoad tercium articulum conquestus fuit mag. Johannes de Brena, quomodo mag. Johannes de Conflancia appellasset ad parlamentum, cum vellet demandare execucioni quandam sentenciam datam in curia domini rectoris. Et quoad hoc voluit Universitas quod ille prefatus desisteret a sua appellacione, et quod materia tractaretur in deputatis Universitatis. Supplicaverunt quidam pro litteris gradus, quorum sup-

1. *Receptor in electione mag. Walteri* in cunabolo *exposuit* I *lib.* II s. (Lib. recept., *fol.* 58).
2. *Qui ut apparet e relatis ad Martii* 28, *fuit* Collegii Justitiae.
3. *Rotomagi celebrato.*
4. *An.* 1449, *Dec.* 15, *licent. in theol., de quo infra.*

plicaciones fuerunt exaudite probatis probandis. Supplicaverunt eciam quidam pro litteris recommendatoriis; quorum supplicacionibus annuit, dummodo legerentur in deputatis. De Wernia.

1450

Electio magistri Walteri de Wernia in procuratorem venerande nationis Almanie.

(*Fol. 163*) Decima die Marcii congregata fuit natio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad elegendum novum procuratorem; secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit mag. Walterus de Wernia natus de Rijswiick in ducatu Gelrie. Quantum ad secundum habitus fuit antiquus gratus ut supra, et similiter mag. Walterus de Wernia de hiis que egit tempore quo fuit substitutus.

Congregata fuit Universitas decima quinta die Marcii apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super defensione privilegiorum et ad avisandum remedium oportunum contra receptorem taliarum [1], qui multos veros officiarios de quibus dubium non erat quin gaudere debebant privilegiis Universitatis, invadiavit, verum eciam et aliquos bedellos, scilicet bedellum medicine et bedellum nacionis Normanie, et indifferenter adhuc invadiaret alia vera supposita. Secundus fuit ad deliberandum si expediret mittere ambaciatores ad regiam celsitudinem pro sigillacione aliquarum litterarum de privilegiis Universitatis mensionem facientium, que alias per magistrum Gerardum Thome presentate fuerunt nomine Universitatis domino cancellario Francie, qui protunc magnis et arduis negociis impeditus earum sigillacioni vacare non potuit, eciam allegans ei frequenter abusus Universitatis et quod indigerent reformacione; quare minus promptus ad hoc videbatur. 3us fuit communis etc. Quantum ad primum ex concordi deliberacione voluit Universitas quod dominus vicesgerens haberet receptorem monere, et similiter alios turbantes supposita, ut desisteret ac omnibus suppositis Universitatis invadiatis sua vadia restitueret; quod si facere sperneret, quod ipsum ad hoc compelleret eum excommunicando et in valvis sue parrochie excommunicatum denunciaret vel denunciari faceret, et similiter in sermone. Voluit insuper quod aliqui deputati una cum domino rectore haberent adire magistrum Johannem Bireau [2] ei intimando, quomodo contra privilegia papalia et regalia Universitas in suppositis suis multum vexatur et in studio impeditur, exortans eum ut faceret cessare tales molestatores contra privilegia, vel alias intencionis esset scribere regi, eidem supplicans ut preciperet suis officiariis ut non vexarent Universitatem, quia alias necesse haberet dimittere omnia exercicia scolastica et forte Parisius deserere. Quantum ad secundum placuit Universitati mittere aliquos numero paucos, qui laborare haberent apud regeam magestatem pro sigillacione illarum litterarum, eidem supplicando ut nichil vellet concludere in articulo de modo provisionis suppositorum, visa appellacione Universitatis interjecta. Quantum ad tercium supplicaverunt pro litteris gradus, quorum supplicaciones fuerunt admisse probatis probandis. Alie supplicaciones fuerunt remisse ad deputatos.

Decima octava die ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum diligencias factas per deputatos in materia privilegiorum; et quoad hoc aperuit dominus rector quomodo magister Johannes Bireau benivole recepit deputatos, et ipsis auditis respondit, nullo modo sue mentis esse vel aliorum dominorum tribulare aut vexare vera supposita Universitatis, nec ad hoc clientibus auctoritatem dederunt, sed dicebat quod neccesse esset, quod mater Universitas se reformaret, cum multi abusus committerentur et *multi dicerent se supposita Universitatis*, *qui tantum sunt publici tabernarii*, *mercatores et alii abusores*, ymmo in maximo numero, dixitque quod expediret quod Universitas daret nomina et cognomina suorum officiariorum, et quod cum aliis possent facere eorum voluntatem. Offerebat eciam se laboraturum pro restitucione vadiorum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum audita illa (*Fol. 163^b*) responsione, unanimi consensu conclusit Universitas, quod sicut semper voluit ita adhuc vellet omnia vera supposita sua a tali imposicione et alia qualibet exactione exempta esse, et non placuit ei ut nomina suorum officiariorum traderentur dominis receptori et aliis, sed voluit quod crederent sigillo rectoris. Et ibidem aperuit dominus promotor, quomodo alia die, cum venirent [3] deputati de domo predicti Bireau, clientes incarceraverunt quemdam magistrum in artibus et in

1. Johannem Bireau, *non confundendum cum* Joh. Barillet, *receptore generali*, *de quo* Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. V, p. 87 *sqq*.

2. *Receptorem talliarum*.

3. *Ms.* venierent.

jure canonico studentem, domino receptore taliarum precipiente, eo quod demandasset executioni sentenciam excommunicacionis in personam predicti receptoris ad requestam matris Universitatis; quare videbatur ei et multis aliis quod opus esset cessare a sermonibus. Et quoad hoc deliberavit Universitas, quod nisi prefatus receptor expediret predictum a carceribus sine expensis ejus, quod vicesgerens procederet ad aggravacionem receptoris et quod scelerius (*sic*) quo commode fieri posset rector faceret processionem Universitatis, et in illa unus theologorum haberet dicere publice causam quare dictus receptor esset excommunicatus et aggravatus, et eciam quod si non cessarent a molestando, quod Universitas cogeretur ad cessandum a sermonibus. Ordinavit eciam eadem congregacione ut dominus rector solempni comitiva et proponente notabili haberet accedere ad nuncium apostolicum [1], ei Universitatem et supposita recommendando. Quoad secundum supplicavit dominus rector pro littera recommendatoria simul et supplicatoria ad beatissimum patrem nostrum summum pontificem, ut eidem dignaretur providere de gratiis exspectativis, et fuit supplicacio sua admissa, dummodo corrigeretur sua littera in quadam clausula, etc.

Vicesima tercia die ejusdem mensis indicta fuit Universitas apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus erat de exquirendo modum procedendi contra receptorem sepenominatum et contra alios perturbatores Universitatis contra justiciam, et intimavit dominus rector quod dictus receptor non vellet expedire illum incarceratum, nisi prius absolveretur, et eciam nisi solveret prius suum bejanium, ut dicebat. Secundus fuit communis. Quantum ad primum noluit Universitas adhuc cessare, sed procedere ad reaggravacionem ejus, si esset aggravatus, et quod sua reaggravacio declararetur in valvis ecclesiarum. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector [2], ut Universitas vellet eum habere gratum, avoatum et recommissum in actis tempore sue rectorie; cujus supplicacio fuit admissa non in toto, quia non habebant ipsum gratum ex eo, quod ad instanciam unius solius facultatis, sine consensu aliarum, compulisset ambaciatores Universitatis per juramentum ad dicendum suas particulares deliberationes, quas fecerunt in Consilio ecclesie gallicane civitatis Rothomagensis.

Die vicesima quinta congregata fuit Universitas apud Sanctum Maturinum ad eundum processionaliter apud Sanctam Katherinam ad exorandum Altissimum pro bona pace ecclesie, pro prospero successu illustris regis Francie et nobilissime regine sue consortis, et domini Delphini et aliorum dominorum de sanguine regis, pro felici conservacione matris Universitatis et suorum suppositorum, etc. Et ita factum fuit.

(*Fol. 164*) Vicesima sexta [3] die mensis Marcii congregata fuit facultas arcium apud Sanctum Julianum ad eligendum novum rectorem et intrantes qui illum eligerent. Secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et quelibet nacio dedit suum intrantem. In natione Almanorum fuit electus Theodericus Brakel [4] natus de Novomagio. Accidit autem magno satis temporis spacio interposito, quod scilicet intrantes existentes in conclavi pulsarent ostium, et accessit dominus rector interrogando, an essent concordes, et ipsis auditis dominus rector aperuit ostium, et exivit intrans nationis Almanie significando magistris ibi [5] existentibus, magistrum Albertum Scriptoris esse electum in rectorem Universitatis. Alii tamen intrantes manserunt in conclavi, non volentes exire, eo quod dicebant non esse concordiam. Rector autem posuit in deliberacione, utrum facultas vellet quod exirent et audirentur, sicut auditus fuit intrans Almanorum, vel quod rector cum procuratoribus haberet ire ad eos, et per juramentum audire eos. Conclusit facultas quod dominus rector cum procuratoribus haberet intrare conclave, et audire eos. Introierunt cum domino rectore tres procuratores, scilicet Francie, Piccardie et Almanie. Ipsos autem tres intrantes, qui nundum exiverunt, interrogavit rector per eorum juramenta ut dicerent veritatem de electione facta. Qui dixerunt juramento prestito, quod Francigena convenerat cum Piccardo dicens : « da michi pro magistro Johanne Normani, dabo tibi pro magistro Godefrido Normani ». Ille acceptavit. Accessit Almanus ad Piccardum dicens : « da michi pro magistro Alberto Scriptoris, dabo tibi pro magistro Johanne Balie », et acceptavit similiter. Accessit Almanus

1. Alphonsum de Segura, *episcopum Mindoniens., qui, ut ex* Arch. nat. Paris. LL 116, *fol.* 430, *liquet, solum Maii 2 Parisios reliquit ut* Carnotum *ad Concilium pergeret.*

2. *Inter lineas :* scilicet Calvi.

3. *Inter lineas* quinta. *Sed revera fuit* die martis 24 Martii, *ut legitur in* lib. proc. nat. Gallic. *Vid.* Bul., V, 550. *Et illa die* (24 Mart.) *receptor exposuit in taberna* in corona III *lib.* VI *s.* (Lib. recept., *fol.* 58).

4. *Ms.* Stas.

5. *Ante ostium cum rectore antiquo. Optime in sequentibus electio rectoris describitur, imprimis si adjungas relationem* libri proc. nat. Gallic. *ap.* Bul. *l. c.*

ad Francisgenam dicens : « ego do tibi pro magistro Johanne Normani, da michi pro magistro Alberto Scriptoris ». Ille acceptavit dicens : « ego accepto et habeo rectorem ». Alius, videlicet Almanus, dixit : « et similiter ego accepto et habeo rectorem ». Ipsis sic existentibus supervenit Normanus dicens : « ego do simpliciter pro magistro Alberto ». Exivit dominus rector et retulit ista. Convocata fuit facultas et propter bonum concordie, quia plures dixerunt [Gaufridum] Normani esse rectorem, alii magistrum Albertum, concluserunt ergo nullam esse electionem, et celebrandam esse novam electionem intrantium [1]; et de facto elegerunt. Cui electioni procurator Almanie nomine nacionis opposuit se. Et ipsis sic existentibus venit magister Albertus cum epithogio petens recipi in rectorem, cum asserebat se vere esse electum. Qui non fuit auditus, ymo plures clamabant *ad cappam*, et insurrexerunt contra eum, nec potuit illa die habere audienciam. Dominus rector [antiquus] requisivit procuratorem Almanie, ut poneret in medium, ut natio sua daret intrantem; qui ex concordi deliberacione magistrorum respondit quod natio non vellet dare intrantem novum, cum putaret magistrum Albertum habere verum jus.

(*Fol. 164* b) Deliberaverunt nichilominus tres nationes, quod dominus rector requireret nationem Almanie pro secundo, ut daret intrantem, vel ipsi vellent mittere pro juniore theologo, qui intraret loco nacionis prenominate. Convocata igitur nacione per procuratorem, ut deliberarent in re illa, multi dixerunt, quod antequam alius intraret, scilicet theologus, magis vellent quod aliquis de natione intraret. A pluralitate tamen vocum conclusum fuit, quod natio non vellet dare novum intrantem, ymo opponeret se electioni novorum intrantium, et similiter tercio requisita eodem modo respondit. Hiis tamen non obstantibus unum suppositum nationis Almanie, videlicet mag. Thomas Cameron, *ebrius, stultus* [2] Scotus, presentans se facultati dicebat, quod antequam aliquis alius intraret, magis vellet intrare, cum ipse esset filius illius nacionis, capax illius officii. Placuit ergo ex tunc tribus nacionibus, ut ipse intraret pro natione Almanie; qui intravit cum aliis, et eligerunt magistrum Gerradum Thome in rectorem, qui, cum perciperet se electum, et consultis amicis venit ad facultatem, *et more solito biretatus fuit per dominum rectorem antiquum*, qui sibi contulit insignia rectorie et in possessionem constituit. Hiis factis fecit duas supplicaciones facultati : prima, ut daret ei assistenciam, consilium, auxilium et favorem in rebus agendis per eum durante rectoria sua; secunda fuit, ut vellet eum associare usque ad Collegium Justicie [3], et ibi capere vinum et species. Et deliberavit facultas super hiis, annueruntque tres nationes suis supplicationibus; natio tamen Almanie sue electioni se opposuit et appellavit ad illum vel illos, etc.

Facta fuit congregacio nationis Almanie XXVIII die Martii post prandium hora tercia apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus erat super quibusdam concernentibus honorem nationis; et quoad illum exposuit mag. Albertus Scriptoris electus quomodo expediret facta appellacione, quod natio vel procurator nomine nationis die sequenti supplicaret magistris de Universitate, ut vellent magistris Alemanie amministrare bonam justiciam et eciam significare appellacionem interjectam electioni magistri Gherardi Thome. Secundus fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit quod nacio vellet stare in appellacione et dare magistro Alberto assistenciam, sed utcrum (*sic*) suis expensis vel nacionis nichil pro tunc determinavit. Placuit eciam nacioni quod nullus de nacione associaret dominum rectorem *opinatum* [4] nomine nacionis sub pena privacionis. Cui conclusioni se opposuit mag. Thomas Cameron. Voluit eciam quod procurator, si opus esset, significaret Universitati appellacionem factam a nacione. Quantum ad secundum nullus supplicavit.

W. de Wernia.

(*Fol. 165*) Die vicesima nona ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat ad audiendum litteras regias Universitati transmissas de Consilio ecclesie gallicane decima quinta May *Carnoti* [5] celebrando [6], ad quod rex voluit, ut Universitas suos transmitteret oratores. Secundus fuit de prefixione termini clausionis rotuli. Tercius fuit communis. Quantum ad primum regraciabatur Universitas regie majestati super communicacione suarum litterarum, et voluit quod ordinarentur articuli et instructiones, nichil determinans

1. propter extinctionem candele, *ut in* lib. proc. nat. Gallic. *notatur*.

2. ebrius, stultus *in margine additum est*.

3. *Revera in* lib. receptoris, *fol.* 59 b *scribitur :* principali collegii Justicie pro cappa rectoris II lib., II sol. *Minime tamen rector evasit, sed* Albertus Scriptoris. *Vid. infra*.

4. *Ea vox in marg. add.*

5. *Ms.* Carnati.

6. Lib. proc. nat. Gallic. *de hoc jam loquitur ad Mart.* 28 (Partie des pièces et actes qui concernent l'Université de Paris. *rec.* VIII, *alias* VII, p. 34). *Vid. de hoc Concilio infra ad Maii* 15, p. 808, 45.

protunc de mittendis. Quantum ad secundum placuit quod rotulus curreret usque *Quasimodo*, et quod tunc omnes nominati legerentur in Universitate. Quantum ad tercium supplicavit magister Albertus singulis facultatibus, ut sibi vellent amministrare justiciam, quia dicebat se legittime esse electum in rectorem Universitatis. Et quoad hoc non fuit concordia, quia facultas artium quantum ad duas naciones, scilicet Piccardie et Almanie, fuerunt pro magistro Alberto, alie due pro alio, et facultas medicorum pro magistro Alberto, theologorum pro magistro Gerardo, et decretorum dedit deputatos [1].

Ultima die Marcii facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum super recepcione mag. Alberti Scriptoris in rectorem Universitatis, quia die precedente facta fuit convocacio suppositorum nacionis Francie per procuratorem ejusdem nacionis, scilicet magistrum Nicolaum de Foro, ad discutiendum de jure quod mag. Albertus dicebat se habere. Et considerata sua electione conclusum erat per procuratorem ex deliberacione suppositorum, quod mag. Albertus haberet verum jus in rectoria, cum legitime videbatur electus. Et ideo fuit facultas convocata per tres procuratores et ibi comparuit mag. Albertus [2] habitu decenti, et procurator nacionis Francie imposuit ei biretum rectoralem, et eum in possessionem posuit, et tres naciones ibi existentes associaverunt eum usque ad domum suam sumendo ibi vinum et species. De Wernia.

1450

Continuacio magistri Walteri de Wernia anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, VIII^a^ Aprilis [3].

Congregata fuit anno, mense, die ut supra apud Sanctum Maturinum natio Almanorum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus fuit communis; et quoad illum supplicavit procurator, ut nacio vellet eum habere gratum, avoatum et recommissum, et facta per eum grata et rata. Quantum ad primum concorditer nemine reclamante continuatus fuit procurator antiquus. Quantum ad secundum admissa fuit ejus supplicacio ab omnibus unanimiter. Supplicavit eciam magister Henricus Bie [4] natus de Campis, quod nacio in absencia sua, cum esset iturus ad partes, si rotulus mitteretur summo pontifici vel alia fieret provisio magistrorum, quod tanquam presens reputaretur et inscriberetur; cujus supplicacio fuit admissa, viso quod per majorem partem ordinarii studuisset Parisius. Voluit eciam nacio tunc quod procurator faceret publicari sub sigillo procuratorie ut omnes in isto anno ad baccalariatum assumpti satisfacerent nacioni, aut alias nacio non reputaret eos baccalarios; et ita factum fuit.

(*Fol. 165^b^*) Decima quinta die congregata fuit nacio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat de constituendo advocatos et procuratores in parlamento, qui defendere et exponere haberent causam mag. Alberti Scriptoris, qui electus erat in rectorem Universitatis, et per procuratorem Francie in actualem possessionem positus, tribus nacionibus consentientibus contra mag. Gherardum Thome, qui eciam electus fuit in rectorem Universitatis, cui facultas contulit insignia rectorie, scilicet claves, sigillum et libros. Ista enim controversia jam per appellaciones hinc inde factas per parlamentum veniebat discutienda. Secundus fuit communis. Et quantum ad primum placuit nacioni ponere advocatos et procuratores nominatos per magistrum Albertum. Quantum ad secundum supplicavit mag. Albertus Scriptoris ut nacio vellet ei mutuare aliquam summam pecunie, quam restituere brevi promisit termino; et quoad hoc non fuit concordia. Sed die sequente facta fuit congregacio super illo, et hinc inde considerationibus habitis visa fuit sua supplicacio racionabilis. Quare tunc ei annuit nacio sub hac forma, ut mag. Johannes de Palacio fidem faceret pro eo et se obligaret sub penis nisi pro summa XXX scutorum auri solvenda ante festum beati Mathei apostoli proxime venturi; et si ipse non vellet fidem facere pro mag. Alberto, voluit ex tunc quod mag. Albertus poneret nacioni unum notabilem et divitem burgensem ville Parisiensis, qui se obligaret pro mag. Alberto.

Die 21^a^ Aprilis fuit facta congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compota domini receptoris. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum audivit nacio compotum domini receptoris, sicut annis consuevit singulis. Quantum ad secundum supplicavit

1. *Quae Martii* 30 *evenerunt, fuse narrantur in* lib. proc. nat. Gallic. *ap.* Bul. V, p. 551 *sq.*
2. Albertum Scriptoris *etiam* Bul. V, 921, *ut rectorem affert.*
3. *Tum receptor exposuit* in corona II *lib.* X *s.* II *d.* (Lib. recept. *fol.* 58).
4. *Ms.* Vie.

dominus receptor, scilicet mag. Tielmannus de Gouda, ut nacio haberet eum gratum, avoatum, etc.; et quoad hoc, quia legalis repertus fuit in compotis suis, ideo nacio habuit eum gratum, avoatum et recommissum.

Secunda die May facta fuit congregacio nacionis super distribucione mensium examinatorum in examine Sancte Genovefe; et quoad hoc placuit nacioni quod procurator protunc haberet primum mensem, et deinde distribuerentur menses secundum senium; dummodo tamen semper regens preferretur non regenti. 2us fuit communis.

Mag. Walterus de Wernia
natus de Riiswiick in ducatu Gelrie.

1450

[Electio mag. Johannis Kanedy.]

(*Fol. 166*) Quinta die mensis May congregata fuit nacio Almanie super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Johannes Kanedy. Quantum ad secundum concessa fuit supplicacio domini antiqui procuratoris, qui supplicavit ut haberetur gratus et advoatus. Eadem die Universitas ivit processionaliter ad ecclesiam Sancti Germani Anthiciodorensis.

Septima die ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat super materia ambaciate destinande ad Concilium ecclesie gallicane celebrandum Carnotho [1]. Secundus erat super facto privalegiorum. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum non erat concordia super numero ambaciatorum transmittendorum. Quoad secundum conclusum est quod deputati Universitatis haberent verbum cum officiariis regiis, et quod facerent bonum appunctuamentum cum eiis (*sic*) quoad veros officiarios nostros, qui haberent gaudere privalegiis nostris. Quoad articulum supplicacionum omnes erant remisse ad deputatos.

Octava die mensis ejusdem facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta bacalariorum ponendorum in cameris in Sancta Genovefa pro primo mense, et juramenta examinatorum eorundem. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum audita sunt juramenta bacalariorum et examinatorum eorundem. Quoad secundum articulum appellaverat unus magister de loco secundi gallici nomine tercii gallici, et supplicaverat ex parte ejusdem, ut facultas vellet dare deputatos ad examinandum prefatos baccalarios et ad judicandum de eminencia sciencie unius super scienciam alterius; cujus supplicacio erat concessa. Verumtamen prefati deputati distulerunt suum judicium de predictis bacalariis donec et quousque examinatores in propriis dedissent suas deposiciones de eiisdem baca[la]riis.

Decima die mensis ejusdem facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum juramenta bacalariorum secundi, tercii et quarti mensium et juramenta examinatorum eorundem. Secundus fuit ad dandum responsum super quibusdam litteris directis facultati a domino nostro summo pontifice. Tertius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum audita sunt juramenta bacalariorum et examinatorum. Quoad secundum non fuit concordia. Quoad tercium nulli erant supplicantes.

Undecima die mensis ejusdem facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad determinandum numerum ambaciatorum transmittendorum ad Concilium ecclesie gallicane Carnotho celebrandum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum non fuit concordia. Quoad tercium supplicavit dominus scriba ut haberet aliquid pro laboribus, quos habebat in ingrossando *instructiones ambaciatorum Universitatis*; cujus supplicacio erat concessa. Supplicavit magister Egidius Morsels pro litteris recommendatoriis in favorem magistri Johannis de Conflancio; cujus supplicacio erat concessa. Supplicaverunt etiam duo magistri pro litteris gradus; quorum supplicaciones erant concesse probatis probandis.

Joh. Kanedy.

(*Fol. 166*[b]) [2] Decima quinta die ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Bernardo super tribus articulis. Primus erat ad determinandum numerum ambaciatorum transmittendorum ad Consilium ecclesie gallicane celebrandum in civitate *Carnotensi* [3]. Secundus erat ad audiendum

1. *Vid. ad Maii* 15.
2. *Quae sequuntur usque* p. 816, 21, *non J. Kanedy scripsit, sed quidam Alemannus.*
3. *Hac die, Maii* 15, *Concilium Carnotense jam apertum est, et Universitas nondum suos legatos ad illud miserat. Verisimiliter non ante Maii 27 profecti sunt. Vid. ibid. Concilio praesidebat* Jacobus Juvenalis des Ursins, *patriarcha Antiochenus, et* archiepiscopi, episcopi, Universitates, capitula et abbates

cancellarium ecclesie beate Genovefe, qui erat citatus ad respondendum aliquibus interrogatoriis sibi fiendis ex parte Universitatis. Tercius erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum erat quod de qualibet facultate mitteretur unus ambaciator. Quantum ad secundum noluit cancellarius protunc respondere, quia nondum erat avisatus de interrogatoriis. Quantum ad articulum supplicacionum omnes erant [supplicantes] remissi ad deputatos.

Decima octava die ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum ambaciatores transmittendos ad Consilium ecclesie gallicane. Secundus erat ad audiendum cancellarium ecclesie beate Genovefe. Tercius erat communis. Quantum ad primum pro alma facultate theologie electus fuit in ambaciatorem magister Petrus de Vassello [1], pro facultate decretorum magister Johannes de Montiniaco, pro facultate medicine mag. Guillermus de Algia, et pro preclara facultate artium mag. Johannes Normani [2]. Quantum ad secundum conclusum fuit quod materia cancellarii terminaretur in Universitate, et quod differretur usque ad totalem expedicionem ambaciatorum. Quantum ad 3^m articulum supplicavit procurator nacionis Almanie, ut Universitas laboraret pro expedicione duorum nunciorum prefate nacionis incarceratorum occasione imposicionis [3], cujus supplicacio erat concessa. Supplicavit eciam magister noster mag. Guillermus de Castroforti, ut esset ambaciator Universitatis una cum aliis, propriis expensis. Cujus supplicacio erat interempta.

Vicesima die ejusdem mensis facta fuit congregacio facultatis artium in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta baccalariorum pro quinto, sexto et septimo mensibus, et ad audiendum juramenta examinatorum eorundem. Secundus erat ad videndum an placeret scribere summo pontifici super facto duorum magistrorum alterius Universitatis, pro quibus ipse scripcit (*sic*) ut reciperentur in ista Universitate tanquam magistri. Tercius erat communis. Quantum ad primum placuit audire juramenta baccalariorum et examinatorum eorundem pro prefatis mensibus. Quantum ad 2^m non placuit rescribere summo pontifici. Quantum ad tercium supplicavit quidam magister habere deputatos ad audiendum aliquos baccalarios et examinatores facultatis deputatos pro secundo mense refutatos. Cujus supplicacio erat concessa.

(*Fol. 167*) Vicesima tercia ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta ambaciatorum et ad eligendum unum ambaciatorem pro facultate decretorum, et ad videndum modum habendi pecunias pro ambaciatoribus. Secundus erat ad audiendum diligencias factas super facto incarceratorum. Tercius erat communis. Quantum ad primum placuit audire juramenta ambaciatorum, et pro facultate decretorum electus erat magister Martinus de Fraxinis ; et quantum ad pecunias conclusum fuit, quod aliqua nacio vel facultas concederet certam summam pecunie, cui receptores burse obligarentur restituere. Quantum ad secundum regraciabatur Universitas domino rectori et ceteris deputatis de deligenciis factis super expedicione incarceratorum. Quantum ad tercium supplicaverunt examinatores deputati ex parte facultatis artium pro

totius regni congregati erant. *Causa congregationis fuit* ut differentia, que erat inter apostolicum auditorium (*intell.* oratorem) et dictam eccl. Gallicanam omnimodo tolleretur, fieretque concordia cum sanctissimo dom. nost. Nicolao papa V super facto collationis beneficiorum et provisionis eorumdem, et aliis articulis plenius in pragmatica sanctione contentis (*vid. instrum. in* Gall. christ., VIII, Instr., p. 400, n° 126). *Melius quam alibi in eo instrumento, quod* BEAUCOURT, t. V, p. 204 *sqq., fugit, finis Concilii explicatur. In* Concilio Rotomagensi *nulla concordia obtenta est. Certe jam tunc legatus papae, episcopus Mindoniensis, illos* 22 *articulos protulit, quos olim episc. Brixiens. regi praesentaverat, nam episcopus Mindoniensis etiam eos* « cum certis additionibus ad majorem supportationem eccl. Gallicanae » *regi ex parte Nicolai V obtulit, ut nunc scimus ex* Arch. Vat., Var. Polit. XXIII, *fol.* 33 (*vid. supra an.* 1441, p. 521, *not.* 1). *Cum legatus nihil profecisset in* Concilio Rotomagensi, *speravit concordiam fore in* Concilio Carnotensi, *praesertim cum diversi praelati ex parte Nicolai V dimicarent. Major tamen pars hanc concordiam impedire et* pragmaticam sanctionem *anni* 1438 *integram conservare conabantur, et ut hoc tanto certius obtinerent, quidam optime instructus tunc, i. e. inter* Concilium Rotomag. *et* Carnotense, *confecit et finxit* pragmaticam sanctionem Ludovici IX an. 1268, mensis Martii, *quam exinde in* Concilio Carnotensi (*contra nuntium apost. episc. Mindoniensem*) *produxerunt, quod per* Arch. nat. P 1388², cote 60ter *partim confirmatur* (*vid.* BEAUCOURT, *l. c.*, p. 214). *Revera in* Arch. Vat. *l. c. post* 22 *articulos fol.* 35 *sequitur* Pragmatica xanccio facta per b. Ludovicum francorum regem cum concilio prelatorum et sui regni peritorum anno MCCLXVIII, mense Marcio (*saec.* XV). *In fine legitur :* Ista pragmatica S. Ludovici sub quinque regibus reperitur iterum publicata et paucis additis renovata et observata. *Deinde epist.* Caroli VI *an.* 1406 (1407), *Febr.* 18 (*ad quam* THOMAS BASIN, IV, 83, *occasione* pragmaticae sanctionis *alludit*), *et epist. an.* 1418 *Martii. Concilium certe jam ante finem Junii dissolutum erat. Vid. infra ad Jul.* 5. *De* pragmatica sanctione Ludovici IX *vid. imprimis* SCHEFFER-BOICHORST *in* Mitthl. d. Instituts f. österr. Gesch. VIII, 353-396, *qui ejusdem compositionem* p. 393 *sqq. ad an.* 1438 *refert.*

1. *I. e.* Vaucello.

2. *Hic solum nomina legatorum afferuntur, quae* BUL. V, 554, *omisit quia desunt in* lib. proc. nat. Gallic. *Vid. etiam ad Maii* 25.

3. *Vid.* p. 800, 42.

secundo mense in Sancta Genovefa, ut Universitas vellet approbare id quod ipsi fecerunt. Et quoad hoc conclusum est quod baccalarii refutati per eos reexaminarentur per aliquos deputatos ex parte Universitatis. Supplicavit eciam dominus rector pro litteris recommendatoriis, cujus supplicacio erat concessa. Item supplicavit mag. Egidius Morsells de nacione nostra in nacione ut nacio vellet sibi mutuo concedere X vel XII scuta, et quod defalcaret illud in quo sibi nacio tenebatur pro laboribus et deligenciis in parlamento contra adversarios nostros. Cujus supplicacio erat interempta quantum ad summam petitam; sed nacio sibi defalcavit suas bursas, quibus tenebatur nacioni propter deligencias quas fecit pro nacione in parlamento. Item supplicavit substitutus noster pro augmentacione cote sibi assignate per nacionem, allegans quod cota sua non sibi valuit suas expensas ordinarias; et quoad supplicacionem suam conclusum [fuit], ut haberet IIII scuta ultra summam solitam.

Vicesima quinta ejus mensis facta fuit congregacio super duobus articulis. Primus erat ad eligendum ambaciatorem in facultate decretorum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum magister Martinus de Fraxinis ante finem congregacionis acceptaverat onus ambaciate. Quantum ad secundum omnes articuli erant admissi ad deputatos.

Prima die mensis Junii facta fuit congregacio super tribus articulis. Primus erat ad audiendum lecturam litterarum transmissarum a suis ambaciatoribus [1], secundus super facto reformacionis nunciorum. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur Universitas suis ambaciatoribus de bona communicacione suarum litterarum. Quantum ad secundum placuit Universitati [ut] fieret bona reformacio nedum in nunciis, sed in omnibus aliis officiariis; et quoad hoc dedit deputatos. Quantum ad articulum supplicacionum concessit supplicaciones magistrorum qui supplicaverunt pro litteris gradus, probatis probandis. Concessit eciam supplicacionem decani Nevernensis [2], qui supplicavit quod non traheretur extra muros Parisienses per unum, qui fecit eum citari. Interemit autem supplicacionem eorum qui supplicaverunt ut baccalarii admissi per Universitatem non inciperent nisi pro tercio mense.

1450

[Continuatio ejusdem.]

(*Fol. 168*^{b}) Quinta [3] die mensis Junii facta fuit congregacio nacionis Almanie super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit idem antiquus procurator, ut in hiis que facta fuerant per eum in primo mense haberetur gratus, avoatus. Cujus supplicacio erat concessa.

Duodecima die mensis Junii facta fuit congregacio facultatis artium in Sancto Juliano super tribus articulis. Primus erat ad reformandum deformitatem que est in scolaribus, que est precipue quoad habitus portandos. Secundus erat ad dispensandum, ut facultas possit congregari tempore inordinario. Tercius erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum singule naciones dederunt certos deputatos ad reformandum illam deformitatem in habitibus. Quantum ad secundum placuit, ut facultas possit convocari tempore ordinario totiens quotiens opus esset. Quantum ad tercium nullus supplicavit.

Vicesima quinta mensis Junii facta fuit congregacio facultatis super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in rectorem notabilis vir magister Robertus Remigii [4]. Quantum ad secundum supplicavit antiquus rector, ut in hiis que facta fuerunt per eum tempore sui rectorii haberet facultas eum gratum et avoatum. Cujus supplicacio erat concessa.

[(*Fol. 60*^{b}) [5] Sequuntur nomina licenciatorum istius anni, scilicet 50[i].

Dominus Burchardus Helchner, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Dominus David de Abricumbi, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Dominus Johannes Velsen, cujus bursa sex sol., i lb. x sol.

Dominus Ludolphus Swanenken, cujus bursa 8 sol., ij lb.

1. *Ad Concilium* Carnotense.
2. Roberti Tenon. *Vid.* Gall. christ., XII, 663.
3. *Quae usque ad Aug.* 26 *infra sequuntur, in ms*[to] *inveniuntur inter Septemb.* 15 *et* 18 *fol.* 168 b *et* 169 *addita.*
4. *Quem etiam* Bul. V, 921, *affert.*
5. *Sequentia inter uncos inclusa desunt in* lib. procuratoris, *eaque desumpsimus e* lib. receptoris *in* Arch. nat. Paris. H. 2587.

Dominus Theodericus Kistemaker, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Adrianus Scriptoris, cujus bursa nichil, 0.

Dominus Andreas Monachi, dyocesis Aboensis, cujus bursa 4 sol., i lb.

Dominus Laurentius Leidis, cujus bursa 4 sol., ilb.

Dominus Gwalterus Spaldin, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Dominus Johannes Kello, cujus bursa nichil, 0.

Godefridus Heymeric, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Wernherus Susinger, dyocesis Basiliensis, cujus bursa 4 sol., i lb.

Arwidus Jacobi, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Dominus Johannes Woghel de Kers, Treverensis dyocesis, cujus bursa 4 sol., i lb.

Dominus Johannes Bovis, cujus bursa 0.

Andreas Hagen, cujus bursa sex sol., i lb. x sol.

Mauricius Wilhelmi, cujus bursa sex sol., i lb. x sol.

Alexander Mac Alexandri, cujus bursa 0.

Dominus Rodulphus Baelgeboet, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Dominus Nicolaus Harlem, cujus bursa nichil, 0.

Dominus Johannes de Wessanen, cujus bursa 4 sol., i lib.

Dominus Judocus Bons, Constanciensis dyocesis, cujus bursa 0.

(*Fol. 61*) Sequuntur nomina incipientium istius anni L[i].

Dominus Burchardus Helchner, cujus bursa octo sol., solvit in toto pro bursis, pro jocundo adventu et capta rectoris, iiij lib.

Dominus David de Abricumbi, cujus bursa 8 sol., iiij lib.

Dominus Johannes Velsen, cujus bursa sex sol., solvit iij lib. x sol.

Dominus Ludolphus Swanenken, cujus bursa 8 sol., iiij lib.

Dominus Theodericus Kistemaker, cujus bursa 8 sol., iiij lib.

Dominus Johannes de Wessanen, cujus bursa 4 sol., iij lib.

Dominus Andreas, cujus bursa 4 sol., iij lib.

Gwalterus Spaldini, cujus bursa 8 sol., iiij lib.

Dominus Judocus Bons, cujus bursa 0, ij lib.

Item, pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lib.

Adrianus Scriptoris, cujus bursa nichil, 0.

Item pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lib.

Dominus Johannes Kello, cujus bursa nichil, 0.

Item, pro jocundo adventu et cappa, ij lb.

Dominus Laurentius Leidis, cujus bursa 4 sol., iij lib.

Dominus Godefridus Heimerick, cujus bursa 8 sol., iiij lib.

Werenherus Sussinghen, cujus bursa 4 sol. iij lib.

Dominus Johannes Woghel, cujus bursa 4 sol., iij lib.

Dominus Johannes Bovis, cujus bursa nichil, 0.

Item, pro jocundo adventu et cappa, ij lib.

Dominus Nicolaus Harlem, cujus bursa nichil, 0.

Item, pro jocundo adventu et cappa, ij lib.

Dominus Mauricius Gwilhelmi, cujus bursa sex sol., iij lib., x sol.

Dominus Andreas Hagen, cujus bursa sex sol., iij lib. x sol.

Dominus Alexander Mac Alexandri, cujus bursa nichil, 0.

Item, pro jocundo adventu et cappa, ij lib.

Dominus Rodulphus Baliwoet, cujus bursa 8 sol., iiij lib.]

(*Fol. 168*[b]) Quarta die mensis Julii facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat super facto privilegiorum et precipue ad reperiendum modum resistendi aliquibus officiariis regis, qui turbabant aliquos officiarios Universitatis pro facto talie. Secundus erat ad eligendum ambaciatorem transmittendum ad regem. Tercius erat communis. Quantum ad primum non erat concordia, quia facultates videlicet artium et theologie volebant sessare a sermonibus, alii autem due non. Quantum ad secundum electus fuit in ambaciatorem magister Petrus de Va[u]cello [1]. Quantum ad tercium suplicavit novus rector ut in agendis per eum Universitas vellet sibi dare assistenciam, concilium et favorem; cujus supplicacio erat concessa. Supplicavit eciam magister Thomas Joslyn pro litteris recommendatoriis; cujus supplicacio erat concessa.

Die undecima mensis Julii facta congregacio Universitatis per juramentum apud Sanctum Bernardum super tribus articulis. Primus erat super facto privelegiorum; secundus ad elegendum ambaciatorem transmittendum apud regem; tercius erat communis.

1. *Qui ambassiator fuit ad Concilium* Carnotense. *Ex hoc liquet ambassiatores jam in principio Julii Parisios reversos esse. Vid. ad Jul.* 11.

Quantum ad primum voluit Universitas quod scriberetur domino Balvacensi [1], ut daret unam commissionem per quam aliquis eligendus per Universitatem posset excommunicare omnes et singulos perturbatores Universitatis in suis privelegiis. Voluit insuper, ut citarentur officiarii regei jurati Universitatis, qui turbabant eandem in suis privelegiis, ut audirent (*Fol. 169*) suam privacionem et eorum successorum usque ad terciam vel quartam generacionem. Quantum ad secundum articulum, quia magister Petrus de Va[u]cello primo electus propter certa impedimenta non potuit ire ad regem, electus fuit magister Johannes Peneeher [2]. Quantum ad tercium articulum supplicavit magister Johannes Bocart pro litteris recommendatoriis, quas sibi alias concessit Universitas; sed quia non levavit eas, supplicavit ut haberet eas de data illius congregacionis. Cujus supplicacio erat concessa. Supplicaverunt eciam duo magistri pro litteris gradus; quorum supplicacio erat concessa, probatis probandis.

Vicesima [3] die mensis Julii facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat ad audiendum lecturam instructionum et litterarum regi mittendarum. Secundus erat ad audiendum diligencias factas super privilegiis Universitatis. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuerunt instructiones, et placuit quod ingrossarentur et sigillarentur, et quod magister Johannes Penecher juraret in facie Universitatis juramenta solita. Quantum ad secundum electus fuit magister Petrus de Brena [4] ad exercendum commissionem nobis datam per dominum Balvacensem contra perturbatores privilegiorum Universitatis, et promisit sibi Universitas reddere eum indempnem. Quantum ad tercium omnes supplicaciones erant remisse ad deputatos.

Sexta die mensis Augusti facta fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum lecturam litterarum transmissarum ab ejus ambaciatore, videlicet magistro Johanne Penecher. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regraciabatur Universitas magistro Johanni Pencher de bona communicacione suarum litterarum. Quantum ad secundum supplicavit mag. Johannes de Oliva pro quodam nuncio, qui commoratur Parysius, ut posset gaudere privelegiis Universitatis, non obstante quod moratur Parysius. Cujus supplicacio erat concessa.

Tercia die mensis Augusti Universitas ivit processionaliter ad Sanctum Victorem prope Parisius.

Decima septima die mensis Augusti ivit Universitas processionaliter ad Sanctum Germanum de Pratis.

Vicesima prima die mensis Augusti facta fuit congregacio Universitatis per juramentum in Sancto Bernardo super tribus articulis. Primus erat ad audiendum relacionem magistri Johannis Penecher [5], secundus ad eligendum novos ambaciatores transmittendos ad regem; tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum auditus est ad longum magister Johannes Penecher; et Universitas habuit eum gratum in hiis que fecit in sua ambaciata. Quantum ad secundum electi erant in ambaciatores mag. Petrus de Vacello, mag. Johannes Penecher, mag. Petrus Maugeri et mag. Galfridus Normani, et quantum ad modum habendi pecunias pro eis, placuit ut curreret bursa quatuor solid. Supplicaciones erant remisse ad deputatos.

1450

(*Fol. 167*[b]) Eleccio magistri Jasparis Smyt in procuratorem.

Anno Domini millesimo CCCC^{mo} quinquagesimo XXVI^{a} die mensis Augusti facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit unanimi consensu in procuratorem magister Jaspart Smyt, diocesis Sancti Andree. Quantum ad secundum articulum suplicavit procurator antiquus, ut in omnibus per ipsum factis tempore sue procuratorie haberetur gratus, ratus et avoatus. Cujus supplicacio fuit concessa.

Anno quo supra die ultima ejusdem mensis facta fuit congregacio Universitatis super tribus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta ambassiatorum et ad audiendum suas instructiones. Secundus erat de modo habendi pecunias. Et quantum ad hoc optulit se receptor venerabilis nacionis Normannie aliquas concessurum, casu tamen quo bursam Universitatis, donec fuerit persolutus de summa per ipsum concessa, reciperet. Tercius articulus erat communis

1. Guillelmo Hollande, *tunc, ut supra vidimus, conservatori privileg. Universitatis.*
2. *I. e.* Pain-et-Chair.
3. *Sequentia in ms*^{to} *exstant post Aug.* 6, *sed cum signo transpositionis.*
4. *Ms.* Brana.
5. *Qui tunc reversus erat.*

super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum audita sunt juramenta ambassiatorum et audite sunt instructiones, que placuerunt. Quantum ad secundum articulum conclusit Universitas, quod si magister Petrus de Vocello voluerit predictam concedere summam, maneret receptor, sin autem, alius fiat receptor, donec summa per ipsum concessa sibi fuerit persoluta. Quantum ad tercium articulum suplicavit quidam magister in theologia, ut nominaretur ad duas collaciones ad quas nullus alius nominatus est. Cujus supplicacio erat concessa.

(*Fol. 168*) VIIª die[1] mensis Septembris facta fuit congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum lectorem *Ethice*, et secundus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum processum est ad electionem lectoris Ethice; et quantum ad hoc electus est probus magister Robertus Remigii, venerabilis nacionis Normannie, protunc rector Universitatis. Quantum ad secundum suplicavit rector pro dicto officio, et lector antiquus, scilicet magister Godfridus Normanni suplicavit, ut tempore sui officii [in] per ipsum peractis haberetur gratus et avoatus. Quorum suplicaciones erant concesse. Insuper predictus magister Godfridus suplicavit haberi ipsum gratum, in hoc quod substituit magistrum Guilelmum Hoplande lectorem tempore sue absencie, et ut perficiat lecturam; cujus suplicacio erat concessa.

XVª die mensis Septembris facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad audiendum suplicacionem venerabilis magistri, scilicet magistri Everardi[2], qui suplicavit pro quadam certa summa pecunie habenda. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dictus magister dixerat se iturum versus curiam Romanam, in qua dum esset, optulit se totis viribus pro nacione et pro singulis ejus suppositis laboraturum, casu tamen quo nacio sibi aliquam summam conferre voluerit. Et quoad hoc nacio consideratis sua persona et multis aliis circumstanciis contulit ei summam XX scutorum auri, cui si bene pro nacione laboraret, amplius in futurum conferreret (*sic*). Quantum ad secundum articulum suplicavit venerabilis magister, scilicet magister Jacobus Gray pro admissione duorum bachalariorum, qui habentes unum annum post gradum bachalariatus moti vera dilectione, quam erga istam Universitatem habuerunt, ad eandem Universitatem pervenientes et humillima instancia supplicantes, interventu aliquorum magistrorum, ab eadem nacione graciose sunt recepti, singulis tamen circumstanciis discussis, puta sufficiencia dictorum bachalariorum et eciam discusso tempore quod alibi laudabiliter et studiose consumpserunt.

(*Fol. 169 b*) Anno quo supra XVIIIIª die mensis Septembris facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat... (*sic*)[3].

Anno quo supra XXIIª die mensis Septembris facta fuit congregacio venerabilis nacionis Almanie super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem. Secundus erat ad audiendum computum antiqui receptoris. Tertius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus est unanimi consensu in receptorem magister Galterus de Wernia. Quantum ad secundum audita sunt computa antiqui receptoris, et quoad hoc suplicavit ipse ut haberetur gratus; cujus suplicacio erat concessa. Quantum ad tercium articulum suplicaverunt multi magistri pro regencia et pro scolis, quorum suplicaciones erant concesse. Insuper suplicuerunt bedelli pro officiis continuandis; quod concessum fuit[4].

1450

(*Fol. 170*) Continuacio magistri Jasparis Smyt in procuratorem.

Anno quo supra vicesima quarta Septembris facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad elegendum vel continuandum procuratorem. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad secundum supplicavit idem antiquus procurator, quatenus tempore sue procuratorie haberetur in bene actis gratus et avoatus, et in aliis supportatus; cujus supplicacio erat concessa.

Anno quo supra ultimo die mensis Septembris facta fuit congregacio honorande nacionis Almanie

1. *Die* IX Sept. *e libr. nat. Gall.*
2. *Receptor exposuit* « pro littera mittenda cum Everardo Custodis *in mula* X sol. » — « Quia pluribus magistris visum fuit quod littera non erat debite scripta sed magis scribenda esset littera ytalica, ideo rescripta fuit papiro et litteris ytalicis, ideo magistris aperientibus archam et pro rescribente litteram qui erat ytalicus, XXI sol. » (Lib. recept., *fol.* 61 b).
3. *Postea spatium* 15 *linearum.*
4. *Postea unum folium avulsum est.*

per juramentum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad providendum de modo aliter exponendi pecunias tempore electionis et continuacionis procuratorum quam citra aliquod tempus in nacione consuetum est fieri. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, cum natio consideraret tempore electionis et continuacionis procuratorum multas expensas per ipsam sumptuose factas [esse] in festis et conviviis, ordinavit nullatinus in futurum sic suas consumere pecunias, et hoc pluribus causis et circumstanciis consideratis. Quapropter ordinavit unam missam cum vesperis in ecclesia Sanctorum Cosme [et] Damiani semel qualibet abdomada celebrandam, sic quod quilibet magister in vesperis haberet duos denarios, et in missa unum album, et ista conclusio unanimi consensu capta est, nacione bina vice per juramentum congregata. Quantum ad secundum articulum nullus suplicavit, etc.

Anno quo supra quarta die mensis Octobris facta fuit congregacio nacionis Almanie per juramentum super duobus articulis. Primus erat super suplicacionibus suppositorum nacionis Almanie, volentibus quatinus nacio pro ipsis summo pontifici scriberet audiendis. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum quamplurimi suplicaverunt magistri, quatinus summo pontifici nacio pro ipsis suplicaret, ut per ejus suplicacionem a sua Sanctitate aliqualem modum provisionis attingerent; quorum suplicaciones sunt concesse, et omnium suplicantium nomina in eisdem litteris a nacione summo pontifici transmissis sunt contenta. Quantum ad secundum articulum suplicavit quidam bacalarius alterius Universitatis pro sua recepcione. Cujus suplicacio multum graciose omni modo possibili statutis nacionis et facultatis non contradicentibus erat concessa, duobus tamen opponentibus magistris.

(*Fol. 170*[b]) Anno quo supra octava die mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum relacionem dominorum ambaciatorum. Secundus erat ad audiendum supplicacionem et quodam modo exposicionem antiqui advocati Universitatis in Castileto, scil. magistri... Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum Universitas regraciabatur dominis ambaciatoribus de penis et laboribus in eorum[1] viagio assumptis, et habuit ipsos gratos, ratos et avoatos, et omnia per ipsos facta tempore sue ambaciate grata, rata et avoata. Quantum ad secundum articulum displicuit summe Universitati de contencione habita inter illos duos dominos pro officio advocacie. Et quantum ad hoc conclusit Universitas quod in illa congregacione fieret specialiter articulus pro collacione dicti officii. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus rector, ut in omnibus bene factis per ipsum tempore sue rectorie haberetur gratus, ratus et avoatus, et in aliis supportatus. Cujus supplicacio erat concessa. Insuper supplicavit quidam magister pro litteris gradus; cujus supplicacio erat concessa probatis probandis. Item conclusit Universitas quod mitterentur littere regraciatorie et recommendatorie illustrissimo principi domino duci Aurilianensi pro amicicia et familiaritate, quam habuit erga dominos ambaciatores in eorum viagio.

Octava die mensis Octobris facta fuit congregacio preclare facultatis artium super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem; secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus est magister Victor Textoris[2] in rectorem. Quantum ad secundum suplicavit dominus antiquus rector, ut haberetur gratus et avoatus; cujus suplicacio erat concessa. Insuper dominus rector novus suplicavit pro facultatis auxilio, concilio et favore, et quod se associarent usque ad regale collegium Navarre, ubi vinum et species susciperent; cujus suplicaciones sunt concesse.

Anno quo supra XIII[a] die mensis Octobris facta fuit congregacio Universitatis super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum, quid faciendum esset de quodam magistro[3] citato coram domino rectore, qui non comparuit. Secundus erat communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum dictus magister aliquas litteras impetravit [a] summo pontifice[4] pro Universitate Cadomense[5] contra Universitatem Parisiensem matrem suam[6]; quapro-

1. *Ms.* vniorum *pro* in eorum.
2. *Nat. Gallic., quem etiam* BUL. V, 921 *affert, e* lib. proc. nat. Gallic., *ubi Octob.* 10. Victor Textoris *tunc fuit bacc. theol.*
3. Thoma Fortin.
4. *Ms.* pontifici.
5. *Civitas Cadomensis, in qua Angli Universitatem crexerant, Carolo* VII *anno eodem, Jul.* 1, *restituta est* (*vid.* JEAN CHARTIER, Chron., II, 221). *Magistri ipsi illius Universitatis opinabantur Universitatem morituram esse et suspendebant lectiones* (*vid.* BOURMONT, La fondation de l'Université de Caen, p. 259 *sqq.*). *Multo fortius nunc Universitas Parisiens. contra illam agebat.*
6. *Et revera* Thomas Fortin, *mag. art., bacc. decr., an.* 1452 *et* 1453 *invenitur in studio* Cadomensi (*cf.* FOURNIER, Statuts et privilèges, III, 203[a] *et* 244[b] *in quodam instrumento ibid. prope ad an.* 1494 *relato! Vid. supra* Introductionem).

pter refutatus est et privatus omni previlegio Universitatis. Insuper ordinatum est quod transmitterentur littere summo pontifici ut predicte Universitati Cadomensi plura non conferreret (*sic*) previlegia. Quantum ad secundum articulum suplicavit quidam magister pro litteris gradus; cujus suplicacio erat concessa, probatis probandis. JASPAR SMYT.

1450

(*Fol. 171*) Electio magistri Egidii Morsels, Leodiensis diocesis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, mercurii que fuit dies XII[m] (*sic*) virginum, XXI mensis Octobris, facta congregatione venerande nationis Almanorum matris mee apud Sanctum Mathurinum hora infra octavam et nonam, numero XXIIII vel XXVI magistrorum tunc temporis Parisius residentium vel plurium, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit uniformiter et concorditer via Spiritus Sancti venerabilis ac circumspectus vir magister Egidius Morsels, Leodiensis diocesis [1]. Quantum ad secundum supplicavit antiquus haberi gratus ac avoatus; que supplicatio erat concessa in bene actis. EGIDIUS MORSELS.

Veneris XXIII[a] Octobris immediate sequentis convocavi deputatos hora IX[a] de mane pro eundo ad palatium ad loquendum cum advocato ac procuratore nostris ratione cujusdam processus, quem habemus in parlamento in causa appellationis a preposito Parisiensi contra quemdam textorem, nomine Gillet Prunier, qui inhabitavit quondam nostram *domum Dacie* prope vicum Straminis sitam, quam tandem vendiderunt domini canonici Nostre Domine Parisiensis certis de causis; quos tunc temporis non invenimus et sic illo die nichil ultra factum est quoad illam causam. Ivimus eodem die statim post ad habendum quemdam (*sic*) formulam et denarios projectiles plumbeos [2] distribuendos septimanatim in missa nostra cantanda omni ebdomada, de cetero prout superius conclusum est in procuratoria immediate precedenti, et sunt in triplici differentia, quia unus denarius plumbeus videlicet ubi habetur *S* cum *A*, valebit solidum parisiensem; alius vero cum duabus litteris *DD* et alia parte sui etiam *A*, et valebit duos denarios parisienses; tertia differentia denariorum est cum *Q* et *A*, et valebunt isti denarii sic signati cum *Q* et *A* quatuor denarii parisienses. Et debent distribui presentibus in vesperis et in missa, diebus scilicet veneris pro vesperis, et diebus sabbatinis pro missa; pro vesperis quidem denarius plumbeus de duobus denariis, et in missa denarius de IIII[or] denariis, procurator autem et receptor duplum. Et fecit fieri magister Jacobus de Gouda, eo quod sic distribuuntur Trajecti; poterunt tamen alio modo fieri, si videbitur nationi aliter expediens. Deputati erant dominus receptor, mag. Jacobus de Gouda, mag. Johannes de Palatio una cum procuratore. Ipso die post prandium fuerunt cantate vespere. EGIDIUS MORSELS.

(*Fol. 171*[b]) Sabbati [die] immediate sequenti, que fuit XXIIII[a] Octobris anni 1450, de mane infra septimam et octavam fuit celebrata solemnis missa de Nostra Domina secundum conclusionem nuper habitam, et ibi interfui cum epitogio et fuerunt dati dicti denarii pro distributionibus unicuique presenti secundum modum prescriptum, et cantavit missam venerabilis et discretus vir mag. Johannes Theoderici de Dacia, et habuit IIII[or] denarios, quemlibet de [1] sol. par., pro prima missa per ipsum etiam cantata et ista que erat secunda; sed in prima non dabantur distributioni denarii [3], quia nondum facti. Ista autem missa et vespere continuabuntur sic, sicut dictum est, et dabuntur distributiones presentibus scilicet in missis et in vesperis; non quod referatur presentibus Parisius; non sic, non, sed presentibus in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani in servitio. Post missam posui formulam illam de qua supra, cum qua vel in qua fundantur vel fiunt dicti denarii plumbei distribuendi, in archa nationis ubi ornamenta et libri et calix et cetera ponuntur, ad finem quod nullus possit ea abuti in dampnum nationis, ad finem eciam quod ibi custodiatur pro fiendis denariis quando indigebimus, necnon ad futurorum memoriam. EGIDIUS MORSELS.

Eodem die sabbati XXIIII Octobris anni 1450 post prandium hora vesperorum vel eocirca ivi cum notabili ac solemni comitiva ad Castiletum pro repetendo quedam supposita nationis matris mee incarcerata

1. *Hoc anno fit bursarius* Collegii XVIII scolarium, *ut legitur in* Arch. nat. LL 117, p. 2. *In electione Egidii natio exposuit* in Sancto Ludovico (*i. e. in taberna ad imaginem S. Ludovici*) XVI *s.* (Lib. recept. *fol.* 61 b).

2. *I. e. hi denarii non fuerunt veri denarii, sed solum eorum signa quae representabant denarios in certo numero, et ad quorum praesentationem receptor postea veros denarios solvere debebat.*

3. *I. e. isti denarii plumbei, de quibus supra.*

injuste per clientes excubiarium sive militem vel ejus locumtenentem nocte precedente. Cum igitur ita sit, quod per privilegium matri Universitati concessum, quod *nullus ultra XXIIII^or horas possit ibidem in Castileto teneri*, accersito advocato ac procuratore Universitatis matris mee accessimus omnes simul ad locumtenentem criminalem, ubi erat examinans eos et suos socios vel complices in camerula seu scriptoriolo secreto, pulsantes ad ostium. Quo aperto introivimus, et accedentes dominum locumtenentem criminalem, mag. Johannem Beson vocatum, requisivimus omnes simul dictos incarceratos, et ego nomine nacionis instantissime exponendo ei, quod injuste incarcerati ipsi merito dimitterentur, exponendo eciam quomodo non posset ipsos ultra XXIIII^or horas sub pena excommunicationis tenere, exponendo eciam quod essent veri et continui studentes, non rixosi, non contentiosi, et finaliter tales qui merito deberent gaudere privilegiis ac uti, et non incarcerari, ergo a fortiori non amplius detineri. Respondit dictus locumtenens et petiit : « Quis movit vos veniendi huc? Venitis enim satis bona hora ac competenti. Ecce, dixit, hospes eorum [1], qui interrogatur et examinatur super facto eorum ». Erat enim tunc presens eorum hospes, qui examinabatur super facto eorum. Imponebatur enim eis *quod projecissent pottum cum urina super vigiles excubiarum nocte precedenti*. Dicebat eciam dictus locumtenens quod esset casus privilegiatus, ac eciam quod dominus Parisiensis eos requisivisset. Respondimus satis modeste ad singula, prout spiritus dabat eloqui nobis, quod ipse locumtenens non esset cognitor cause nostrorum privilegiorum et quod avisaret bene, quod non nisi justiciam faceret nobis, quodque ipse esset juratus Universitatis; (*Fol. 172*) et eciam quod requisivimus eos ante episcopum Parisiensem vel aliquem loco sui. Requisivimus eciam tandem quod nostram requisitionem inregistraret. Visis tandem et auditis que hinc inde videri audiri seu allegari poterant, postquam surrexerat de sede sua iturus domum, dimisit supposita nostre nationis requisita, sic ut premittitur, per advocatum nostrum me presente et consentiente, non obstante requisicione episcopi vel ejus promotoris mag. Laurentii facta, quod est nota dignum, quia sepissime et sepius mittunt incarceratos scolares ad episcopum, forte propter negligentiam, quia non diligenter requiruntur, ut episcopi vel sui. Incarcerati erant mag. Godefridus et mag. Rodolphus nacionis nostre. EGIDIUS MORSELS.

Lune XXIV Octobris immediate sequenti feci diligenciam ad habendum unum pictorem ad depingendum ymaginem sancti Eadmundi in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani [2] secundum ordinacionem matris mee, qui satis multum petiit pro pictura. Sic dimisi illa die usque alium diem et quousque melius essem consultus a nacione. EGIDIUS MORSELS.

Mercurii XXVIII Octobris fui vocatus a domino rectore per bedellum ad sigillandum quasdam litteras in Universitate conclusas, que sigillate fuerunt, et fuerunt littere privationis cujusdam magistri ab Universitate de nacione Normanie, vocatus magister Thomas Fortin, eo quia fovebat studium Cadomense contra privilegia nostra [3], eciam pro contumacia, quia renuit venire citatus ad Universitatem. Fuerunt eciam sigillate littere ad summum pontificem, facientes mensionem, quod non vellet aliquid attemptare quoad dictum studium, nisi prius audita Universitate Parisiensi. Fuerunt eciam sigillate littere citatorie Universitatis quoad juratos, qui morantur Cadomi ad unam congregacionem celebrandam apud Sanctum Bernardum. Fuerunt eciam sigillate littere ad cardinales super eadem materia; littere eciam regratiatorie ad dominum ducem Orleanensem de jocunda susceptione ambassiatorum nuper ad regem destinatorum, etc. EGIDIUS MORSELS.

(*Fol. 172^b*) Dominica die prima Novembris anni 1450, ipso die scilicet Omnium Sanctorum, fui vocatus ad associandum dominum rectorem cum epitogio ad capiendum cappam suam more solito, et fuerunt vocati magistri nacionis, videlicet mag. Jacobus de Gouda, dominus receptor mag. Walterus de Wernia, mag. Joh. de Palatio, mag. Temannus de Gouda, mag. Joh. Kanedy, mag. Jaspar Smyt, per cedulam bedello datam. Qui omnes associavimus unacum aliis magistris aliarum nationum primo ad Jacobitas, ubi factus est solemnis sermo per dominum rectorem mag. scilicet Victorem Textoris, de regali collegio Navarre, recommendatorius Universitatis, et fuerunt ibidem lecta statuta bejanorum, prout moris est, deinde statim ivimus ad Nostram Dominam ibi audientes missam, et redeuntes secum ad collegium regale Navarre, ubi nos honorifice refecit.

EGIDIUS MORSELS.

Martis III^a Novembris anni 1450, de mane hora

1. *Scholarium incarceratorum.*

2. *Vid. supra* p. 59, 36, *et* 112, 6. *In* lib. receptoris *fol.* 62 *scribitur ad hunc annum :* Item pro deauratione ymaginis S. Eadmundi stantis in choro ecclesie SS. Cosme et Damiani IIII lib. VIII sol. *Ex hoc liquet hanc saltem imaginem fuisse statuam.*

3. *Vid. supra ad Octob.* 13, p. 820, 39.

octava vel eocirca fuit celebratum anniversarium, missa scilicet de *Requiem* alta voce in Sancto Mathurino, ubi interfui unacum aliis procuratoribus cum cappa. EGIDIUS MORSELS.

Mercurii inde secuta vocatus per dominum rectorem pro sigillando, comparui in capella collegii de Navarre, ubi moram traxi protunc, ubi fuerunt sigillate littere gradus cujusdam et littere duorum nuntiorum et littera nominationis pro domino doctore mag. Petro de Brena. Volebantque quidam sigillare quasdam litteras surrepticias, ut prima fronte apparebat, pro questoribus, scilicet in quibus litteris cavebatur precipue quod Universitas viderit, tenuerit et legerit litteras seu bullas domini apostolici Eugenii quarti defuncti de indulgentiis. Quod, quia vidi quod contra Deum et equitatem et contra rationem procedebant, opposui me nomine nacionis, et quod nunquam fuit de mente nacionis mee sigillare talia contra statuta, contra juramenta nostra. Sic non sunt sigillate illa vice adminus, nec etiam decanus facultatis decretorum vel ille saltem qui habuit claves contentabatur. EGIDIUS MORSELS.

Veneris VI^{a} Novembris anni 1450^{mi} fuerunt solemnes deputati apud Sanctum Mathurinum post prandium super duobus articulis. Primus ad ordinandum super ambassiata mittenda vel non mittenda ad supremum dominum nostrum regem et ad habendum pecunias pro eadem. Secundus super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum exposuit dominus rector, quod domini ambassiatores nuper transmissi Turonis ad regem non habuerunt audientiam, et quod eis responsum esset nomine regis, quod Universitas remitteret ad ipsum circa festum sancti Martini proxime instans, et quod tunc rex daret plenam audientiam Universitati vel ejus nunciis seu ambassiatoribus, et quod mitteret vel in propria (*Fol. 173*) veniret [Parisius] circa intrans festum sancti Martini, et quod tunc provideret Universitati de omnibus etiam usque ad *plain fons de cueur* in privilegiis etc., et eciam quoad promotiones suppositorum Universitatis, et etiam quoad Universitatem studii Cadomensis, quod in ducatu Normanie ab Anglicis erectum est, etc., prout latius alias materia ista in Universitate [1] ventilata est. Fuit etiam propositum per dominum rectorem quod oporteret disponere circa illam ambassiatam mittendam et de pecuniis. Quoad primum placuit deputatis solemniter congregatis quod inquir[er]etur diligenter, utrum rex veniret in propria vel non, vel si mitteret aliquos habentes plenariam potestatem quoad illam Universitatem, et eciam privilegia et promotiones suppositorum et etiam moderamen carte [2] Normanorum; et si veniret vel mitteret aliquos, quod Universitas necessario haberet mittere aliquos cum certis articulis et instructionibus pro libertatibus et statutis nostris in esse conservandis et eciam pro provisione suppositorum vel per *pragmaticam sanctionem* vel alias, prout rex vel concilium ordinaret, et pro illo *studiolo Cadomensi*, quod in *magnum prejudicium* Universitatis erectum est [3] et fovetur ab aliquibus, contra tamen oppositionem et appellationem Universitatis, et quod multum visceraliter ista materia tangit matrem Universitatem, et quod Universitas haberet congregari solemniter super isto facto vel ante vel post festum beati Martini proxime instans, secundum quod videbitur expediens. Dixerunt tamen deputati quod summe expediret mittere ad regem vel ad deputatos ex parte sui in ista materia. De modo autem habendi pecunias placuit eis, quod fieret monitio generalis burse imposite, quod omnes tam regentes quam non regentes solverent, allegantes quod aliter non possent haberi pecunie, tum primo quia receptor burse nundum solutus esset de VI^{xx} scutis ultimis ambassiatoribus traditis; tum 2° quia pauci veniunt pro sigillo rectoris occasione istius burse IIII^{or} sol. imposite noviter, sed potius vadunt in Castileto pro litteris suis expediendis. Et circa istum punctum eciam fuit appunctuatum, quod dominus rector haberet mandare illis de Castileto per juramentum juratis, aliis vero per modum requeste, quod nemini expedirent litteras, nisi prius constaret de solucione burse.

Quoad articulum supplicacionum supplicavit quedam paupercula, ut sententia quedam lata per dominum rectorem contra mag. Johannem Le Pinter canonicum Sacre Capelle ratione cujusdam execucionis testamenti, a qua ipse appellaverat, et quod jam bis vel ter fuerat remissa a deputatis ad alios deputatos, finaliter dictum fuit quod venirent partes in presentiis deputatorum et quod causa terminaretur absque dilacione pluri. EGIDIUS MORSELS.

(*Fol. 173^{b}*) Sabbati septima Novembris anni 1450 de mane ante prandium facta est congregatio facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus articulis. Primus super aliquibus tangentibus factum facultatis; secundus communis super suppli-

1. *Ms. postea iterum* latius.
2. *I. e.* chartae erectionis Univ. Cadomens.
3. At *si fuit* studiolum *solum, quomodo* magnum praejudicium *Universitati Paris. afferre potuit?*

cationibus et injuriis. Quantum ad primum exposuit dominus rector quomodo requisitus fuit a multis magistris tam regentibus quam non regentibus ad congregandum facultatem super facto cancellarii examinis Beate Genovefe, quomodo etiam in electione sua juraverat prosequi istam materiam petens de modo executionis contra ipsum, allegans quod ipse appellaverat ad parlementum. Quantum ad istum articulum non fuit concordia. Nacio enim Francie dicebat quod moneretur, et si offenderit, puniretur; nacio Piccardorum dabat deputatos; nacio Normanorum, quod materia tractaretur coram suo judice; nacio vero mater mea Almanorum erat ad hoc, quod si commode posset factum tractari in facultate, quod vocaretur ad unam solemnem congregacionem celebrandam, et quod eciam alii qui eum accusaverant vel pecuniam dederunt, citarentur responsuri per ipsorum juramentum veritatem super interrogatoriis certis; sin autem, quod factum haberemus prosequi in parlamento, ubi ipse appellavit. Quantum ad supplicacionum articulum retracta nacione ad partem ad deliberandum, ut moris est, supplicavit quidam baccalarius Universitatis Wiennensis, ut reciperetur in baccalarium istius anni, et quod cum aliis proximis intrantibus examen magisterii posset examinari et ceteros actus facere, sicut intrantes; vel saltem, si videretur magistris hoc contra statuta vel conclusiones alias captas, quod tunc admitteretur pro anno futuro, cum non veniret, ut dicebat, statuta infringere, sed potius corroborare. Que supplicacio fuit eidem concessa quoad alteram partem disjunctive, videlicet quod reciperetur in baccalarium, dummodo promitteret, quod non intraret examen pro gradu magisterii proximum, sed exspectaret annum et examen futurum; quod promisit michi, et receptus est ad juramenta solita. Juravit etiam paupertatem. Nomen vero suum est Johannes Hartung de Gdanczk, cujus bursa nichil. Supplicavit etiam dominus receptor mag. Walterus de Wernia, quod nacio provideret eidem de modo habendi pecunias, cum festum Eadmundi jam instaret. Fuit conclusum quod antiquus moneretur seu hortaretur ad solvendum ei debita in compoto suo. Egidius Morsels.

Dominica die 8va Novembris anni 1450 de mane hora octava ante prandium fui vocatus per dominum rectorem ad visitandum dominum ducem Aurelianensem unacum ceteris deputatis aliarum facultatum et nacionum ad regraciandum ei super benigna receptione nuper facta in villa Blesensi ambassiatoribus nostris ad regem missis, super eciam recommendacione nostrorum privilegiorum ac promotione suppositorum, precipue eciam pro destructione *studioli Cadomensis*. Mag. noster mag. Thomas de Courcellis proponebat, ipse enim se promptum ac paratum obtulit matri nostre ac favorabilem.

Egidius Morsels.

(*Fol. 174*) Lune inde sequenti adii dominum receptorem antiquum, mag. Temannum de Gouda, necnon fratrem ejus mag. Jacobum de Gouda, exponendo ei quomodo nacio injunxerat michi quod hortarem eum pro pecuniis per ipsum debitis solvendis. Qui michi respondit quod aliqui magistri nacionis sibi deberent ratione suarum bursarum, et quod illos moneret et satisfaceret nationi prius quo posset. Dixit eciam frater suus magister Jacobus, quod teneretur eidem in certa summa pecunie pro aliquibus magistratis et quod sibi solveret ut facilius posset se acquitare.

Egidius Morsels.

Mercurii ipso die sancti Martini [1] post prandium celebrate sunt vigilie mortuorum solemniter pro fundatione collegii Sorbone, et in mane sequenti missa pro defunctis. Egidius Morsels.

Sabbati XIIII^a Novembris anni 1450 facta est congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus est ad audiendum diligentias factas in facto privilegiorum et de fiendis, necnon et etiam de proposicione facta coram domino duce Aurelianensi. Secundus communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum exposuit dominus rector quomodo cum solemni comitiva deputatorum visitavit dominum ducem Orleanensem, ubi magister noster mag. Thomas de Courcellis eleganter proposuit, ut ego superius tetigi, videlicet dominica precedenti, ubi tota Universitas regratiabatur omnibus qui ad hoc operam dederunt, etc. Exposuit eciam quomodo alias Universitas et eciam deputati noviter ordinaverunt fieri ambassiatam dirigendam domino nostro regi super facto provisionis suppositorum, et quod tercia pars beneficiorum in *pragmatica sanxione* contentorum converteretur in IIII^{or} menses, et quoad hoc quod conficerentur articuli. Narravit etiam de modo habendi pecunias, utrum vellet Universitas quod monitio generalis curreret. Conclusum fuit quod per bonos deputatos visitarentur articuli alias missi, et quod adderetur addendum, et removeretur removendum. De monitione fuit controversia aliqua, quia aliqui voluerunt, quod [tam] regentes quam non regentes solverent, alii

1. *Novemb.* 11.

quod solum regentes eximerentur a solutione istius burse. Fuit eciam in isto articulo propositum, quomodo illi de ducatu Normanie et principaliter ville Rothomagensis, precipue archiepiscopus, qui est juratus istius Universitatis [1], impetraverunt quasdam litteras regias, privilegia scilicet contra privilegia Universitatis, et petebant publicari in parlamento et cursum habere; sed dominus rector nomine Universitatis fecit fieri oppositionem in parlamento per procuratorem Universitatis et quod non publicarentur inaudita Universitate. Conclusum est quod dominus rector viriliter prosequatur istam oppositionem cum concilio illorum de parlamento et aliis jurisperitis, quodque ille archiepiscopus moneatur sub pena privacionis, ut desistat et eciam alii suffraganles sui et alii jurati. Quoad articulum supplicacionum verte folium.

(*Fol. 174*[b]) Quantum ad articulum supplicacionum supplicavit promotor Universitatis mag. Radulphus Barnasse pro adjunctione in causa injuriarum contra Le Bugle scribam curie conservationis. Dixit quomodo enormiter esset lesus ex verberacione dicti Bugle. Quoad hoc facultas artium dabat sibi adjunctionem, superiores facultates dabant deputatos, qui haberent se informare de dicta injuria, et deinde vocaretur ad Universitatem. Supplicaverunt eciam alii pro litteris gradus, que admittebantur probatis probandis. Narravit eciam dominus rector quomodo alias in una congregatione solemniter celebrata fuerat collatum officium advocatus in curia Castelleti magistro Micaeli [2] Piedefer per vacacionem unius, qui acceptavit officium advocatie regie; et quia tunc partes erant discordes, dixit dominus rector quod iste jam essent concordes, videlicet quod magister Micael exerceret et quod Universitas haberet eorum concordiam gratam. Conclusum est quod si constaret de concordia, placeret. Egidius Morsels.

Lune XVI[a] mensis Novembris anni M. CCCC. L. post prandium fuerunt convocati solemnes deputati de omnibus facultatibus et nationibus ad associandum dominum rectorem ad palatium, ad presentandum se nomine Universitatis contra cancellarium Sancte Genovefe, qui appellaverat ab abbate suo [3] ad curiam parlamenti; necnon eciam ad loquendum cum procuratore Universitatis super opposicione per Universitatem facta vel nomine Universitatis contra illos de ducatu Normanie pro conservacione privilegiorum nostrorum, et ut privilegia nostra habeant cursum in ducatu Normanie, tam papalia quam regalia. Egidius Morsels.

Martis post prandium ejusdem mensis sequenti die immediate fuerunt notabiles deputati omnium facultatum et nacionum vocati in camera domini rectoris in regali collegio Navarre super duobus articulis. Primus erat de avisamento et consilio habendo de ambassiatoribus mittendis ad regiam majestatem vel ad commissarios ab eo datos et eciam de modo habendi pecunias. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fuerunt lecte articuli seu instructiones alias misse que adhuc debebant corrigi et ingrossari, et quod primo instructiones et omnia alia munimenta essent parata, antequam ambassiatores eligentur ad evitandum discordiam et jurgia, que interdum accidunt et eciam brigas. Quantum ad habendum pecunias dictum fuit quod antiqui receptores burse et omnes illi qui aliquid receperunt nomine Universitatis redderent computa; habito compoto celeriter advisaretur modus habendi pecunias, visa resta debitorum vel creditorum. Nullus supplicavit. Egidius Morsels.

1450

Continuatio procuratoris.

(*Fol. 175*) Mercurii XVIII[a] mensis Novembris anni M[mi] CCCC[mi] L[mi] facta est congregatio nacionis Alemanie matris mee super tribus articulis. Primus ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus de disposicione et modo festi beati Eadmundi. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum fui continuatus unanimiter ab omnibus nemine contradicente. Quantum ad secundum placuit nacioni et omnibus magistris, quod festum beati Eadmundi, quia principale festum est nacionis, quod solemniter celebraretur more antiquo in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, ubi feci eum denovo depingi, cum solemni prandio, et de loco prandii remittebat discretionibus procuratoris unacum receptore; pransi autem fuimus *in cunabili* [4]. Quantum ad tercium supplicavi, ut haberent me et acta mea grata et avoata in procuratoria precedenti; que supplicacio fuit concessa ab omnibus uniformiter. Egidius Morsels.

Veneris XX[ma] anni 1450, que fuit dies beati Eadmundi, celebratum est festum Eadmundi solemniter

1. Radulphus Rousselli, *qui olim regens in decret. Paris.* (*vid. ad an.* 1419, *Febr.* 11), *in leg. lic.*, *decanus facult. decret. Paris. an.* 1417-1419 *fuit* (Suppl. Mart. V, n° 119, *fol.* 203 b; 124, *fol.* 296, *et supra ad an.* 1419), *archiep. Rotomag. ab an.* 1444, *Jan.* 31 (Arch. Vat., Oblig. n° 72, *fol.* 15).
2. *Ms.* micaele.
3. *Semper adhuc* Petro Caillou.
4. *Eadem taberna* in cuna *dicebatur* (Lib. recept.).

apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani, depost vero ad prandium notabile *in cunabili* prope ecclesiam, in quo prandio exposita est summa XIII lib. paris. vel eocirca. Egidius Morsels.

Martis XXIIII^a mensis Novembris facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super tribus articulis. Primus ad audiendum quasdam litteras transmissas Universitati a connestabulario [1] Francie super deposicione cujusdam pergamenarii. Secundus super instructionibus ambassiatorum et ambassiata transmittenda versus regem vel suos commissos, et eciam de constituendo procuratores in curia Romana, qui haberent se opponere, quod nichil mutaretur in privilegiis Universitatis. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum regratiabatur illi connestabulario de communicacione suarum litterarum et quod scriberetur illi quod dimitteretur noster officiarius in pace. Quantum ad secundum placuerunt instructiones lecte et quod adhuc corrigerentur; placuit eciam conficere procuratorium mittendum ad curiam Romanam, ubi nominarentur magister noster mag. Johannes Solerii, mag. Micael Anglici, doctores in theologia, et ego una cum eis haberemus nos opponere in curia Romana contra illos de *studiolo Cadomensi*, ne aliquid impetrarent in prejudicium hujus Universitatis. Quantum ad 3^m supplicavit promotor Bernasse, sicut alias, pro adjunctione in causa injuriarum; que fuit concessa. Supplicavit eciamdominus rector pro recommendatoria ad abbatem quendam; que fuit concessa. Supplicavi eciam pro litteris recommendatoriis ad summum pontificem in forma communi, que supplicacio fuit concessa. Alie supplicaciones remisse ad deputatos. Egidius Morsels.

(*Fol. 175*^b) Martis XXIIII^a [die] profesto Katherine virginis et martiris fuerunt celebrate vespere solemniter apud ecclesiam nostram Sanctorum Cosme et Damiani. Post vesperos autem convocavi omnes magistros in magna multitudine ad habendum modum, consilium ac provisionem pecuniarum, primo ad solvendum pictorem, qui ymaginem sancti Eadmundi depinxit pro IIII^{or} scutis; 2° ad faciendum refusiones denariorum plumbeorum, etc., prout receptor dixit et prout requisitus eram ab eodem. Placuit omnibus nemine contradicente, quod advisaretur aliquis, qui haberet concedere domino receptori XX vel XXX scuta et quod natio obligaret se ad solvendum de primis pecuniis recipiendis, sin autem, quod tunc haberem convocare illos qui haberent claves, et capere a thesauro nostro summam XX scutorum vel eocirca. Egidius Morsels.

Mercurii XXV^a die mensis Novembris celebrata est missa solemniter; post prandium fuit congregatio provincie Alemanie, ubi electus erat in provisorem notabilis juvenis de Sombref, canonicus Sancti Lamberti Leodiensis. Egidius Morsels.

Jovis XXVI^a mensis Novembris facta est congregatio nacionis Alemanie per juramentum super tribus articulis apud Sanctum Mathurinum. Primus ad requisicionem aliquorum magistrorum super discordia de bachalariis admissis, ut dicebatur, in procuratoria immediate precedenti. Secundus ad sciendum qui haberent claves thesauri nostri et de modo habendi pecunias pro domino receptore, qui dixit se temptasse modum superius dictum et se nichil impetrasse a quoquam per modum mutui. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum non placuit nacioni quod illi bachalarii haberentur pro receptis, ymo voluit nacio quod illa particula corrigeretur per me, et quod non reciperentur ad examen magisterii hoc anno; quia directe esset venire contra statuta. Dictum est eciam quod nunquam fuit de mente nacionis recipere eos, sed bene dictum est, quod « dummodo » vel « si et in quantum non obviaret statutis », quod tunc reciperentur; nunc vero declaravit nacio solemniter per juramentum congregata, quod esset directe venire contra statuta, et ergo non placuit. De clavibus thesauri et de pecuniis voluit nacio quod antiquus receptor moneretur solvere debita antequam iretur ad thesaurum. Quantum ad tercium supplicavi pro litteris recommendatoriis ad summum pontificem; que supplicacio fuit uniformiter concessa. Egidius Morsels.

Veneris immediate sequnta facta est congregacio facultatis artium apud Sanctum Julianum ad recipiendum juramenta magistri Clementis pro exercendo officium temptatorie in examine Sancte Genovefe, qui fuit acceptatus per resignacionem magistri Petri Richerii [2]. Supplicavit eciam quidam pro adjunctione in materia injuriarum contra mag. Franciscum de la Vaccarie [3], que remissa est ad deputatos, qui haberent se informare de meritis cause.

Egidius Morsels.

(*Fol. 176*) Lune ultima Novembris anno 1450, que

1. Arthuro de Bretagne, comite de Richemont.

2. *In margine adnotatur :* pro nacione Normanie. Appellacio tamen interjecta est. Egidius Morsels.

3. *Seu* de Vacaria, *lic. in decret., mag. in art., canon. Atrebat. an.* 1451 (Suppl. Nicol. V, n° 446, *fol.* 39). *Vid.* A. Longnon, Etude sur François Villon, p. 99. *Notior est* Johannes de la Vacquerie, *primus praesidens parlamenti Paris.*

fuit die Sancti Andree apostoli, celebrate sunt vigilie mortuorum IX lectionum, et in crastino missa pro defunctis, et dabantur denarii plumbei pro distribucionibus presentibus. EGIDIUS MORSELS.

Martis prima Decembris anni 1450 facta est congregatio nacionis Alemanie matris mee per juramentum, numero XXIIII vel XXVI magistrorum tunc Parisius residentium, apud Sanctum Cosmam et Damianum in ecclesia nostra post missam celebratam ibidem illo die pro defunctis magistris, super duobus articulis. Primus ad audiendum diligencias factas per dominum receptorem et per me ad habendum pecunias debitas et eciam ad sciendum, quantum (*sic*) summam vellet nacio dari mag. Waltero de Wernia receptori de thesauro, viso quod non poterat aliunde habere pecuniam. 2us communis.

Quantum ad primum narravit dominus receptor quomodo a nemine posset habere pecunias accommodatas, nec solucionem a domino antiquo, et quod dominus antiquus petivisset pro termino solucionis; et hiis visis et attentis neccessario haberemus adire archam thesauri, et iterum reponere de primis pecuniis recipiendis. Conclusum fuit unicorditer quod haberem convocare illos, qui haberent claves thesauri, et ibidem sumere XXV scuta auri et dare receptori pro neccessariis. Quod feci illa die post prandium; et tradita sunt domino receptori XXV scuta, presentibus mag. Jacobo de Gouda, mag. Temano de Gouda, mag. Johanne Kanedi, mag. Johanne Theoderici, mag. Conrardo Suterli, mag. Godefrido Heymerijch, mag. Wesselo ten Kate alias Anholt, in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani. Datus est terminus antiquo receptori [1] usque ad festum Purificationis.

Quantum ad secundum supplicavit quidam magister pro quibusdam libris sibi concedendis. Conclusum est, quod quia libri erant pro provincia Alemanie, quod non pertineret ad nacionem concedere hujusmodi, sed quod veniret ad provinciam, et provincia libenter concederet eidem. EGIDIUS MORSELS.

Mercurii IXa Decembris, que fuit altera Concepcionis, facta est congregatio Universitatis apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus ad procedendum contra illos citatos de studio Cadomensi per eorum juramenta responsuros [2] super certis interrogatoriis. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum conclusum est, ex quo contumaciter rennuerunt venire vel mittere aliquem pro se, quod procederetur contra eos omnibus viis et modis, quodque declarentur perjuri et infames [3], excepto illo pro quo supplicavit Ciboule, qui aliqualiter excusaciones aliquas pro illo retulit eciam in scriptis, et quod non levarentur littere usque ad quindecim dies expectande, si aliquid pro eorum excusacione mitterent. Quantum ad secundum supplicavit quidam pro deputatis in materia appellacionis, et dati sunt deputati, qui advisarent utrum dabuntur sibi deputati vel non. Supplicavit eciam dominus rector haberi gratus et avoatus; que supplicacio erat concessa.

EGIDIUS MORSELS.

(*Fol. 176b*) Veneris XIa Decembris facta est congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus ad audiendum lecturam litterarum transmissarum ex parte domini comitis Dunensis commissarii deputati ex parte regis, ut fertur, ad appunctuandum illos de ducatu Normanie et istam villam Parisiensem, et eciam in facto privilegiorum nostrorum, ut habeant cursum in dicto ducatu et alia, etc., etc. Lecte sunt littere et conclusum quod mitterentur duo notabiles viri ad salvandum et defendendum coram illis commissariis transmissis ex parte domini nostri regis Vernone vel Rothomagum, ut dicitur, privilegia nostra, et sunt electi magistri Petrus de Vaucello vel mag. Thomas de Courcellis doctores in sacra pagina et mag. Petrus Maugier decretorum doctor [4], et quod celeriter expediantur et mittantur cum eorum instructionibus, et quod instructiones corrigantur, etc. Supplicavit dominus promotor Universitatis Barnasse pro adjunctione contra Le Bugle in causa injuriarum; que concessa est ei. Supplicavit mag. Johannes Le Pintier pro deputatis nominatis in causa appellacionis a deputatis contra quandam pauperculam. Non erat concordia. EGIDIUS MORSELS.

Die dominica immediate sequenti [5] facta est congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum pro eundo processionaliter ad Sanctum Martinum de Campis; ubi itum est. Necnon eciam quia tunc ambassiatores non erant presentes, utrum placeret quod jurarent coram deputatis et procuratoribus; quod placuit. Etiam narravit dominus rector quomodo quidam magister defunctus legaverat certam pecuniam Universitati in pios usus convertendam,

1. *Ms.* receptore.
2. *Ms.* responsuri.
3. *Cum paene omnes graduati Universitatis Parisiens. essent. Vid. ad Dec.* 24.
4. *Vid. ad haec Dec.* 15 *et* 19.
5. *Dec.* 13.

utrum placeret Universitati quod die crastina fierent exequie pro eo et pro magistro quodam in theologia nuper defuncto de collegio Sorbone, Johanne Rivière [1]; quod placuit Universitati.

EGIDIUS MORSELS.

(*Fol. 177*) Martis XV^a Decembris anni 1450^mi facta est congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super duobus articulis. Primus ad providendum de ambassiata mittenda, de qua supra. Secundus communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum narravit dominus rector, quomodo ambassiatores excusaverunt se de eundo versus commissarios deputatos super facto privilegiorum nostrorum in ducatu Normanie, allegantes quod nimis pauci essent de duobus. Conclusum est quod injungeretur eis sub debito juramenti et sub pena privacionis, ut ipsi electi videlicet mag. Petrus de Vaucello [2] et mag. Petrus Maugier irent, et quia allegabant paucitatem, adjunctus est eis unus artista videlicet mag. Godefridus Normani. Quoad supplicaciones quidam magister supplicavit pro litteris gradus; que supplicacio remissa est ad deputatos.

EGIDIUS MORSELS.

1450

(*Fol. 177^b*) In venerande nacionis Almannie procuratorem magistri Petri de Noirtwiick electio consentanea.

Almannorum clara nacio, dominice Nativitatis anno millesimo CCCC° quinquagesimo, die mensis Decembris decima sexta, apud Sancti Juliani Pauperis ecclesiam super duorum articulorum decisione, scilicet novi procuratoris electione, aut antiqui continuacione, et supplicacionum et injuriarum relatu extitit sollempniter convocata. Placuit strennue spectabilium magistrorum prefate nacionis presentie in novum procuratorem eligere, non suis meritis sed eorum benignitate, virum utroque modo, et sciencia et sermone, imperitum magistrum Petrum de Noirtwiick, partium Hollandie dyocesis Trajectensis, qui officium assumpsit et de sumpto graciarum actiones offerre quas potuit studuit, et adhuc studet eo quod illo die non solum inter ceteros, sed pre ceteris meruit in altum sustolli et humiliter elevari. Rogavit que fecerat antiquus procurator haberi sua procuracione durante singula recommissa. Sub murmure sibi responsum est, et velut in suis scriptis apparet, pluris et majoris sibi cure fuit facultatis, quam nacionis factum. Nam eo factum est, ut multa prolixe scripserit, quibus nulla utilitas annexa est, que eciam sunt nostre nacionis factum minime tangentia. Stultum enim et insipientis est, ubi non est difficultas, difficultatem ingerere, et sub longo dispendio prorogari, quod potest brevi compendio expediri [3]. Magistri tamen hominis inconstanciam et in bene agendis difficultatem contemplantes, recommissum in hiis que officiosissime et laudabiliter egerat, habuerunt.

Anno, die, hora, loco, quibus supra venerande facultatis super duobus articulis, scilicet novi rectoris electione et supplicacionibus et injuriis, facta est convocacio. Quoad primum electus est per nacionem sollempnis intrans, qui cum ceteris ad novi rectoris electionem processit, et electus fuit ex venerabilis nacionis Picardie honorabilium suppositorum numero magister Nicolaus Fraterni de collegio Marcii [4]. Supplicavit quoad secundum depositurus tunc rector, ut que fecerat grata haberentur, et quia alias eadem supplicacione facta gratus habitus est, hac vice pariformiter gratus habebatur.

Assumptus fuit novus electus et antequam hec duo per eum in medium posita fuissent, ut scilicet naciones cetere suis sanis consiliis sibi adhuc inexperto in tam ponderoso officio, dum tempus affuerit et necessitas exigeret, assisterent, ut eciam cerimonias laudabiles vinum et species sumendo observare vellent. Et eciam antequam hujuscemodi peticiuncule fuissent concesse supervenerunt quatuor Universitatis Heydelburgensis bachalarii, qui ut reciperentur [5] humiliter precabantur. Voluit a me semper obsequenda veneranda nacio, ut examinarentur super studio et tempore, quod in alia Universitate laudabiliter compleverant. Litteras bachalariatus ostenderunt, uno dempto, qui fidem fecit testimonio sociorum, qui illud firmiter et juramento asserebant. Quibus visis et auditis recepit eos nacio, salvis semper juribus suis, quibus astricti fuerunt, ut per duas Quadragesimas Parisius studerent, antequam examini licen-

1. *Qui in theol. an.* 1439, *Dec.* 22, *licent. est.*
2. *Sed vid. infra ad Dec.* 19.
3. *Sed vix alius procurator tot verbis et sententiis superfluis usus est quot procurator qui sequentia scripsit. Melior tamen aliis latinitatis auctor est.*
4. *Utique collegio* Marchiano. *In* lib. proc. nat. Gallic. *electio ad Nov.* 18 *refertur, et narratur, duo intrantes, Normanniae et Angliae elegisse* Joh. Kanedy; *intrantes Franciae et Picardiae* Nicolaum Fraterni. *Pulsato ostio rector antiquus intravit conclave et in* Nicolaum Fraterni *condescendit. Ad haec vid. supra* p. 169, *not.* 3.
5. *Ms.* reciperenter.

ciandorum se submitterent, b[e]dellis sua jura persolverent et cuncta ad que nacioni perstringuntur, devote adimplerent.

Ejusdem mensis die decimanona apud Sanctum Maturinum Universitatis fuit facta congregacio super duobus. Primus ad audiendum legitimam magistri Petri de Va[u]sello excusacionem super eo, quod concorditer fuit alias a singulis facultatibus electus, ad quam nuper eundo apud regem inchoaverat explendam et perficiendam ambaciatam; instante recessus tempore oblatam legacionem respuit, et ut supportaretur (gravi ac molesta satis corporis egritudine preventus) magnis precibus postulavit, et ut alius ydoneus in locum ejus constitueretur supplicavit. Accepta fuit et grata ejus singulis facultatibus excusacio, et cum prioribus electis, magistro Petro de Maugier et magistro Gaufredo Normanni, datus et deputatus est tercius, scilicet magister Wilhelmus Evrardi [1], qui pari juramento pariter in facie Universitatis astricti predictam legacionem ituri apud gentem regiam in Normania emergentes casus tractantes assumpserunt.

Secundus communis fuit. Quoad hunc supplicavit dominus rector pro in agendis impensione singularum facultatum promtum favoris ac consilii. Cujus supplicacionem concessit facultas artium, ita tamen quod in materia cancellarii [2] ageret, ut causa si posset ad facultatem et non ad Universitatem devolveretur, cum hujusmodi officium non Universitatem sed facultatem respiciat; non eciam vocaret quos constat esse emulos cancellarii ad deputandum, sed viros quos non vincit passio, non terret potestas, non allicit pecuniarum aut amicitie amor, cum constat et luce est clarius, quod qui hanc materiam sunt prosecuti, pro majori parte parcialitate, non solum justicia fuere commoti, etsi justicia quidam moveantur. Puniatur, si deliquerit, non evellatur, cum non statim judicat homines Deus, sed ut convertatur et vivat [3] peccatorem exspectat. Et Catho [4] : « cum culpas alios, nemo sine crimine vivit. »

(*Fol. 178*) Supplicavit eadem hora magister Gerardus Thome pro adjunctione quam optabat fieri cuidam religioso, qui a quodam milite Anglico minatus est, qui causam, quam contra ipsum in curia conservatoris habebat, jactabat se alibi facere tractare. Huic supplicacioni ex alia parte militis quidam obviavit dicens, qualiter monachus ille irritaverat dictum militem, injurias sui nominis famam ledentes inferendo; et sic miles nichil nitebatur agere, nisi quia improbe religiosus militem circumvenit imprudentie verbis; miles quantum potuit religiosum refrenare sategit ac injuriam flectere in caput injuriantis. Adjunctionem tamen, si opus esset, Universitas est elargita.

Petrus de Noirtwijck.

Ejusdem mensis die XXIIII[a], que erat celebris festi Nativitatis Domini vigilia, facta est Universitatis congregacio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum quasdam litteras ex parte comitis Dunensis in Normannia, patrie causas decidentis, transmissas. Secundus communis fuit super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum, in litteris contenta concernens, tangebantur gravamina que Universitas mater nostra quibusdam inflixit volentibus et presumentibus temere et nescio quo ausu contra nostre matris privilegia insurgere, in ejus detrimentum, nostrorum omnium, ac precipue nacionis Normannie cornua erigere, pro suffulcione et confortacione noviter inchoati studii Cadomensis laborantes, et per hoc non parum ymmo multum nos ac nostram Universitatem ledentes, attento quod qui predicta agitant, nostri jurati ac apud nos graduati exstiterunt [5], qui omni quo possent amminiculo roborare deberent, quod velut fraudulente volpecule demoliri nituntur. Pro hiis igitur sic juste gravatis et juste condempnatis predictus comes humili prece precando instabat, ut excommunicacionis sentenciam, quam eis Universitas intulerat, eadem relaxare vellet dumtaxat ad aliquod tempus si fieri posset usque Purificacionis. Placuit nacioni, nisi aliam evidentiorem et magis ad mate-

1. *Ms.* euraert.
2. S. Genovefae.
3. Ezech., XXXIII, 11.
4. *I. e. Cato philosophus qui carmina moralia confecit. Cf. ed.* Baehrens I, 5 (Poet. min. III, p. 217).
5. *Paene omnes magistri et doctores, qui tunc temporis in Universitate Cadomensi docuerunt, supposita Universitatis Paris. fuerunt. Sic v. g.* Joh. Olivae, *decret.* (*vid. supra ad an.* 1425, *Jul.* 19); Guillelmus Rousselli, *nepos archiepisc., lic. in leg.* (*vid. ad an.* 1438, *Mart.* 10); Jehan Fleurie (Joh. Florie) *qui ad an.* 1448 *ut* docteur en théologie lisant l'ordinaire en icelle faculté (*cf.* Fournier, III, 196) *affertur, jam an.* 1426 *Parisiis mag. in art. et bacc. theol. fuit* (Suppl. Mart. V, nº 198, *fol.* 29 b), *lic. theol. an.* 1435 (*e* Catal. licent., *ubi* « Floridi »). Rogier d'Estampes (Rogerus de Stampis), *an.* 1448 *doctor decr. Cadomi* (*vid. ibid.*), *de nobili genere, an.* 1433 *Parisiis erat mag. art. et theol. studens* (Suppl. Eug. IV, nº 283, *fol.* 118 b; 141). Thomas Denis (Dionysii) *an.* 1437, Joh. Foucherii *an.* 1447 *Parisiis in theol. licentiati sunt;* Thomas Fortin, *de quo* p. 820, 39; Joh. Trophardi *an.* 1426 Parisiis *est mag. art. et bacc. theol.* (Suppl. Mart. V, nº 198, *fol.* 134 b); Jacobus Leporis *an.* 1429 *ibid. ut bacc. in decr.* (ibid., nº 241, *fol.* 180) *occurrit. Simili modo multis aliis ap.* Fournier, l. c. *et* p. 244 (*perperam ad an.* 1494) *allatis possemus Universitatem Paris. ut cunabula assignare. Juste igitur eos Universitas Paris. ut mater privavit privilegiis filiorum. Vid. supra ad Dec.* 9, p. 833, 44.

riam moventem causam audierit, quod eo pede quo Universitas rem pretactam inchoaverat, continuaret, viso quod si relaxarentur, non dormirent illi de studio Cadomensi, sed fortius vires resumentes validius nobis resisterent, et viam dissipandi nostra inchoata haberent latiorem; superiores tamen facultates voluerunt, quod darentur relaxaciones quindecim dierum, in quibus se purgare possent, si qui essent ad veniam venire cupientes, illo tamen supposito quod interim dicti in nostrum prejudicium quicquam agere non satagerent. Concessit hoc idem cuidam alias perjuro declarato [1], qui, cum transisset per hanc civitatem pergere Romam, dicit se non audisse citacionem Universitatis, donec per longum et latum spacium extra civitatis portas fuisset egressus, pro quo supplicavit magister Johannes Boucquardi.

Quoad 2^m articulum supplicavit dominus rector, quod nemini daretur advertencia in agendis in Castelleto, qui solummodo magnum sigillum Universitatis presentaret, etsi illo tantum muniri putans, contra non existens de Universitate; sed cum sigillo magno utile declaravit rectoris sigillum appendendum aut affigendum, allegans quomodo cederet hoc in evacuacionem officii rectorie et eciam in latentem fraudem, quam nonnulli hiis litteris se de Universitate probantes possent exercere. Nichil conclusit quoad hoc rector, quia concordiam non habuit, et sic quod petebat non optinuit. Pe. de Noirtwiick.

1451

(*Fol. 178^b*) Continuatio magistri Petri Noirtwiick.

Incarnacionis dominice Nativitatis anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo, die mensis Januarii decima tertia, apud Sanctum Maturinum Almanie nacio extitit super duobus articulis congregata, scilicet novi procuratoris eleccione aut antiqui continuacione, et super supplicacionibus. Quoad primum continuavere universi nuper electum, et peticioni ejus annuentes in hiis que peregerat, habuerunt recommissum. Insuper unius bachalarii peticio, recipi cupientis, concessa est, hoc adjecto quod de bursis quas nacioni deberet receptori ante Purificacionis satisfaceret. Voluit preterea nacio simile de singulis bachalariis fieri ante hoc tempus adhuc bursas debentibus receptori, quod nisi ante Purificacionis festum singuli deposituri debita bursarum in manus receptoris accederent, nulla esset sed annullata eorum receptio que nunc reputaretur.

Pe. de Noirtwiick.

Alma Parisiensis Universitas apud Sanctum Mathurinum Januarii decimasexta [2] super tribus articulis exstitit celebriter congregata. Primus continebat quarumdam litterarum per dominos ambaciatores de Normania venentium ex parte comitis Dunensis portatarum lecturam; continebat insuper diligenciam ambaciatorum novissime de Rothomago venientium [3] factam audiendam super conservacione privilegiorum, super provisione suppositorum, super eciam destitucione et annullatione studii noviter inchoati Cadomensis; continebat preterea ambaciatam regie majestati, si videretur expedire, denuo transmittendam. Secundus fuit super visitacione privilegiorum in archa contentorum, sed diffuse, sine congruo ordine, super eciam rotulis papireis in eadem archa jacentibus, qui pre fragilitate, vetustate ac papiri tenuitate quamdam corruptionem et laceracionem videbantur sentire, quorum corruptio averti facile posset, si in pergameno redigerentur. Super eciam abusibus tollendis, qui ex curia conservationis surgere consueverunt. Nonnulli paucis temporibus Parisius persistentes studentes se asserebant, studentes tamen minime, et in locis ubi judicialia tractantur se illo circummunire putantes, quo se digni gaudere privilegiis consueverunt communire. Tercius super supplicacionibus fuit et injuriis. Quoad primum stupuit comes ille, quomodo ex parte Universitatis matris nostre fuerunt excommunicationes adversantium valvis ecclesiarum apposite et publicate, viso quod magnum regis consilium in eo loco exstiterat congregatum, et sic non modicam regie majestati [4] injuriam illatam declarabat; supplicabat tamen, quod absolverentur ad tempus; quod concessit Universitas usque ad Quadragesimam, per duos scilicet menses.

Quoad secundum primi articuli prolixe satis domini ambaciatores, qui gesserant, narrarunt, adeo scilicet prolixe, ut nulla tunc conclusione capta die hunc sequenti [5] denuo Universitas congregata est.

Narraverunt singuli vicibus suis. Narravit theo-

1. Thomae Fortin.

2. *Quae fuit sabbatum. In* lib. proc. nat. Gallic. *perperam scribitur* die sabbati XVII Jan.

3. Guill. Evrard, Petri Maugier, Gaufridi Normanni, *qui* Rotomagi *fuerunt ut scribitur in* lib. proc. nat. Gallic. : primo pro tuitione et conservatione privilegiorum Univers. Paris.; secundo pro obviando erectoribus studii Cadomensis; tertio pro provisione suppositorum Univers. Paris.

4. *Ms.* majestatem.

5. *Jan.* 18. *De hac congregatione et relatione oratorum Universitatis loquitur* Bul. V, 554. *Vid. supra ad an.* 1450, *Jan.* 3, p. 791, *not.* 2.

logus magister Wilhelmus Evraerdi propositionem quam fecerat, ut per verbum Dei allecti facilius quod impetrare nitebantur optinerent. Preterea narravit quam fuerunt honorifice suscepti et loco altiori sublimati. Aperuit secundus [1] sedulitatem et diligenciam quam fecerat, et quam illi de studio Cadomensi facere moliebantur, ipsis [2] allegantibus, quam essent prediti apostolicis pariter et regalibus privilegiis. Sed ille respondit, ea vigorem habere minime, cum rex quamdam solum tolleranciam [3] dederat, que jure videretur cedere, matre Universitatum Parisiensi reclamante. Allegabatur ab illis bonitas ac ubertas patrie, opulentia divitiarum ac loci pro patriam inhabitantibus commoditas. Sed dicebant ex adverso nostri, *locum studiis quam Parisius non esse sub celo aptiorem*, nam pro illis de patria Normannie collegia situabantur in magno numero, ubi dotabantur, ubi preferebantur, ubi poterant commodose crescere multi in viros perfectos; preterea ibi innumera alia, que decorem studentibus ac non parum claritatis afferre consweverunt. Apud ipsos nec erat victualium copia, nec vini varietas, non combustibilium [4] usus aut ciborum competencia aut loci qualitas, quia juxta mare, ubi aer suas molestaciones incessanter inferebat. Item exercicia eorum nulla, cum major numerus eorum vix unitas respectu requisiti ad Universitatem dici posset.

Hec igitur ex utraque parte sic diu discussis, pependit res, et commissariis regis difficultatem et omnibus utriusque partis auditis non modicam ingerebat, adeo ut nichil egerint intenti, sed ferebat dominus comes, quia materia altioris inquisicionis erat egens, coram regia majestate eam vellet retractare, semper tamen in presidio Universitatis et subsidio (velut referebant) se promptissimum exhibebat pariter et offerebat.

Quoad 3^m primi placuit facultatibus, ut mitteretur regi ambaciata, sed cum predictis nuper ambaciatam explentibus sumeretur Normanus quidam, magister Robertus Cybole, qui velut fortis athleta ac pugil intrepidus pro nacione Normanie haberet certare, ac non esse de mente illius venerande nacionis, quod quicquam in prejudicium Universitatis ac corroboramentum studii Cadomensis ageretur.

Quoad secundum principale placuit quod darentur deputati qui privilegia in unum redigerent, ac visitata registrarent; placuit similiter quod rotuli papirei in pergameno per modum libri scriberentur, et servaretur apud dominum rectorem unus, alius arche includeretur; tollerentur similiter abusus quicumque, nec reciperetur quis ad sigillacionem nisi tribus aut 4^{or} mensibus studuisset ac salutari discipline inhesisset, cum venire consweverunt ut tuerentur *vix primis litteris imbuti*, *vix latinam vocem exprimere scientes*.

Quoad tercium supplicacio cujusdam religiosi supplicantis pro adjunctione in quadam causa concessa est; supplicacio cujusdam (*Fol. 179*) pro litteris gradus supplicantis concessa est. Propositum per dominum rectorem eodem die coram facultate super determinanciis hoc tempore inordinario fiendis concessum est. Insuper supplicacio magistri Gaufredi pro quadam recommendatoria, cujus minutam legerat, ad episcopum Carnotensem [5] concessa. Novissime omnium de laboribus sumptis per dominos ambaciatores et de diligenciis per eorum intelligenciam lucidam, eloquenciam venustam ac prudenciam decoratam factis grates magne sunt impense, et precipue illis, qui eorum clypeus et protectio et propugnacionis scutum fuerunt, qui fuerunt episcopi multi de patria nominata : Rothomagensis [6], Lixoviensis [7], Ebroycensis [8], abbates similiter multi et prelati, precipue dominus episcopus Parisiensis [9], qui rem tam cordi ceperat, ut non aliter quam in proprio facto videbatur laborasse, non se solum exhibens amicum, non solum fautorem, sed fratrem et filium Universitatis uterinum. PETRUS DE NOIRTWIICK.

Vicesima Januarii loco supra congregacio fuit Universitatis super tribus articulis. Primus ad tollendum abusus, secundus ad conferendum beneficium, quod per mortem magistri Joh. Francisci vacaverat, cujus collacio ad Universitatem cernebatur pertinere; tercius communis. Placuit quod resecarentur omni modo possibili abusus, nulli daretur audiencia in

1. Petrus Maugier.
2. *Studii Cadomensis.*
3. *Quod verum est. Vid. epist. an.* 1450, *Jul.* 30, *ap.* BOURMONT, *l. c.* p. 259; FOURNIER, *l. c.*, p. 198.
4. *Pro* comestibilium, *i. e.* esculentorum.
5. Petrum Beschebien, *mag. medic., qui jam an.* 1417 *actu regens et decanus fac. medicinae Parisiis fuit. Hucusque ignotum erat Petrum Bechebien jam an.* 1441, *Dec.* 16, *in episc. Carnotens.* « auctoritate ordinaria » *confirmatum occurrere, cum antea fuisset can. Tornacens.* (Suppl. Eugen. IV, n° 371, *fol.* 259 b, *ubi semper* Johannes Bechebien), *ibique vocatur* intrusus. *Solum an.* 1443, *Jan.* 28, *Eugen.* IV *illum absolvit et denuo nominavit* (Oblig., n° 66, *fol.* 62), *cum jam mense Februario an.* 1442 *in episc. consecratus fuisset* (Epp. Gerardi Machet, *fol.* 52 b). *Ut e* Reg. Vat. Eugen. IV, n° 360, *fol.* 360, *ediscimus, a capitulo Carnotensi electus et ab archiepisc. Senonensi confirmatus erat, cum tamen Eugenius tunc* Petrum de Cambornio *in episc. praefecisset* (ibid., *fol.* 266 b).
6. Rudolphus Rousselli.
7. Thomas Basin.
8. Petrus de Treignac.
9. Guillelmus Chartier.

Castelleto nisi sigillum rectoris suis litteris portaret appensum et impressum; nulli preterea liceret citare quempiam, nisi prius supplicatione in facie Universitatis facta, ut citare posset optineret. Et cedula quedam hujusmodi abusiones publica prohibens, prius tamen per deputatos visitata, locis in publicis affigeretur, ut scire possent quo se tueri possent veri Universitatis filii, a quo denique deberent declinare, qui usurpatorie nostris privilegiis sunt usi. Quoad secundum, scilicet collacionem beneficii, nulli tunc collatum est propter discordiam conclusionum captarum in facultatibus, tum eciam quia differre voluit facultas theologie, cum ad ipsam spectaret presentare qui suscipere posset beneficium, donec eadem esset apud se aut apud Universitatem sollempnius congregata.

Quoad tercium solus pro hujusmodi beneficio dominus rector supplicaverat, allegans dignitatem officii, qua impresenciarum fungebatur; allegans preterea quam consuevit esse sollicita Universitas circa personam rectoris promovendam, ut dum pape rotulus dirigeretur, si alii ad unum ipsius personam ad duo beneficia apta declarabat, ne postquam rectoria dimissa posset in aliquem miserie casum ob paupertatis penuriam incidere, sed plene nosceret, quam fuerit utilis et commoditate plena dignitas rectorie. Favit sibi sua nacio et facultas medicine; alie naciones cum facultatibus ad oppositum fuerunt, alique tamen appendebant hanc condicionalem, quod si facultas theologie, ad quam spectabat turnus, vellet ipsum presentare tamquam theologum, libenter quidem faverent; in vim turni igitur concedebant, non volentes quod si rectori hac vice provideretur per istum turnum, quod sequentem turnum haberent theologi, sed decretiste.

Concessa est supplicacio supplicancium pro litteris gradus. Ad instanciam absentis magistri supplicaveram ego, et ad[h]uc de nostra nacione magister unus. Expedicionem ambaciate rogaverat procurator Normanie anticipari, sed inter deputatos negocium est commissum. Petrus de Noirtwijck.

Nacionis Almanie venerande apud Sanctum Maturinum XXVI^a Januarii facta fuit sollempnis congregacio super duobus articulis. Primus super determinancium expeditione; secundus communis fuit. Quantum ad primum pluralitas votorum fuit ad hoc, ut temptarent modernus procurator, receptor, senior regens, senior non regens, et audita sunt eorum prestita juramenta; sed an hoc fieri debebat in vim statuti, ut quidam volebant an in vim nove electionis, ut volebant reclamantes, mansit indiscussum. Quoad secundum, quia nulla peticio fuit porrecta, nulla fuit concessa. Petrus de Noirtwijck.

Apud ecclesiam Sancti Maturini celebrata est congregacio Universitatis die mensis Januarii XXVII^a super hiis tribus, super videlicet ambaciata si expediens videretur transmittenda regie majestati; super eciam cujusdam curature vacantis infra muros Parisienses, Sancti scilicet Andree, mortuo illius ultimo rectore, collacione facienda ad dictam spectans Universitatem; eciam super supplicationibus et injuriis.

Quoad primum, quamquam Normanie nacio in summopere totisque viribus affectabat, offerens pecunias que ambaciatam possent facile expedire, non tamen videbatur expediens Universitati. Id tamen avisavit, ut amicis nostris de curia revelaremus causam et gravamina nostra, et secundum quod eis videretur expedire, sic agendum esset; (*Fol. 179^b*), illi enim facile possent percipere regis benivolenciam et adverse partis diligenciam. Quibus visis et perceptis, si eundum esse decreverint, iretur, si manendum, cessaretur ab itineris arrepcione.

Quoad 2^m presentatus est per facultatem decretorum, ad quam spectabat turnus, profunde sapiencie ac claritatis ingenue vir facultatis theologie magister noster magister Thomas de Corsellis, cui predictum beneficium, cura scilicet Beati Andree, collata est; viso quod non tantum provisum esset persone, quantum ecclesie sancte Dei gaudeat tanti pastoris populus presencia, qui virum egregie doctum ac velut sol splendoribus illuminatum, velut stella in doctrinis scintillantem, habere meruerunt.

Quoad 3^m supplicacionem suam dominus rector renovaverat; sed volentibus theologis, quibus spectabat presentare, unus ex illis magister Johannes Postelli[1] senectutis venerande beneficio cappellanie preventus est et dotatus, capellanie quidem vacantis per mortem magistri Francisci, cujus superius non longe ante mensio facta est[2]. Supplicacionem petentis pro adjunctione contra quemdam militem ad deputatos remisit Universitas. Supplicacionem procuratoris Picardie pro quadam recommendatoria supplicantis, audita prius in deputatis minute lectione et correctione, concessit. Petrus de Noirtwijck.

Venerande nacionis Almanie per juramentum apud Sanctum Maturinum XXX^a Januarii facta est congregacio super provisione festi Purificacionis, super concordia habenda de quorumdam bachalariorum

1. *Qui jam an.* 1435 *licent. est in theol.*

2. *Vid.* p. 842, 38.

receptione, alias ut ferebatur condicionaliter admissa, et item alias in alia congregacione, viso quod admissio statutis contradicebat, annullata. Et super supplicacionibus et injuriis.

Quoad[1] primum Universitati magistrorum placuit illud honorificum Purificacionis ac alme Virginis Matris festum honorifice celebrari modo et forma quibus supra aliis annis extiterat celebratum; daretur luminare nostram causam sollicitanti procuratori nostro, ac in dando distribuendoque servarentur temperies secundum quod videretur et festo et personis et magistris expedire.

Quoad secundum recepti sunt ad bachalariatum datis dandis, solutisque solvendis, sic tamen ut statutum illesum ac inviolabile super bachalariorum receptione editum hactenus servatum, et modo observaretur; sed ecce receptionis specificationem : per duas Quadragesimas adhuc Parisius studerent, et quod hoc anno juramento assererent, examini licenciandorum nullatenus se submitterent. Denique si quid in hujuscemodi conclusionis prejudicium, quod absit, ageretur, eidem pro viribus nonnulli se essent opponentes.

Quoad tercium nichil. Pe. de Noirtwiick.

Februarii luce[1] tercia post mortuorum missam sollempniter pro animabus defunctorum de Universitate apud Jacobitas celebratam, alme Universitatis Parisiensis in eodem loco celebrata est congregacio super tribus. Primus super suppositorum provisionem cupientium ac beneficiorum dotacionem inrotulatione. Secundus tres continebat articulos : primus ad audiendum quarundam litterarum ex parte studii Lovaniensis transmissarum[2] lecturam; secundus erat super celeri ambaciate mittende, si congruum videretur, expeditione; tercius erat petens declarationem cujusdam conclusionis olim capte super burse currentis solutione, an graduati cujuslibet facultatis tociens quociens ad gradus majores promoverentur, haberent hujuscemodi bursas persolvere. Tercius principalis fuit communis super supplicationibus et injuriis.

Quoad primum placuit ut fieret rotulus, ut fieret nominatio, ita quod nomine beneficii quelibet dotacio, sive cure, sive prebende, sive cappellanie, intelligeretur, et prima die lune Quadragesime aut citius aut tardius parum, secundum quod proficiens videretur.

Quoad primum secundi continebatur citatio et excommunicatio ex parte suppositi cujusdam Universitatis nostre contra unum suppositorum studii Lovaniensis per curiam conservacionis nostre, valvis ecclesie Sancti Petri Lovaniensis affixa. Gravem exinde illi de studio ferebant querelam super sui suppositi infestacione, petentes quid Universitas mater nostra in hoc agendum decreverit, sibi celeriter transscribi. Placuit ut is quem accusaverat apud deputatos unacum parte adversa audiretur, littere misse fideliter servarentur, et cause meritis discussis nostrum suppositum, si justicia dictaret, defenderetur, et post cause litisque plenam digestionem studentibus ac studio Lovanensi rescriberetur[3].

1451

(*Fol. 180*) Electio magistri Johannis Petri de Malmoghia, Lundensis dyocesis, de regno Dacie.

Anno Domini M. CCCC L°, decima die mensis Februarii, facta fuit congregatio nacionis Almanie venerabilis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in procuratorem ex unanimi consensu magistrorum magister Johannes Petri de Malmoya, dyocesis Lundensis in Dacia. Quantum ad secundum articulum procurator antiquus, ut in omnibus per ipsum factis supplicavit tempore sue procuratorie haberetur gratus, ratus et avoatus; cujus supplicatio fuit concessa.

Anno Domini quo supra, decima septima die mensis ejusdem, facta fuit congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad providendum de inhumacione Nicholai, quondam subbidelli nationis pie memorie. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi, quod dominus receptor haberet tradere pecuniam sufficientem pro inhumacione predicti Nicolai de parte que debetur ei de bursis baccalariandorum sublevatis hoc anno; et casu quod ad hoc non sufficeret pars sua, deberet dominus receptor illud quod deficeret supplere pecunia nationis. Quantum ad secundum supplicavit Johannes pro tunc substitutus nationis pro officio

1. *Pro* die *hic sumitur.*
2. *Universitas Lovaniensis petebat* causam quamdam sibi remitti, quae movebatur inter unum magistrum Universitatis Paris. et alium magistrum Universitatis Lovaniens. *Sic in* lib. proc. nat. Gallic.

3. *Postea folium deest, sicut etiam inter fol.* 181 et 182, *quod fol.* 182 *notatur. Vid. ibid. Itaque nihil legitur de ambasiata, de bursa etc. Notandum e* lib. nat. Gallic. *ambassiatam missam esse, et quidem ad regem Turonis commorantem, non ad* Concilium Turonense, *ut* Bul. V, 557 *asserit.*

subbidellatus; et quoad hoc placuit nationi quod collatio predicti officii pro honore nationis deferretur usque ad unam specialem congregationem super illo faciendam. Joh. Petri.

(*Fol. 180*ᵇ). Decima octava die mensis ejusdem anno quo supra facta fuit congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad providendum de modo celebrandi exsequias pro Nicolao, quondam subbidello nationis pie memorie. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi quod fierent exsequie sollempniter pro prefato Nicolao in ecclesia Almanorum [1] et quod fierent distribuciones in vigiliis et missa more solito. Quantum ad secundum supplicavit Johannes Losen pro officio subbidellatus. Et quoad hoc placuit majori parti nationis recipere predictum Johannem ad officium illud; nichilominus tamen propter conclusionem alias captam in congregatione precedente super modo conferendi predictum officium, ac eciam propter oppositionem quorumdam magistrorum factam contra modum illum conferendi sepedictum officium, maxime quia conclusioni super hoc accepte contraveniret, prefatus Johannes ad officium illud tunc temporis non erat assumptus.

Anno prenotato XXIª die mensis ejusdem facta fuit congregatio venerande nationis Almanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum subbidellum et ad recipiendum juramenta ejusdem. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi venerande unanimiter conferre Johanni Losen Coloniensis dyocesis officium subbidellatus sui, quod protunc vacavit post mortem cujusdam Nicolai pie memorie quondam subbidelli nationis, viso et attento quod predictus Johannes plurima servicia nationi ministraverat spe prenominati officii. Voluit tamen natio quod idem Johannes diligenter habeat officium illud exercere in vico Straminis et alibi, ubi fuerit expediens ad honorem et utilitatem nationis secundum modum bidellorum aliarum nationum. Quantum ad secundum supplicavit predictus Johannes Losen pro dicto officio; cujus supplicatio fuit concessa.

(*Fol. 181*) Anno predicto, quinta die mensis Martii, facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus erat ad audiendum nomina eorum [2] qui per apunctuamentum parlamenti sunt adjuncti dominis temptatoribus de venerabili temptamine Sancte Genovefe ad temptandum cum eis pro isto anno [3]. Secundus erat communis. Quantum ad primum visum erat nationi non posse predictis dominis temptatoribus adjunctos aliquos assignari propter bullas et statuta papalia; si tamen placeret ipsis sibi quosdam adjunctos assumere, natio non contradiceret, dum tamen secundum formam avisamenti sumerentur. Quantum ad secundum supplicavit honorabilis et religiosus vir dominus curatus ecclesie Sancti Stephani, quod quidam venerabilis magister in theologia, magister Nicolaus Juvenis [4], presentatus in cancellarium per dominum abbatem de Sancta Genovefa, reciperetur ad prestandum juramenta sua. Et quoad hoc placuit quod predictus presentatus reciperetur ad prestandum juramenta sua. Et casu quo dominus rector non vellet recipere juramenta prefati domini presentati, voluit natio quod statim congregaretur natio ad providendum super hoc de remedio oportuno. Placuit eciam nationi quod magister Petrus de Vaucello assumeretur ad officium subcancellariatus, sicut eciam tunc temporis supplicavit in natione magister Nicolaus Juvenis supradictus. Supplicavit eciam eodem tempore magister Johannes Normani, quod dominus rector haberetur ingratus et inavoatus in omnibus que fecerat in curia parlamenti contra dominos temptatores temptaminis Sancte Genovefe sine requesta facultatis et Universitatis. Cujus supplicationes concessit natio, decernens cum hoc eumdem dominum rectorem protunc nunquam amplius assumi debere in officium rectoratus.

(*Fol. 181*ᵇ) Anno Domini etc., quinqua[ge]simo, die VIª mensis Martii, facta fuit congregatio Universitatis per juramentum apud Sanctum Bernardum super duodus articulis. Primus erat ad exsequendum apunctuamentum factum a parlamento de quibusdam concernentibus venerabile temptamen Sancte Genovefe. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi stare in conclusione sua capta die precedente in Sancto Juliano dum ibidem celebrabatur congregatio facultatis. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector pro avoatione; et quoad hoc placuit nationi pariformiter, sicut de supplicatione magistri Johannis Normani immediate supra

1. *I. e. in eccl. SS. Cosmae et Damiani.*

2. *In* lib. proc. nat. Gallic. *omnia sequentia sicut et nomina distinctius enarrantur. Vid.* Bul., V, 556.

3. *Hoc anno abbas S. Genovefae* Philippo Langlois *cancellario (de quo supra ad an.* 1446, *Septemb.* 19), *subcancellario et quatuor temptatoribus in parlamento litem intendebat. Propter hoc ad praesentationem abbatis parlamentum alium cancellarium ad annum substituit, aliosque officiarios.*

4. *Licent. in theol. an.* 1443 (1444), *Jan.* 20.

notata in materia congregationis immediate precedente. Supplicavit eciam quidam cognominatus Goesmert pro officio procuratorie in Castileto; cujus supplicatio fuit concessa.

Die IX^a mensis ejusdem anno sicut supra facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus erat ad audiendum et recipiendum juramenta domini cancellarii et subcancellarii. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit quod dominus cancellarius reciperetur ad prestandum juramenta sua et similiter dominus subcancellarius, si juramenta prestare deberet. Et de adjunctis placuit nationi quod illi quatuor, qui ordinati sunt a parlamento, maneant pro isto anno, salvo tamen jure facultatis et sine prejudicio priorum temptatorum. Quantum ad secundum nulla porrecta fuit supplicatio, ergo nulla fuit concessa [1].

1451

[Continuatio mag. Johannis Petri.]

(*Fol. 182*) Anno prenotato VI^a die mensis Aprilis facta fuit convocatio venerande nationis Alemanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad recipiendum compotum domini receptoris. Secundus erat communis. Quantum ad primum placuit nationi recipere computum domini receptoris. Quantum ad secundum supplicavit dominus receptor, ut haberetur gratus et recommissus in factis per ipsum receptorie sue tempore; cujus supplicationi annuit natio in factis, legaliter enim egit. Jo. Petri.

Folium [2] in quo continuatio prefati magistri Johannis Petri inscripta fuit cum plurimis tempore sue procuratorie factis extractum est singulari malicia et intentione decipiendi nationem in factis ejus ibidem innotatis.

[(*Fol. 63^b*) [3] Sequuntur nomina baccalariorum istius anni 50.

Dominus Johannes Hoens, Leodiensis diocesis, cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Dominus Conrardus Petri, Leodiensis diocesis, cujus bursa 4 sol., j lb.

Item, pro scolis, j lib. x sol.

Dominus Ricardus de Dunsen, Coloniensis dyocesis, cujus bursa 4 sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Jacobus Monroulben, Leodiensis diocesis, cujus bursa 4 sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Petrus Hasen, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Item, pro scolis ij lib.

Dominus Gerardus Biirwiis, Trajectensis dyocesis, cujus bursa viij sol., ij lib.

Item, pro scolis, ij lib. x sol.

Dominus Henricus Birwiis, Trajectensis diocesis, cujus bursa viij s., ij lib.

Item, pro scolis, ij lib. x sol.

Dominus Bernardus ter Spint, Monasteriensis dyocesis, cujus bursa 4 sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Stephanus Cubler, Basiliensis dyocesis, cujus bursa nichil.

Item, pro scolis, j lib.

Dominus Henricus Leonardi, Basiliensis dyocesis, cujus bursa 4 sol., j lib.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Victorinus Symonis Milewsky, Pragensis dyocesis, cujus bursa iiij^{or} sol., j lib.

Item, pro scolis, j lib. x sol.

Dominus Jacobus Manen, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Item, pro scolis, ij lib.

Dominus Henricus Frees, Aboensis diocesis, cujus bursa viij sol., ij lib.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Dominus Andreas Mathei, Albordonensis [4] diocesis, cujus bursa nichil.

Item, pro scolis, j lb.

Dominus Johannes Blaber, Albordonensis diocesis, cujus bursa iiij sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Paulus Hautmart, Leodiensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb x sol.

Dominus Johannes Creton, diocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

1. *Hic deest unum folium, in quo praeter alia Continuatio mag. Petri, et nova electio rectoris narrabatur. Martii 24 electus est* Jacobus de Gouda. Bul. V, 557, *bene*; p. 558 *perperam* Nicolaus Fraterni, *et* p. 921 Petrus de Gouda, *et nihilominus electio rectoris fusius in* lib. proc. nat. Gallic. *narratur. In* lib. receptoris *fol.* 65 *etiam* Jacobus de Gouda.

2. *Haec nota alia, sed aequali manu, scripta est.*

3. *Nomina* determinantium *desunt in* lib. procuratoris, *eaque desumpsimus e* lib. receptoris *in* Arch. nat. Paris. H. 2587.

4. *I. e.* Aberdonens.

Dominus Alexander Moravie, dyocesis Glasguensis, cujus bursa viij, ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Dominus Alexander Aldhoch, dyocesis Sancti Andre[e], cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Item, pro scolis, ij lb.

Dominus Nicholaus Sack, Maguntinensis dyocesis, cujus bursa iiij sol. j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Johannes Theodrici de Hagis, Trajectensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb x sol.

Dominus Johannes Lyon, diocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Dominus Johannes Eduartsoen, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Item, pro scolis, ij lb.

Dominus Hugo Smier, Trajectensis dyocesis, cujus bursa nichil, nichil.

Item, pro scolis, j lb.

Dominus Mathias de Rupe, Treverensis diocesis, cujus bursa vj sol., j lb.

Dominus Johannes de Hyli, diocesis Sancti Andree, cujus bursa nichil.

Item, pro scolis, j lb.

Dominus Fredericus Nacht, Treverensis dyocesis, cujus bursa 4 sol., j lb.

Item, pro scolis, j lb. x sol.

Dominus Philippus Ruyckrock, Trajectensis dyocesis, cujus bursa 8 sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Item dominus Johannes Wiit solvit bursam 8 sol. par., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Sequuntur nomina baccalariorum aliarum Universitatum a natione receptorum.

Dominus Daniel Sangherend, Augustensis dyocesis, cujus bursa viij sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Item, dominus Petrus Steinbach[1], Basiliensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., xx sol.

Item, pro scolis, xxx sol.

Dominus Johannes Liis, Arbipolensis[2] dyocesis, cujus bursa nichil.

Item, pro scolis, j lb.

Dominus Petrus Rinck[3], Coloniensis dyocesis, cujus bursa viij sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Dominus Guilhelmus Ogelby[4], dyocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., ij lb.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Dominus Johannes Ruch[5], dyocesis Sancti Andree, cujus bursa nichil.

Item, pro scolis, j lb.]

1451

(*Fol. 182*[b]) Electio magistri Jacobi Gray.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo die septima mensis Aprilis facta fuit congregatio venerande nationis Almanie super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus fuit ad avisandum de bono modo evitandi graves et sumptuosas expensas, que solent fieri in prandiis temporibus, quibus natio consuevit recipere computum domini receptoris. Tertius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum ex uniformi consensu omnium magistrorum electus fuit magister Jacobus Gray oriundus de regno Scotie et de diocesi Sancti Andree. Quoad materiam secundi articuli a pluralitate magistrorum exstitit conclusum quod temporibus futuris non fierent tales conventiones nec convivia, sed quod in duobus computis unicuique magistrorum presentium darentur quatuor solidi parisiens. Quantum vero ad tercium articulum supplicavit procurator antiquus, ut in factis per ipsum tempore sue procuratorie haberetur gratus et avoatus; et ejus supplicatio fuit concessa in forma. JACOBUS GRAY.

Anno predicto facta fuit congregatio venerande nationis Almanie die ultima mensis Aprilis super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum lecturam quarundam litterarum missarum a venerabilibus civibus opidi Leidensis procuratori ceterisque magistris nationis Almanie. Secundus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum audita fuit lectura illarum litterarum, in quibus continebatur supplicatio, ut natio velit ad contemplationem dominorum et civium opidi predicti recipere in nuncium Gobellum Ysbrandi, de cujus bona fama et fidelitate perhibuerunt testimonium. Et

1. De Masmünster *an.* 1447 Heidelbergae *intit.*, *an.* 1449 *bacc.* (TOEPKE, I, 253).
2. *I. e.* Wurtzburgensis.
3. *An.* 1444 Erfordiae *intit.* (WEISSENBORN, Acten, *etc.*, I, p. 202); *an.* 1452 Coloniae *juri civ. stud.*, *postea Pariae* (*vid.* KEUSSEN, Matrikel, I, 421).
4. *Baccal.* S. Andreae.
5. *Baccal.* S. Andreae.

quia jam dudum receptus fuit ad idem officium quidam nominatus Johannes Johannis, de cujus illegalitate et infidelitate natio fuit sufficienter informata, eapropter considerata ejus transgressione declaravit ipsum privatum ab hujusmodi officio, et predictum Gobellum ad ejus officium per alterius privationem recepit. Quantum ad secundum suplicavit dictus Gobellus, ut natio dignaretur ipsum recipere in suum humilem servitorem et ipse fideliter et legaliter se haberet in excercendo predictum officium. Cujus suplicatio fuit concessa. JACOBUS GRAY.

1451

Continuatio ejusdem.

(*Fol. 182 bis*) Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo facta fuit congregatio venerande nationis Almanie die quarta mensis Maii[1] super duobus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus erat communis super suplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus procurator ex communi concensu omnium magistrorum. Quantum vero ad secundum articulum suplicavit procurator ut haberetur gratus et avoatus in factis per eum tempore sue procurationis; cujus suplicatio fuit concessa. JACOBUS GRAY.

Anno predicto facta fuit congregatio venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum die decima mensis Mayi super duobus articulis. Primus articulus fuit ut nacio reciperet fidejussores a domino receptore pro peccunia recepta per eum et recipienda. Secundus articulus fuit communis super suplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum per nationem bene congregatam extitit conclusum, quod dominus receptor infra biduum haberet dare fidejussores nationi; et ad eos recipiendum natio dedit deputatos, videlicet procuratorem, magistrum Johannem de Palatio magistrum Theomannum de Gouda et magistrum Petrum de Noirthwiick. Et illi eciam fuerunt deputati unacum receptore ad emendum pannum ad reformandum epitogium nationis. Quantum ad secundum articulum nullus suplicavit. JACOBUS GRAY.

Anno prenotato vicesima octava die mensis May facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus articulus erat ad audiendum juramenta magistri Johannis Kanedy pro officio tentorie in tentamine Sancte Genovefe. Secundus articulus erat communis super suplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum gratanter fuit receptus prefatus magister Johannes ad juramenta solita. Quantum ad secundum articulum suplicavit magister Albertus Scriptoris, ut haberetur gratus in factis per eum in officio predicto; cujus suplicatio fuit concessa in forma. Insuper suplicavit quidam magister pro quodam bacalario dimisso et non vocato in tentamine Sancte Genovefe, ut facultas deputaret aliquos ad videndum de sufficiencia ejus, et ut admitteretur ad licentiam et ad magisterium. Cujus suplicatio non fuit exaudita, ymo due nationes concluserunt ut non admitteretur quovismodo. JACOBUS GRAY.

1451

(*Fol. 182 bis*[b]) Que durante procuratoria magistri Simonis Cuper in procuratorem venerande nacionis Almanie non tam sigillatim quam unanimiter ab omnibus electi facta fuere sequuntur.

Anno Domini millesimo, etc. 2[a] die mensis Junii facta est congregatio apud S. Maturinum super duobus articulis. Quoad primum, qui fuit de electione novi procuratoris, placuit nacioni ad novi procuratoris electionem accedere, et electus est magister Symon Cuper de Trajecto superiori, dyocesis Leodiensis. Quoad secundum, qui fuit super supplicationibus, petitionem antiqui procuratoris, confirmationem et supportationem in actis per eum tempore sue procuratorie petentis concessit. Concessit similiter supplicacionem magistri Alberti Scriptoris petentis sibi quedam debita persolvi ex parte Universitatis a nostro receptore, quoniam ut allegabat, dum antea ambaciatam Rothomagi[2] peregisset, impersolutus de quibusdam expensis permansit.

Referente procuratore difficultatem unius clausule subdisjunctive in caucione, quam dominus receptor nacioni fecerat, posite, que in utramque partem (quia amphybologica oratio erat) flecti poterat, voluit natio quod duo magistri, magister Tylmannus et magister Petrus de Noirtwiick, Castelletum visitarent, procuratorem qui stilum et cedulam fecerat adirent, et de scribendi modo se quam diligentius possent informarent, ut si veniret data cautio corrigenda, corrigeretur, si admittenda foret, sine ampliori querela admitteretur. SYMON CUPER.

1. *Ea die natio* in mula *exposuit* XI *s.* (Lib. recept.)

2. *Ad Concilium an.* 1450.

Anno prenotato, decima nona die mensis Junii, facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super quinque articulis. Primus erat super visitatione pergameni in Lendito[1]. Secundus fuit super computo facto per dominum receptorem burse Universitatis. Tertius erat super depositione pergamenarii. Quartus fuit ad audiendum litteras missas a curia Romana. Quintus erat communis. Quantum ad primum non placuit nacioni ille modus visitandi, ymmo deliberavit natio, ut procederetur contra abbatem Sancti Dyonisii[2], ita quod talis modus visitandi non usitaretur. Quantum ad 2m articulum placuit nationi ille computus, ita quod de resta pecuniarum solverentur quidam ambasiatores, quibus adhuc aliud debebatur, et primo facultati artium videlicet...[3], dein aliis. Quoad tertium deliberavit natio Almanie, ut ille pergam[en]arius privaretur a gremio et consorsio Universitatis. Quantum ad quartum regraciebatur nacio illis magistris, qui Universitati illas litteras miserant et eis littere regratiatorie rescriberentur, cum apud summum pontificem pro Universitate ita bene laborassent, et ut eciam regi nostro scriberetur quod apud summum pontificem intercedere vellet. Quantum ad quintum supplicavit dominus rector, ut in omnibus per eum actis haberetur gratus et av[o]atus; cujus supplicatio concessa fuit in forma. Eciam supplicavit magister Joh. Pensier[4] quod ad visitandum quoddam collegium deputarentur aliqui magistri ad illud visitandum; quam supplicationem obtinuit. Insuper supplicavit quidam notarius in curia conservatoris ut ad juramenta recipi posset; que supplicatio exaudita fuit. Eciam supplicavit dominus receptor nacionis Francie de una summa XII scutorum, ut fieret sibi solutio, quam ipse, ut dixit, tradidit ex precepto domini rectoris magistro Johanni de Martiniaco. Ad quod responsum fuit, casu quo bene et utiliter exposita fuisset, quod fieret sibi restitutio, sin autem, non.

SYMON CUPER.

(*Fol. 183*) Anno ut supra, XXIIIa die mensis Juny, facta fuit congregatio facultatis in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quoad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et ad hoc quelibet nacionum dedit intrantem, et electus fuit illa die in rectorem venerabilis vir magister Thomas Trosselli[5] de veneranda natione Normanie. Quantum ad secundum supplicavit dominus antiquus ut haberetur gratus et av[o]atus; que supplicatio ab omnibus sibi in forma fuit concessa. Supplicavit eciam dominus rector novus ut in agendis suis tempore rectorie sue facultas sibi daret auxilium, consilium et favorem et ipsum vellet associare ad collegium suum[6], et sumere vinum et species. Quam supplicationem admisit in forma.

SYMON CUPER.

1451

[(*Fol. 66*) Sequuntur nomina licentiatorum istius anni.

Dominus Guntherus de Tzucha, dyocesis Missonensis, cujus bursa nichil.

Dominus Franco Wilhelmi, Trajectensis dyocesis, cujus bursa 6 sol., j lb. x sol.

Reynerus de Camera, dyocesis Trajectensis, cujus bursa 4, j lb.

Ulricus Becken, cujus bursa 4, j lb.

Theodricus Petri de Harlem, cujus bursa 6 sol., j lb. x sol.

Guillermus de Dumeto, alias de Haghen, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Robbertus Forest, cujus bursa vj, j lb. x.

Johannes Majoris, cujus bursa vj sol., j lb. x.

Petrus Bertholomei de Harlem, cujus bursa 4 sol., j lb.

Lambertus Camp, cujus bursa valet sex sol., j lb. x sol.

Henricus Zelem, cujus bursa sex, j lb. x sol.

Petrus Mey, cujus bursa 4, j lb.

Aernoldus Bernardi, cujus bursa vj sol., j lb. x sol.

Theodricus Delft, cujus bursa 6 sol., j lb. x sol.

Ydo Henrici de Schoenhovia, cujus bursa 4, j lb.

Theodricus Hoern, cujus bursa nichil.

Symon Cuper, cujus bursa viij sol., ij lb.

Johannes Teutelinghen, cujus bursa nichil.

Petrus Hoern, cujus bursa 4 sol., j lb.

Balthasar Mesnang, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Conradus Sartoris de Salwandinghen, cujus bursa nichil.

Winandus Bel, cujus bursa valet 6 sol., j lb x sol.

1. *l. c.* abbas et conventus S. Dionysii volebant contra usum hactenus observatum visitare pergamenum in prejudicium rectorie et libertatis Universitatis. (Lib. proc. nat. Gallic.)
2. Philippum de Gamaches.
3. *Tum dimidia linea vacat.*
4. *l. c.* Pain-et-chair.
5. *Seu* Trocelli, *ut in* lib. receptoris, *fol.* 65, *seu* Trousselli, *qui an. sequenti lic. est in theol., de quo jam supra.* BUL. V, 558 *et* 921 *perperam* Rousselli.
6. Sorbonae *scilicet.*

Petrus Brechtel, cujus bursa valet 8 sol., ij lb.

Stannislaus Wenceslay, cujus bursa nichil.

Johannes Camens, cujus bursa nichil, nichil.

Johannes Ruch, cujus bursa valet nichil.

Arnold Laurentii, cujus bursa valet quinque sol., i lib. v sol.

(*Fol. 66*[b]) Sequuntur nomina incipientium istius anni.

Dominus Guntherus Tzucha, cujus bursa nichil, solvit pro jocundo adventu et cappa rectoris ij lb.

Dominus Franco Guilhelmi de Leydis, solvit (bursa vj sol.) j lb. x sol.

Guilhermus de Dumeto alias de Haghen, cujus bursa 8, ij lb.

Item pro jocundo adventu et cappa rectoris solvit ij lb.

Ulricus Becken, cujus bursa valet 4 solidos, j lb. pro jocundo adventu et cappa rectoris ij lb.

Theodricus Petri, cujus bursa valet 5 sol., j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa ij lb.

Johannes Majoris, cujus bursa valet sex solidos, j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa rectoris ij lib.

Petrus Brechtel solvit bursa 8 sol., ij lb.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Reynerus de Camera, cujus bursa 4, j lb.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Stanislaus Wenceslai, cujus bursa nichil, solvit pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Johannes Camens, cujus bursa nichil, nichil; pro cappa et jocundo adventu ij lb.

Henricus Zelem, cujus bursa vj, j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa rectoris ij lb.

Item, Lambertus Camp, cujus bursa valet vj, j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa ij lb.

Symon Cuper, cujus bursa valet viij sol., ij lb.; pro jocundo adventu et cappa rectoris ij lb.

Johannes Teutelinghen, cujus bursa nichil; pro jocundo adventu et cappa solvit ij lb.

Arnoldus Bernardi, cujus bursa vj, j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa, ij lb.

Vinandus Bel, cujus bursa valet 6 sol., j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Robertus Forest, cujus bursa 6 sol., j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

(*Fol. 67*) Theodricus Hoern, cujus bursa nichil, pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Theodricus Delft, cujus bursa vj, j lb. x sol.; pro jocundo adventu et cappa, ij lb.

Ido Henrici, cujus bursa valet, 4 solvit j lb.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Petrus Hoern, cujus bursa 4, j lb.; pro jocundo adventu et cappa, ij lb.

Balthasar Mesnangh, cujus bursa 8, ij lb.; pro jocundo adventu et cappa. ij lb.

Johannes Ruch, cujus bursa nichil, nichil; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Petrus Mey, cujus bursa valet 4, j lb.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

Petrus Bartholomei de Harlem, cujus bursa 4, j lb.; pro jocundo adventu et cappa, ij lb.

Arnoldus Laurentii, cujus bursa valet v sol., j lb. v sol.; pro jocundo adventu et cappa rectoris, ij lb.

(*Fol. 72*) Item pro quodam licentiando, scilicet Guilelmo Ogylby, ij lib.

Item ab eodem in inceptione sua pro bursis, jocundo adventu et cappa rectoris, iiij lib.]

(*Fol. 183*) Anno predicto VII[a] die mensis Julii facta fuit congregatio Universitatis apud Sanctum Maturinum super 4[or] articulis. Primus fuit super visitatione pergameni facta in Lendito; secundus erat super quadam littera missa a domino connistabilario (*sic*) domini nostri domini regis ad privandum quemdam pergamenarium; tertius fuit ad privandum unum alium pergamenarium nomine Dupet, qui in Lendito fuit rebellis; quartus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum deliberavit nacio Almanie, quod mitterentur quatuor deputati cum uno notario ad abbatem Sancti Dyonisii ad videndum si ipse vellet frequentare illum modum visitandi aut non; si ita, quod procederetur ju[ri]dice contra ipsum; si non, quod caperent instrumentum. Quoad secundum deliberavit eadem natio regraciando domino connistabilario de bona communicatione littere sue, ita quod predictus pergamerius non privaretur, nisi haberet aliam informationem. De tertio privavit alium pergamenarium nomine Dupet a gremio et consorsio Universitatis. Quoad quartum supplicavit dominus rector, ut haberetur gratus et av[o]atus, que supplicatio sibi fuit concessa in forma. SYMON CUPER.

(*Fol. 183*[b]) Anno quinquagesimo primo congregata fuit Universitas in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum responsionem domini abbatis Sancti Dyonisy; secundus fuit communis. Quantum ad primum deliberavit natio Almanorum quod secundum consilium consiliariorum contra predictum abbatem procederetur, cum voluit religiosum suum in visitacione quam fecerat habere av[o]atum. Quantum ad secundum supplicavit magi-

ster Petrus Mangeri pro magistro Ambrosio de Camera, quia sitatus fuerat pro quadam prebenda, ut fieret sibi adjunctio ut non traheretur extra Parisius. Que supplicatio et alie remisse fuerunt ad deputatos. Symon Cuper.

Anno prefato XXVI^a^ die mensis Julii facta fuit congregatio nacionis Almanie super duobus articulis apud Sanctum Maturinum. Primus fuit ad reponendum pecunias receptas per dominum receptorem in archa nationis; secundus fuit communis. Quantum ad primum deliberavit nacio quod dominus receptor haberet reddere computum infra octo dies, et quod pecunie per ipsum recepte ponerentur in archa nacionis. Quantum ad secundum supplicavit Johannis budellus, ut sigillaretur sibi una littera magno sigillo nacionis. Quam optinuit.

Symon Cuper.

Anno prefato 2^a^ die Augusti facta fuit congregacio venerande nacionis Allemanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum computum domini receptoris. Secundus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum deliberavit nacio quod dominus receptor redderet computum, sicut et in congregatione antecedente erat conclusum, quod et ipse in presencia magistrorum nacionis fecit. Quantum ad secundum supplicavit dominus receptor ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum tempore sue receptorie. Cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit Bonundus [1], quod attenta sua tenuitate et paupertate [2], ad quam se deductum testabatur spolio cujusdam raptoris, sui domestici dudum, placeat pie nacioni sibi in aliquantula summa succurrere. Cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit Johannes subbedellus quod sibi a nacione mutuo concederetur quedam summa pecunie, qua posset satisfacere de aliquibus antiquis debitis, viso quod ipsi jam per concessorem vexato non erat libera exsolvendi facultas, attento eciam quod sua stipendia annualia nacionis, potentis cogere eum, erant clausa manibus. Cujus supplicacio fuit concessa. Symon Cuper.

1451

[Substitutio Folpardi de Ameronghen.]

Anno prefato XI^a^ die Augusti facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum unum loco procuratoris, qui gressurus erat ad patriam sine opinato reditu infra terminum sue procuracionis. Secundus fuit similiter ad substituendum unum in officio receptorie. Tertius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit mag. Folpardus de Ameronghen, Trajectens. diocesis, in procuratorem nacionis. Quantum ad 2^dum^ electus fuit magister Joh. Kennedi, qui cum absens esset, substitutus fuit ei magister Jacobus Gray. Quantum ad tertium supplicavit dominus receptor ut nequaquam sui fidejussores ante terminum vexarentur pro pecuniis nacioni debitis. Item ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum. Cujus supplicacio fuit concessa. Folpardus de Ameronghen [3].

(*Fol. 184*) Anno prefato XVIII^a^ die Augusti facta fuit congregacio alme Universitatis Parisiensis super quatuor articulis. Primus fuit ad audiendum diligencias factas per dominum rectorem et alios magistros Universitatis ad defendendum privilegia. Secundus fuit ad avisandum modum expedientem prosequendi privilegiorum materiam. Tercius fuit ad conferendum officium pergamenarii. Quartus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum de diligenciis gratiarum date sunt actiones domino rectori et aliis qui sue interfuerunt committive. Quantum ad secundum volnit Universitas armis justicie viriliter impugnare contemptores privilegiorum, prosequendo viis et modis possibilibus. Quantum ad tertium non fuit concordia. Quantum ad quartum supplicavit dominus rector, ut venerabili in Christo patri episcopo Parisiensi fieret regraciacio de beneficio erogato eidem; et magister Joh. Penecher supplicavit ut sui recommendacio adjungeretur oraculo regraciantis; quorum supplicacio fuit concessa. Item supplicavit mag. Petrus Maugier, ut Universitas suam declararet mentem in nominacionibus; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicavit eciam mag. Joh. Abbatis ut fieret exploratio diligens de quodam, qui secum certavit in materia beneficiali, si scolaris esset. Cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit quedam paupercula ut sua causa expediretur; cujus supplicacio fuit concessa. Alii multi supplicaverunt, sed quia numerus grandis erat, usque ad aliam congregacionem relicte sunt eorum supplicaciones preterquam cujusdam, qui [pro] officio notariatus supplicavit.

Folpardus de Ameronghen.

1. *Jam saltem a 60 annis bedellus nationis Alemanniae! An.* 1453 *tantum diem supremum clausit. Vid. infra ad hunc an.*

2. *Cum tamen olim satis dives fuisset. Vid. tom.* I.

3. *Qui haec et sequentia scripsit.*

1451

Electio magistri Folpardi de Ameronghen Trajectensis dyocesis.

Anno Domini millesimo CCCC^{mo} LI°, XXXI^{a} die mensis Augusti, facta est congregatio venerande nacionis Allemanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit magister Folpardus Ameronghen in procuratorem nacionis. Quantum ad secundum supplicavit idem magister Folpardus ut acta per eum haberentur grata et avoata, que tempore sue substitucionis peregit, cujus supplicacio fuit concessa.

Folpardus de Ameronghen.

Anno Domini eodem et die mensis eodem facta est congregatio Universitatis per juramentum apud Sanctum Bernardum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum diligencias factas per dominum rectorem et alios sue committive magistros, et ad avisandum modum procedendi contra infringentes privilegia. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum voluit Universitas refundere graciarum actiones domino rectori et aliis magistris, qui in materia privilegiorum diligenter laboraverunt; sed de modo procedendi placuit procedere viriliter contra privilegia infringentes, sed protunc non erat concordia quantum ad modum aliquem specialem. Quantum ad secundum supplicavit magister Joh. Langrenois [1], ut cuidam abbati fieret solempnis regraciatio, scilicet abbati de Beco [2], qui sibi in contemplationem Universitatis quoddam contulit beneficium, et supplicavit mag. Joh. Bavant, ut sui recommendatio adjungeretur oraculo regraciantis. Quorum supplicaciones fuerunt concesse. Item supplicavit magister Joh. Montingi [3] et quidam suus adversarius [4] qui [de] quodam certaverunt beneficio, ut darentur deputati, qui de eorum materia haberent inquirere. Quorum supplicationes fuerunt concesse. Item supplicavit dominus promotor pro deputatis, qui secum haberent adire generales, qui eum fecerant adjornari. Item supplicavit quedam muliercula paupercula pro expedicione sue cause; cujus supplicacio fuit concessa. Item supplicavit quidam pro littera gradus; cujus supplicacio fuit concessa probatis probandis.

Folpardus de Ameronghen.

(*Fol. 184^{b}*) Anno prefato XVIII^{a} die mensis Septembris facta est congregatio venerande nacionis Almanie in Sancto Cosma et Damiano post missam nacionis super duobus articulis. Primus ad sciendum si magis expediens et utilius esset nacioni conclusionem magistro Jo. Petri de Malmoya captam servare illesam, videlicet quod loco gravium expensarum in electione et compoto receptoris fieri consuetarum (quibus nacio miro in modo solita est aggravari et in suis diviciis notabile pati decrementum) cuilibet magistrorum nacionis summula tribueretur IIII sol.; aut melius esset juxta laudabiles nostrorum patrum consuetudines, ad solita convenire prandia. 2us fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni stare in conclusione capta. Quantum [ad secundum] nullus supplicavit.

Folpardus de Ameronghen.

Anno prefato XXI^{a} die Septembris facta est congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem; secundus ad audiendum compotum antiqui; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit magister Jacobus Gray in nacionis receptorem. Quantum ad secundum inventus est idem, cum ad tempus quod superarat regimini antiqui esset substitutus, omnino legalis. Quantum ad tercium supplicaverunt pro regencia et pro scolis magistri qui sequuntur : magister Lambartus Scout, mag. Joh. Kañedy, mag. Petrus Nortwiic, mag. Joh. Theoderici, mag. Jacobus Gray, mag. Jaspar Smit, mag. Folpardus de Ameronghen, mag. Wesselus, mag. Alexander Maec Alexander, mag. Conrardus, mag. Gunterus, mag. [Eberhardus].

Supplicavit eciam dominus receptor substitutus, ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum. Quorum supplicaciones fuerunt concesse. Supplicaverunt eciam bedelli, ut continuarentur in officio et ut nacio ipsis aliquid dignaretur contribuere. Quorum supplicatio fuit concessa tribuens cuilibet unum scutum, sub condicione tamen quod diligentiores sint quam fuerint in serviciis et obsequiis magistris nacionis exhibendis, quod si aliter contingat (quod absit), noscant se pericula gravia incursuros.

1. *Presbyter, in art. et med. mag., actu regens Parisiis in facultate medicinae* (Suppl. Nicol. V, n° 447, *fol.* 75, *ad an.* 1451).

2. Johanni de la Motte, *olim Parisiis in fac. decret doctori. Vid.* Chartul., IV.

3. *Seu potius* de Montigniaco (Montigny), *decr. doctor, qui fuit decanus Senonens., et hoc ipso anno obiit* (*vid.* Gall. christ., XII, 112). *De ipso jam supra.*

4. Johannes Perdrier.

Regentes istius anni :

Magister Lambertus Scoul,
Mag. Joh. Kanedi,
Mag. Petrus Nortwiick,
Mag. Joh. Theoderici,
Mag. Jacobus Gray,
Mag. Jaspar Smit,
Mag. Folpardus Ameronghen,
Mag. Wesselus,
Mag. Alexander Maec Alexandri,
Mag. Conrardus,
Mag. Gunterus;
Magister [Eberhardus].

1451

(*Fol. 185*) Continuacio magistri Folpardi de Ameronghen.

Anno prefato, XXIII^a^ die Septembris, facta est congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit ex communi omnium voto antiquus procurator, scilicet mag. Folpardus de Ameronghen. Quantum ad secundum supplicavit idem ut haberetur gratus et avoatus in actis et factis per eum. Cujus supplicacio fuit concessa. FOLPARDUS DE AMERONGHEN.

Anno prefato [XXVIII^a^ die Septembris [1]] facta congregacione Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad sciendum si Universitas vellet stare in conclusione apud Sanctum Bernardum capta, quam magister Johannes Perdr[ier] impetraverat contra magistrum Joh. Montig[n]i decretorum doctorem, in qua cavebatur, nominaciones predicti Montigi de pectore Universitatis nunquam processisse, sed causas omnino annullando. Secundus fuit ad concedendum cuidam pergamenario nomine Croset [2] dudum multis calamitatibus propter matrem Universitatem obnoxio, pergamenum publice vendendi libertatem. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum non obstante predicti Montigi multo veredica allegacione, qua expedire ostendit conclusionem revocare, Universitas eam non revocavit. Quantum ad secundum concessa fuit predicto Croset pergamenum publice vendendi libertas. Quantum ad tercium supplicavit dominus rector, ut haberetur gratus et avoatus in actis per eum. Cujus supplicatio fuit concessa.

FOLPARDUS DE AMERONGHEN.

Anno prefato [3] facta est congregacio Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum oratores reverendi in Christo patris nostri archiepiscopi Rotomagensis [4]. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad [primum] data est adjunctio archiepiscopo Rothomagensi, ut per suos oratores petebat, ad procedendum contra quosdam religiosos ordinis fratrum Minorum [5] secundum formam conclusionis cujusdam facultatis theologie. Quantum ad secundum supplicavit dominus rector pro auxilio. Cujus supplicacio fuit concessa [6].

FOLPARDUS de AMERONGHEN.

1451

Electio magistri Petri Brechtel de Nova Civitate, dyocesis Spirensis.

(*Fol. 185^b^*) Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, die vicesima prima mensis Octobris, que erat dies undecim milium virginum facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus articulus fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit ex unanimi consensu omnium magistrorum via Spiritus Sancti magister Petrus Brechtel de Nova Civitate sub palatinatu Reni, dyocesis Spirensis, et ipso renuente coactus erat per plenam nacionem ad acceptandum officium procuracionis. Quantum ad articulum supplicacionum supplicavit antiquus, ut haberetur gratus et ratus in bene actis; cujus supplicacio fuit concessa. Eciam supplicavit magister Walterus pro regencia, et posuit in fidejussorem magistrum Theomandum [de Gouda]. Cujus supplicacio fuit concessa propter

1. *Supplevimus e* lib. proc. nat. Gallic.
2. *Seu* Croyset.
3. *Et quidem Octob.* 6, *ut legitur in* lib. proc. nat. Gallic. *multo diffusius.*
4. Radulphi Rousselli.
5. *Imprimis contra* Johannem Bartholomaei, *qui praedicavit sine licentia archiepiscopi et curatorum, et quaedam erronea pronuntiavit. Vid. e* lib. proc. nat. Gallic. *et* Picard. BUL., V, 558 *sqq.*, *et infra ad Dec.* 4.
6. *Octob.* 11 *novus rector* Clemens Parmentarii *electus est, ut legitur in* lib. proc. nat. Gallic. *In* lib. receptoris, *fol.* 69^b^ : Permenter.

absenciam temporis preteriti, quo talis supplicacio fieri conswevit.

(*Fol. 186*) Anno prefato fuit congregacio Universitatis sollemniter peracta apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum quamdam litteram transmissam a venerendo in Christo patre domino domino metropollitano Rothomagensi. Secundus articulus fuit super quibusdam impedimentis privilegiorum Universitatis et supra falsario quodam incarcerato, qui furtive et latenter surripuit sigillum rectoris, per quod multa impetravit. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad articulum primum littera transmissa duo principaliter continebat. Primum graciarum actiones de transmissione [littere] venerabilis viri domini cancellarii[1] ad evellendum et exstirpandum ficmentum[2] in ducatu Normanie, precipue in civitate Rothomagensi exortum. Quapropter recommendacio prefato archiepiscopo laudabilis exibita extitit, cum bona ab Universitate sibi favorabiliter recognovit impensa. Secundum quod continebatur erat supplicacio pro adjunctione ulteriori, que fuit concessa. Quantum ad secundum articulum conclusum fuit ut Universitas mitteret litteras ad regem illustrissimum Francorum pro corroboracione privilegiorum Universitatis, cum in multis capiant detrimentum. Et de falsario incarcerato fuit conclusum, ut acriter secundum demeritum puniretur. Quantum ad tercium articulum supplicavit dominus rector pro auxilio, favore et assistencia. Cujus supplicacio fuit concessa. Eciam quidam pro officio notariatus supplicavit, que [supplicacio] concessa similiter dinoscitur.

(*Fol. 186b*) Sexta Novembris loco et anno quibus supra congregacio sollenniter Universitatis fuit celebrata super duobus articulis. Primus fuit super avisacione privilegiorum, presertim in ducatu Normanie, et super plurium aggravamine suppositorum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit ut omni modo possibili privilegia manutenerentur, et ut duo notabiles prudencia et scienciis fulgentes mitterentur, qui et gravamina et detrimenta privilegiorum regie majestati divulgarent, ut de oportuno remedio Universitati providerent, vel Universitas dissolucionem non modicam pateretur. Quoad secundum articulum supplicavit quidam, qui tractus erat extra Universitatem contra quemdam, qui sentencie rectoris non obedivit, ut talis vocaretur et sibi secundum illud demeritum pena infligeretur, cujus supplicacio extitit annuata. Alius quidam supplicuit pro notariatus officio, cui consensum fuit similiter.

Nacionis Almanie venerande mensis prenominati in ecclesia beatorum Cosme et Damiani die XIIIª per juramentum post missam nacionis facta fuit congregacio super tribus articulis. Primus fuit super causa in parlamento longo tempore agitata inter quemdam textorem et nacionem prefatam, quatenus ordinandum et statuendum sit in eadem, et super quadam domo de regno Suecie oriundorum. Secundus fuit super debitoribus nacionis, et super monicione domini receptoris ad acceptandum fidejussores ab eo. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit ut deputaretur unus qui sollicitaret causam istam diligenter, et qui recitare haberet singulis congregacionibus in quibus limittibus causa tractaretur, et signanter electus erat magister Lampertus Schout, cui nacio pro salario ebdomodatim tribuere ordinavit ad minus IIII albos. De facto domus placuit ut indagaretur modo possibili quid juris habeamus in ipsa, et si nacioni incumbat se opponere contra prescriptionem domus prefate, secundum hoc impeticioni contra prescribentes obviandum esset. Quoad secundum placuit nacioni ut debitores citius quo possent persolverent, non tamen aliquod temporis spacium cuiquam assignavit, preter magistrum Galterum qui supplicabat pro certo tempore de modica pecunia, quam parati annuere magistri. Quoad monicionem domini receptoris, se promtum et paratum dando caucionem sufficientem secundum conswetudinem antiquam hora et loco nacioni placentibus offerebat. Quoad tercium supplicavit magister Eberhardus [Custodis] pro regencia, magister Lampertus pro quadam cedula in archa nacionis reclusa. Quorum supplicaciones unanimiter fuere concesse. PETRUS BRECHTEL.

(*Fol. 187*) Ejusdem mensis Decembris[3] quarta die anno quinquagesimo primo sollennis extitit congregacio Universitatis celebrata apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super conclusione capta a deputatis de facto cordigeri[4]. Secundus erat super diligencia facta in materia privilegiorum. Tercius fuit articulus communis. Quoad primum deliberare placuit Universitati ut cordiger

1. *Utique* Parisiens., *quia agebatur de licentia in theol. fratris* Joh. Bartholomaei.
2. *Quantum ad fratres Minores, de quibus supra.*
3. *Ms.* decima *pro* Decembris. *Sed hoc Dec. 4 evenisse e* lib. proc. nat. Gallic. *liquet. Vid.* BUL., V, 559.
4. *Scil.* Johannis Bartholomaei, *de quo ad Octob.* 6.

iste venerabilis frater propria manu conscriberet cedulam, in qua promittat se nullibi docturum contra decretalem *Omnis utriusque sexus* [1], sed si velit potest eam planis et nudis verbis dicere, nec addere, nec diminuere, nec exponere, nec limitare. Et eciam placuit, ut videantur littere quodam tempore super illo et aliis punctis confecte quatuor sigillis secundum quatuor Ordines Mendicancium sigillate. Quantum ad secundum precati sunt domini deputati ut defensionem privilegiorum continuarent et omni modo possibili privilegia manutenerent. Insuper finaliter quantum ad articulum supplicacionum supplicuit dominus rector ut haberetur gratus et ratus in suis bene actis, et in minus bene expeditis excusatus. Cujus supplicacio cum plerisque aliis sub communi modo fuere concesse. Supplicuit magister Albertus Scriptoris pro famulo suo baccalariando, ut casu quo post vel ante tempus assignatum communiter pro temptamine baccalariandorum se presentaret, possit sine impedimento temptari propter absencie causam racionabilem. Cujus supplicacio sub illa adjunctione fuit admissa, scilicet si non haberet aliud impediens formalitatem baccalariandorum, scilicet quod audiverit libros suos secundum formam et modum parisiensem et habeat alia conrequisita secundum quod temptatores habent indagare. Insuper supplicabat magister Baltasar de Ysnina procurator dicte provincie, ut secundum ordinacionem per magistros provincie, in Bernharditis captam, nullus scolaris, ad quemcumque gradum procederet, nec procuratoris nec receptoris sigilla, nisi satisfecerit provisori et procuratori domus prefate secundum taxam burse, obtinere possit. Quam omnes racionabilem et legittimam placide unanimiter asserebant.

Petrus Brechtel.

Decima quinta Decembris anno prefato fuit congregacio preclare facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem super duobus. Primus fuit super audicione aliquorum proponendorum pro tunc a venerabili viro domino domino cancellario inclite ecclesie Parisiensis [2]. Secundus erat communis. Quantum ad primum auditus fuit venerabilis cancellarius prefatus super modo et avisacione congruentis reformacionis facultatis artium; qui enim plures articulos et abusus recitabat [3], qui conscripti fuere in quadam cedula lecta et rectori tradita. Hiis interjectis et omnibus perceptis, placuit facultati preclare ut de qualibet nacione viri notabiles assignarentur, qui masticare et bene mente revolvere haberent articulos in cedula lectos, ut super hiis expedientem modum et formam reformacionis contribuere possent. Quantum ad articulum supplicacionum, supplicabat dominus cancellarius ut futurus rector eligendus juramento firmaret hec jam narrata fideliter prosequi juxta totum posse et nosse. Fuit concessa.

Petrus Brechtel.

(*Fol. 187* b) Facta fuit congregacio facultatis artium in Sancto Juliano anno 51°, die decima sexta mensis Decembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum rectorem. Secundus erat communis. Quantum ad primum electus fuit magister Thomas Joselin [4] nacionis Normanie, post cujus electionem dominus intrans nacionis Almanie fecit suam relacionem in presencia nacionis, et relacione facta aliqui magistrorum deliberantium ipsum habuerunt gratum, aliqui ingratum. Schout.

1451

Electio magistri Lamberti Schout de Arnhem pro secunda vice.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, decima sexta die mensis Decembris, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Lambertus Schout Trajectensis dyocesis, oriundus de Arnhem in Gelria. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator ut in actis suis haberetur

1. *Praedicavit enim antea, parochianos libere posse Mendicantibus peccata confiteri absque curatorum licentia, etc. Vid.* D'Argentré, Coll. jud., I, 2, p. 251, *et* Bul. *l. c. Universitas Paris. se occupavit in isto fratre, quia licentiam in theol. obtinere voluit, proindeque rector cancellario injunxit, ne eum ad licentiam admitteret. Vid. ibid.*

2. Roberto Ciboulle, *nam hoc anno, Maii* 8 Joh. Chuffart *diem supremum obiit* (Arch. nat., LL.117, p. 40). *Maii* 19 Robertus Ciboulle *litteras episcopi Paris. Maii* 18 *capitulo praesentavit, et Maii* 21 *ad cancellariam receptus est* (ibid., p. 45, 47).

3. *Latius de hoc in* lib. proc. nat. Gall. *Vid. etiam* Bul. p. 560. *Articuli spectabant partim doctrinam et docendi modum in vico Straminis, partim disciplinam moralem, praecipue in celebratione festorum. Ut jam an.* 1448, *sic etiam nunc praecipue de reformatione facultatis artium (propter Collegia) agebatur. Et revera eodem anno reformatio etiam per card. Guill. d'Estouteville facta magis de reformatione fac. artium quam de reformatione cujuslibet alterius facultatis agebat.*

4. Bul., V, 921, *eum perperam vocat* Thomam Bosselin, *licet in* lib. nat. Gallic. *recte* Thomas Josselin, *qui fuit presb. Sagiens. dioec., et jam an.* 1429 *mag. in art., licent. in jure can. Paris.* (Suppl. Mart. V, n° 230, *fol.* 116 b). *In* lib. receptoris, *fol.* 70 : Josleyn.

gratus et avoatus et recommissus; cujus supplicacio fuit concessa. Supplicatum fuit insuper pro quodam licenciato, cui refutatum fuerat *placet* per aliquos magistros de nacione, ut posset transire et faceret sua facta. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo non obviaret statutis.

Anno [1] quo supra, die vicesimaprima mensis Decembris, facta fuit congregacio in Sancto Maturino venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus fuit super factum Johannis bedelli nostri, qui ad partes recessit, et nulli de nacione virgam dimisit, et cum hoc duas ampullas de argento deposuit, et de amissione timendum erat. Et quoad hoc dati fuerunt deputati ad visitandum archam nacionis et ad inquirendum de singulis. Tactum fuit insuper per procuratorem quomodo aliqui magistri nacionis volebant habere quamdam conclusionem nacionis sub sigillo procuratorie, sed ad quem finem nescivit, et quia distulit dare, multa mala sustinuit verba, quod in dedecus nacionis vertebatur. Et quoad hoc conclusum fuit quod omnia facta et acta nacionis in nacione remanerent. Quantum ad secundum articulum quidam magister de nacione supplicavit, quod si aliqua minus bene dicta dixisset contra procuratorem, ut nacio vellet indulgere sibi, et ita factum fuit.

(*Fol. 188*) Anno quo supra, penultima die mensis Decembris, facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad mittendum ambiciatores (*sic*) citius quo fieri poterit ad regiam majestatem [2]. Et retulit dominus rector, qualiter bonum esset adhuc duos alios mittere, et nominavit dominum cancel[l]arium Nostre Domine [3] et magistrum Petrum Maugier. Et quoad istum articulum placuit Universitati mittere solum illos duos, scilicet magistrum Petrum Cory et magistrum Godefridum Normani, et non plures. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus rector pro consilio, auxilio et favore, et concessa fuit ejus supplicacio. Supplicavit insuper magister Johannes Robos pro officio notariatus in curia conservacionis, et similiter concessa fuit ejus supplicacio. Multi alii supplicaverunt, sed supplicaciones eorum fuerunt remisse ad deputatos.

1452

Anno quo supra, decima quinta die Januarii, facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super 4^{or} articulis. Primus articulus fuit ad audiendum juramentum dominorum ambaciatorum. Secundus fuit ad providendum de officio advocatorie in Castileto. Tercius fuit super facto rotuli. Quartus fuit communis. Quantum ad primum articulum placuit Universitati mittere ambaciata[m] sicut alias placuit, dummodo tamen instructiones in Universitate legantur. De quota ipsis danda et de pecuniis habendis non fuit concordia. Quantum ad istum articulum veneranda nacio Picardie opposuit se quod aliquo modo ambaciata mitteretur et appellavit. Placuit eciam aliquibus nacionibus quod bursa Universitatis amodo non habeat cursum. Quantum ad secundum articulum contulit officium magistro Joh. Mercelli et juravit juramenta consueta. Quantum ad tercium articulum placuit Universitati facere rotulum more solito. Quantum ad quartum supplicavit quidam magister pro littera gradus; cujus supplicacio fuit concessa, probatis probandis. Supplicavit quidam alius pro adjunctione in causa beneficiali; fuit remissa ad deputatos. Fuit vocatus quidam magister ad comparandum personaliter in Universitate, qui non comparuit. Et quoad hoc conclusum fuit quod citaretur adhuc bis, et deinde privaretur.

Eodem die venit quidam falsarius de Castaleto cum preposito [4] et cum aliis ad faciendum emendam honorabilem in presencia rectoris et aliorum deputatorum, et ita fecit.

1452

(*Fol. 188*^{b}) Continuatio magistri Lamberti Schout de Arnhem.

Anno quo supra, decima sexta die mensis Januarii, facta fuit congregacio nacionis Alamanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum continuatus fuit antiquus, scilicet magister Lambertus Schout. Quantum ad secundum habuerunt acta sua grata, avoata et recommissa. SCHOUT.

Anno quo supra, decima nona Januarii, facta fuit congregacio venerande nacionis Alamanie in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum juramenta dominorum temptatorum pro bachalariandis audiendis secundum ordinacionem

1. *Manu posteriori inscriptio facta est :* De virga seu massa amissa. *Sed vid. infra ad an.* 1452, *Jun.* 3 *et* 7.

2. *Haec ambassiata, jam Febr.* 3 *conclusa, ut e* lib. proc nat. Gallic. *liquet, semper dilata erat.*

3. *Quia regi gratissimus fuit.*

4. *Ms.* proposito.

statuti. Secundus fuit super aliquibus honorem nacionis tangentibus. Tercius fuit communis. Quantum ad primum articulum placuit audire juramenta ipsorum, et electi fuerunt procurator tanquam antiquior regens, quia non repugnat, magister Everardus Custodis tanquam antiquior non regens, et receptor. A qua conclusione appellavit quidam venerabilis magister, scilicet magister Galterus de Wernia, quia dicebat se antiquiorem regentem esse. Quantum ad secundum narravit duo : primo de facto plumbi, scilicet quod bonum esset quod semper in electione procuratorum receptor haberet facere refusiones in nacione, dummodo tamen electio sit de duobus mensibus in duobus. Retulit insuper procurator, qualiter magnus defectus erat in ecclesia in cantando, quia aliqui veniebant circa finem, alii veniebant ambulando per ecclesiam. Et quoad hoc conclusum fuit quod nemo distribuciones amodo habeat, nisi in vesperis fuerit ante quartum psalmum, et in missa ante finem epistole. Quoad tercium supplicavit magister Everardus pro quadam tunica, ut nacio vellet sibi vendere et dare terminum solucionis. Quod placuit nacioni. Schoutt.

Anno quo supra facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum appellacionem factam per venerandam nacionem Picardie[1]. Secundus fuit ad avisandum modum pro pecuniis habendis in ambaciata predicta. Tercius fuit communis. Quantum ad primum conclusum fuit quod dominus rector haberet convocare Universitatem per juramentum in Sancto Bernardo in die Vincencii[2], et ibi ipsa deliberabit de singulis. Et isto modo secundus articulus cessat. Facultas artium stetit in appellacione nacionis Picardie. Quantum ad tercium supplicavit magister Joh. Loseux pro adjunctione Universitatis in causa beneficiali, et concessa fuit ejus supplicacio. Multi alii supplicaverunt pro litteris gradus et concesse fuerunt, probatis probandis. Quidam fuit citatus ab Universitate pro secunda vice. Conclusum fuit quod citaretur pro tercia vice et tunc privaretur nisi veniret. Schout.

(*Fol. 189*) Anno quo supra, vicesima prima mensis Januarii, facta fuit congregacio facultatis artium in Sancto Juliano Paupere super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum causas appellacionis magistri Galteri de Wernia. Secundus fuit super aliquibus honorem facultatis tangentibus. Tercius fuit communis. Quantum ad primum articulum allegavit rationes quare debebat esse temptator bachalariandorum in veneranda nacione Anglicana et dicebat, quia erat antiquior regens; procurator similiter oppositum allegavit et oppositum probavit per nacionem. Quoad hoc conclusum fuit quod si procurator esset antiquior regens, ut regens temptaret, et regenciam remiserunt ad nacionem. Quantum ad secundum articulum retulit dominus rector qualiter aliqui fuere facti magistri per saltum, et hoc declaravit ad longum quidam venerabilis magister nostre nacionis, minus tamen honeste et contra honorem nacionis et singulorum suppositorum, nec nacio gratanter accepit. Et quoad hoc conclusum fuit, quod essent deputati ad inquirendum de singulis. Quantum ad tercium nullus supplicavit.

Anno quo supra, vicesima tercia ejusdem mensis, facta fuit congregacio nacionis in Sancto Bernardo per juramentum super duobus articulis. Primus articulus continebat duos articulos per dominum rectorem in Sancto Juliano tactos, et retulit dominus procurator, qualiter intellexerat, quod magister Galterus ulterius volebat materiam appellacionis prosequi, et eciam alius magister aliqua adhuc de secundo articulo dicere volebat. Et quia ista materia aliquomodo procuratorem tangit, dixit quod bonum esset, ut alius ab ipso verbum in Universitate haberet. Et quoad hoc nacio accepit istud factum tanquam proprium, et ordinavit dominum receptorem ut loqueretur tociens quociens verbum de ista materia fieret.

Eadem hora facta fuit congregacio Universitatis in eodem loco super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum causas appellacionis per venerandam nacionem Picardie factas. Secundus fuit de modo habendi pecunias pro ambaciatoribus ad regiam majestatem mittendis. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit Universitati stare in appellacione dominorum Picardorum, nec placuit pro nunc mittere ambaciatam, sed tantum scribere domino nostro regi super facto privilegiorum nostrorum, et nisi votivum responsum daret, cessaremus ab omni actu scolastico. Quantum ad secundum articulum placuit, ut receptor burse haberet facere sua compota infra octo dies. Quantum ad tercium articulum retulit magister Galterus de Wernia causas propter quas ipse appellavit a facultate artium. Et quoad hoc conclusum fuit quod materia illa ad deputatos remitteretur. Fuit vocatus magister Johannes Reynet ad Universitatem pro tercia vice ad instanciam domini pro-

1. *In* lib. proc. nat. Gallic. *de hoc jam ad Jan.* 18.

2. *Jan.* 22.

motoris officii, qui non comparuit, et ideo reputatus est contumax, et declaratus est perjurus et a gremio Universitatis privatus perpetuis temporibus. Fuit quidam alius citatus pro secunda vice, et reputatus est contumax.

1452

(*Fol. 189*^{b}) Continuacio magistri Lamberti Schout, in medicinis licentiati.

Anno quo supra, XXV^a die mensis Januarii, facta fuit congregacio nacionis Alamanie in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad sedandum controversiam ortam inter nacionem et magistrum Galterum de Wernia super facto temptaminis bachalariandorum. Et quoad hoc conclusum fuit quod magister Galterus esset quartus adjunctus et non ut antiquior regens, sine prejudicio partium. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et quoad hoc supplicavit quidam magister de nacione pro litteris recommendatoriis in forma communi. Et concessa fuit sua supplicacio.

Anno quo supra facta fuit congregacio facultatis artium per juramentum in Sancto Juliano Paupere ultima die mensis Januarii super duobus articulis. Primus erat super aliquibus honorem facultatis tangentibus. Et retulit dominus rector, qualiter domini deputati concluserant super facto reformacionum, quod domini temptatores sibi unam eligerent viam, scilicet quod retinerent sua officia, et dimitterent pedagogia [1], aut econtra. Et quoad hoc non placuit ista conclusio deputatorum, sed dedit sollempnes deputatos ad laborandum super facto reformacionum. Retulit insuper dominus rector qualiter omnes in incepcione sui magisterii jurant multa et varia juramenta, que tamen ab ipsis non observantur, et sic de perjuriis timendum. Et quia dominus legatus [2] est nunc in Francia, bonum esset ab ipso habere dispensacionem, quod omnibus placuit. Secundus fuit communis, at nullus supplicavit.

Anno quo supra prima die mensis Februarii facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum causas appellacionis magistri Joh. de Martiniaco; secundus fuit communis. Quantum ad primum retulit predictus magister suas causas, et quoad hoc dedit Universitas deputatos sollempnes ad informandum se de singulis. Et in nacione nostra fuerunt nominati tres magistri, scilicet procurator, receptor et magister Johannes Theodrici. Quantum ad secundum supplicavit quidam pro littera gradus; cujus supplicacio fuit concessa probatis probandis.

[(*Fol.* 72) [3] Sequuntur bacalarii alterius Universitatis.

Johannes Speculi [4], cujus bursa 4 sol., ij lib. x sol.

Nycolayus Welsen, cujus bursa 5 sol., iij lib.

Sequuntur nomina bacalariorum anni 1451.

Gerardus Boel, cujus bursa 8 sol., ij lib.

Item, pro scolis, ij lb. x sol.

Adrianus Jacobi, [Trajectens. dioc.], cujus bursa 4 sol., j lib.

Item pro scolis, j lib. x sol.

Antonius Ostli, cujus bursa 4 sol., j lib.

Item pro scolis, j lib. x sol.

Gerardus Redinghem [de Lubicensi], cujus bursa 4 sol., j lib.

Item, pro scolis, j lib. x sol.

Paulus Johannis, cujus bursa 6 sol. solvit in toto iij lib. x sol.

Radulphus Symonis, cujus bursa nichil, 0.

Item, solvit pro scolis j lib.

Burkardus Wenk, [Constanciens. dioc.], cujus bursa 4 sol., solvit in toto iij lib. x sol.

Johannes Petri de Leydis, cujus bursa 4 sol., solvit in toto ij lib. x sol.

Godofridus Borsseheit [5], cujus bursa 6 sol., iij lib. x sol.

Albertus de Epingen, cujus bursa nichil, 0.

Idem solvit pro scolis j lib.

Johannes Thabari, cujus bursa nichil, 0.

Idem solvit pro scolis j lib.

Johannes Stricher, cujus bursa nichil, 0.

Idem solvit pro scolis j lib.

Johannes Patrici[i], cujus bursa nichil, 0.

1. *Ms.* petagogia.

2. *Scil.* Guillelmus d'Estoutevilla, *card. S. Mart. in mont. et episc. Andegavens., an.* 1451, *Sept.* 16, *recessit e curia ut in Franciam iret* (Arch. Vat., arm. 31, n° 52, *fol.* 23). *Vid.* Chartul., IV. *Decemb.* 14 *Lugdunum solemniter ingressus est* (Arch. de l'archevêché, Délibérat. du chapitre), *ibique adhuc Jan.* 17 *morabatur* (Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. V, p. 196, *et not.*).

3. *Sequentia desumpta sunt e* lib. receptoris (Arch. nat. Paris. H. 2587). *In* lib. procuratoris *solummodo sex annotantur. Quaedam inter uncos inclusa quantum ad natalem locum addidimus e* lib. procurat.

4. Coloniae. *Vid. Jun.* 15.

5. *Seu potius* Burscheit.

Idem pro scolis solvit j lib.

Johannes Osterricher [Constanciens. dioc.], cujus bursa nichil, 0.

Idem solvit pro scolis j lib.

Nicolayus Tribel, cujus bursa nichil, 0.

Idem pro scolis solvit j lib.

Nicolayus Touris, diocesis Sancti Andree, cujus bursa 8 sol., solvit in toto iiij lib. x sol.

Georgius Monypeny, cujus bursa 8 sol., solvit in toto iiij lib. x sol.

Adrianus Symonis, cujus bursa 6 sol., solvit in toto iij lib. x sol.

Johannes Wormbaldi, cujus bursa vj sol., iij lib. x sol.

Dominus Eberhardus, Constanciensis diocesis, cujus bursa 8 sol., iiij lib. x sol.

Egbertus Symonis, cujus bursa 4 sol., ij lib. x sol.

Johannes [Theoderici] de Leydis [Trajectens. dioc.], cujus bursa 6 sol., iij lib. x sol.

(*Fol. 85*) Sequuntur nomina baccalariorum de annis precedentibus [1].

Primo, Nicolaus Rothen, cujus bursa valet VI sol., in toto iij lib. x sol.

Item, Henricus Petri, cujus bursa valet iiij sol., solvit in toto ij lib. x sol.

Item, Johannes Skol [2], cujus bursa valet vj sol., solvit in toto iij lib. x sol.

Item, Kempo Kemponis [3], cujus bursa valet iiij sol., solvit in toto ij lib. x sol.]

1452

(*Fol. 191*) Electio magistri Jaspar Smit in procuratorem.

Anno Domini M° CCCC° quinquagesimo primo, XII[a] die mensis Februarii, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Secundus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit magister Jaspar Smit in procuratorem. Quantum ad secundum suplicavit antiquus ut haberetur gratus et advoatus. Cujus suplicacio erat concessa.

Anno quo supra, XXI[a] die ejusdem mensis, facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus fuit super ambasciata transmittenda versus magestatem regiam. Secundus super modo habendi peccunias. Tercius communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum conclusum est quod ambasciata transmitteretur, visis et consideratis molestiis ac gravaminibus illatis suppositis Universitatis contra privilegia. Quantum ad secundum conclusum est quod bursa curreret, super qua acciperetur peccunia. Quantum ad secundum suplicavit magister Jacobus de Brugis pro privacione cujusdam nuncii, quem dicebat esse abusorem, que materia remissa est ad deputatos. Suplicaverunt insuper duo venerabiles magistri nacionis Francie pro revocacione cujusdem appellacionis interjecte per quemdam magistrum ejusdem nacionis, nomine Symon Joles [4], ad parlamentum racione officii procuracionis. Quorum suplicaciones sub hac forma sunt concesse, quod casu quo dictus magister Symon Joles non vellet suam causam terminare in nacione, facultate vel Universitate, et a sua appellacione desistere, ipsum privavit Universitas. Alii suplicaverunt pro litteris gradus. Quorum suplicaciones erant concesse, probatis probandis.

Anno quo supra XXIX[a] die mensis ejusdem facta fuit congregacio Universitatis super quatuor articulis. Primus fuit super expediscione ambasciate. Secundus super modo habendi peccunias. Tercius de clausione rotule et ejus data. Quartus communis. Quantum ad primum non placuit Universitati quod adhuc transmitteretur ambasciata. Quantum ad secundum non deliberavit Universitas quod alius modus reperiretur, nisi quod bursa curreret. Quantum ad tercium placuit quod rotulus non clauderetur usque ad dominicam in qua cantatur *Oculi* [5]. Quantum ad quartum explicavit magister Egidius de Alnetis causam sue appellacionis a deputatis racione istius predicti nuncii, in qua suplicavit ut idem non privaretur ab Universitate quousque propter aliquos speciales abusus commissos probatus esset abusor. Cujus suplicacio fuit concessa. Suplicavit eciam quidam magister pro adjunctione Universitatis in causa beneficiali. Cujus suplicacio fuit concessa. Suplicavit unus pro litteris gradus; cujus suplicacio fuit concessa. JASPAR SMIT.

1452

[Continuatio ejusdem].

(*Fol. 191[b]*) Anno quo supra, die VII[a] mensis Mar-

1. *Haec leguntur ad an.* 1453, *sed sunt baccalarei an.* 1452.
2. *In* lib. procurat. *legitur* Scholl, *Coloniens. dioc.*
3. *Ibid.* Kempo Volderdici, *Traject. dioc.*
4. Symon Jolis, *tunc procur. nat. Gall. nihil de sententia sibi contraria in* lib. proc. nat. Gallic. *retulit.*
5. *Martii* 12.

cii, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus est antiquus, scilicet magister Jaspar Smit. Quantum ad secundum suplicavit antiquus ut haberetur in bene actis gratus, et in uno bene supportatus. Cujus suplicacio fuit concessa. Insuper ex matura deliberacione conclusum est ut receptor nacionis ejusdem pro nacione non exponeret ultra quatuor solidos in procuratoris electione seu continuacione seu quocumque alio tempore, festo Edmundi solummodo excluso, preter eciam in presenti continuacione, in qua VIII solidos habuit exponere.

Anno quo supra, XVI^a die mensis Marcii, facta fuit congregacio facultatis artium super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum juramenta bachalariorum ponendorum in cameris et examinatorum eorundem. Secundus fuit communis. Quantum ad primum more solito suscepti sunt bacalarii et sui examinatores ad juramenta prestanda, qui postea per facultatem presentati sunt cancellario ecclesie Sancte Genovefe. Quantum ad secundum suplicavit magister Guillermus Tolovan pro quodam bacalario, ut observaretur sibi locus in cameris. Cujus suplicacio casu quo veniret ante ingressum camerarum fuit concessa.

Anno quo supra, XVII^a die mensis Marcii, facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum ambassatorem loco domini cancellarii. Secundus est ad audiendum citatos de camera generalium. Tercius est super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum suspense sunt citationes dictorum dominorum generalium usque ad sequentem congregacionem, et concluse fuerunt ex tunc cessationes a sermonibus, casu quo prepositus Parisiensis ad petiscionem domini rectoris quemdam doctorem in theologia religiosum in carceribus detentum non deliberaret. Quantum ad secundum deliberatum [est] quod magister P[etrus] de Wocello aut magister Joh. Bocardi loco domini cancellarii eligeretur; et si non vellent ire, mitteretur unum procuratorium magistro Godfrido Normani [1] cum potestate appellandi. Et quantum ad tercium suplicavit dominus rector, ut haberetur gratus in bene actis, in aliis supportatus. Cujus suplicacio fuit concessa.

Anno quo supra, XXII^a die mensis Marcii, facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum lecturam litterarum per venerabilem virum magistrum Godfridum Normani missarum. Secundus ad audiendum juramenta ambassiatorum electorum vel de novo eligendorum, et ad passandum procuratorium dicto magistro Godfrido transmittendum. Quantum ad primum articulum regraciatur Universitas dicto magistro Godfrido de suarum litterarum communicacione et de aliis laboribus et penis assumptis. Quantum ad secundum placet mittere ambassiatam, scilicet magistrum Guillermum Boulze [2] et magistrum P. Maugier, et presentialiter eorum suscipere juramenta. Placet insuper passare procuratorium in Universitate lectum, et exinde cum aliquibus litteris ad dictum magistrum Godfridum festinanter destinare. Quantum ad tercium articulum concedit suplicacionem unius, qui suplicavit pro littera gradus.

(*Fol. 192*) Anno eodem, XXIIII^ta [3] die mensis Marcii, facta fuit congregacio venerande facultatis artium in Sancto Juliano super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum rectorem. Secundus fuit communis. Quantum ad primum electus fuit magister Johannes Normani [4] in rectorem. Quantum ad secundum suplicavit antiquus, ut haberetur gratus in bene actis, in aliis supportatus; cujus suplicacio fuit concessa. In nacione suplicavit insuper magister Jaspar Smit tunc temporis procurator in favorem quorundam bacalariorum super bursis solvendis pro favorabili termino solucionis earumdem habendo, qui dictus magister Jaspar Smit se debitorem principalem et totalem nacioni constituit. Cujus suplicacio fuit concessa, et ei datus est pro termino festum sancti Johannis Babtiste, qui terminus positus est in obligacione, qua dictus magister Jaspar pro tota summa se obligavit, que est sex scutorum auri cum XVII solidis. Et istam obligacionem receptori nomine nacionis tradidit. Insuper eadem die suplicavit novus rector ut ei preberet in suis agendis consilium, auxilium et artium facultas, et ipsum ad collegium Navarre associaret et ibi sumere[t] vinum et species. Cujus supplicaciones erant concesse.

Anno [5] quo supra, XXVI^a die mensis Marcii,

1. *Qui apud regem Turonis fuit.*
2. *I. e.* Bouillé. *Rex tunc* Turonis *morabatur et cum ipso card.* Guillelmus d'Estouteville. *Notum est* Guillelmum Bouillé *in principio Maii Rotomagi cum cardinale fuisse ad audiendos testes in revisione processus an.* 1431 *contra* Joh. d'Arc *instituti.*

3. *Ms.* XXII.
4. *Ita etiam* Bul., V, 921.
5. *Hic reponenda congregatio fol.* 192 b *scripta, ut ipse procurator in fine addidit:* Ista conclusio debet scituari immediate ante conclusionem date primi diei Aprilis. Jaspar Smit.

facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compota domini receptoris. 2us fuit communis. Quantum ad primum loco et more solito auditus est compotus domini receptoris tam quoad receptas quam quoad misias, qui omnino repertus est legalis et discretus. Quantum ad secundum suplicavit dominus receptor, ut haberetur gratus, cujus suplicacio merito fuit concessa unanimi concensu. Insuper conclusum est, ut nuncquam pro nacione receptor habeat exponere, nisi quatuor solidos in quocumque festo vel disgentaculo [1] fiendo in electionibus procuratorum vel continuacionibus eorumdem seu quacumque alia occasione, preterquam in festo Edmundi. Similiter conclusum est, ut denarii plumbii non distribuantur, nisi in electionibus procuratorum. Hac autem congregacione facta tradidit receptor procuratori et aliis magistris suas pecunias, hoc est unum regale procuratori, et singulis aliis magistris quatuor solidos.

Anno quo supra, prima die mensis Aprilis, facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus est ad audiendum diligencias factas in materia privilegiorum. Secundus est super provisione suppositorum Universitatis. Tercius communis super suplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum regraciatum est domino rectori de diligenciis factis in materia privilegiorum, et magistro Godfrido Normani de communicacione suarum litterarum pro secunda vice, et quod consiliarii tam de parlamento quam de Castelleto convocarentur unacum deputatis Universitatis per dominum rectorem, qui haberent avisare bonum modum, ut privilegia habeant suum cursum. Quantum ad secundum conclusum est quod deputentur notabiles et viri periti de qualibet facultate et nacione, qui habeant rimari et considerare bonos modos pro provisione suppositorum Universitatis, et quod in adventu domini cardinalis [2] Parisius ex parte Universitatis proponeret dominus cancellarius venerabilis ecclesie Nostre Domine. Quantum ad tercium suplicavit quidam pro archiepiscopo Rotomagensi pro litteris recommendatoriis ad dominum cardinalem in causa inter ipsum et Minores. Suplicavit insuper dominus cardinalis Eduensis [3] per litteras directas rectori et Universitati, ut quidam presbyter suus dyocesanus, quem dicebat esse abusorem, sibi transmitteretur tanquam suo judici ordinario, coram quo fuit in causa usque ad terminum processus, ut Universitas non se intromitteret pro dicto presbytero qui post litis exordium se fecit scolarem, ut per hoc judicium fugeret. Cujus suplicacio remissa est ad deputatos qui habent cognoscere veritatem in hac re. Suplicaverunt eciam aliqui magistri pro inrotulacione; quorum suplicaciones, si continue fuerint scolares et debitas causas sue [4] absentie ostenderent, erant concesse [5]. Suplicavit eciam unus pro resignacione cujusdam capelle in manibus rectoris in favorem alterius. Cujus suplicacio fuit concessa. Alius suplicavit, ut susciperetur ad juramenta prestanda pro officio notariatus in curia conservacionis. Cujus suplicacio fuit concessa.

(*Fol. 192^b^*) Anno quo supra, die IIII^ta^ mensis Aprilis, facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum facultatis artium super duobus articulis. Primus fuit ad vocandum baccalarios in cameris ponendos. Secundus fuit communis. Quantum ad primum vocati sunt duo menses (*sic*) [6] qui prestiterunt juramenta solita in manibus domini rectoris, similiter et examinatoribus eorundem, et postea per facultatem presentati sunt cancellario. Quantum ad secundum suplicaverunt aliqui magistri ut aliquibus bacalariis absentibus reservaretur locus. Quorum suplicaciones, casu quo venirent ante ingressum camerarum, fuerunt concesse. JASPAR SMIT.

1452

(*Fol. 193^b^*) Electio honorandi viri magistri Balthazar Mesnang de Isnyna, diocesis Constanciensis.

[Anno] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, die sexta mensis Aprilis, facta fuit congregacio venerande nacionis Almanie super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit omnibus procedere ad electionem novi procuratoris, et electus fuit in procuratorem magister Balthasar Mesnang de Ysuina in Svevia, Constanciensis dyocesis. Quantum ad secundum articulum, qui est super supplicacio-

1. *I. e.* jentaculo.
2. *I. e.* Guillelmi d'Estouteville. *Sed non ante Maii 11 Parisios venit* (Arch. nat., LL. 117, *fol.* 194). *Maii 2-6 Rotomagi testes in causa* Johannae d'Arc *audivit.*
3. Johannes Rollin, *tit. S. Stephani in Caelio Monte cardinalis ab an.* 1449.
4. *Ms.* sui.
5. *Ms.* concessi.
6. *I. e. baccalarii intra duos menses licentiandi.*

nibus et injuriis, supplicavit dominus antiquus, videlicet magister Caspar Schmit, ut haberetur gratus et awouatus in bene actis, in malis vero suportatus. Cujus supplicacio erat concessa, etc. BA. ME.

(*Fol. 194*) Anno Domini M° CCCC LII, die 14ª mensis Aprilis solemnis exstitit celebrata Universitatis congregacio in Sancto Maturino super tribus articulis. Primus erat ad audiendum quamdam litteram missam a rege, *superiori nostro*. Secundus erat super factis privilegiorum Universitatis et super abusibus, qui fuerunt in Universitate. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad articulum primum, regraciabatur humillime mater mea Universitas Parisiensis illustrissimo principi nostro de communicacione littere misse per eum, et placuit ei exequi ea que principaliter in eadem continebantur, videlicet mittere deputatos ad consilium ecclesie Galicane prima Junii [1], et eosdem tempore congruo ad eundum eligere et eis articulos conficere. Quantum ad secundum articulum placuit, ut omni modo et via possibili privilegia manu tenerentur et principaliter quod rector haberet scribere fratri suo [2] cum quodam magistro, qui alias ad regem iturus erat, ut haberet sibi Universitatem recommissam, erga illustrissimum principem nostrum dominum regem laborando pro conservacione privilegiorum Universitatis, et narrando impedimenta que in eisdem privilegiis fiunt. Et quantum ad partem secundam istius articuli placuit quod rector nulli haberet dare sigillum nisi sit regens seu alias sufficiens testimonium scolaritatem ejus probandi habeat, et prius supplicaverit in Universitate. Quantum ad tercium nemo supplicavit, etc.

Anno Domini 1452, die 16ª mensis Aprilis, congregacio facultatis apud Sanctum Maturinum solemniter extitit celebrata super duobus articulis. Primus erat ad ponendum baccalarios ad cameras et ad eligendum eorum examinatores. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum vocati fuerunt baccalarii pro duobus mensibus, qui prestiterunt juramenta solita et consweta una cum eorum examinatoribus in manibus rectoris, et postea cancellario per facultatem presentati fuerunt. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt aliqui magistri pro aliquibus baccalariis absentibus, ut eis reservarentur loca eorum. Quorum supplicaciones casu quo venirent ante ingressum camerarum fuerunt concesse, etc.

(*Fol. 194ᵇ*) Anno quo supra, die 19ª mensis Aprilis, solemnis congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum extitit celebrata super tribus articulis. Primus erat ad audiendum juramenta magistri Johannis Lulli[e]r. Secundus erat ad audiendum articulos confectos per Universitatem. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum juravit magister Johannes Lulli[e]r juramenta communiter solita fieri et consweta. Quantum ad secundum articulum placuerunt articuli confecti. Quantum ad tercium nemo supplicavit.

B. M.

1452

[Substitutio magistri Eberhardi.]

Anno quo supra, die 21ª mensis Aprilis, mater mea Almanorum nacio apud Sanctum Maturinum solempniter fuit congregata super tribus articulis. Primus erat ad substituendum aliquem magistrum, qui officium procuratoris in ejus absencia haberet excercere, cum procuratorem, ut proposuit in nacione, racionabili ex causa contingebat per modicum tempus esse recessurum. 2ᵘˢ articulus erat super casum quem nacio habet tractare in parlamento. 3ᵘˢ erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit ut magister Eberhardus in absencia procuratoris officium ejus excercere haberet et jurare haberet juramenta solita et consweta. Quantum ad secundum articulum, qui tangit factum nacionis in parlamento, placuit ut deputati unacum procuratore haberent visitare procuratorem nacionis in parlamento et ab eo inquirere modum restituendi et obviandi adversario. Quantum ad articulum tercium supplicavit magister Kaspar Schmit, casu quo ipse plus exposuisset de peccuniis ex parte nacionis quam recepit, quod tunc nacio, seu supposita quibus distribuit, vellet sibi restituere. Cujus supplicacio casu quo ista doceret fuit concessa, etc. B. M.

Anno quo supra, die 24ª mensis Aprilis, congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum solemniter extitit celebrata super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum litteram missam a superiori nostro domino rege. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum conclusit mater mea Universitas quod conclusio prius facta per Universitatem maneat in esse, et qui privati fuerunt propter

1. *Rex ad Maii* 1 *conventum ecclesiasticorum Biturigis celebrandum indixit, sed postea ad Jun.* 1 *remisit. At nec illo termino, sed mense Julio concilium celebratum est* (*vid.* BEAUCOURT, t. V, p. 208, 213).

2. *I. e.* Godefrido Normanni, *qui adhuc apud regem morabatur.*

eorum excessos (*sic*) maneant privati, et principaliter placuit Universitati quod rector haberet deputatos ad informandum regem de excessibus aliorum, propter quos Universitas eos privavit. Quantum ad articulum secundum multi supplicaverunt, quorum supplicaciones relate fuerunt ad discrecionem rectoris.

(*Fol. 195*) Anno Domini M° CCCC° LII, die 27ª mensis Aprilis, congregacio *nacionis Anglicane*[1] per juramentum super tribus articulis solemniter extitit celebrata. Primus erat ad audiendum responsum a deputatis per nacionem in facto nacionis contra textorem[2]. Secundus articulus erat super receptione peccuniarum et eciam bursarum non currentium facta per receptorem nacionis contra consuetudinem ejusdem nacionis. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum fecerunt relacionem deputati, et conclusum fuit quod procurator adhuc semel haberet congregare deputatos ad videndum de persona media que haberet componere nacionem cum textore et ad habendum scrutinium et consilium ab ea de modo componendi. Quantum ad 2ᵐ articulum, qui tangit receptionem peccuniarum a scolaribus per receptorem pro sigillo et bursis, quod esset contra consuetudinem, nacio conclusit ut receptor omnibus scolaribus, a quibus recepit tam pro sigillo quam pro bursis, haberet facere refusionem. Et in hoc ingratitudinem plurimorum suppositorum incurrit. Quantum ad 3ᵐ articulum nemo supplicavit, etc.

1452

Continuatio [magistri Balthazari].

(*Fol. 195ᵇ*) Anno Domini M° CCCC° LII, die quarta mensis May, convocacio nacionis Almanie hora VIIIª solemniter extitit celebrata super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit unanimiter omnibus et singulis magistris dicta de nacione continuare antiquum. Quantum ad secundum supplicavit dominus procurator, ut haberetur gratus et awoatus in actis per eum; cujus supplicacionem concesserunt omnes unanimiter in forma, etc. B. M.

Anno quo supra, die quinta mensis Maii, nacio Almanorum super tribus articulis in Sancto Maturino solemniter extitit per juramentum congregata. Primus erat ad videndum modum solvendi prandium factum juxta consuetudinem nacionis in procuratoris continuacione. Secundus erat ad videndum de modo cogendi debitores ut satisfaciant nacioni in hiis in quibus obligantur. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit quod omnes magistri, qui in dicto prandio fuerunt, habeant solvere scutum aureum receptori, qui ex parte eorum prandium in taberna solvit et acommodavit. Quantum ad articulum secundum, qui tangit debitores nacionis, videlicet magistrum Johannem Candidi, magistrum Tijmannum de Gouda, magistrum Valtherum de Wernia, magistrum Arnoldum de Sancto Quintino, qui omnes in certa summa peccuniarum nacioni obligabantur et terminus uniuscujusque dudum exspiravit, quare omnibus magistris unanimiter placuit ut procurator omnes istos congregare haberet et eis per juramentum injungere, ut expediant nacionem de debitis eorum infra spacium octo dierum. Eciam placuit, casu quo receptor nacionis haberet aliquam summam peccuniarum excedentem summam X librarum parisiens., quod eandem per juramentum infra octo dies haberet ponere ad archam dicte nacionis. Placuit eciam quod receptor cum procuratore sublevare[3] haberent excommunicacionem contra magistrum Arnoldum de Sancto Quintino, et sibi eandem[4] quanto cicius fieri posset ad partes destinare. Quantum ad tercium nemo supplicavit, etc.

(*Fol. 196*) Anno quo supra, die 8ᵛᵃ mensis Maii, congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum solemniter extitit celebrata super duobus articulis. Primus erat super receptione reverendissimi in Christo patris domini cardinalis[5], et ad avisandum modum, locum et in quibus habitibus Universitas eum habeat recipere. Secundus erat ad eligendum deputatos, qui instructiones habebunt visitare et corrigere. Tercius communis super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum placuit quod reverendissimus in Christo pater cum omni honore et reverencia reciperetur per rectorem et per doctores et procuratores unacum aliis magistris regentibus. Et hoc in cappis et eppitogiis, et in Nostra Domina cum domino Parisiensi et aliis canonicis ecclesie Nostre Domine. Quantum ad secundum placuit quod essent deputati qui instructiones haberent visitare et corri-

1. *Vid. ad an.* 1442, *Febr.* 20.
2. *Ms.* dextorem, *i. e. textorem pomi rubei, de quo jam saepius.*
3. *Ms.* sublevarent.
4. *I. e.* sublevationem excommunicationis.
5. Guillelmi d'Estouteville, *qui Maii* 11 *Parisios ingressus est* (*vid. ad April.* 1).

gere et apponere apponenda et diminuere diminuenda, secundum quod eis videbitur bonum pro Universitate. Quantum ad tercium supplicavit quidam magister pro quadam appellacione, ut haberetur deserta. Cujus supplicacio fuit concessa. Et quamplures alii magistri supplicaverunt pro littera gradus; quorum supplicaciones probatis probandis fuerunt concesse, etc. B. M.

Anno et die quo supra congregacio *nacionis Anglicane* per juramentum in Sancto Maturino super duobus articulis solemniter extitit celebrata. Primus erat ad confirmandum conclusionem prius captam per juramentum aut ad revocandum, et hoc contra debitores nacionis. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit revocare conclusionem prius captam et debitoribus dare terminum usque ad festum Sancti Johannis peremptorie, in quo satis habebunt facere nacioni. Contra quam conclusionem se tamen opposuit magister Cůnradus de Pregancia cum pluribus aliis magistris. Placuit tamen nacioni conclusionem prius captam tenere, et confirmare quoad articulum, qui tangit receptorem, videlicet quod receptor peccuniam excedentem summam X librarum habeat ponere ad archam nacionis juxta tenorem conclusionis prius capte, et hoc sine aliqua recusacione. Quantum ad secundum nemo supplicavit, etc. B. M.

Anno quo supra die 15ª mensis Maii apud Sanctum Maturinum congregacio Universitatis super tribus articulis solemniter extitit celebrata. Primus ad audiendum relacionem magistri Johannis Lulli[e]r. Secundus ad eligendum deputatos qui habebunt cum rectore accedere reverendissimum in Christo patrem dominum legatum, et cum eo in omnibus, in quibus Universitas esset indigna, habere conversacionem. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum audita relacione magistri Johannes Lulli[e]r habuit ipsum gratum et awoatum et recommissum. Regraciabatur eciam humillime cum debita reverencia reverendissimo in Christo patri domino legato de sua pia et humili responsione. Insuper regraciabatur humillime domino rectori de laboribus habitis et ceteris doctoribus et magistris, qui eum associando dignati fuerunt honorare. Quantum ad secundum placuit dare deputatos, videlicet magistrum Eberhardum, magistrum Waltherum, qui unacum procuratore et aliis deputatis interesse habebunt. Quantum ad tercium supplicavit quidam magister pro quadam appellacione, ut haberetur deserta. Cujus supplicacio erat remissa ad deputatos. Insuper supplicaverunt quamplures alii magistri pro littera gradus, quorum supplicaciones probatis probandis fuerunt concesse propria in forma, etc. Supplicavit eciam quidam magister pro officio advocati in parlamento; cujus supplicacio fuit suspensa, donec Universitas melius fuerit informata de sua ydoneitate, etc.

(*Fol. 196*[b]) Anno quo supra, die 18ª mensis Maii, congregacio Universitatis per juramentum apud Sanctum Bernhardum sollemniter super tribus articulis extit[it] celebrata. Primus erat ad audiendum quandam litteram missam a superiori nostro domino rege. Secundus erat ad eligendum *deputatos qui habebunt laborare pro reformacione Universitatis*, et avisare modum reformandi *juxta tenorem littere regie* [1]. Tercius erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum regraciabatur humillime mater mea Universitas illustrissimo principi nostro domino regi [2] de communicacione suarum litterarum, et exequi ea que in hiis continentur, ut puta reformari in omnibus reformandis, et reformare omnia que reformanda sunt. Quantum ad secundum articulum placuit dare deputatos; et quoad hoc dederunt magistrum Eberhardum, magistrum Waltherum, magistrum Johannem Dietrici, qui unacum procuratore habebunt avisare bonum modum reformandi una cum aliis deputatis juxta tenorem littere misse a superiori nostro domino rege. Quantum ad tercium supplicavit quidam magister pro termino ad respondendum cuidam, a quo citatus fuerat. Cujus supplicacio fuit concessa, etc.

Anno quo supra, die 26ª mensis Maii, congregacio Universitatis in Sancto Maturino solemniter extitit celebrata super tribus articulis. Primus ad audiendum *diligencias factas per dominos deputatos in facto reformacionis*. Secundus ad conferendum officium advocati vacantis in curia parlamenti. Tercius communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad articulum primum regraciatur humillime mater Universitas dominis deputatis et omnibus qui se in

1. Guillelmus d'Estouteville, *card. legatus, qui tunc Parisiis in reformatione Universitatis occupatus erat, in fine instrumenti anni ejusdem, Jun.* 1, *solum regios commissarios, inter quos Robertus Ciboulle, cancell. Paris.*, « ad regia privilegia reformanda deputatos », *nominat*, « quorum in predictis statutis edendis consilium adhibuit » (*ap.* Bul., V, 577). *Et sic hactenus solum eorum consiliariorum mentionem faciebant* (*vid.* Crevier, Hist. de l'Univ. de Paris, IV, 171; Beaucourt, Hist. de Charles VII, t. V, p. 207). *At e supradictis et e sequentibus liquet, totam Universitatem suos deputatos misisse, et quidem quamlibet facultatem et nationem, e praecepto regis, qui jam ut* superior Universitatis *considerabatur. E sola nat. Alemanniae infra quatuor deputati afferuntur.*

2. *Ms.* rege.

facto reformacionis occupaverunt, et placuit quod dominus rector cum decanis et procuratoribus de suis facultatibus haberent accedere reverendissimum in Christo patrem dominum legatum, et ab eo dispensacionem in aliquibus statutis petere, ut puta, quod quis volens acceptare gradum magisterii in artibus velit incipere in propria cappa [1], similiter post adepcionem gradus continue in vico Straminis per duos annos velit regere [2] et principaliter quod reverendissimus in Christo pater velit habere respectum ad curiam conservatoris et eandem reformare in omnibus in quibus reformanda est, et ista rector velit in ejus presencia narrare. Quantum ad secundum articulum placuit conferre beneficium vacans in parlamento primo supplicanti. Quantum ad tercium articulum nemo supplicavit, etc.

Anno [3] quo supra, 28ª die mensis Maii, in Sancto Maturino congregacio Universitatis solemniter extitit celebrata super duobus articulis. Primus erat *ad audiendum reformacionem factam per reverendissimum in Christo patrem dominum legatum* [4] et per commissarios regios in curia conservatoris et Castileti. Secundus communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum regraciatur humillime mater Universitas reverendissimo in Christo patri domino cardinali et dominis commissariis *ceterisque omnibus et singulis magistris et doctoribus*, qui se in ista reformacione occupaverunt, et placuit acceptare quoad omnia juxta tenorem bullarum auditarum in Universitate. Quantum ad secundum nemo supplicavit.

1452

(*Fol. 197*ᵇ) [5] Electio magistri Reineri de Camera de Arnhem, Trajectensis diocesis.

Sequuntur acta Universitatis, facultatis, nacionis Almanie in procuratoria magistri Reineri de Camera de Arnhem in Gelria, Trajectensis diocesis.

R. de Camera.

Anno Domini M° CCCC° LII°, prima die Junii, fuit celebrata congregacio nacionis Almanie aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum ex unanimi magistrorum consensu et via Spiritus Sancti electus fuit in procuratorem magister Reinerus de Camera Trajectensis diocesis, qui licet allegando multas excusaciones refutavit, tamen quia coactus per nacionem acceptavit. Quantum ad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacio fuit concessa. De Camera.

Anno Domini millesimo, etc. quo supra, tercia die mensis Junii, facta fuit congregacio nacionis Almanie apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani super tribus articulis. Primus ad audiendum aliqua, per Jo[hannem] subbidellum, que procurator cause nostre in parlamento fecit denunciare nacioni. Secundus fuit ad avisandum bonum modum, quo nacioni solverentur illa sex scuta per magistrum Arnoldum debita. Tercius fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum ordinavit nacio quod quidam deputati, scilicet mag. Everardus, mag. Temannus, mag. Jacobus Gray receptor nacionis cum procuratore habeant avisare bonum modum possibilem faciendi componere cum adversario nacionis, quod scilicet habeant verbum cum quodam procuratore parlamenti vel alio, qui ad hoc sit ydoneus, qui habeat ex parte nacionis facere bonam composicionem cum predicto adversario, et casu quo aliquid boni pro nacione fecerint, stipendia racionabilia exinde erunt recepturi. Quantum ad secundum articulum placuit nacioni magistro Arnoldo destinare monicionem seu litteram monitoriam continentem, quod si infra mensem nacioni non satisfecerit, quemadmodum sub penis *nisi* [6] obligatus est, contra eum procedet nacio, prout juris est. Quantum ad articulum supplicacionum (*Fol. 198*) supplicavit Johannes subbidellus, ut nacio vellet ei dare licenciam eundi ad partes, multas causas allegando, et virum honestum loco sui substitueret. Cujus supplicacio fuit condicionaliter concessa, scilicet quod Johannes predictus subbidellus satisfaceret nacioni de pecuniis sibi debitis; eciam quod predictus substitutus ponat fidejussores, antequam virgam nacionis recipiat. R. de Camera.

Anno Domini quo supra, VIIª die mensis Junii,

1. *Revera cardinalis legatus dispensavit. Sed e* Bul., V, 576, *et e* Partie des pièces et actes qui concernent l'estat de l'Université, *rec.* XVIII (*alias* XVII), p. 28, *hoc minime eruitur, cum ponant* volumus *pro* nolumus : Specialiter autem volumus (*leg.* nolumus) aliquem... de novo incepturus... obligari ad juramenta *etc.* Crevier, IV, p. 193, *not., bene correxit.*

2. *De hoc etiam cardinalis dispensavit. Sed ap.* Bul., p. 577, *et in* Partie, p. 29, *iterum error occurrit, pro* per duos annos continue (*vid.* Chartul. II, p. 680) *scribitur :* per sex annos continue.

3. *Quae sequuntur quantum ad reformationem Universitatis et Concilium Bituricense eo pretiosiora sunt, quod in* lib. proc. nat. Gallic. *omnia desunt a Maii* 27 *usque Augusti* 26.

4. *Quae tamen notam temporis* Jun. 1 *portat.*

5. *Fol.* 197ª *vacat.*

6. *I. e.* nisi satisfecerit.

facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino per juramentum super tribus articulis. Primus fuit super reformacione per reverendum in Christo patrem dominum legatum facta. 2us fuit ad audiendum instruxiones pro ambaciata ad dominum nostrum regem Bituris [1] mittenda. Tercius communis et pro litteris citatoriis. Quantum ad primum articulum regraciabatur Universitas reverendissimo in Christo patri domino legato, qui de sua benigna gracia hanc almam Universitatem Parisiensem reformare dignatus est, quamquam dominus rector dixerat se appellasse de ista reformacione tribus de causis etc.; cujus appellacio reputata fuit nulla. Quantum ad secundum articulum placuerunt instruxiones pro ambaciata, dummodo fuerint visitate, et addenda addita, et diminuenda diminuta. Quantum ad articulum supplicacionum multi supplicaverunt pro litteris citatoriis et litteris gradus, quorum supplicaciones fuerunt concesse probatis probandis. Supplicaverunt insuper nacioni quidam Maturini, ut nacio vellet eis subvenire in quibusdam pecuniis pro reformacione conventus eorum et ecclesie. Quibus nacio respondit quod exspectarent per mensem, tunc autem bonum haberent responsum. In nacione eciam fuit dictum quod Johannes sub[b]idellus quoquo modo ad partes non pergeret, nisi primo nacio fuerit contenta de pecuniis per ipsum debitis et procuratori traderet cappam, epitogium, capucium, virgam, claves et alia, que pertinent nacioni, ut nacio posset disponere illa prout moris est. R. de Camera.

(*Fol. 198*[b]) Anno quo supra, IXa die mensis Junii, facta fuit congregacio nacionis Almanie apud Sanctos Cosmam et Damianum super duobus articulis. Primus fuit super aliquibus tangentibus honorem nacionis. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum narravit dominus procurator, qualiter, prout sibi injunctum fuit a nacione, requisiverat Johannem subbidellum per juramentum quod non recederet nisi nacio contenta fuerit de sex scutis sibi per ipsum debitis, et quod nacioni virgam presentaret et alia que pertinent nacioni. Super quibus conclusum fuit, quod Johannes se obligaret nacioni in tribus scutis, sub penis *nisi*, ad solvendum infra annum. Qui ita fecit in presencia procuratoris, magistrorum Conradi Suterli, Theodrici Hoern in domo scribe, prout fieri consuetum est. Illo tempore eciam fuit posita virga in archa nacionis et predicto subbedello fuit restituta littera obligatoria pro predicta virga. Quantum ad secundum articulum supplicavit Boumundus, quod nacio vellet sibi dare deputatos ut persolvi posset a Johanne pro tunc subbedello, qui recessurus erat, qui in octo francis, ut dicebat, sibi erat obligatus. Cujus supplicacio fuit concessa, et habuit deputatos procuratorem, receptorem et magistrum Conradum, qui predictos concordaverunt, sic quod Boumundus fuit omnino contentus de predicto Johanne, sic quod nichil ab ipso petivit, neque Johannes Losen a Boumundo, presentibus procuratore, magistro Conrado predicto et magistro Ricardo Dunsen. Supplicavit eciam Johannes Losen predictus, ut nacio vellet pie agere secum, sibi aliqua de debitis quitando; quod concessum fuit, ut patet supra, quia de quinque aut sex scutis, non in tribus, obligatus est.

R. de Camera.

[(*Fol. 76*)][2] Sequuntur nomina licenciatorum anni 52.

Johannes Crethtown, cujus bursa 8 sol., iiij lib.
Gerardus Berwes, Trajectensis diocesis, cujus bursa 8 sol., iiij lib.
Bernardus ter Spent, cujus bursa iiij sol., j lib.
Petrus Rynck, cujus bursa 8, iiij lib.
Ricardus Dunsen, cujus bursa 4, j lib.
Alexander Murray, cujus bursa vj sol., j lib. x s.
Johannes Hons, cujus bursa vj sol., j lib. x sol.
Henricus Fres, cujus bursa 8 sol., iiij lib.
Johannes Lys, cujus bursa nichil, 0.
Johannes Lyl[3], cujus bursa nichil, 0.
Johannes Eduardson [dioc. S. Andree], cujus bursa vj sol., j lib. x sol.
Johannes Blabyr, cujus bursa iiij sol., j lib.
Conrardus Petri, cujus bursa iiij sol., j lib.
Daniel Zanckared, cujus bursa viij sol., iiij lib.
Paulus Houtmart, cujus bursa iiij sol., j lib.
Nycolayus Sack [dioc. Maguntin.], cujus bursa iiij sol., j lib.
Victorinus Symonis, cujus bursa iiij sol., j lib.
Mathias de Rupe, cujus bursa vj sol., j lib. x sol.
Johannes Wit, cujus bursa 8 sol., iiij lib.
Petrus Steymbach, cujus bursa iiij sol., j lib.
Andreas Mathei, cujus bursa nichil, 0.

1. *Ubi mense Julii* Concilium gallicanae eccl. *celebrabatur. Vid. ad April.* 14.
2. *In* lib. procuratoris *nomina* licentiatorum *desunt, quae e* lib. receptoris *desumpsimus. In* lib. procurat. *tamen hic tria nomina* incipientium *afferuntur sub rubrica :* Sequuntur nomina quorundam incipientium, qui sub me mag. Reinero de Camera juraverunt, *scil.* Eduardson, Nic. Sack *et* Arnidus Jacobi; *alii prius hoc anno inceperunt.*
3. *An.* 1454-55, Joh. de Lyle *stud. medicinae* (Comm. fac. med., II, p. 134, 149).

(*Fol. 76*[b]) Sequuntur nomina incipientium anno 52°.

Johannes Grethtown, cujus bursa 8 sol.
Petrus Rynck, cujus bursa 8 sol.
Alexander Murray, cujus bursa VI sol.
Bernardus ter Spent, cujus bursa IIII sol.
Johannes Hons, cujus bursa VI sol.
Henricus Fres, cujus bursa 8 sol.
Ricardus Dunsen, cujus bursa IIII sol.
Johannes Lys, cujus bursa nichil.
Conradus Petri, cujus bursa IIII sol.
Daniel Zanckared, cujus bursa VIII sol.
Paulus Hontmart, cujus bursa IIII sol.
Victorinus Milewsky, cujus bursa IIII sol.
Petrus Steinbach, cujus bursa IIII sol.
Mathias de Rupe, cujus bursa VI sol.
Johannes Blabyr, cujus bursa IIII sol.
Johannes Eduardi, cujus bursa VI sol.
Nycolayus Sack, cujus bursa IIII sol.
Andreas Mathei, cujus bursa nichil.
Arnidus Jacobi, [dioc. Aboens.], cujus bursa VIII sol.]

(*Fol. 199*) Anno prenotato, XV[a] die Junii, facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum instructiones pro ambaciata ad Consilium gallicanum Bituris mittenda, et de modo eligendi ambaciatores, de numero et de quota eis assignanda, de modo eciam habendi pecunias. Secundus fuit communis. Quantum ad primum placuerunt instructiones. Placuit eciam Universitati mittere *plenam et sollemnem ambaciatam*, duos scilicet theologos quorum quilibet habeat scutum, unum decretistam qui habebit XX sol. par., unum medicum qui habeat XVIII sol., et quatuor artistas quorum unusquisque habebit francum, qui ambaciatores eligentur sic, quod quelibet facultas suum eliget ambaciatorem, et similiter quelibet nacio. De modo autem habendi pecunias non fuit concordia. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt tres, unus pro littera gradus, alter pro citatorio, et magister Johannes de Oliva, quod nullus habeat nominaciones nisi sit vel doctor in theologia, vel in decretis, aut in medicina, vel magister in artibus. Quorum supplicaciones fuerunt concesse.

Quantum ad injurias retulit dominus rector, quod magne sibi fuerunt illate injurie in Lendito ex parte abbatis Sancti Dyonisii. Et quoad hoc placuit omnibus modis et viis possibilibus dicto rectori dare assistenciam ad procedendum contra dictum abbatem. Tunc eciam fuerunt concluse processiones.

In nacione deinceps retulit procurator, qualiter unus forsitan triginta annorum magister[1] nacionis Almanie, oriundus de regno Hungarie, nomine Michael Georgii alias de Tragurio, tempore quo fuit graduatus tam in baccalariatu quam magisterio, juravit paupertatem; ideo ad suum juramentum salvandum misit filio suo, nacionis Francie magistro[2], sommam sex scutorum auri ad satisfaciendum dicte nacioni de bursis ad predictos gradus requisitis; quam sommam gratanter recepit nacio dicto magistro regraciando de sua legalitate. Placuit eciam remittere quitanciam sub sigillo procuratorie. Supplicavit eciam in nacione mag. Temannus de Gouda pro receptione cujusdam bachelarii alterius Universitatis, qui alias supplicaverat pro receptione. Cujus supplicacio fuit admissa die XVII[a] ejusdem mensis in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, ibidemque probavit dictus bacalarius suum gradum bacalariatus. Et examinati fuerunt testes et juraverunt dictum, scilicet Johannem Speculi, esse baccalarium in Universitate Coloniensi[3]; tunc eciam simpliciter receptus fuit dictus bacalarius in gremium venerande nacionis Almanie, quemadmodum alias fuerat sub condicione, ut supra patet.

(*Fol. 199*[b]) Anno prescripto XVIII[a] Junii facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino ad eundum processionaliter ad ecclesiam Sancte Genovefe virginis, prout factum fuit. Supplicaverunt eciam tres pro litteris citatoriis; quorum supplicaciones fuerunt concesse probatis probandis.

R. de Camera.

Anno[4] prenotato, XXI[a] mensis predicti, facta fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus ad eligendum ambaciatores in singulis facultatibus et nacionibus et de modo habendi pecunias. 2[us] fuit super supplicacionibus, etc. Quantum ad primum omnibus facultatibus et nacionibus placuit procedere ad electionem ambaciatorum, et fuerunt electi in facultate theologie magistri Guilhermus Everardi et Johannes Boucart; in facultate decretorum electus fuit magister Petrus Maugier; in facultate medicine magister Engerandus de Parenti; in nacione Francie mag. Johannes Nor-

1. *Vid. supra* p. 190, 11; 194, 37; 196, 43.
2. *Ms.* magister.
3. Johannes Speculum de Erklens, *Leodiens. dioec.*, *an.* 1450 Coloniae *intitul.* (Keussen, Matrikel, I, 399).

4. *Haec rubrica edita est in* Partie des pièces et actes qui concernent l'estat present de l'Université de Paris, *rec.* VIII (*alias* VII), p. 35 (*e quo* Jourdain, n° 1295), *sed fine praetermisso, ita ut sensus differat.*

mani tunc rector Universitatis, in nacione Picardie mag. Jacobus de Bosco, et in nacione Normanie mag. Dyonisius Citharedi[1]. In veneranda autem nacione Almanie non fuit concordia propter confusionem multorum magistrorum et recessum eorundem[2] dicentium : « ego sto in voto istius, vel illius, alterius » etc., sic quod impossibile fuisset quod procurator bono modo scivisset colligere vota magistrorum tunc temporis, quia eciam multi dixerunt magistrum Everardum esse electum, alii magistrum Johannem Kannedi, et sic illis de causis procurator distulit concludere. De modo habendi pecunias non fuit concordia.

Quantum ad secundum articulum aliqui supplicaverunt pro litteris citatoriis, et aliqui pro litteris gradus; quorum supplicaciones fuerunt concesse probatis probandis. Supplicavit eciam unus pro adjunctione in causa beneficiali; cujus supplicacio fuit admissa. Supplicavit insuper dominus rector, ut in actis per ipsum haberetur gratus, ratus et avoatus, cujus supplicacio similiter fuit concessa.

R. de Camera.

Eodem die fuit congregacio nacionis Almanie in eodem loco super duobus articulis. Primus ad audiendum vota magistrorum de mane in nacione deliberantium, ut discordia orta[3] inter magistrum Everardum et magistrum Johannem Kanedy posset cedari. Secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum audita fuerunt vota magistrorum presentium in nacione, et habuit mag. Everardus pluralitatem vocum, sed, quia non omnes tunc fuerunt presentes, qui de mane deliberaverant, injunxit nacio procuratori, quod absentes per juramentum requireret, ut sua vota (*Fol. 200*) sine fraude et dolo procuratori revelarent, quemadmodum fecit in die sequenti. Et habuit tunc magister Johannes Kanedy XI vota, sicut mag. Everardus[4], ut infra patebit. Quantum ad 2^m^ articulum, etc., nullus supplicavit. R. de Camera.

Vicesima 2^a^ ejusdem mensis fuit facta congregacio Universitatis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum juramenta ambaciatorum et ad habendum concordiam de bursa currenda; eciam ad eligendum receptorem et contrarotulatorem illius burse. Secundus fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit tribus facultatibus superioribus audire juramenta ambaciatorum, et quod curreret bursa II sol. super omnibus indifferenter, quod scilicet tam regentes quam non regentes solverent, et eciam scolares, demptis pauperibus, et electus fuit in receptorem mag. Petrus de Vaucello, et in contrarotulatorem mag. Baldewinus Beghin. Cui conclusioni se opposuit facultas artium. Quantum ad secundum supplicavit unus ut sua causa revocaretur de curia requestarum ad Castelletum; quod remissum fuit ad deputatos. Supplicaverunt aliqui pro litteris citatoriis et gradus, et unus pro officio notariatus in curia conservacionis; quorum supplicaciones fuerunt admisse. R. de Camera.

Anno predicto XXIII^a^ mensis ejusdem fuit facta congregacio in Sancto Juliano Paupere super duobus articulis. Primus fuit super electione novi rectoris; secundus fuit communis, etc. Quantum ad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, et dedit quelibet nacio suum intrantem, qui concorditer et via Spiritus Sancti elegerunt in rectorem venerabilem et discretum virum magistrum Everardum Custodis de Harlem[5], nacionis Almanie, qui, ut moris est, fecit duas supplicaciones, que concesse fuerunt. Supplicavit eciam antiquus rector, ut haberetur gratus, ratus, etc. cujus supplicacio fuit concessa. Decrevit eciam tunc facultas magistrum Everardum esse ambaciatorem, cum allegasset causas sue appellacionis contra magistrum Johannem Kanedy, etc. R. de Camera[6].

1. *Seu* Le Harpeur, *lic. in theol. an.* 1449, *cancellarius Paris. an.* 1471.
2. *Hic desinit* Partie *etc. et etiam* Bul., V, 577, *ita ut opinari quis posset, nationem Alemanniae neminem ad Concilium misisse, ut etiam* Bul. *nudis verbis scribit. Et nihilominus e dictis ad Jun.* 23 *liquet, Everardum Custodis ambassiatorem nationis Alemanniae fuisse.*
3. *De qua supra.*
4. *E quo liquet,* 22 *magistros tunc praesentes fuisse.*
5. Bul. V, 921 *solum :* Emardum.
6. *Hic desinit* Reg. 8; liber procurat. *sequens, in quo etiam* Statuta *inscripta erant* (lib. recept. *fol.* 75), *desideratur, et sic desunt acta usque ad an.* 1465, *quo nunc incipit* Reg. 8 *bis. Sed saltem nomina* determinantium, licentiatorum *et* incipientium *e* lib. receptoris *pro his annis supplere possumus.*

EXCERPTA

E LIBRO RECEPTORUM

NATIONIS ALEMANNIAE[1]

1452

[Receptoria Jacobi Gray.]

(*Fol.* 73^{b}) Sequuntur ea que exposita sunt per mag. Jacobum Gray, receptorem nationis Anglicane anno 1451, post primum compotum factum in Quadragesima :

In die sabbati post electionem mag. Reneri de Camera post missam nationis, pro refusionibus in ecclesia nostra, IIII lib. iij s.

(*Fol.* 74) Item XXVI Augusti *in epytogio*, xxiiij s.

Item eodem die in electione mag. Galteri de Wernia, iiij s.

(*Fol.* 75) Pro cappa magistri Johannis Normani[2], II lib., xij s.

Pro novo registro[3] ad inscribendum conclusiones nacionis, xj s.

In festo Visitacionis beate Marie in ecclesia nostra, pro oblationibus, officiariis et vino bedellorum, xj s.

Item XXVI Junii convocatis procuratore, mag. Temanno [de Gouda] et mag. Petro Nortwik, Johanne Petri, Conrardo et pluribus aliis post prandium, in collatione, v s.

Pro cappa mag. Everardi Custodis[4], I lib. xviij s.

Pro laboribus mag. Tedorici Horn, quos habuit ad inscribendum statuta in novo registro procuratoris, vj s.

Pro diligentiis mag. Lamberti Scout circa causam nostram in parlamento, xj s.

Pro inregistratione reformacionis[5], xxij s.

Pro pergameno ejusdem, iiij s.

Pro reparacione scamni nostri, i s., iiij d.

(*Fol.* 75^{b}) Pro reparacione cathedre scolarum in quibus legit mag. Johannes Tedorici, viij d.

Domino curato pro toto anno presenti et pro quibusdam oblacionibus non solutis anno preterito, II lib. iiij s.

Pro domino capellano Sancti Cosme, xj s.

1452

[Receptoria Johannis Petri de Malmoya.]

(*Fol.* 77^{b}) Anno Domini MCCCC° LII° facta congregatione venerande nationis Alemanie in die beati Mathei apud S. Maturinum electus fuit in receptorem nationis ejusdem mag. Johannes Petri de Malmoya, Lundensis dyocesis in Dacia qui fecit miseas et receptas que sequuntur :

XXIII die mensis Septembris in continuatione mag. Galteri, exposui *in molendino* circa Sanctum Severinum, vij sol. cum ij alb.

In prima missa domini Johannis qui fuit subbidellus noster, pro offertorio procuratoris, I scut. cum ij sol.

---

1. *In ea parte quam e libro receptorum* (H. 2787 et 2788) *extraximus, ut hiantem libri procuratorum lacunam quodam modo suppleremus, non omnia ad verbum edidimus, etiam in excerptis vocabula v. g.* item, dominus *et similia saepius omittentes, ne longius inutilia nos producerent.*

2. *Rectoris Mart.-Jun. Recte* Bul. V, 921.

3. *Registrum illud ad usum procuratoris annorum* 1452-1466 *periit, praeter quaedam folia quae in fine hujus voluminis damus*, p. 957 *sqq.*

4. *Rectoris Jun.-Oct. Apud* Bul. V, 921, *nominatur tantum* Emardus (*sic*).

5. *I. e. Universitatis, factae per Guillelmum d'Estouteville.*

In eadem missa pro offertorio mag. Everardi qui tunc erat rector, iiij alb.

XX^a prima die mensis Octobris pro religacione libri nacionis [1] dedi mag. Galtero protunc procuratori I scut.

In eadem die in electione mag. Diboldi in procuratorem, exposui *in corona* xv s.

XVIII^a die mensis Novembris in continuatione mag. Diboldi dedi *in blavia campana* I scut.

Magistro Jacobo de Busco [2] pro cappa rectoris I lib. cum xviij s.

(*Fol. 78*) Pro deputatis, scil. magistris Themanno et Johanne Kanedy qui solicitaverunt factum nacionis in parlamento, viij s.

In profesto beate Katherine, in presencia domini procuratoris mag. Everardi et mag. Galteri dedi *in mula*, iij s.

In profesto beati Andree pro deputatis qui visitaverunt procuratorem nostrum in parlamento, scil. pro mag. Evera[r]do et mag. Duboldo protunc procuratore, dedi in taberna *prope Castiletum*, vj s.

(*Fol. 78^b*) XVI^a die mensis Decembris [3] in electione mag. Henrici Fres in procuratorem exposui *in blavia campana*, primo I scut.

XXIII^a die mensis ejusdem *in cunabulis*, quando distribuebantur pecunie inter magistros, v s.

1453

III^a die mensis Januarii pro elevatione excommunicacionis contra mag. Arnoldum de Sancto Quintino, vj s.

XIII^a die Januarii in continuacione mag. Henrici Fres dedi *in cunabulis* xj alb.

(*Fol. 79*) X^a die Februarii in electione mag. Conradi Petri in procuratorem dedi *in cunabulis* I lib.

II^a die Marcii, quando ivimus ad cancellarium, viij s.

VI^a die mensis ejusdem pro deputatis, scil. mag. Everardo et aliis qui visitaverunt dominum episcopum pro facto nacionis, *in balista* dedi viij s.

VII^a die mensis ejusdem pro deputatis eisdem ad visitandum mag. Milonem [4], IX alb. ij duc.

VIII^a die mensis ejusdem pro deputatis, scil. magistris Galtero, Johanne Mirtown [5], Petro Brecther et aliis ad faciendum diligenciam in eodem facto, vj s.

(*Fol. 79^b*) Pro confectione cujusdam supplicacionis ex parte nacionis ad dominos reformationis dedi subbidello, in presencia mag. Conradi Sutterlin, iiij s.

X^a die mensis ejusdem, in continuacione mag. Conradi Petri, dedi *in cunabulis* ix s. ij alb.

XIII^a die mensis ejusdem dedi in parlamento, pro vino scriptoris qui ingrossavit litteram inhibitionis, ij s.

XIX^a die mensis ejusdem pro novis deputatis ad procurandum inhibicionem de parlamento contra temptatores temptaminis S. Genovefe, qui fuerunt dominus procurator. mag. Joh. Kanedi, Gray, Arnidus, pro omnibus diligenciis quas per viij dies fecerunt in parlamento pro hujusmodi inhibicione, I scut. iij alb.

XXII^a die mensis ejusdem pro prandeo nacionis *in cunabulis* in adventu mag. Arnoldi, II scut. xviij s.

(*Fol. 80*) Magistro Egidio [6] de collegio Hericurie pro cappa rectoris, I lib. xviij s.

VII^a die mensis Aprilis in electione mag. Arnidi, viij s.

XXVII^a die mensis ejusdem dedi nuncio qui portavit quandam excommunicacionem [7] contra mag. Arnoldum de S. Quintino, viij s.

Pro reformacione scampni, iij s.

(*Fol. 80^b*) Refusiones pro plumbo antiquo de receptoria mag. Jacobi Gray.

Mag. Galterus [de Wernia], ix sol.
Mag. Lambertus Skotus, v s. ij alb.
Mag. Gregorius, xv s. ij alb.
Mag. Joh. Petri, vj s.
Mag. Conradus Petri, vj s.
Mag. Henricus Fres, vj s.
Mag. Arnidus [Jacobi], vj s.
Mag. Thidericus Horn, x s.
Mag. Alexander major, viij alb., i s.
Mag. Johannes Canedi, vij alb.
Servitor ecclesie in presencia mag. Thiderici Horn altera die B. Eadmundi, xiiij s.

1. *I. e. libri membranacei nunc in Bibl. nat. Paris.* Nouv. a. lat. 535.

2. *Rectori Oct.-Dec. Recte* Bul. V, 921. Jac. de Bosco *lic. est in theol. an.* 1454, April. 29; *magister theol.* Sept. 16. *Codex ms.* Bibl. Univers. n° 633 *datus est Collegio Choletorum* « ex legato mag. Jacobi de Bosco, dum viveret, in theol. mag., decani eccles. Attrebatens. »

3. *Illa die rectorem electum fuisse* Aubertum de S. Simone *testis est* lib. proc. nat. Gall., *ut notat* Bul. V, 921.

4. Joh. Milonis de Trecis, *proc. nat. Gall. electus Mart.* 10.

5. *Ms.* Mirton.

6. Aegidio Marie, *ut legitur in* lib. nat. Gall. (*fol.* 165). *De eo cf.* Bouquet, L'ancien collège d'Harcourt, p. 120. — *Recte ap.* Bul. V, 921.

7. *Vid. supra*, p. 884, 26 ; 897, 29.

Mag. Thidericus Worden, x alb., vj d., quos adhuc habebit.

Mag. Alexander minor, iiij alb. ij d.

Mag. Johannes Ruche, iij alb.

Mag. Baltazer [Mesnang], iij s.

(*Fol. 81*) Brecterus bedellus, x d.

Mag. Thidericus Delfth, vi s. j alb.

Mag. Everardus [Custodis], v s.

Mag. Themannus [de Gouda], ix s.

1453

(*Fol. 85*) Sequuntur nomina baccalariorum anni presentis.

Gisbertus Villen, dyocesis Coloniensis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Item pro scolis, II lib. x sol. [1].

Johannes Pauli, Aboensis dyocesis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

David Kancdi, Glasguensis dyocesis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Everardus Johannis, dyocesis Trajectensis, cujus bursa viij sol., solvit in toto IIII lib. x sol.

(*Fol. 85 b*) Guillermus Forbes, dyocesis Abordenensis, cujus bursa viij sol., II lib.

Everardus de Cognou, Treverensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Thidericus Simonis, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., I salucium.

Petrus Sartoris, Stulpenensis [2] dyocesis, cujus bursa nichil, pro scolis I lib.

David Archas, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa nichil, pro scolis I lib.

Jacobus Inglis, dyocesis Glasguensis, cujus bursa nichil, pro scolis I lib.

1453

(*Fol. 86*) Sequuntur nomina licenciatorum.

Henricus Petri, cujus bursa iiij sol., I lib.

Johannes Leonis, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa viij sol., II lib.

Godefridus Bursheyt, c. b. vj s., I lib. x s.

Johannes Vormboldi, c. b. vj s., I lib. x s.

Paulus Johannis, c. b. vj s., I lib. x s.

Burchardus Wenc, c. b. vj s., I lib. x s.

Kempo Kemponis, c. b. iiij s., I lib.

Johannes Oesteric, c. b. nichil, nichil.

Gerardus Redinghem, c. b. iiij s., I lib.

Nicolaus Tours, c. b. viij s., II lib.

Johannes Petri, c. b. iiij s., I lib.

(*Fol. 86 b*) Johannes Patricii, c. b. nichil

Johannes Stoel, c. b. vj s., I lib. x s.

Nicolaus Welsen, c. b. vj s., I lib. x s.

Gerardus Boel, c. b. viij s., II lib.

Rodulphus Symonis, c. b. nichil.

Adrianus Symonis, c. b. vj s., I lib. x s.

Johannes Speculi, c. b. iiij s., I lib.

Everardus Bermenter, c. b. viij s., II lib.

Hugo [Petri], c. b. nichil [3].

1453

(*Fol. 87 b*) Exposita per mag. Johannem Petri, post primum compotum :

In die compoti... *in corona* dedi in prandeo III scut. vj sol. iiij den.

XXIII^a die mensis Aprilis pro mag. Arnido [Jacobi] protunc procuratore, mag. Johanne Kanedi, mag. Johanne Tiderici et mag. Jacobo Gray protunc deputatis a nacione ad habendum verbum cum mag. Henrico Someren de quadam dispensacione in curia Romana habenda super facto temptatorum, viij alb.

XXVII^a die mensis ejusdem dedi Bomundo in presencia Brecteri pro bursis suis IIII lib. viij s.

In continuatione [4] mag. Arnidi [Jacobi], I lib. v s. cum ij alb.

XI^a die Maii dedi illis qui portaverunt thedas ante funus cujusdam interfecti [5] a clientibus, dum ivimus ad prepositum, iiij alb.

(*Fol. 88*) Item Brecterus bidellus, vij s. i alb.

II^a die mensis Junii in electione mag. Alberti Scriptoris in procuratorem dedi *in angelis* I scut. cum xvij sol.

Quando mag. Joh. Kanedi et mag. Conradus Sutterlin cum procuratore visitaverunt scolas in vico Straminis, dedi latamo ij sol.

Eadem die pro eisdem dedi *in disco* viij sol.

(*Fol. 89*) Item XVI^a die mensis Julii dedi mag. Alberto Scriptoris protunc procuratori, ad solven-

1. *Similiter sequentes, quorum bursa similis valoris, totidem pro scholis solvunt.*

2. *Ut* Stulpensis *ap.* TOEPKE (I, p. 421), *usurpatur pro* Misnensi.

3. *Sequuntur nomina incipientium. Fere omnes supra nominati statim inceperunt* (fol. 87), *mox autem* « post primum compotum », Henricus Petri, Gerardus Redinghen, Nicolaus Welsen, Rodulphus Simonis, Hugo Petri (fol. 90 b). *Soli* God. Bursheyt, Ev. Bermenter *ac* Nic. Tours *non nominantur. Praeterea incip.* Joh. Lile *et* Joh. Patricii.

4. *Circa Maii* 6.

5. *Magistri* Raymundi de Mauregart, *a servientibus praepositi Maii* 9 *interfecti.* Cf. JOURDAIN, n^is 1301-1306.

dum commissariis qui solicitaverunt pro facto Universitatis, VI flor. postulatens. cum I scuto de Subaudia.

Dedi mag. Victori Textoris[1] pro cappa rectoris I lib. xviij sol.

In receptione Riiswic dedi iiij alb.

Pro me mag. Johanne Petri IIII lib. pro stipendiis receptoris.

1453

[Substitutio magistri Johannis Kanedy.]

(*Fol. 91*) Anno Domini mille^{mo} CCCC^{mo} quinqua^{mo} tertio, die vero sexta mensis Augusti, facta congregatione venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum substitutus fuit in receptorem prefate nationis propter recessum receptoris, qui protunc fuerat, videlicet magistri Johannis de Malmoya, magister Johannes Kanedy, qui fecit miseas que sequuntur.

Item in electione[2] mag. Galteri de Warnya in procuratorem, xxvij sol. et viij d.

Item in festo Nativitatis Virginis Marie in vesperis pro distributionibus magistrorum xiij sol. cum iiij d.

1453

(*Fol. 92*) Receptoria mag. Johannis Kanedy.

Die Mathei apostoli electus fuit... J. Kanedy, qui fecit misias que sequuntur :

Magistro Galtero de Warnia, protunc procuratori xxiiij sol.

Item in continuatione[3] mag. Galteri de Warnia exposui pro natione vj sol.

Item in electione[4] mag. Gerardi Boell in procuratorem exposui pro natione ix sol. viij den.

Item domino rectori, scil. mag. Petro Caros[5], pro sua cappa dedi xxxviij sol.

(*Fol. 92^{b}*) Item, XII Nov., *in campana blavea*, dum cepi triginta scuta de archa, xv sol. cum viii d.

Item in continuatione[6] mag. Gerardi Boell, exposui pro nacione ix sol.

Pro luminaribus in festo S. Edmundi xx sol.

Pro straminibus in eodem festo iiij alb.

Pro distributionibus magistrorum in exequiis Bomundi[7] bedelli nostri, scutum cum dimidio et viij alb.

(*Fol. 93*) In electione mag. David Cranok[8] in procuratorem, iiij sol.

Pro cappa mea[9] in rectoria Natalis Domini, xxxviij sol.

Dedi Brechero bedello ad habendum expeditionem domorum legatarum nationi per Bomundum, cui parcat Dominus, iiij sol.

Pro quadam citatione ad citandum mag. Albertum Scriptoris ex parte nationis, iiij sol.

1454

In continuacione[10] mag. David Cranok in procuratorem dedi iiij sol.

(*Fol. 93^{b}*) [Post Purificationem] in electione[11] mag. Joh. Leonis in procur. iiij sol.

Quando curatus S. Stephani expedivit nationi domos que fuerant Bomundi, exposui pro prandeo ejusdem curati, presentibus domino procuratore, mag. Alberto Scriptoris et mag. Johanne Rucht, vj sol. par.

In continuacione[12] mag. Johannis Leonis in procuratorem iiij sol.

(*Fol. 94*) In electione[13] mag. Theodorici Martini in procuratorem iiij sol.

Magistro Gerardo Boell pro laboribus suis in deputatis pro reparatione injuriarum xvj sol.

(*Fol. 94^{b}*) Recepi a Guillermo Hog in sua licentia, I lib. x sol.; ab eodem in sua inceptione, I lib. x sol.

1454

Sequuntur bachalarii istius anni.

Petrus Benedicti, cujus bursa viij sol., solvit in toto IIII lib. cum x sol.

Johannes Bartar, cujus bursa iiij sol. solvit in toto l sol.

1. *Rectori a Junio ad Octob., pro quo* Bul. V, 922, *falso* Joh. de Conflans *nominat.*
2. *Circa Aug.* 26.
3. *Circa Sept.* 21.
4. *Octob.* 21.
5. *Rectori ab Oct. ad Decembr. Recte* Bul. V, 922, *eum indicat.* Petrus Caros *lic. est in theol.* 1455 (1456) *die jovis Martii* 4, *mag. Maii* 10 (Cat. licent. Paris.).
6. *Circa Nov.* 18.
7. *Inter S. Catherinae et S. Nicolai festa Bomundum mortuum esse, e locis vicinis liquet. Sic bedellus ille jam ante an.* 1392 (*cf.* Auctar. I, p. 661, *not.* 1) *electus, eo munere* 60 *annos et amplius functus est.*
8. *Circa Dec.* 16.
9. *Unde patet in rectorem electum esse Dec.* 16 Johannem Kanedy *quem* Bul. V, 922, *e falsa lectura* Joan. Hauede *vocat.*
10. *Verisimiliter Januar.* 13 *anni* 1454. *Paulo post* David Crannoch *lic. est in medicina Paris.* (Comm. fac. med. II, p. 126).
11. *Circa Febr.* 10.
12. *Circa Mart.* 10.
13. *Circa April.* 7.

Johannes Willelmi, cujus bursa nichil, pro scolis xx sol.

Arthurus Kynidi, cujus bursa iiij sol. solvit in toto II lib. cum x sol.

Nycholaus Bosingher, cujus bursa vj sol., solvit in toto III lib. cum x sol.

Cornelius de Stenberghe, cujus bursa iiij sol., solvit in toto II lib. cum x sol.

Conradus Heymgarder, cujus bursa nichil, pro scolis xx sol.

Gerardus Storich, cujus bursa nichil, solvit pro scolis xx sol.

Helmannus Helmstat, cujus bursa iiij sol., solvit in toto II lib. cum x sol.

Nycholaus Grismek, cujus bursa nichil, solvit pro scolis xx sol.

Bachalarii alterius universitatis :

Johannes Fest, Johannes Heynlyn [de Lapide,] Johannes Wynterlyng et Symon Hatly, X lib.

1454

(*Fol. 95*) Ea que exposui post primum compotum.

Ipsa die computi... ex ordinacione nacionis dedi uni fatue domicelle viij s.

In electione [1] mag. Johannis Welchen in procuratorem iiij sol.

In continuacione [2] mag. Joh. Welchen in procuratorem iiij sol.

(*Fol. 95*[b]) Domino priori et pitanciario S. Genovefe xxxvij s. vj d.

Quando locavimus [post Assumptionem] domos nationis magistro Alberto, iij alb.

In electione mag. Johannis Scholl [3] in procuratorem iiij sol.

(*Fol. 96*) Pro quatuor candelis factis in festo Nativitatis beate Virginis iiij alb.

Pro cappa mag. Petri Caros [4], xviij sol.

Pro cappa mag. Guillermi Hoplant [5], xviij sol.

(*Fol. 96*[b]) Recepta [a licentiatis et incipientibus].

Johannes Pauli,
David Harkas,
David Kanedy,
Guillermus Forbas,
Gysbertus Wyllen,
Jacobus Inglis,
Joh. de Arluno,
Petrus Sartoris,
Johannes Meny.

1454

Recepta Victorini de Milewsk.

(*Fol. 97*) Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, die undecima mensis Septembris facta congregatione venerande nationis Almanie apud Sanctum Maturinum, substitutus fuit in receptorem dicte nationis ob recessum antiqui receptoris, videlicet magistri Johannis Kanedi, magister Victorinus de Milewsk de Boemia dioecesis Pragensis.

V. DE MILEWSKY.

(*Fol. 97*[b]) Anno et mense ut supra die vicesima prima seu beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanie loco ubi supra super electione novi receptoris, electus fuit idem magister Victorinus nuper substitutus in receptorem prefate nationis, qui fecit miseas ... que sequuntur.

Pro reparatione scolarum in uno ostio et scampnis, ix s.

In continuatione [6] mag. Johannis Scholl procuratoris, iiij s.

In electione [7] mag. Gisberti [Villen] in procuratorem, iiij s.

In continuatione [8] mag. Ghisberti procuratoris, iiij s.

In festo S. Eadmundi pro straminibus et crinali, iiij alb.

(*Fol. 98*) In festo S. Katherine in vesperis et missa plumbum pro magistrorum distributionibus...

Pro refusione plumbi hinc inde, iiij s.

1. *Circa Maii* 6.
2. *Circa Jun.* 2.
3. *Circa Aug.* 26. *Ms.* Skockyll.
4. *Rectoris a Martio ad Junium. Falso* BUL. V, 922, *nominat* Gaufridum Normani, *Picard. Equidem non sine contestatione* P. Caros *rector evasit, nam cum* Henrico Megret, *qui se etiam rectorem electum contendebat, causam in parlamento tum habuit* (Arch. nat. Paris., X[1a] 1483, *fol.* 138).
5. *Rectoris a Junio ad Octob. Recte* BUL. V, 922. Guillelmus Houppelande, *de quo adi* LAUNOIUM, Navar. gymn. hist., p. 590, *licent. in theol. an.* 1457 (1458) *Febr* 13; *mag. theol.* 1458, *Maii* 15. *Obiit canon. Paris. et archidiacon. Briae, decan. fac. theol.* 1492, *Aug.* 2. (Bibl. nat. ms. lat. 5657 A, fol. 22.)
6. *Circa Sept.* 23.
7. *Circa Oct.* 21.
8. *Circa Nov.* 18.

Pro cappa rectoris [1], xviij s.

(*Fol. 98 b*) In electione [2] Joh. Pauli procuratoris, iiij s.

1455

In continuatione [3] mag. Joh. Pauli procur., iiij s.

Pro cappa rectoris mag. Nicolai de Foro [4], xx s.

Pro illis qui me juverunt ad habendum redditus de domo bone memorie Bomundi qui eandem resignavit nationi, xj s.

In electione [5] mag. Ghisberti in proc., iiij s.

Quando fuerunt dati deputati ex parte nationis ad disponendum de missa nationis, exposui in taberna *scuti argentei*, presentibus procuratore et pluribus aliis magistris, xj s.

(*Fol. 99*) In electione [6] mag. Johannis Scholl in procuratorem *in delphino*, I lib. cum xviij s.

In electione [7] mag. Guillelmi Forbas, iiij s.

Illi de S. Severino ex parte *domus Sancti Michaelis*, que est pro natione, I lib.

(*Fol. 99 b*) Recepi a Nicolao Touris in sua inceptione IIII lib.

Sequuntur baccalarii presentis anni, videlicet millesimi etc. L4ti.

Ghisbertus Quequel, cujus bursa x sol. solvit V lib.

Hugo de Dugles, c. b. x sol., V lib.

Christoforus de Mason, c. b. vj s., III lib, x s.

Gosvinus de Campis, c. b. viij s., IIII lib. x s.

Jacobus Nicolai, c. b. vj s., III lib. x s.

Gregorius Theodrici, c. b. vj s., III lib. x s.

Henricus Brilinger, c. b. iiij s., II lib. x s.

Radulphus Skulemberg, c. b. iiij s., II lib. x s.

Thomas Boer, c. b. nichil, I lib.

Alexius Olobrek, c. b. nichil, I lib.

Jacobus Viger, c. b. nichil, I lib.

Nicolaus Barbitonsoris, c. b. nichil, I lib.

Christoforus de Hamstel, c. b. sex sol., III lib. x s.

Mathias Leydemek, c. b. iiij s., II lib. x s.

Anthonius de Castro, c. b. iiij s., II lib. x s.

Arnoldus Kunnen, c. b. vj s. III lib. x s.

Laurentius de Schidam alterius anni baccalarius, c. b. iiij sol., solvit II lib. cum x sol.

Johannes, Trajectensis diocesis, alterius anni baccalarius, c. b. nichil, solvit I lib.

(*Fol. 100*) Baccalarii alterius Universitatis :

Marsilius [8] baccalarius Coloniensis, cujus bursa iiij sol., solvit II lib. cum x sol.

Bertoldus [Assendelft] [9] cujus bursa viij sol., solvit IIII lib. cum x sol.

Recepta comparata misie, excedit recepta misiam in XV lib. ij s. teste meo signo manuali hic apposito, anno, etc., die XVII Aprilis : GUILLELMUS FORBES [10].

1455

(*Fol. 100 b*) Sequuntur ea que exposita sunt per magistrum Victorinum Milewsky, receptorem nat. Almanie, post primum compotum.

In taberna *in disco* cum magistris novis, x s.

In continuatione [11] procuratoris mag. Guillelmi Forbes iiij s.

In Sarbona, ex parte *domus Sancti Michaelis*, x s.

Pro eadem causa in Sancto Benedicto, iiij s.

Pitanciario S. Genovefe ex parte domus ejusdem, I lib.

In missa Universitatis pro domino apostolico [12], viij s.

In missa Universitatis pro magistro Hanron [13] defuncto, viij s.

In electione [14] mag. Arnoldi [Kunnen] procuratoris iiij s.

Item in *Sancto Dionisio*, vj sol.

Pro cappa mag. Nicolai Dentis [15], xxvj s.

Ex parte Universitatis, cuidam qui legit Hebraicum, II scuta.

1. *Nomen imprudenter receptor omisit. At e* lib. proc. nat. Gall. (*fol.* 194 b) *scimus rectorem Oct.-Dec. fuisse* Reginaldum du Brullé, *Picardum*, *quem etiam* BUL., V, 922, *notat. Ille* Reginaldus *lic. in theol.* 1463 (1464) *Mart.* 28 (Catal. lic.) ; *etiam Sorbonicus. Verisimiliter occurrit idem ap.* SPIRGATIS, Personalverzeichniss d. Pariser Universität von 1464, p. 37, *ubi manca vox* : « Reg...nbrule ».

2. *Circa Dec.* 16.

3. *Circa Januar.* 13.

4. *Rectoris a* 1454 *Dec.* 16 *ad* 1455, *Mart.* 24. *Sic etiam in* lib. proc. nat. Gall. (*fol.* 197). *Apud* BUL. V, 922, *falso* Nic. de Furno *vocatur.* Nicolaus de Foro *licent. est in theol. an.* 1457 (1458) *die* 13 *Febr.*, *mag. theol.* 1458, *April.* 17. (Catal. lic.)

5. *Circa Febr.* 10.

6. *Circa Mart.* 10.

7. *Circa April.* 7.

8. Marsilius de Dordraco, *intitulatus Coloniae an.* 1443 (KEUSSEN, I, p. 354).

9. *Quidam* Bertholdus de Assendelf *intitul. Coloniae an.* 1421 (ap. KEUSSEN, I, p. 181) *idemne sit?*

10. *Sic saepe procurator computum receptoris signo suo approbat.*

11. *Circa Maii* 6.

12. *I. e. papa* Nicolao V, *Mart.* 24 *defuncto.*

13. *I. e.* Haneron, *de quo pluries supra.*

14. *Circa Jun.* 2.

15. Nat. Picard., *rectoris a Martio ad Jun. Recte* BUL. V, 922.

(*Fol. 101*) Pitanciario S. Genovefe pro *scolis artium* xxxvij s. cum vj d.

In substitutione [1] Pauli procuratoris, iiij s.

In electione [2] mag. Joh. Pauli procuratoris, iiij s.

Pro cappa mag. Martini Eunuchi [3] xxviij s.

Illi de S. Severino, I lib.

1455

(*Fol. 101*[b]) Recepta post primum compotum. [e licentiatis et incipientibus.]

Johannes Fest in sua licentia solvit xx sol.

Idem in inceptione III lib. [4].

Joh. [Heynlyn] de Lapide in sua licentia, xx s.

Heilmannus [Helmstat] in sua licentia, xx s.

Johannes Vinterling in sua licentia, xx s.

Symon Hach in sua licentia, xx s.

Petrus Benedicti in lic. solvit xl s., in inceptione IIII lib.

Conradus [Heymgarder] in licentia solvit 0, in incept. II lib.

Johannes Barcar in lic. solv. xx s.

Arturus Kinidi in lic. solv. xx s.

Cornelius [de Strembergben] in lic. solv. xx s.

Gerardus Storich in lic. nichil, in incept. II lib.

Johannes Streych in lic. nichil, in incept. II lib.

Erhardus in lic. nichil, in incept. II lib.

Laurentius de Schiedam in lic. xx sol.

1455

Receptoria mag. Petri Steinbach de Vallemasonis, dyoc. Basiliensis.

(*Fol. 102*) Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, vicesima prima die mensis Septembris seu in die beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanie apud Sanctum Maturinum super electione novi receptoris, et electus fuit magister Petrus Steinbach de Masmunster, alias de Vallemasonis, in receptorem prefate venerande nationis, qui fecit misias et receptas que sequuntur :

Brechtero bedello principali [5] dono quodam gratuito, non ex debito, IIII lib.

Goeswino [Schuppenagel] subbedello in sua supplicatione in die S. Mathei, III lib.

In continuatione [6] domini procuratoris mag. Johannis Pauli, *in scuto Britanie*, iiij s.

Pro confectione cujusdam statuti novi [7] in archa nationis contenti in S. Maturino, iiij s.

Vicesima prima die mensis Octobris in continuatione mag. Joh. Pauli, iiij s.

Pro cappa domini rectoris mag. Johannis Dulcis-amici [8], xxviij s.

[Statutum de bursis a quocumque scholari persolvendis, antequam ad gradus scholasticos admittatur [9].]

Universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum propositum coram nobis fuisset in nostra congregacione generali, apud Sanctum Maturinum Parisius, ut moris est, celebrata, per honorabilem et discretum virum, magistrum Johannem Pauli, diocesis Aboensis, de regno Suecie oriundum, protunc nostre nacionis procuratorem, quomodo constantissima mater nostra, Anglicana natio, cujus semper conservationi et honestati debemus intendere, fraudata et laniata sit, et ad magnam necessitatis angustiam deducta, adeo ut nullum aut modicum thesaurum habeat pro suis agendis, ex eo quod, superiori tempore, multos sub paupertatis titulo misericorditer promoverit; quorum tamen alii sepenumero ante gradum, preter necessitatem, juramentum paupertatis prestitisse comperti sunt; alii post adeptum gradum, juramenti sui immemores, in pinguiori viventes fortuna, bursas quas tenebantur nacioni solvere minime curaverunt : nos igitur, honestati et conservacioni prefate matris diligentius attendentes, trina vice ad hujus rei provisionem per juramentum congregati, nemine reclamante, matura deliberatione prehabita, sic duximus statuendum.

In primis igitur statuimus decetero inviolabiliter perpetuis temporibus observandum, quod nullus, cujuscunque status fuerit, admittatur ad gradus in prefata nacione attingendos, videlicet ad determinancias, baccalariatus, licencias, aut magisteria, nisi prius bedellis solverit jura sua, tam in bursis quam

1. *Ante Aug.* 15.
2. *Circa Aug.* 26.
3. *Rectoris a Junio ad Oct. In* lib. proc. nat. Gall. (*fol.* 206 b) *vocatur* Martinus Eryci, in theol. bacc., de prov. Bituricensi, oriundus de florentissima urbe Valencic. *Recte* Bul. V, 922.
4. *Et sic sequentes qui pro licent.* 20 *sol., pro inceptione* 3 *lib. solvunt.*
5. *Qui Boemundo defuncto successerat.*
6. *Circa Sept.* 23.
7. *Illius quod infra edemus.*
8. *Rectoris ab Oct. ad Dec. Recte* Bul. V, 922.
9. *Hoc statutum sumpsimus ex originali mutilo in* Arch. Univ. Par. (theca XIV, D. 29; olim G. 6) *et e* Bibl. nat. ms. Nouv. a. lat. 535. *fol.* 131 b. *Superest etiam in* Arsenal ms. 1168, *fol.* 28 b. *Idem ed.* Jourdain, n° 1310.

in aliis, viso quod operarius dignus sit mercede sua.

Item, quod post gradum magisterii adeptum, nullus qui paupertatem juravit, habeat votum in natione, nec activum nec passivum, nec capax sit distributionum nec officiorum nacionis, videlicet procuratorie, receptorie, intrancie ac tentatorie, nisi prius satisfecerit nacioni de tanto quantum dare solent illi qui solvunt bursam minorem, videlicet quatuor solidos parisienses, defalcatis tamen prius viginti solidis et duobus francis, per eumdem ante gradum, secundum antiqua statuta, solutis.

Et ut ista in firmiori maneant memoria, statuimus ea redigi ac legi inter statuta que omni anno in natione leguntur, die Mathei apostoli. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum magnum, una cum signeto notarii, presentibus duximus apponendum. Datum et actum anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, die tricesima mensis Octobris, in nostra congregatione supradicta.

Nicolay.

In continuatione mag. Joh. Pauli procur. decima 8ª die mensis Novembris, iiij s.

In festo S. Eadmundi... pro straminibus et crinali beati Eadmundi et pro mundatione candelabrorum in ecclesia, viij alb.

(*Fol. 102*[b]) In electione[1] mag. Galteri de Wernia in procuratorem *in delfino*, iiij s.

Pitanciario beate Genovefe ex parte domus que quondam fuit Boemundo de Luttera (*sic*) site in clauso Brunelli, quam legavit nationi, utraque in quitancia, xx s.

[Luce de Molendinis] procuratori collegii Sarbone ex eadem causa, x s.

1456

In continuatione[2] mag. Galteri *in scuto argenteo*, iiij s.

(*Fol. 103*) Pro cappa domini rectoris mag. Guillermi Ogelbii[3], xxviij s.

In electione[4] mag. Cornelii [de Stremberghen] in procuratorem *in disco*, iiij s.

(*Fol. 103*[b]) Pro barris in vico Straminis pro parte nationis, xxv s.

Quando deputati solemnes videlicet dominus procurator, dominus prothonotarius, mag. Everardus, mag. Albertus, mag. Johannes Theodrici, mag. Wesselus et dominus receptor una cum duobus bedellis nationis transiverunt ad dominum presidentem cammere inquestarum, ad intimandum eidem ne processus quem habet natio in pallacio contra textorem caderet ad manus Beson[5] propter suspicionem, xiiij s.

In continuatione[6] domini procuratoris mag. Cornelii, iiij s.

(*Fol. 104*) Recepi... a Roberto Bronn[7], alterius Universitatis baccalar., cujus bursa nichil, xxvj s.

Vigesima 2ª die mensis Novembris, a mag. Guillermo Scoti ex parte domus site in vico de Fontaines in Cultura Sancti Martini de Campis, pro tribus terminis elapsis Parisius consuetis, scil. Natalis Domini anni Domini M CCCC LIIII, et Pasche et B. Johannis Baptiste anni Domini M CCCC LV, summam xxx s. par.

1456

(*Fol. 104*) Sequuntur nomina baccalariorum anni presentis.

Fratres { Walterus Lindesay, nobilis, dyoc. S. Andree, cujus bursa xj sol., V lib. xv sol.
Jacobus Lindesay, nobilis, dyocesis S. Andree, cujus bursa valet xj sol., V lib. xv s. }

Johannes Naeldwiick, nobilis, dyoc. Trajectensis, cujus bursa valet xj sol., V lib. xv sol.

Johannes Duuck, dyocesis Trajectensis, cujus bursa ix sol., IIII lib. xv sol.

Hermannus Muset, dyocesis Trajectensis, cujus bursa ix sol., IIII lib. xv sol.

Melchior de Ghoer, dyocesis Trajectensis, cujus bursa vj sol., III lib. x sol.

Jacobus Johannis de Walis, dyocesis Trajectensis, cujus bursa nichil, solvit xxvj sol.

Gerardus Hoest de Novimagio, dyocesis Coloniensis, cujus bursa x sol., V lib. x sol.

Magnus Nicolaii, dyocesis Aboensis, cujus bursa viij sol., IIII lib. x sol.

Erhardus Leplin, dyocesis Spirensis, cujus bursa x sol., V lib. x sol.

Jacobus Philippi, dyocesis Constantiensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Petrus Brun, ejusdem dyocesis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

1. *Circa Dec.* 16.
2. *Circa Januar.* 13 *anni* 1456.
3. *Rectoris a Dec.* 1455 *ad Mart.* 1456. *Falso* Bul. V, 922, Petrum Mauricii *nominat*.
4. *Circa Febr.* 10.
5. *Agitur de* Johanne Beson, olim locum tenente praepositi Paris., *contra quem an.* 1453 *tam acriter litigaverat Universitas*.
6. *Circa Mart.* 10.
7. Robertus Broon de Scotia *intitulatus Coloniae an.* 1446 (Keussen, I, p. 377).

Mathias Scheit, ejusdem dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Thomas Eygen, dyocesis Basiliensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Johannes Helmůt, dyocesis Basiliensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Jacobus Mileti, dyocesis Treverensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Nicolaus Widenbůsch, dyocesis Lausanensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Henricus Floris, dyocesis Lausanensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Anthonius Juxta Pontem, dyocesis Sedunensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Mathei, Glasguensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Guillermus Liel, dyocesis Brechtanensis [1], cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Nicolaus Polonus de Thuchovia [2], dyocesis Cracoviensis, cujus bursa nichil, xxvj sol.

Mathias Schol, dyocesis Coloniensis, cujus bursa vj sol., III lib. x sol.

[CORNELIUS] DE STREMBERGHEN.

1456

(*Fol. 104 b*) Sequuntur misie facte per mag. Petrum Steinbach... post primum compotum :

Sexta die mensis Aprilis in electione Victorini [Milewski] in procuratorem, vj s.

Cappellano in S. Severino, ex parte domus nacionis que quondam fuit pro Boemundo, pro uno anno unam libram.

Ambasiatoribus Universitatis qui iveruntad curiam regis, duo scuta.

Pro deputatis qui iverunt ad dominum doctorem mag. Petrum Maugeri ad supplicandum eidem ut conficeret unum articulum ad impetrandum rotulum, iiij s.

Pro exequiis magistri David Kanedi in ecclesia SS. Cosme et Damiani, pro vigiliis et missa domino curato, cappellano suo et clerico, vj s.

Quarta die mensis Maii in continuatione mag. Victorini *in cigno*, xviij s.

Pro exequiis mag. Jacobi Nicolai..., vj s.

Pro exequiis mag. Laurencii Schiedam..., xvj s., octo d.

Pro cappa domini rectoris magistri Guillermi Riveti [3], xxvj s.

(*Fol. 105*) In electione [4] mag. Arnoldi Conen in procuratorem, iiij s.

Pitanciario B. Genovefe pro scolis xxxvij s., vi d.

Latamo et tectori qui visitaverunt domum nacionis et domos provincie Scarensis, 8 alb.

Pro cappa domini rectoris mag. Gotfridi Calvi [5], xxvj s.

In festo Assumptionis B. Marie pro distribucionibus magistrorum in vesperis et in missa, xxxvij s., 8 d.

In electione [6] mag. Anthonii de Castro in procuratorem, v s.

(*Fol. 105 b*) Pro reparatione *domus nacionis* que quondam fuit pro Boemundo, in primis pro quingentis tegulis seu lateribus xxxvj s., pro plastro vij s. iiij d., pro aqueductu et tignis et clavis, vj s. iiij d., pro quatuor libris de plumbo ad reformacionem stillicidiorum, v s. viij d.; carpentario pro una trabe ad sustentacionem tecti viij s., operatori et servitori suo pro tribus dietis xix s., pro mundacione ejusdem domus et eductione inmundiciorum, viij s.

Pro reparacione *domus Scarensis* in qua non est intersignium [7], xxxij s.

Pro stipendiis meis, IIII lib.

(*Fol. 106*) Nomina licenciatorum istius anni.

Gregorius Tiderici, cujus bursa valet 8 sol., solvit II lib.

Goeswinus de Campis, c. b. 8 sol., II lib.

Petrus Hasen, c. b. 8 s., II lib.

Jacobus Nicolai, c. b. vj s., xxx sol.

Christoforus de Mason, c. b. 8 s., II lib.

Christoforus de Haemstel, c. b. vj sol., xxx sol.

Marsilius [de Dordraco], c. b. iiij s., II lib.

Robertus Broun, c. b. nichil, xvj sol.

Arnoldus Conen, c. b. 8 sol., II lib.

Henricus Brilinger, c. b. iiij sol., II lib.

Růdolfus Schollenberg, c. b. iiij sol., II lib.

1. *I. c.* Brechinensis.
2. An. 1457, *inter studentes fac. medic. Paris. nominatur* (Comm. fac. med., II, p. 177).
3. *Rectoris a Mart. ad Jun.* 1456. *Recte* BUL. V, 922.
4. *Circa Jun. 2. Idem supra nuncupatur* Kunnen.
5. *Rectoris a Jun. ad Oct., lic. in theol. an.* 1457 (1458) *Febr.* 13; *mag.* 1459 (1460) *Januar.* 8 (Cat. licent.) *Recte* BUL. V, 922, *cum notat.*
6. *Circa Aug.* 26.
7. *Altera erat domus provinc. Scarensis*, ad intersignum Nostrae Dominae.

Bertoldus Assendelft, c. b. 8 sol., II lib.
Alexius Olbrecht, c. b. nichil, xvj s.
Mathias Leidemeche, c. b. iiij sol., II lib.
Thomas Bowar, c. b. nichil, vj s.
Anthonius de Castro, c. b. iiij sol., II lib. [1].

1456

Receptoria Goeswini Hattem de Campis.

(*Fol. 107*) Anno Domini millesimo CCCC^{mo} quinquagesimo sexto, vicesima prima die mensis Septembris seu in die beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanie apud Sanctum Maturinum super electione novi receptoris, electus fuit magister Goeswinus Hattem, de Campis, in receptorem prefate nationis, qui fecit misias et receptas que sequuntur :

Pro magistrorum distribucionibus in die B. Mathei, VI lib. xvj s.

In continuacione [2] domini procuratoris mag. Anthonii de Castro, iiij s.

In electione [3] mag. Joh. de Lapide in procuratorem, cum consensu nacionis, xj s.

Pro cappa domini rectoris mag. Nycolay Bartolt [4], xxvj s.

Quando deputati solemnes, videlicet dominus procurator, mag. Everrerdus Custodis, mag. Albertus Scriptoris, mag. Galterus receptor una cum bedellis visitaverunt scolas nostras diversis vicibus, simul pro quodam latomo exposui in taberna xiiij s. viij d.

Pro reformatione illorum graduum qui sunt inter scolas nostras et scolas Piccardie et eciam pro sustentacione muri qui est inter easdem scolas, ... scutum cum dimidio.

In continuacione [5] mag. Joh. de Lapide in procuratorem, iiij s.

In festo B. Eadmundi [6] pro prandeo nacionis et pro singulis concernentibus prandium VI lib. xviij s. ij d. Item exposui adhuc post compotum pro pisis ad faciendum potagium, quos neglexerat computare hospes, ij s.

(*Fol. 108*) In festo Andree pro magistrorum distribucionibus... xxxviij s. viij d.

In electione [7] mag. Petri Steinbach in procuratorem, iiij s.

In continuacione [8] mag. Petri Steinbach, iiij s.

Pro cappa domini rectoris mag. Ludowici Sconelinch [9], xxxiiij s.

1457

Pro luminaribus de festo Almanorum et pro cereis in festo Purificationis, III lib. vj s.

Quando deputati visitaverunt incendium scole, dedi cuidam latamo ij sol.

In electione [10] mag. Hugonis Dugles in procuratorem iiij s.

In continuacione [11] mag. Hughonis in proc. iiij s.

(*Fol. 108 b*) In festo Purificationis B. M., pro magistrorum distribucionibus, xxxix s.

In electione [12] mag. Christofori Amstel in procuratorem iiij s.

(*Fol. 109*) Sequuntur ea que recepi in receptoria.

Thomas Bowar pro inceptione solvit pro bursis I lib., per jocondo adventu et cappis rectorum, II lib.

Hugho Dugles, cujus bursa xii s., [pro licentia] III lib., pro inceptione III lib., pro joc. adventu et cappis rectorum II lib.

Arnoldus Ocumeren, cujus bursa iiij s., solvit pro baccularіatu II lib. x s., pro licentia I lib., pro inceptione I lib., pro joc. adv. et cappis rectorum II lib.

Robertus Broen, cujus bursa nichil, [pro inceptione] vj s., pro jocondo adventu et cappis rectorum II lib.

Marcilius de Dordrako, cujus bursa iiij s., [pro inceptione] I lib.

1. *Sequuntur nomina incipientium. Iidem omnes incipiunt praeter* Marsilium, Robertum Bronn *ac* Thomam Bowar, *qui paulo post nominantur.*
2. *Circa Sept.* 23.
3. *Circa Oct.* 22 Johannes Heylin de Lapide *lic. est in theol.* 1471 (1472) *Febr.* 15 ; *mag.* 1472 *Oct.* 12 ; *postea prior Sorbon.*
4. Nicolaus Bertoul, *socius Choletaei collegii. Inter libros manuscriptos hujus collegii servatur in* Bibl. Univ. Paris. *ms.* n° 633, *in quo Nicolaus circa an.* 1454 *nomen suum non semel inscripsit.*
5. *Circa Nov.* 18.
6. *Nov.* 20.
7. *Circa Dec.* 16.
8. *Circa Januar.* 13 *an.* 1457.
9. *Rectoris a Dec.* 1456 *ad Mart.* 1457. *Apud* Bul. V, 922, *scribitur* Lud. Scanulieghe, Picard. ; *ap.* Spirgatis p. 22, *idem verisimiliter* Lud. Stanlieghue.
10. *Circa Febr.* 10.
11. *Circa Mart.* 10.
12. *Circa April.* 7.

1457

(*Fol. 109*ᵇ) Sequuntur nomina baccalariorum anni presentis istius Universitatis.

Petrus Heynbach, cujus bursa xj sol., V lib. xv s.
Johannes de Lofen, c. b. x s., V lib. x sol.
Ghererdus Gronenwout, c. b. ix sol., IIII lib. xv s.
Tydemannus Veen, c. b. vij s., III lib. xv s.
Ludolphus Veen, c. b. vij s., III lib. xv s.
Gererdus Nycolay, c. b. vij s., III lib. xv sol.
Teodricus Loef, c. b. vij s., III lib. xv s.
Matheus Stenmich, c. b. vj sol., III lib. x s.
Petrus Kobolt, c. b. v sol., II lib. xv s.
Paulus Rasoris, c. b. v sol., II lib. xv s.
Blasius Sereb, c. b. iiij sol., II lib. x s.
Leonardus Fingulin, c. b. vij s., III lib. xv s.
Johannes Fillici, c. b. iiij s., II lib. x s.
Patricius Blackok, c. b. nichil, xxvj s.
Petrus Camens, c. b. nichil, xxvj s.
Liberius Rothlies, c. b. nichil, xxvj s.
Petrus Mallestart, c. b. nichil, xxvj s.
Ysbrandus Heynrici, c. b. v s., II lib. xv s.
Levinus (?) Heynrici, c. b. v s., II lib. xv s.
Valentius Pomich, c. b. nichil, xxvj s.
Georgius Storiswode, c. b. vj s., III lib. x s.
Johannes Oesten, c. b. nichil, xxvj s.
Guillermus Galteri, c. b. vij s., III lib. xv s.
Guillermus Patricii, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Allardus Gisberti, c. b. vj s., III lib. x s.
Everrerdus Gerbrandi, c. b. nichil, xxvj s.
Ludolphus Ludolphi, c. b. vj sol., III lib. x sol.
Thomas Nuwman, c. b. ix sol., IIII lib. xv sol.

Item super bursis duorum bacculariorum, quorum unus, videlicet Johannes de Moravia, solvit nationi bursam iiij solidorum, alter vero videlicet Johannes Soravie nichil solvit pro bursis. Recepi a magistro Mathia, qui cum consensu nationis suum proprium fecit debitum pro ambobus I scutum.

(*Fol. 110*) Sequuntur nomina baccalariorum anni presentis aliarum Universitatum.

Gererdus Krageneck, cujus bursa xj sol., V lib. xv sol.
Johannes Mathie [1], cujus bursa iiij sol., II lib. x s.
Andreas Mertin, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.
Cristannus Gosman, cujus bursa nichil, xxvj sol.
Jacobus Roef, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.
Petrus Hoye, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

1457

(*Fol. 110*ᵇ) Sequuntur misie facte post primum compotum.

Anno 1457, ... in continuatione [2] mag. Christofori Amstel in procuratorem, iiij s.

Pro cappa domini rectoris mag. Joh. Bollengarii [3], xxvj s.

In electione [4] mag. Erardi Leppelin in procuratorem, iiij s.

Pro cappa domini rectoris mag. Arnoldi Futkin [5], xxvj s.

In festo Assumptionis pro distrib., II lib. j s.

In electione [6] mag. Joh. de Lapide in procuratorem, iiij s.

(*Fol. 111*ᵇ) Sequuntur nomina licentiatorum.

Magnus Nycolay, cujus bursa viij sol., II lib.
Johannes Dunck, c. b. ix sol. III lib. xv s.
Mathias Sc[h]ol, c. b. vj sol., xxx sol.
Ghererdus Hoft, c. b. x sol., IIII lib. x s.
Jacobus de Valis, c. b. nichil, vj s.
Jacobus Philippi, c. b. iiij sol., I lib.
Jacobus Mileti, c. b. iiij sol., I lib.
Guillermus Liel, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Mathei, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Helmunt, c. b. iiij sol., I lib.
Petrus Broen, c. b. v sol., II lib. v s.
Gererdus Leppelin, c. b. x sol., IIII lib. x s.
Nycolaus de Polonia, c. b. nichil, vj s.
Nycolaus Barbitonsoris, c. b. nichil, vj sol. [7].

1. *Quidam* Joh. Mathie de Campidona, d. Augustens. *intit. Heidelbergae an.* 1453 (Toepke, Matrikel, I, p. 274).
2. *Circa Maii* 6.
3. *Rectoris a Mart. ad Jun.* 1457, *lic. theol.* an. 1458, *Febr.* 13, *mag.* 1461 *Febr.* 10 (Cat. licent.). — *Recte* Bul. V, 922 : Joh. Boulangier.
4. *Circa Jun.* 2.
5. *Rectoris a Junio ad Oct. Falso ap.* Bul. V, 922, *nuncupatur* Nicol. Fraterni. *Arnoldus* Futkini *vel.* Foykini, *iterum rector an.* 1460, *fuit etiam Sorbonicus.* Cf. Franklin, La Sorbonne, p. 229 (*ubi* Foilrin). *Prior Sorb. electus est in profesto Annunciationis an.* 1461 (1462) Arn. Foykini, *Traject. dioec., oriundus de Haga Comitis* (Bibl. nat. ms. lat. 5494 A, *fol.* 46ᵇ.) *Vocatur* Foitkin *apud* Spirgatis, *l. c.* p. 20.
6. *Circa Aug.* 26.
7. *Sequuntur incipientes, omnes iidem, praeter* Joh. Helmunt *et* Nicol. de Polonia.

1457

(*Fol. 112*[b]) Receptoria magistri Galteri de Wernia, in artibus magistri et in sacra pagina baccalarii, pro secunda vice, nati in ducatu Gelrie in inferiori Almania.

Anno Domini millesimo CCCC° LVII° vicesima prima die mensis Septembris seu in die beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanie apud Sanctum Maturinum super electionem novi receptoris, electus fuit magister Galterus de Wernia in receptorem prefate nationis, qui fecit misias ... que sequuntur :

Pro duabus continuacionibus [1] mag. Johannis de Lapide, viij s.

Pro aliquibus qui iverunt mecum ad videndum de loco magis oportuno ad celebrandum festum beati Eadmundi, pro vino eorum, viij s.

Pro prandio nacionis quod fuit celebratum *in cunis* in die S. Eadmundi, X lib. x s.

In continuacione [2] mag. Johannis de Lapide *in cuna*, iiij s.

Pro continuacione ejusdem XVI[a] die Decembris et electione [3] magistri Mathie Sc[h]ol, viij s.

Pro cappa magistri Johannis Chambellam [4] I lib. viij s.

In festo Nicholay ... II lib. iiij s.

Pro cappa mag. Galteri de Wernia [5], I lib. viij s.

1458

(*Fol. 113*) In vesperis Purificationis B. M., xv s.

In continuatione [6] mag. Mathye Schol, iiij s.

Pro quodam cursore dicto « Petrus Hoeck » ferente quasdam litteras ad opidum de Aernhem in ducatu Gelrie, vj s. par.

In electione [7] mag. Helye de Noerde iiij s. par.

In continuacione [8] mag. Helye de Noerden, iiij s.

(*Fol. 113*[b]) Sequuntur recepta :

Anno 57°, 16 Dec. receptus fuit in baccalarium in artibus in veneranda natione Almanorum apud S. Maturinum solemniter congregata Albertus de Polonia.

Item Judocus Molitoris receptus fuit bacc.

A Johanne Schuppennagel, baccal. alterius anni, c. b. valet iiij s.

Recepi a Joh. Hertermoet, Constanciens. dyoc., bursam iiij s.

Recepi a Nicolao Polono [9] pro joc. adventu ad nationem et cappa rectorum II lib. vj s.

1458

Sequuntur nomina baccalariorum presentis anni.

Petrus Gryer, cujus bursa valet iiij sol.

Johannes de Lobenberg, Constantiensis dyocesis, cujus bursa iiij sol.

Guillermus Mudi, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol.

Wenceslaus de Plezna, Pragensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Wenceslaus de Rades, Pragensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Vincentius de Nova Domo, Pragensis dyocesis, cujus bursa iiij sol.

Thomas Tulloch, Rossensis dyocesis, cujus bursa v sol.

Symon de Castro, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Bartholomeus Studele, Constantiensis dyoc., cujus bursa valet iiij sol. par.

Winandus Ruysch, Trajectensis dyoc., cujus bursa valet vij sol.

Johannes Thomaskonis, Pragensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Jacobus Hulfricht, Fratislaviensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

(*Fol. 114*) Jacobus Bindop, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol. par.

Patricius Scoti, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol.

Egidius Zedeler, cujus bursa valet iiij sol.

Thomas Liel, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol. par.

Thomas Kanedy, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet ix sol. par.

1. *Circa Sept.* 23 *et Oct.* 21.
2. *Circa Nov.* 18.
3. *Circa Januar.* 13 *an.* 1458.
4. Joh. Chambellan *rector electus est Oct.* 10. *Recte* Bul., V, 922.
5. *Rectoris electi Dec.* 16. *Male ap.* Bul., V, 922, *affertur* Joh. Bullangarius.
6. *Circa Febr.* 10.
7. *Circa Mart.* 10.
8. *Circa April.* 7.
9. *Quia tunc incepit.*

Valentinus Stoep, Pragensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Andreas Gruensneydre, Misnensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol.

Andreas Ganske, Fratislaviensis dyocesis, cujus bursa iiij sol.

Bernardus Suircosyn, Ladislaviensis[1] dyocesis, cujus bursa nichil, solvit xxvj sol.

Nicolaus Glaser, Wratislaviensis dyocesis, cujus bursa iiij sol.

Martinus Sertoris, Maguntenensis dyocesis, cujus bursa nichil, solvit xxvj sol. par.

Johannes Fasczilier, Pataviensis[2] dyocesis, cujus bursa nichil, solvit xxvj sol. par.

Jacobus Haslac, Argentinensis dyocesis, cujus bursa valet vj sol. par.

Jacobus Delft, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par.

Gysbertus Duysburch, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par.

Petrus Jacobi, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par.

Isbrandus de Werne, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par.

Albertus Gysberti Hoern, Trajecteusis dyocesis, cujus bursa valet vj sol. par.

Florentius Noort, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par.

Gerardus Stinelcamp, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol. par.

Jacobus Michaelis, Treverensis dyocesis, cujus bursa valet v sol. par.

Gillermus Vinfra, dyocesis Abirdenensis, cujus bursa valet nichil.

Johannes Stude, cujus bursa valet nichil.

Ita est. Helyas de Noerde.

Item dominus Amilius Hanick, dyocesis Trajectensis, solvit bursam iiij solidorum, II lib. x sol. par.

Item dominus Andreas Otterburm, Arisboldensis[3] dyocesis, cujus bursa valet vij sol. par., III lib. xv s.

1458

(*Fol. 114*) Sequuntur misie facte post primum compotum :

Ex ordinacione nacionis donavi in subsidium cujusdam edificii in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, scil. nove voltacionis[4] in navi ecclesie II lib. iiij s.

Pro reparacione scolarum *septem artium liberalium*, xj s. par.

Pro continuacione[5] mag. Helye de Norden, iiij s. p.

In jocundo adventu magistrorum novorum, *in scuto argenteo*, iiij s. p.

In electione[6] mag. David Archas in procuratorem, iiij s. p.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Jacobi Junii[7], II lib. par.

Pro distribucionibus magistrorum... in missa Visitacionis beate Marie Virginis, in toto II lib. viij s. p.

(*Fol. 115*) In continuacione[8] mag. David Archas, iiij s. p.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Johannis Versoris[9], II lib.

Pro cappellano, scil. pro mag. Johanne Theodorici, III lib. ix s., iiij d.

1458

(*Fol. 115*[b]) Sequuntur nomina licentiatorum.

Gerardus de Gruenewoude, de Trajecto, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol. par.

Tiemannus Veen, dyocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Ludolphus Veen, dyocesis ejusdem, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Guillermus Galteri, dyocesis Glas[c]uensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Johannes Schuppenaghel, Coloniensis dyocesis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Gerardus Nicolay, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Blasius Sirbonis de Thin, Pragensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Petrus Lupi, Herbipolensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., I lib.

1. *I. e.* Vladislaviensis (Leslau), *ut in praeced. et in seq.*
2. *I. e.* Passaviensis (Passau).
3. *I. e.* Arbipolens. *pro* Herbipolens.
4. *I. e.* volutationis, *gallice* voûte.
5. *Circa Maii* 6.
6. *Circa Jun.* 2.
7. *Rectoris Mart.-Jun. Recte* Bul. V, 922. *Ipse, cum esset legatus cum aliis ad regem Franciae* « Jacobus Juing » *subscripsit computo Universitatis anni* 1464 *a* Spirgatis *edito* (p. 46, *sed cf. tabulam phototyp. ibi adjectam*). *Caeterum vid. infra ad an.* 1465. *Aug.* 22.
8. *Circa Jul.*
9. *Rectoris Jun.-Oct. Sic* Bul., V, 922.

Ludolphus Ludolphi, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol. par.

Theodoricus Loef, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vij sol., I lib. xv sol. par.

Patricius Blaklok, Glas[c]uensis dyocesis, cujus bursa nichil, solvit vj sol. par.

Guillermus Patricii, Sancti Andree dyocesis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Evrardus Gerbrandi, Trajectensis dyocesis, cujus bursa nichil, solvit vj sol.

Andreas Martini, Sancte Andree dyocesis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Alardus Ghiisberti, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., I lib. x sol. par.

Ysbrandus Henrici, Trajectensis dyocesis, cujus bursa valet v sol., I lib. v sol.

Thomas Numen, Sancti Andree dyocesis, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol.

Georgius Storiswoude, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol. par.

Johannes de Soravia, Sancti Andree dyocesis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Jacobus Roef, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol.[1].

1458

(*Fol. 116*[b]) Receptoria magistri Johannis Heynlyn de Lapide.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, die vicesima prima mensis Septembris, qua celebratur festum beati Mathei apostoli et ewangeliste, congregata veneranda natione Almanie apud Sanctum Maturinum super electione novi receptoris, electus fuit in receptorem prefate nationis magister Johannes Heynlyn de Lapide, dyocesis Spirensis. Qui fecit misias... que sequuntur.

In electione[2] mag. Johannis de Rottenburgo in procuratorem, iiij s.

In exequiis mag. Tergidii, pro distribucionibus... xxxi s. p.

In continuatione[3] mag. Johannis de Rottenburg, iiij s.

In continuatione[4] ejusdem, iiij s.

In festo Conceptionis B. Marie...

In electione[5] mag. Gerardi Nicolai, *in corona*, iiij s.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Nicolai Grennier[6], II lib.

(*Fol. 117*) In continuacione[7] mag. Gerardi Nicolai, iiij s.

1459

In exequiis mag. Heynrici Petri, in vigiliis x s.

In vigiliis exequiarum mag. Cornelii... x s., iiij d.

Pro cappa domini rectoris mag. Johannis Egidii[8], II lib.

In electione[9] mag. Tylmanni Veen, iiij s.

In continuatione[10] ejusdem, iiij s.

Statutum nationis, quod nullus intret, nisi prius fuerit procurator, et quod nullus regens regentet, nisi solverit nacioni undecim solidos, et quod supplicet in nacione pro regencia[11].

Universis presentes literas inspecturis procurator et universi magistri nationis Anglicane in Universitate Parisiensi salutem in Domino sempiternam. Quanquam sepenumero gravissimis censuris in eos animadversum sit, qui credita sibi Universitatis aut nationis nostre ministeria indigne administrant, non tamen ideo plurimorum temeritas coarceri videtur, quominus in horrendum proprie salutis dispendium eadem obeant consequenda, presertim ad intrancias, per phas et nephas, conspiratione, pollicitatione, aut alias qualitercumque aspirando, non proprie imbecillitatis memores, quo susceptum onus digna fide supportent; unde fit ut frequenter, ex paucorum inexpertorum delicto, dum multorum clarorum in nostra Universitate virorum merita non norunt, dignissime crebro electiones impediuntur, et inde natio dedecori obnoxia, tota simul, velut abusus auctrix et origo, infamiter involvatur.

Volentes igitur salutaribus huic morbo remediis obviare, statuimus, trino ex more desuper conventu celebrato, et perpetuo robore firmavimus et firmamus,

1. *Omnes illi licentiati tanquam* incipientes *nominantur* fol. 115[b]-116.
2. *Circa Sept.* 23.
3. *Circa Oct.* 21.
4. *Circa Nov.* 18.
5. *Circa Dec.* 16.
6. Nic. Grenier *rector Oct.-Dec., licentiatus in theol.* 1463 (1464), *Mart.* 28 (Catal. lic.). — *Falso ap.* Bul. V, 922, *notatur* Joh. Peron, *Bituric., qui quidem rector fuit, sed anno sequente.*
7. *Circa Januar.* 13 *an.* 1459.
8. *Rectoris electi Dec.* 16. *Recte* Bul., V, 922.
9. *Circa Febr.* 10.
10. *Circa Mart.* 10.
11. *Hoc statutum recudimus ex originali servato in* Arch. Univ. Paris. (theca XIV, D. 30, *olim* G. 7). *Edidit* Jourdain, n° 1325.

ne deinceps tales novelli, rudes, rerum inexperti, negociorum imperiti, ad electionem rectoris, in nostra natione, intrare permittantur, donec inexperienciam suam officii procuratorie laudabili administratione erudierint, ac taliter in officio procuratorie se gesserint, ut cum ratihabitione nationis digne pro eis ad alia gerenda presumatur.

Preterea, cum sepenumero, superiori tempore, complures nostri cetus magistros, sub sperato pocius eventu parvi cujuspiam commodi, quam quod sudore cottidiane exercitationis, vel sibi vel scolaribus, quos interdum nullos habent, proficere intenderent, ad regentiam anhelasse cognovimus, contra antiquorum temporum laudabilem consuetudinem; nos, hujus rei causa, aliarum eciam nationum imitatione compulsi, trino itidem conventu maturius deliberantes, statuimus nullum in antea graduandum in nostra natione ad regentium numerum assumi debere, nisi prius, tempore quo suplicationem nationi ad hoc primum porrigeret, dederit undecim solidos paris. : quos in aliquale donativum regentium qui, secundum distributive justitie legem, aliis preferendi veniunt, conversum iri volumus. Non tamen hoc nostro instituto prefatam undecim solidorum dationem eo spectatum iri intendimus, ut postmodum ita assumendis regentibus, fiducia date pecunie, ignave vivere, et laborem, qui ab omni evo regentibus decretus est, secludere liceat quovis modo; quin ymo, laborem hunc inviolabiliter regentibus nostris omnibus subeundum esse putamus : illis solum exceptis quibus, cum aliquanta similitudine militum emeritorum, cum jam cursum regencie ad minus unum strenue exegerint, remissius deinceps in labore et exercicio regencie operari posse concedimus.

Datum apud Sanctum Maturinum, sub sigillo nostre prefate nationis, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono die quinta mensis Apprilis. NICOLAY [1].

1459

(*Fol. 117*[b]) Sequuntur baccalarii anni presentis.

Albertus Reden, diocesis Halverstedensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Gregorius Heuseler, diocesis Lubucensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Orwoslar de Nova Domo, diocesis Pragensis, cujus bursa nichil, xxvj sol.

Johannes Stephani de Nova Domo, diocesis Pragensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Patricius Leieht, Glasguensis diocesis, cujus bursa x sol., V lib. x sol.

Suffridus Swin, diocesis Lubicensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Allexander Ffyff, diocesis Abordenensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Nicolai, diocesis Wratislaviensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Michahel Lehenman de Jauluz, diocesis Misnensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Marcilii, diocesis Trajectensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes de Sella, diocesis Basiliensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Laurentius Mandelkern de Czeitz, diocesis Nunbergensis, baccalarius receptus, cujus bursa iiij sol. II lib. x sol.

1459

(*Fol. 118*) Sequuntur misie facte post primum compotum.

In electione [2] mag. Gerardi Nicolai, iiij s.

In electione [3] mag. Ludolphi Veen, iiij s.

In continuatione [4] ejusdem, iiij s.

Pro cappa rectoris mag. Johannis Ramier [5], II lib., xvj s.

Pro cappa rectoris mag. Desiderii Natalis [6], II lib. xvj s.

In festivitate Assumptionis...

Ad mendandum scolas nostras novas, dedi Gervasio iij s.

1459

(*Fol. 118*[b]) Sequuntur baccalarii anni presentis qui habuerunt dilationem bursarum suarum usque post primum compotum.

Anthonius Tileur, dyocesis Leodiensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

1. *Factum est id statutum tempore procuratoris* Tymanni Veen, *ut notatur in ms.* Bibl. nat. N. a. l. 535, fol. 131; *natione tribus vicibus per juramentum vocata, in ultima congregatione jam procurator erat* Gerardus Nicolai, *qui signum suum apposuit.*

2. *Circa April.* 7.

3. *Circa Maii* 6.

4. *Circa Jun.* 2.

5. *Ms.* Ranier. *Rector fuit a Mart. ad Jun., licent. in theol.* 1460, *April.* 22, *magister* 1466, *Oct.* 30 (Cat. lic.) *Perperam ap.* BUL. V, 922, *occurrit* Gaspar Mileti.

6. *Rector Jun.-Oct. fuit* Desiderius Natalis, *lic. in theol.* 1460. *April.* 22. *Falso* BUL. V, 922, Joan. Mauricii *indicat.*

Johannes Stolaris, dyocesis Basiliensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Jacobus Moysay, diocesis Treverensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol,

Conradus Hoberg, diocesis Pragensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Andreas Strachota, diocesis Leopoliensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Cuspidis, diocesis Herbipolensis, cujus bursa nichil, xxvj sol.

Johannes Tavennelli, diocesis Bisuntinensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Theodericus Gerardi, diocesis Trajectensis, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Benedictus Bracz, diocesis Misnensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Stuet, diocesis Glasguensis, cujus bursa vij sol., III lib. xv sol.

Georgius Huntays, diocesis Brichgenensis [1], baccalarius receptus, cujus bursa iij sol., III lib. x sol.

Guillermus Moet, diocesis Aburdunensis, cujus bursa iij sol., III lib. x sol.

Andreas de Friberga, baccalarius receptus, diocesis Misnensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Johannes de Yrlandya, diocesis Sancti Andree, baccalarius receptus, cujus bursa vj sol., III lib. x s.

Paulus Johannis baccalarius alterius anni, cujus bursa v sol., II lib., xv sol.

Theodericus Gisberti baccalarius alterius anni, cujus bursa vj sol., III lib., x sol.

Alexander Napper, cujus bursa x sol., V lib. x sol.

1459

(*Fol. 119*) Sequuntur nomina licentiatorum istius anni.

Thomas Kanedy, cujus bursa ix sol., II lib. v sol.
Andreas Otterborn, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Jacobus Delfft, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Nicolaus Wydenpösch, c. b. iiij sol., I lib. v sol.
Jacobus Byndop, c. b. iiij sol., I lib.
Winandus Rusch [2], c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Jacobus Hasleich, c. b. iij sol., I lib. x s.
Heynricus Floris, c. b. vj sol., I lib. x s.
Gisbertus Dusberg, c. b. vij sol., III lib. xij s.
Ysbrandus de Werff, c. b. vij sol., III lib. xij s.
Florentius Nord, c. b. vij sol., III lib. xij s.
Albertus Horn, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Paulus Johannis, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Guillermus Vinfra, c. b. nichil, vj s.
Jodocus Molitoris, c. b. iiij sol., I lib.
Patricius Scoti, c. b. iiij sol., I lib.
Guillermus Mudi, c. b. iiij sol., I lib.
Johannis Thomaskonis, c. b. iiij sol., I lib.
Valentinus Schopp, c. b. iiij sol., I lib.
Vicentius de Nova Domo, c. b. iiij sol., I lib.
Nicolaus Glaser, c. b. nichil, vj sol.
Bartholomeus Studlin, c. b. iiij sol., I lib.
Egidius Zedeler, c. b. iiij sol., I lib.
Amilius Hanick, c. b. iiij sol., I lib.
Petrus Jacobi, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Theodericus Gisberti, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Thomas Tulach, c. b. v sol., I lib. v sol.
Thomas Liel, c. b. iiij sol., I lib.
Leonardus Fingulin, c. b. vj sol., I lib. x sol. [3].

1459

Receptoria mag. Johannis de Lyle.

(*Fol. 122*) Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, die vicesima prima mensis Septembris congregata veneranda natione Anglicana [4] apud Sanctum Maturinum super electione novi receptoris, et tunc electus fuit in receptorem prefate nationis concorditer magister Johannes de Lyle, Sancti Andree dyocesis, qui fecit misias ... que sequuntur.

Quartadecima die mensis Septembris in substitucione mag. Hu[gonis] Douglas, iiij s.

Vicesima prima die mensis Octobris in ejusdem continuacione, iiij s.

In profesto beati Eadmundi, in electione mag. Joh. de Lapide in procuratorem, iiij sol.

Sextadecima die Decembris in continuacione mag. Joh. de Lapide, iiij s.

(*Fol. 122^b^*) Pro cappa rectoris, videlicet mag. Johannis Peron [5], lx s. p.

(*Fol. 123*) In vigilia Conceptionis B. Virginis...

In continuacione mag. Johannis de Lapide 16^a^ die Decembris, iiij s.

1460

In electione mag. Petri Lupi in procuratorem 15 Januarii, iiij s.

1. *I. e.* Brechenens.
2. *Scribitur* Ruysch *inter incipientes.*
3. *Omnes illi licentiati, praeter* Jodocum Molitoris, *statim* (*fol.* 119^b^) *tanquam* incipientes *enumerantur.*
4. *Desueto vocabulo utitur receptor, quia Scotus.*
5. *Rectoris Oct.-Dec. Male* Bul. V, 922, *nominat* Rob. Remigii.

Pro cappa mag. Johannis Toungis[1] III lib. xij s.

In continuatione mag. Petri Lupi, II Februarii, iiij s.

In *intersignio beati Mychaelis* in prandio domini procuratoris, domini proponentis et aliorum, xxij s.

(*Fol. 123*[b]) In electione mag. Florentii Noerde in procuratorem X[a] Marcii, iiij s.

Procuratori collegii Plixensis pro domibus Boemundi[2], scil. in quitancia, xx s.

(*Fol. 124*) Nomina duorum incipientium :

Jodocus Molitoris, cujus bursa iiij s.

Johannes Helmuit, c. b. iiij s.

Sequuntur nomina bachalariorum alterius universitatis hic acceptorum.

Galterus Borre, Trajectensis diocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Jacobus Ulfonis, Upselensis[3] diocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Sequuntur nomina bachalariorum alterius anni.

Guillermus Eptynghen, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Nycholaus Herperii, alterius anni, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Thomas Glasfurde, cujus bursa nichil, vj sol.

(*Fol. 124*[b]) Sequuntur nomina bachalariorum istius anni actu solventium per pecunias vel vadia.

Jacobus Hacfort, Trajectensis dyocesis, cujus bursa ix sol., IIII lib. et xv sol.

Georgius Hayn, Constantiensis dyocesis, cujus bursa vij sol., III lib. et xv sol.

Leonardus Hemerlyn, Constantiensis dyocesis, cujus bursa vij sol., III lib. et x sol.

Duncanus Stherar, Aberdonensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Wlricus Feest, Constantiensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Johannes Vulgari, Trajectensis dyocesis, cujus bursa viij sol., III lib. et xv sol.

Nycholaus Alexandri, cujus bursa nichil, IIII lib. et x sol.

Johannes Myle, Coloniensis dyocesis, cujus bursa vj sol., I lib. et vj sol.

Laurentius Opuler, Pomesaniensis dyocesis, cujus [bursa] iiij sol., III lib. et x sol.

Johannes Bartholomei, Pragensis dyocesis, cujus bursa nichil, II lib. et x sol.

Radulphus de Loo, Constantiensis dyocesis, cujus bursa v sol., I lib. et xj sol.

Jacobus Ratusky, Pragensis dyocesis, cujus bursa vj sol., II lib. et xv sol.

Christoforus Kogilman, Coloniensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., III lib. et x sol.

Henricus Hagdor, Coloniensis dyocesis, cujus bursa vij sol., II lib. et x sol.

Habraam Alberti, Trajectensis dyocesis, cujus bursa v sol., III lib. et xv sol.

Johannes Alkerman, Trajectensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et xv sol.

Leonardus Kreule, Mesniensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Johannes Wenkenkusen, Lubicensis dyocesis, cujus bursa vij sol., III lib. et xv sol.

Johannes Moke, Verdensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol

Petrus Macquardi, Hawelbergensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Goskalcus Witte, Awoensis dyocesis, cujus bursa viij sol., III lib. et x sol.

Jacobus Shosseler, Mesniensis dyocesis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Radulphus Nupeser, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vij sol., III lib. et xv sol.

Alardus Petri, Trajectensis dyocesis, cujus bursa nichil, I lib. et vj sol.

Matheus Lehenman, cujus bursa nichil, I lib. et x s.

Jacobus Houk, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Guillermus Lewe, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Gerardus Pinonis, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vij sol., III lib. et xv sol.

Johannes Referscart, Coloniensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Hubertus Danielis, Trajectensis dyocesis, cujus bursa vj sol., III lib et x sol.

1. *Rectoris a Dec.* 1459 *ad Mart.* 1460. *Inter licent. in theol. an.* 1465, *Dec.* 19, *occurrit* Joan. de Tongues, *magister* 1466 *Nov.* 27. *Etiam invenitur* mag. Joh. de Tongues *ap.* Spirgatis, *l. c.* p. 17. *Idemne sit* Joh. de Tougren *intit. Coloniae an.* 1440 (Keussen, I, p. 324)? *Cf. supra* p. 341, *not.* 1. *Ap.* Bul., V, 922, *rectoris nomen deest.*

2. *Ms.* Bolmundi.

3. *Ms.* Ussellensis.

Johannes Heuser, Trajectensis dyocesis, cujus bursa viij sol., IIII lib. ct x sol.

Johannes Priser, Constantiensis dyocesis, cujus bursa v sol., II lib. et xv sol.

Johannes Ghisberti de Gouda, cujus bursa vj sol., III lib. et x sol.

Judocus Zibrandi, c. b. vj sol., III lib. et x sol.

Arnoldus Gherardi, c. b. v sol., II lib. et xv sol.

Johannes Eghel, c. b. v sol., II lib. et xv sol.

Johannes Stranelt, c. b. iiij sol., II lib. et x sol.

Johannes Merhilt senior, c. b. vj sol., III lib. et x sol.

Johannes Merhilt junior, c. b. vj. sol., III lib. et x sol.

Johannes Advocati, c. b. iiij sol., II lib. et x sol.

Johannes Riet, dyocesis Trajectensis, c. b. vj sol., III lib. et x sol.

Dominus Petrus Johannis, cujus bursa valet viij, de qua dominus receptor non fecit compotum.

Ita est. FLORENTIUS DE NOERD.

(*Fol. 125*) Sequuntur nomina bachalariorum qui non solverunt in taxatione.

Georgius Borer, dyocesis Mesniensis, cujus bursa nichil, I lib. et vj sol.

Liborius Naker, dyocesis Mesniensis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Conrardus Kemerlyn, cujus bursa nichil, I lib. et et vj sol.

Johannes Bokelli, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

Bartholomeus Weday, cujus bursa nichil, I lib. et x sol.

Duo bachalarii pro quibus respondit magister Mercilius :

Martinus Hloas, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.	non michi solverunt.
Johannes Jens, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.	

Bachalarius alterius universitatis.

Johannes de Wiberach [1], dyocesis Constantiensis, iiij sol., II lib. et x sol.

Bachalarii alterius anni.

Christoforus Wenkynhayn, cujus bursa iiij sol. II lib. et x sol.

Mathias Beme, cujus bursa v sol., II lib. et xv sol.

Thomas Schuelle, dyocesis Lubicensis, cujus bursa iiij sol., II lib. et x sol.

1460

(*Fol. 125[b]*) Misie post primum compotum.

In continuacione mag. Florencii Noerde, IX Aprilis, iiij s.

In electione mag. David Harcas, penultima Aprilis, iiij s.

In continuacione [2] mag. David Harcas, iiij s.

Pro cappa domini rectoris, videlicet mag. Roberti Remigii [3], II lib.

In vigilia visitationis B. Elisabeth, xvij s. iiij d.

Ex precepto nacionis, mulieri viri incarcerati, unum scutum.

In substitutione [4] mag. Joh. de Lapide, iiij s.

Pro cappa rectoris, videlicet mag. Arnoldi Fokini [5], II lib.

(*Fol. 126*) In vigilia Nativitatis nostre Domine, pro distribucionibus xxi s., iiii d.

Quando mag. Johannes de Lapide posuit pecuniam ultimo ad archam nacionis, presentibus procuratore clavigeris et aliis magistris, in collacione *in disco stanneo* et pro factura clavium et pro vino mulieris que apperuit cellam ubi est archa nacionis, et pro reparacione scamnorum in S. Maturino; et istam summam solvit primo Bre[chte]rus, xxx s.

Pro licentiatis, Brethero VII lib. et v sol.

Pro eisdem, Gossvino III lib. et xiij s.

Pro magistris istius anni, Brethero V lib. et xj s.

Minori bedello, pro eisdem II lib. xix s. et vj d.

Pro salario meo, IIII lib.

1460

(*Fol. 126[b]*) Sequuntur nomina licentiatorum istius anni.

Johannes de Yrlandia, cujus bursa vj sol., I lib. et x sol.

Suffridus Swyn, c. b. vj sol., I lib. et x s.

1. *I. e.* Biberach.
2. *Circa Jun.* 2.
3. *Rectoris a Mart.* 24 *ad Jun.* 10. *Ap.* BUL. V, 922, *rector nullus comparet, cum tamen ibid.*, p. 635, *Robertus Remigii citetur.*
4. *Circa finem Junii.*
5. *Rectoris a Jun.* 23 *ad Oct.* 10. *Ap.* BUL. V, 922, *perperam nominatur* Martinus Magistri, *Turonensis.*

Patricius Leyche, c. b. x sol., II lib. et x s.
Georgius Huntar, c. b. vj sol., I lib. et x s.
Andreas de Felburga, c. b. iiij sol., I lib.
Christoforus Wenchinhain, c. b. iiij sol., I lib.
Laurentius Mandelkern, c. b. iiij sol., I lib.
Jacobus Mousa, c. b. v sol., I lib. et v s.
Jacobus Mychaelis, c. b. v sol., I lib. v s.
Nycholaus Herperii, c. b. iiij sol., I lib.
Andreas Strachota, c. b. nichil, vj sol.
Gerardus Stinelkamp, c. b. iiij sol., I lib.
Guillermus Mouat, c. b. vj sol., I lib et x sol.
Alexander Naper, c. b. vj sol., I lib. et x sol.
Mathias Beme, c. b. v sol., I lib. et v sol.
Benedictus Bracz, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Tavernelli, c. b. v sol., I lib. et v sol.
Guillermus Eptinghen, c. b. vj sol., I lib. et x s.
Anthonius Tiliur, c. b. vj sol., I lib. et x sol.
Johannes Nycholay, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Stolaris, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes de Sella, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Felicis, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Marcilii, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Cuspidis, c. b. nichil, vj sol.
Johannes Stut, c. b. viij sol., I lib. et xv sol.
Alexander Fyff, c. b. vj sol., I lib. et x sol.
Thomas Glasfurde, c. b. nichil, vj sol. [1].

1460

Receptoria mag. Gherardi Nicolai.

(*Fol. 127*ᵇ) Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo in festo beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanorum apud Sanctum Maturinum super novi receptoris electione, electus est in receptorem prefate nationis Gherardus Nicolai de Leydis, in comitatu Hollandie, dyocesis Trajectensis, qui fecit misias et receptas que sequuntur.

(*Fol. 128*ᵇ) In continuacione [2] mag. Jacobi Delft, iiij s.

In exequiis Brechteri bedelli nacionis defuncti, pro distribucionibus et aliis, II lib. xvj s. iiij d.

1461

Pro distribucionibus in vesperis Purificacionis, xviij s.

In taxacione bursarum bachalariorum, pro cena temptatorum, xxxv s. viij d.

Cuidam notario, dum receptor posuit fidejussorem, ij s.

Curato et cappellano, pro debitis trium festorum, scil. Nicolai, Andree, et exequiarum Alexandri, xxiiij s.

Sequuntur nomina bachalariorum alterius Universitatis Parisius receptorum.

Johannes Belze, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Dengheliardus Hillebolt, cujus bursa v sol., II lib. xv sol.

Johannes Teyst, cujus bursa valet vj sol., III scuta iiij sol.

Alnerus Teyst, cujus bursa valet vj sol., III scuta iiij sol.

(*Fol. 129*) Sequuntur nomina bachalariorum istius anni qui solverunt in principio Februarii.

Johannes Eynaten, diocesis Leodiensis, cujus bursa valet x sol., V scuta.

Johannes de Uteri, diocesis Pragensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Nicolaus Dembic, diocesis Fratislaviensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Georgius Meysel, diocesis Frisingensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Johannes Wiroch, diocesis Fratislaviensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Andreas Kanne, diocesis Missniensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj s.

Johannes de Foro, diocesis Coloniensis, cujus bursa vij sol., III scuta ix sol.

Johannes Petri, Aboensis diocesis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Johannes Hum, nobilis, diocesis Sancti Andree, cujus bursa xj sol., V scuta v sol.

Paulus Hulusch, diocesis Missniensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

Hermannus de Langhen, diocesis Monasteriensis, cujus bursa xj sol., V scuta v sol.

Andreas Souf, diocesis Missniensis, cujus bursa iiij sol., II scuta vj sol.

1. *Fere omnes iidem licentiati facti sunt sine mora* « magistri » (Ibid., *fol.* 126ᵇ-127). *Soli desunt* Joh. Nicolai, Joh. de Sella, Joh. Marcilii, Joh. Cuspidis, Alex. Fyff, Thomas Glasfurde.
2. *Circa Sept.* 23.

1461

Misie facte post precedentem compotum [1].

Tres solidos pro affixione serarum ad archam erarii nacionis depositarum per mag. Thomam Kanedi [2] tunc procuratorem.

Pro distribucionibus magistrorum pro tribus festis et pro cappellano, scil. Katherine, Andree et vigiliis magistri Alexandri, VII lib. vj s.

In electione [3] mag. Nicolai Vindenpoch in procuratorem, iiij s.

Pro tunica magistri Alexandri quam gratuite sibi nacio tradidit, III lib. v s.

Pro capucio ejusdem quod similiter nacio ei dederat, I lib. j s.

(*Fol. 129*[b]) Recepi.... a mag. Johanne Vinterlinc, pro redempcione cujusdam commenti Alberti super de Generacione et de Anima [4], quod commentum posuerat pro vadio, xj s.

Sequuntur nomina bachalariorum istius anni qui solverunt post compotum precedentem.

Sebastianus Hosbreys, diocesis Herbipolensis, cujus bursa valet nichil, xxvj sol.

Johannes Fouchs, diocesis ejusdem, cujus bursa valet nichil, xxvj sol.

Johannes Baianoth, diocesis Abordonensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Theodoricus Heynrici, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Pauli, diocesis Missniensis, cujus bursa valet nichil, xxvj sol.

Johannes Welker, diocesis Herbipolensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Misie facte post istum compotum [5].

In continuacione [6] mag. Nicolai Vindenpoch, iiij s.

Ex conclusione nacionis, magistro Nicolao Herperi in sua infirmitate dedi II lib., iiij s.

Exsecutoribus Brechteri bedelli defuncti dedi 4 solidos, quos exposuit in quadam continuacione magistri Jacobi Delft.

In vigiliis exequiarum mag. Nicolai Herperi defuncti, pro distribucionibus, xvij s., iiii d.

Ex conclusione nacionis cuidam greco [7] vj sol.

Johanni subbedello ex parte bachalariorum II lib. ij s. vi d. et residua pars sui sellarii exposita est per conclusionem nacionis pro tunica mag. Alexandri, ut scribitur superius.

Pro cappa rectoris mag. Johannis de Vallibus [8] II lib. iiij s.

Mag. Everardo pro confectione quarundam litterarum ex conclusione nacionis I lib. ij s.

1461

(*Fol. 130*) Sequuntur nomina bachalariorum qui solverunt post ultimum compotum.

Johannes Riic, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Theodricus de Gouda, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Theodricus Paes, de Nortwiic diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Haquinus Andree, presbyter diocesis Aboensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Johannes de Kuns, diocesis Lausenensis, cujus bursa valet vj sol., III lib. x sol.

Petrus Huisdorf, diocesis Bosononiensis [9], cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Johannes Molitoris, diocesis Constantiensis, cujus bursa valet vj sol., III lib. x sol.

Johannes Vliegher, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Wilhelmus Scoten, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Theobaldus Rasoris, diocesis Basiliensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Petrus Loeslem, diocesis Herbipolensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Georgius de Uteri, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Casper Heynsel, diocesis Missniensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Laurentius Rasser, diocesis ejusdem, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

1. *Redditum Febr.* 10.
2. *Quando electus sit procurator non apparet, fortasse Januar.* 13.
3. *Circa Febr.* 10.
4. *Aristotelis.*
5. *I. e. post Mart.* 10.
6. *Circa Mart.* 10.
7. *Verisimiliter cuidam linguae graecae professori. De studiis graeci sermonis tunc renascentibus vid.* J. Quicherat, Hist. de Sainte Barbe, I, p. 44 *sq.*
8. *Rectoris a* 1460 *Dec. ad* 1461 *Mart. Recte* Bul. V, 922.
9. *I. e.* Poznaniens.

Olavus Petri, diocesis Aboensis, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

Johannes Crucenborch, diocesis Leodiensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Hugo Suitper, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Marcus Dorinc, diocesis Missniensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Molitoris, diocesis Missniensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Paulus Radulphi, diocesis Treverensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Michael Wersloch, diocesis Missniensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Gherardus Pouseurs, diocesis Leodiensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Petrus Suth, diocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Heghen, diocesis Constantiensis bachalarius receptus, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

1461

[Statutum de majore severitate adhibenda ad gradus conferendos. Quid examinatores, baccalariandi, magistrandi observare debeant [1].]

Universis presentes litteras inspecturis procurator totaque communitas magistrorum artium nationis Alemanie Parisius salutem in Domino. Cum scolasticarum dignitatum utpote graduum nomina quandam scientiarum virtutumque eminentiam pretendere videantur, indecens est quempiam hujuscemodi graduum titulis honorari, nisi profunditate scientie morumque simul gravitate ceteros antecellat. Quod sane considerantes, nostri predecessores, viri prudentissimi, suos olim discipulos rigorosis examinibus quam sepius probantes, mores eorum ac studia perquirendo, honorum premia non nisi bonarum artium virtutumque optimarum cultoribus impendere studuerunt; volentesque non tantum presentibus sed futuris etiam seculis providere, itidem equis legibus ac salubribus institutis ordinantes, toti sue posteritati precepta inviolabiliter servanda transmiserunt. Verum quia modernis temporibus bonum utile legum honestati plerumque preponderat, et inordinatus favor rationis oculum obnubilat et obcecat, adeo ut non modo studiosi scientiis virtutibusque decorari, sed etiam quicunque desides et ignavi, cursores et discoli, omni penitus scolastica disciplina carentes, summis litterarum professionibus attollantur. Quo fit ut boni a malis, docti ab insciis, studiosi denique et virtuosissimi a lascivis haud facile discerni possint. Et quod omnium est detestabilius, contingit ut instituta seniorum, quibus nos juramentis astringimur, enormiter quorundam falsis machinationibus, quominus observari valeant, conculcentur. Qua de re non vanum, immo pernecessarium visum est, hiis omnibus tanquam pestiferis et nocivis nostri temporis accidentibus more nostrorum patrum sanis quibusdam et salutiferis constitutionibus obviare, ut crescente morbo pariter crescat et medela. Igitur nos omnes et singuli supradicti in trina nostra congregatione bis in Sancto Maturino et semel in Sancto Juliano Parisius super hiis remediandis sollemniter celebrata, diligenti consideratione et nostrorum seniorum consilio prehabitis, statuimus et ordinavimus ea que sequuntur, a nobis et nostris successoribus inviolabiliter perpetuis temporibus observanda.

In primis ut omnis inordinatus favor ad scolares graduandos evanescat, statuimus ut de cetero nostre nationis in bachalariandorum examinatorem nullus eligi possit qui proprios habeat scolares de lectione sua, aut qui anno immediate precedente fuerit examinator, nisi defectus magistrorum hoc impediat, sed eligantur juxta facultatis artium statuta quatuor magistri, qui ad minus tercium annum sui magisterii jam attigerunt.

Item, quia quidam scolares citius debito suam promotionem anhelantes, gradum bachalariatus ante terminum eis positum adipisci presumunt, statuimus quod nullus de cetero bachalariandorum examen permittatur ingredi, nisi eum constet a festo beati Remigii anni precedentis suum studium Parisius in artibus continuasse, vel saltem hujus temporis duplum in alia privilegiata Universitate jam habuisse, de quo tamen juxta statuta fidem faciat in plena natione. Constabit autem de tempore cujuslibet hoc modo : singulis annis circa festum beati Remigii, et signanter ante primam diem Ordinarii novi, procurator habeat nationem congregare, vocatisque per bedellos singulis scolaribus cursum artium inchoare volentibus, nomina eorum per procuratorem registro nationis ibidem publice conscribantur, et ab illo tempore duntaxat eis tempus computetur ; post illam

1) *Hoc statutum edimus e* libro nationis *servato in* Bibl. nat. Paris. *ms.* Nouv. acq. lat. 535, *fol.* 2 b *sqq. Jam edidit* Bul. V, 646. *Tale statutum crescens in dies numerus studentium requirebat.*

vero congregationem amplius nullus pro cursu istius anni possit inscribi. Procurator autem pro labore suo percipiat ab unoquoque intitulato VIII denarios paris.

Insuper statuimus et ordinamus ut singulis annis antequam bachalariandorum examen aperiatur, nationi super hoc congregate presententur omnes bachalariandi istius anni, et legantur eis articuli, quos post admissionem eorum jurabunt, ne occasione ignorantie perjurio se exponant, fiatque informatio per registrum de tempore habito. Procurator vero singulos magistros per eorum juramenta requirat, quod si quis aliquem ibi presentatum sciat propter aliqua sua demerita, aut temporis aut alterius requisiti defectum, a bachalariatus adeptione repellendum, illum procuratori manifestet. Procurator vero talem, nisi se ab impositis criminibus vel defectibus coram tota natione sufficienter expurget, ab examinis ingressu repellat. Et ut hoc melius observetur, examinatores per eorum juramenta sint astricti ne aliquem in eorum examen recipiant nisi illo modo per nationem eis presentatum.

Item, ne muneris occasione scolares promovendi affectu potius inordinato quam rigore debito ab ipsis examinatoribus tractentur, statuimus ut omnes bachalariandi de cetero juramentis specialibus astringantur, ne suis examinatoribus quicunque pro labore examinis aut alia quacunque causa tribuant per se, sive per alios tribuere faciant, nisi duntaxat summam antiquitus observatam, videlicet duorum solidorum paris. quam quilibet eorum eis tenebitur exhibere. Examinatores etiam similiter ad nichil amplius recipiendum suis juramentis se obligabunt.

Item, circa bachalariandorum examen statuimus et ordinamus quod maturius graviusque de cetero ipsi bachalariandi examinentur, videlicet in grammaticalibus quilibet ab unoquoque examinatorum, similiter in parvis logicalibus ab unoquoque examinetur. In aliis vero libris Porphirii et Aristotelis examinentur per ordinem, ita tamen quod quilibet in unoquoque librorum unam ad minus habeat questionem.

Quia vero multorum precibus importunis examinatores ipsi a recto rationis judicio declinare et indignos plerumque promovere coguntur, ideo eorum quieto deliberationis judicio providere cupientes, statuimus quod de cetero ad ipsos examinatores statim finito examine procurator qui pro tempore fuerit accedat, ipsoque solo cum prefatis examinatoribus existente, per ordinem de singulorum sufficientia diligenter inquirat, colligendo videlicet votum quatuor examinatorum de uniuscujusque admissione vel impeditione. Et si tres vel quatuor aliquem admiserint, scribat eum in papiro tamquam admissum. Si vero duo vel plures duobus aliquem impediendum judicaverint, de eo amplius tamquam impedito nullam faciat mentionem. Sic igitur procurator modo jam dicto admissorum nomina fideliter conscribat, aliorum vero obmittat, et hec cedula signetis examinatorum inferius erit signanda, postea claudatur et desuper, ne aperiri possit, sigillo procuratoris muniatur, deturque uni examinatorum custodienda, donec receptor simul cum procuratore et examinatoribus ad taxationem bursarum possit comparere. Et tunc jam nominatis in unum congregatis, bachalariandis etiam ibi comparentibus, aperiatur cedula predicta per bedellum, et nomina admissorum publice legantur; qui sic lecti per ordinem intrabunt locum taxationis, et taxabuntur eorum burse more solito, pro quibus etiam receptorem tunc statim contentabunt. Jurabuntque procuratori juramenta solita et registro nationis inscribantur.

Super omnia vero districtius inhibemus ut nec procurator neque quisquam examinatorum aut bedellorum, si eos interesse contingat, cuiquam revelet ea que in bachalariandorum admissione facta sunt, qui scilicet alium admiserit vel impedierit. Quod si secus contingeret, illum sic revelantem ipso facto tamquam proditorem et perjurum a nostro consortio privamus et resecamus. Poterunt tamen examinatores, ut liberius et absque timore sua vota dare possint, excogitare modum aliquem secretum, puta per cedulas aut alia hujusmodi, ut persone impedientes magis celentur, quod tamen relinquimus beneplacitis eorum.

Circa vero bachalarios jam alibi creatos et in nostra natione recipiendos, antiqua statuta super hiis edita confirmamus et omnino ratificamus, videlicet quod nullus, qui se dicit esse bachalarium, in nostra natione nisi gratiose nemine contradicente recipiatur, et quod de bachalariatu jam alibi habito faciat fidem in plena natione super hoc specialiter congregata per litteras patentes studii in quo graduatus est, aut per duos magistros Parisienses qui alibi eum certissime sciant fore graduatum. Et quod studium in quo graduatus est sit studium sollemne, ubi ad minus sint sex regentes in artibus. Et quod ante festum Purificationis nationi se habeat presentare, si in anno sequenti immediate promoveri debeat. Quod etiam omnia solvat sicut bachalarius jam de novo creandus. Intelligimus autem per id, quod *ante festum Purificationis* dicitur, vigiliam festivitatis ejusdem, in qua procurator singulis annis pro recipiendis bachalariis nationem debet convocare; postea vero

nullus recipi possit ad promotionem anni immediate futuri.

Pro magistrandis vero statuimus, quod singulis annis in quadam congregatione, quam procurator celebrare debet, ante apertionem temptaminis magistrandorum, comparere debeant omnes qui prefatum temptamen intrare volunt in plena natione, ut natio de eorum bachalariatu, de disputatione Quadragesime, de studii continuatione et morum diseiplina aliisque eorum statum concernentibus possit informari. In quibus si reperiantur notabiliter defectuosi, per procuratorem ab ingressu temptaminis arceantur.

Hec igitur sunt statuta salubria, que pro nostre nationis prefate commodo visa sunt expedire. Quare ea volumus inviolabiliter perpetuis temporibus a nobis nostrisque successoribus observari, ipsaque in nostro libro cum aliis statutis conscribi, ac temporibus quibus alia statuta legi solent publice nominari, ne ignorantia eorumdem cuiquam occasio sit delinquendi. Si quis vero (quod absit!) harum nostrarum editionum repertus fuerit prevaricator, eum tamquam perjurum et infamem a nostro consortio ex nunc prout ex tunc privamus et resecamus per presentes. In quorum omnium robur et ampliorem firmitatem sigillum nostrum magnum presentibus duximus apponendum.

Acta fuerunt hec Parisius in tribus congregationibus nostre nationis, in locis supranotatis sollemniter celebratis, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, diebus vero mensis Martii.

1461

(*Fol. 130*^b) Misie facte post ultimum compotum.

Anno Domini millesimo CCCC° LX°, ultima die Marcii, ego Gherardus Nicolai protunc receptor venerande nacionis Almanie, posui in archa ubi est thesaurum predicte nacionis XL scuta moneta Francie boni ponderis in presencia mag. Jacobi Salicti [1] protunc procuratoris, mag. Bartholomei Vulturis, mag. David Archas, mag. Johannis de Lapide et aliorum multorum, ut patet in papiro inclusa in eadem archa.

In ultimo compoto facto, qui erat primus compotus principalis, exposui pro distribucionibus procuratoris, magistrorum et bedellorum, IX lib. iiij s.

In electione [2] procuratoris, videlicet mag. Johannis de Yrlandia, iiij s.

Dum consumebantur 4or solidi novellorum magistrorum *in balista*, iiij s.

Sequitur nomen cujusdam licentiati alterius anni isto anno incipientis.

Gherardus Stindelkamp, diocesis Trajectensis cujus bursa valet iiij sol., I lib.

1461

Sequuntur nomina licentiatorum istius anni.

Petrus Johannis, dioecesis Trajectensis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Radolphus Nypyser, dioecesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol.

Jacobus Huiek de Leydis, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vj sol., j lib. x sol.

Johannes Henter, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Johannes de Gouda, cujus bursa valet vj s., I lib. x s.

Johannes Lubece, dioecesis Lubicensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol.

Johannes Riet, dioecesis Trajectensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol.

Godscalkus Wittella, dioecesis Abordenensis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Leonardus Hermeli, dioecesis Constantiensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol.

Ulricus Fest, dioecesis Constantiensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol.

Hubertus Danielis, diocesis Trajectensis, cujus bursa vj sol., I lib. x sol.

Johannes Mathie, diocesis Argentinensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib. x sol.

Jacobus Ulfonis, dioecesis Upselensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Johannes Bruseh, dioecesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Johannes de Myle, dioecesis Coloniensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. v sol.

Rodolphus de Loo, dioecesis Constantiensis, cujus bursa valet v sol., I lib. v sol.

Henricus Haghedorn, dioecesis Coloniensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol.

1. *Electo proc. versus finem Martii.*
2. *Circa April. 7. Johannes de Irlandia rector fuit an.* 1469, *pro quo* BUL. Joh. de Hollandia *affert, deinde licent. in theol. an.* 1475 (1476) *Febr.* 5 *et mag.* 1476 *Jun.* 27.

Guillermus Nicolai, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol.

Johannes Moke, dioccsis Verdensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Thomas Sculle, diocesis [Lubicensis], cujus bursa iiij sol., I lib. x sol.

Duncanus Sterar, diocesis Aberdonensis, cujus bursa vj sol., I lib. x sol.

Albertus Alberti, diocesis Posoniensis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Johannes Bokelli, diocesis Trajectensis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Judocus Delft, diocesis Trajectensis, cujus bursa vj sol., I lib. x sol.

(*Fol. 131*) Abraham Alberti, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet v sol., I lib. v sol.

Arnoldus Harlem, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet v sol., I lib. v sol.

Laurentius Oppeler, diocesis Pomesamiensis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Galterus Borre, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vj sol., I lib. v sol.

Johannes Scrawenwald, diocesis Wratislaviensis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Conrardus Cumerlin, diocesis Constantiensis, cujus bursa valet nichil, vj sol.

Jacobus Ratuski, diocesis Pragensis, cujus bursa vj sol., I lib. x sol.

Johannes de Nova Domo, diocesis ejusdem, cujus bursa iiij sol., I lib.

Gherardus Pinonis, cujus bursa vij sol., I lib. xv sol.

Petrus Maquerdi, diocesis Havelbergensis [1], cujus bursa iiij sol., I lib.

Nicolaus Alexandri, diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet nichil, vj sol.

Jacobus Hacfort, diocesis Trajectensis, cujus bursa ix sol., II lib. v sol.

Johannes Ulgheri, diocesis Trajectensis, cujus bursa vij sol., I lib. xv sol. [2].

1461

(*Fol. 1*) [3] Electio magistri Florentii de Noerde, oriundi in Hollandia, de Leydis [4].

(*Fol. 1 b*) Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo in festo beati Mathei apostoli et evangeliste, congregata veneranda natione Almannorum apud Sanctum Maturinum super novi receptoris electione, electus est in receptorem prefate nationis magister Florentius de Noerde, de Leydis, in comitatu Holandie, diocesis Trajectensis, qui fecit misias et receptas que sequuntur.

(*Fol. 2*) In electione [5] mag. Huberti Danielis in procuratorem, iiij s.

In continuacione [6] mag. Huberti Danielis, iiij s.

In electione [7] mag. Petri Johannis in proc. iiij s.

In vigilia B. Eadmundi pro distribucionibus... — In festo, pro serto roseo ad nostrum patronum ij alb.

(*Fol. 2 b*) Pro cappa rectoris, scilicet mag. Johannis de Roca [8], III lib. iiij s.

In continuacione [9] mag. Petri Johannis in procur. iiij s.

Pro novo registro [10] nacionis, vj s. ij alb.

Pro cappa domini rectoris, scil. mag. Johannis de Bosco [11], III lib. iiij s.

In electione [12] mag. Jacobi Hoec in procur., iiij s.

In continuacione [13] mag. Jacobi Hoec, iiij s.

Pro prandio deputatorum qui inquisitionem fecerunt qui essent debitores nacionis, I lib. ij s.

Pro deauracione virgarum nacionis, necnon refectione earundem, XXV scuta.

1462

(*Fol. 3*) Sequuntur nomina bachalariorum istius anni.

Jacobus de Noerde, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Johannes Butziel, c. b. vij sol., III lib. xv sol.

1. *Ms.* haburgen.
2. *Omnes fere illi licentiati statim* incepisse *narrantur. Soli desunt* (fol. 131-131 b) Job. Brusch, Thomas Sculle, Laurentius Oppeler, Jac. Ratuski. — *Finis manuscripti desideratur, itaque nonnullos procuratores ignoramus.*
3. *Arch. nat. Paris.* H. 2588. *In principio fol.* 1 *manu satis antiqua legitur inscriptio :* « Tertium receptoris registrum, nam secundum amissum est de annis 41, nam primum desinit in anno 1424. » *Nunc vero secundum habemus, primum perditum est.*
4. *Ms.* Lyedis. *Titulus grandibus litteris sex lineas occupat, caeruleo rubro violaceoque atramento depictas.*
5. *Circa Sept.* 23.
6. *Circa Oct.* 21.
7. *Circa Nov.* 18.
8. *Rectoris ab Oct.* 10 *ad Dec.* 16. *Recte* Bul., V, 922. *Licent. in theol. an.* 1465, *Dec.* 19; *mag. an.* 1466, *penult. Febr.* (Catal. licent.)
9. *Circa Dec.* 16.
10. *I. e. praesente registro receptoris.*
11. *Rectoris electi Dec.* 16. *Sic ap.* Bul., V, 922.
12. *Circa Januar.* 13 *an.* 1462. *Ipse signat paulo inferius* Ja. Houc. *Rector Univers. an.* 1466 *fuit, prior Sorbonae bis electus die Annuntiat.* 1474 (1475) et 1475 (1476) (Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5494 A, *fol.* 67, *ubi scribitur* Jacobus Houck, de Leydis in Hollandia oriundus).
13. *Circa Febr.* 10.

Theodoricus Poes, c. b. ix sol., IIII lib. xv sol.
Conrardus Merzmimi, c. b. x sol., V lib. x sol.
Johannes Walsen, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Zeino Petri, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Jacobus Merzmin, c. b. x sol., V lib. x sol.
Wlricus Teiziel, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Amoron, c. b. ix sol., IIII lib. xv sol.
Jacobus Zyrich, c. b. xj sol., V lib. xv sol.
Georgius Gerber, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Albertus Stephani, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Nicolaus Bisbach, c. b. v sol., II lib. xv sol.
Paulus Sabethesc, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Bumester, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Poncianus Gherardi, c. b. iiij sol., II lie. x sol.
Cristofforus Dampich, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Michael Roster, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Petrus Diswath, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Heinricus Heise, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Jacobus de Gouda, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Thomas Plumberich, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Jacobus Jerkin, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Jacobus Fodigrem, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Bruchusen, c. b. x sol., V lib. x sol.
Hermanus Haec, c. b. ix sol., IIII lib. xv sol.
Johannes Harlem, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Johannes Hagis, c. b. vj sol., III lib. x sol.
Lubertus Wigh, c. b. vij sol., III lib. xv sol.
Bertholomeus Woersciten, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Daniclis, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Raph[a]el Pauli, c. b. nichil, I lib. vj sol.
David Donich, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Petrus Wammer, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Siriatus Kesseler, c. b. iiij sol., II lib. x sol.

(*Fol.* 3[b]) Sequuntur nomina bachalariorum alterius universitatis Parisius receptorum.

Jeronimus Campidona, c. b. viij sol., IIII lib. x sol.
Georgius Bronne, c. b. vj sol., III lib. x sol.
Arnoldus Michaelis, c. b. vij sol., III lib. xv sol.

Sequuntur nomina incipientium.

Gherardus Pinonis, cujus bursa valet vij s.
Joh. de Nova domo, c. b. iiij s.
Jacobus Rathusky, c. b. vj s.

Ita est. JA. HOEC.

1462

(*Fol.* 4) Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Johannes Teyst, cujus bursa valet vj sol., I lib. x sol.
Theodricus Poes, c. b. vij sol., I lib. xv s.
Johannes de Kunicz, c. b. vj sol., I lib. x s.
Johannes Jencz, c. b. iiij sol., I lib.
Theodricus Henrici, c. b. iiij s., I lib.
Johannes Hum, nobilis, c. b. xj sol., II lib. xv sol.
Johannes Belze, c. b. v sol., I lib. v sol.
Johannes Mollitoris, c. b. iiij sol., I lib.
Theodricus de Gouda, c. b. ix sol., II lib. v sol.
Johannes Molitoris, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Johannes de Foro, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Gherardus Pousseur, c. b. iiij sol., I lib.
Petrus Loslem, c. b. iiij sol., I lib.
Degenardus Hillebolt, c. b. v sol., I lib. v sol.
Johannes Petri, c. b. iiij sol., I lib.
Wilhelmus Scoten, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Jeronimus de Campendana, c. b. v sol., II lib.
Theobaldus Rasoris, c. b. v sol., I lib. v sol.
Johannes Merhilt, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Johannes Vliegher, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Haquinus Andree, c. b. ix sol., II lib. v sol.
Olavus Petri, c. b. octo sol., II lib.
Alnerus Teyst, c. b. vj sol., I lib. x sol.
Andreas Canne, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Welker, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Pauli, c. b. nichil, vj sol.
Paulus Rodulphi, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Marcus Dorinch, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Fouchs, c. b. nichil, vj s.
Johannes Heghen, c. b. viij sol., II lib.

(*Fol.* 4[b]) Sequuntur nomina incipientium hujus anni.

Thomas Glasfurde, cujus bursa valet nichil.
Joh. Hum, nobilis, c. b. xj s.
Joh. Habrer, c. b. vj s.
Theodricus de Gouda, c. b. ix s.
Joh. de Foro, c. b. vij s.
Wilhelmus Scoten, c. b. vij s.
Joh. Teyst, c. b. vj s.
Alnerus Teyst, c. b. vj s.
Degenardus Hillebolt, c. b. v s.
Haquinus Andree, c. b. ix s.
Olavus Petri, c. b. viij s.
Jeronimus de Campendana, c. b. viij s.

Joh. de Kunicz, c. b. vj s.

Gherardus Possur, c. b. iiij s.

Joh. Wliegher, c. b. vij s.

Joh. Merhilt, c. b. vj s.

(*Fol.* 5) Paulus Rodulphi, c. b. vij s.

Joh. Heghen, c. b. viij s.

Theodricus Poes, c. b. vij s.

Petrus Loslem, c. b. iiij s.

Sequuntur misie facte post ultimum compotum.

In mense Julii, posui in archa viginti scuta Francie.

In vigiliis exequiarum mag. Blasii defuncti, pro distribucionibus magistrorum, I lib. ij alb.

In electione [1] mag. Judoci Zybrandi in proc. iiij s.

In continuacione [2] mag. Judoci Zybrandi, xvj s.

In vigiliis exequiarum mag. Joh. Lubech defuncti, I lib. v alb.

Pro una teda, dummodo erat controversia inter rectores in profesto S. Joh. Baptiste, vj s. ij alb.

(*Fol.* 5[b]) Pro cappa rectoris, videlicet mag. Roberti Masengaerb [3], II lib.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Eustacii Karbonier [4], II lib.

In profesto Assumptionis B. Marie, I lib. iiij s.

In continuacione [5] mag. Haquini in procur. iiij s.

In profesto N. D. Nativitatis,... I lib. iij s.

Mag. Johanni Theoderici pro servicio facto ebdomadatim per istum annum, VI lib.

Ita est. Haquinus Frille.

1462

[Receptoria Davidis Archas [6].]
(*Fol.* 7) Sequuntur misie :

Pro distribucionibus in electione novi receptoris, X lib.

In electione [7] mag. Theodrici de Gouda in procur., iiij s.

In continuacione [8] ejusdem, iiij s.

In vigiliis exsequiarum Johannis quondam bedelle (*sic*) et in missa ejusdem pro distribucionibus, III lib. iiij s.

In electione mag. Jeronimi Vynter in procur. et duabus continuacionibus ejusdem [9], xij s.

Pro domino doctore mag. Tilmano, v sol.

In vesperis B. Nicholai...

Pro deputatis qui visitaverunt scolas et communicaverunt cum magistro Dionisio Sulfur [10], vj s. vj d.

Quando dabantur fidejussores pro me receptore, dabantur notario ij s.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Nicholai Rypaud [11], II lib. iiij s.

(*Fol.* 7[b]) Pro deputatis qui interfuerunt dum libri vendicione exponerentur, ex conclusione nacionis, viij s.

Pro cappa rectoris, scil. mag. Petri de Sancto Martino [12], II lib. xij s.

1463

In electione mag. Leonardi Hemmerlyn et continuacione [13] ejusdem, viij s.

(*Fol.* 8) Sequuntur nomina bacululariorum istius anni.

David Levyngston, diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet xj sol., V lib. xv sol.

Nicholayus Rodulphi, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Reynerus Hanigrene, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Magnus Boy, diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes de Transsilvania, diocesis Transsilvanensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Hartongus Lang, diocesis Herbipolensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Jacobus Mouprat, diocesis Constantiensis, cujus bursa valet xij sol., VI lib. x sol.

Libvinus Blasenburgh, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

1. *Circa Maii* 6.
2. *Circa Jun.* 2.
3. *Rectoris a Mart. ad Jun., nationis Picard. Ap.* Bul., V, 922, *scribitur* Masengarbe ; *ap.* Spirgatis, p. 25, Masenguarbe *vel* Masenquerbe.
4. *Rectoris a Jun. ad Oct. Ap.* Spirgatis, p. 16, *occurrit* Eustacius Carbonis. *Errat* Bul., V, 922, *afferendo* Andream Wasselin, *Picard.*
5. *Circa Aug.* 26; *verisimiliter elect. proc. jam Julio mense.*
6. *Fol.* 6 *et* 6 b *vacua manserunt, in quibus describenda erat ornatis litteris electio novi receptoris, cujus nomen non comparet. At vid. infra* p. 949, 16.
7. *Circa Sept.* 23.
8. *Circa Oct.* 10.
9. *Circa Nov.* 18, *Dec.* 16 *et Januar.* 13 *an.* 1463.
10. *An agatur de* Dionysio de Soublefour, *decan. fac. med. an.* 1454-56 *dubitandum.*
11. *Rectoris ab Oct. ad Dec. Recte* Bul., V, 922. *Nic. Ripaut lic. in theol. an.* 1463 (1464) *Mart.* 28, *mag.* 1464 *Jun.* 4.
12. *Rectoris electi Dec.* 16. *Eum ignorat* Bul., V, 922, *pro eo afferens* Guill. de Tolobam, *Corosopitens.*
13. *Circa Febr.* 10 *et Mart.* 10 *an.* 1463.

Johannes Petkernen, diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Petrus Stark, diocesis Argentinensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Andreas Grunaw, diocesis Wermiensis, cujus bursa nichil, I lib. vj sol.

Theodoricus Dodonis, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Guillelmus Bysset, diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Andreas Hanko, diocesis Solotanisensis [1], cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Robertus Lok, diocesis Glasguensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Johannes Mod, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Alexander Cullan, diocesis Aberdonensis, cujus bursa valet xij sol., VI lib. x sol.

Petrus Leidis, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Jodocus Wollyng, diocesis Sedonensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Johannes Houk, diocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Rodulphus Amrein, diocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Jacobus Rupe, diocesis Leodiensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

(*Fol. 8*[b]) Cunrardus Schureckelm, dyocesis [S]pierensis [2], II lib. x sol.

Johannes Stoccar, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Adam Wynsterhelz, dyocesis ejusdem, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Stayngadmer, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Leisentrit, dyocesis Augustensis, cujus bursa iiij sol., II lib. x sol.

Sequuntur nomina incipientium :

Johannes Mollitoris [dioc. Missniensis], cujus bursa iiij s.

Marchus Doring, dioc. Missenensis, c. b. iiij s....

1463

(*Fol. 9*) Sequuntur nomina licentiatorum.

David Donyn, cujus bursa valet iiij sol., I lib.
Petrus de Diespach, c. b. x sol., II lib. v s.
Georgius Brown, c. b. vj sol., I lib. x s.
Jacobus Norde, c. b. vij sol., I lib. xv s.
Johannes Butsel, c. b. vij sol., I lib. xv s.
Jacobus Fodryngam, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Lucemburch, c. b. vij sol., I lib. xv s.
Arnoldus Michaelis, c. b. vij sol., I lib. xv s.
Hermanus Hak, c. b. ix sol., II lib. v s.
Jacobus de Gouda, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Poncianus Gererdi, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Hakyrman, c. b. iiij sol., I lib.
Michael Rostscher, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Utery, c. b. iiij sol., I lib.
Paulus Zabresky, c. b. iiij sol., I lib.
Georgius Herbar, c. b. iiij sol., I lib.
Petrus Wagner, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes de Mera, c. b. vij sol., I lib. xv sol.
Johannes Wagner, c. b. iiij sol., I lib.
Bertholomeus Werscoten, c. b. iiij sol., I lib.
Johannes Ameron, c. b. ix sol., II lib. v sol.
Zeino Petri, c. b. iiij sol., I lib.
Ulricus Teslar, c. b. iiij sol., I lib. [3].

(*Fol. 10*) Sequuntur misie facte post ultimum compotum.

In electione mag. Abraham [Alberti] in procur. et continuacione ejusdem [4], viij s.

In electione [5] Jeronimi [Vynter] in procur. iiij s.

Dum mag. Johannes de Lapide poneret peccuniam ad archam... ix s., iiii d.

Magistro David Harkas pro continuacione sui studii in theologia, ex dono gratuito, XIII lib. iiij s.

Pro cappa rectoris, videl. mag. Symonis Fukquer[o]l [6], II lib. iiij s.

In profesto Assumptionis B. Marie...

(*Fol. 10*[b]) Pro cappa rectoris, videl. mag. Johannis Priart [7], II lib. iiij s.

Mag. Johanni Theodrici pro servicio facto a festo

1. *I. c.* Solanicensis *vel* Oleswicensis *dioec., e Lundensi suffrag.*
2. *Obscura vox.*
3. *Sequuntur nomina incipientium, inter quos occurrunt fere omnes licentiati supradicti (praeter* Jac. de Gouda, Ponc. Gererdi, Berth. Werscoten, Joh. Ameron, Ulr. Teslar) *et praeterea* Alexander Cullan, cujus bursa XII s. *ac* Joh. de Carcovia, c. b. V s.
4. *Circa April. 7 et Maii* 5.
5. *Circa Jun.* 2.
6. *Rectoris a Mart. ad Jun. Necnon* Bul., V, 922, *dat* Simon Fequierolles (*leg.* Fouquerolles). *Licent. in theol.* 1465, *Dec.* 19; *mag.* 1466, *April.* 14.
7. *Rectoris a Jun. ad Oct.* Bul. V, 922, *temere vocat eumdem* Joh. Perat, *Remens. Occurrit etiam* mag. Joh. Priart *ap.* Spirgatis, l. c., p. 37.

Mathei usque ad recessum suum, IIII lib. xiij sol., I alb. JERONIMUS CAMPIDONIS.

1463

[Receptoria Leonardi Hemerly.]

(*Fol. 12*) Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio in festo beati Mathei apostoli et ewangeliste congregata veneranda natione Almanie apud Sanctum Maturinum super electione novi receptoris, electus fuit in receptorem prefate nationis magister Leonardus Hemerly, de Constantia oriundus, qui fecit misias et receptas que sequuntur.

In electione mag. Johannis Mathie et continuacione ejusdem [1], viij s.

Cum dominus antiquus receptor, videlicet mag. David Archas posuit peccuniam ad archam, x s. ij albos.

Cum nacio acceptavit dominos confederatos et coram ipsis proposuit, pro vino deputatis et proponenti, III lib. xiiij s.

In vigilia S. Eadmundi...

Pro prandio domini doctoris, videlicet mag. Thielmani [2], iiij s. d.

In electione [3] mag. Johannis Boilcz, iiij s.

(*Fol. 12*[b]) Pro cappa domini rectoris, videl. Philippi Bolart [4], II lib. vj s.

Pro cappatis in processione ejusdem, xj albos.

Pro cappellano nacionis nostre, videlicet mag. Johanni Kello [5], ex parte officii sui pro dimidio anno, III lib. x s.

In electione mag. Johannis Biutzel et continuacione [6] ejusdem, viij s.

In vigilia Purificacionis...

Dum corpus regine [7] adducebatur, procuratori, domino rectori et cappatis, x s.

In missa Universitatis que celebrabatur apud Jacobitas, vj s. d.

Pro cappa domini rectoris, videlicet mag. David Archas [8], II lib. vj s.

In electione [9] mag. Johannis Merhilt, iiij s. d.

JO. MERHILT.

1464

(*Fol. 13*) Sequuntur nomina baculariorum istius anni.

Johannes de Battunburg, dyocesis Monasteriensis, cujus bursa valet xiiij sol., VII lib. x sol.

Jacobus Canedi, dyocesis Sancti Andree [10], cujus bursa valet xij sol., VI lib. x sol.

Nicolaus Stockar, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet vj sol., III lib. x sol.

Adam Sötter, dyocesis Magu[n]tinensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Hainricus Sötter, dyocesis Magu[n]tinensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Johannes Sattler, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Nicolaus Payger, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol. II lib. x sol.

Nicolaus Harlem, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

Nicolaus Johannis, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Johannes Wissenhorn, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet vj sol., III lib. x sol.

Johannes Huffner, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Erhardus Kunt, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Ulricus Scheck, dyocesis Salczburgensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Fridricus Brotsorg, dyocesis Babenburgensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Georgius Lamp, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Johannes Scriptoris, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Hainricus Gernot, dyocesis Erpipolensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Nicolaus Denczwol, dyocesis Cizensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Arnoldus de Saraco, dyocesis Leodonensis [11], cujus bursa valet v sol., II lib. x sol.

Gwillermus de Gauda, dyocesis Trajectensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

1. *Circa Sept.* 23 *et Oct.* 21.
2. *Doctoris in fac. decret.?*
3. *Circa Nov.* 18. *Idem supra nominatur* Belze.
4. *Rectoris ab Oct. ad Dec., pro quo perperam* BUL., V, 922, *affert* Carol. Gouaffdour, *Corosopit.*
5. *Successori Johannis Theoderici in illo munere.*
6. *Circa Dec.* 16 *et Januar.* 13.
7. Mariae « d'Anjou », *matris Ludovici XI, defunctae Nov.* 29.
8. *Rectoris electi Dec.* 16. *Recte ap.* BUL., V, 922.
9. *Circa Febr.* 10.
10. *Inter incipientes* (*fol.* 21) *dicitur dioc.* Glascuensis.
11. *I. c.* Leodiensis.

Adam Spensz, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Grisz [1], dyocesis [Olomucensis], cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Georgius Casei, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Arnoldus Wāl, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet vij sol., IIII lib. x sol.

Guillermus Jameson, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Theodoricus de Gouda, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Galienus Michelis, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

Nicolaus de Gouda, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet v sol., II lib. x sol.

Johannes Clivis, dyocesis Coloniensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Hainricus Paeds, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Simon Andree, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Nicolaus Scibaudi, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.

Johannes de Sanon, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Hainricus Ganser, dyocesis ... (*sic*), cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

(*Fol. 13*[b]) Alexander Kech, dyocesis ... (*sic*), cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Erhardus Winsperg, dyocesis Basiliensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Arnoldus Buittilir, dyocesis ... (*sic*), cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Petrus Heremsperg, dyocesis ... (*sic*), cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Mathie, dyocesis Methensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Cristoferus Besch, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Petrus de Triveris, dyocesis Treverensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. xv sol.

Johannes Diell, dyocesis Magu[n]tinensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Gwillermus Hainrici, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Thomas Baisen, dyocesis Warmiensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Wilhelmus Hartum, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Conradus Ingolt, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet vij sol., III lib. xv sol.

Maternus Bomgart, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Loren, dyocesis ... (*sic*), cujus bursa valet nichil, I lib. vj sol.

Egnolfus Wildenstein, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Johannes Kiersperg, dyocesis Magu[n]tinensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Lucas Dingsem, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet ix sol., IIII lib. x sol.

Hainricus Molitoris, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol. par.

Wilhelmus Sartoris, dyocesis [Sedunensis], cujus bursa valet iiij sol., II lib. x sol.

Gwillermus Winsel, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

Bacularius receptus.

Rŭbertus Blacatir, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet viij sol., IIII lib. x sol.

Jo. Merhilt.

(*Fol. 14*) Sequuntur misie facte post ultimum compotum.

Anno 1464, in die compoti pro distribucionibus, X lib. viij s. p.

Mag. Alberto Scriptoris, ex dono XXII lib.

In continuacione [2] mag. Johannis Merhilt, iiij s. d.

In electione mag. Marci Doring [3] et continuacione ejusdem, viij s. p.

In processione domini rectoris, videlicet mag. Martini Magistri [4] iiij s. p.

Item mag. Johanni Kello, xvij sol. p.

1. *Idem posterius vocatur* Krzyz.

2. *Circa Mart.* 10. Joh. Merhilt *occurrit ap.* Spirgatis, p. 48. — *Ejus mensis die* 8 Joh. Crutton *vel* Creton, *mag. nat. Alemanniae ac* Goswinus Schopenagel, *bedellus ejusdem, cum aliis nuntiis reliquarum facultatum et nationum legati ad regem, partem accipiunt bursae capitalis II sol. per Universitatem impositae* (*ap.* Spirgatis, p. 3 et 46).

3. *Ms.* Tuiring. *Circa April* 7 *et Maii* 6.

4. *Rectoris a Mart. ad Jun. Ap.* Bul., V, 922, *falso affertur* Quintinus Justoti, *dioec. Aeduensis. Martinus Magistri lic. in theol.* 1473 (1474) *Febr.* 12, *mag. penultima Martii. In Navar. educatus, collegium S. Barbarae rexit, postea confessor fuit Ludovici XI. Cf.* Launoi, Nav. Gymn. p. 592 sq.; J. Quicherat Hist. de Sainte-Barbe, I, p. 33 *sqq.*

1464

(*Fol. 15*) Sequuntur nomina licentiandorum.

David Levyngston, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet xj sol., II lib. xv sol.

Gwillermus Winsen, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet viij sol., II lib.

Reynerus Hanigrene, dyocesis Trajectensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol.

Petrus Starck, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol. par.

Hainricus Molitoris, dyocesis Argentinensis, cujus bursa iiij sol., I lib.

Nicolaus Rodulphi, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Theodoricus Dodonis, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Johannes Stocker, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Andreas Hancko, dyocesis [Oleswicensis], cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Levinus Blasenburg, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Jacobus de Rupe, dyocesis Leodonensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Petrus de Le[y]dis, dyocesis Trajectensis, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol.

Johannes Houck, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet vij sol., I lib. xv sol. par.

Johannes Modd, dyocesis Trajactensis, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol. par.

Lucas Dingesheim, dyocesis Argentinensis, cujus bursa valet ix sol., II lib. v sol. par.

Magnus Boy, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., I lib. v sol. par.

Johannes Petkernen, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Petrus Fůcht, dyocesis Constantiensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Johannes Leisentrit, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Johannes Staingadmer [1], dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Adam Vinsterholcz, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib.

Wilhelmus Sartoris, dyocesis Sedunensis, cujus bursa valet iiij sol., I lib. [2]. Marcus Doring.

1464

(*Fol. 17*) Substitutio magistri Johannis Winterling, de Rottenburg cis Necarum, in receptorem venerande nationis Almanie, ob recessum Leonhardi Hemerlin de Constantia.

Habita congregatione prelibate nationis apud Sanctum Maturinum anno Domini 1464°, post (*sic*).

Sequitur misia ejusdem :

In festo Visitacionis B. Marie...

Pro cappa rectoris, videlicet mag. Anthonii de Bosco [3], xxxvj s. [4].

1464

[Receptoria Johannis de Islandia.]

(*Fol. 18*) Anno Domini millesimo CCCC^mo^ sexagesimo quarto, vicesima 2ª die mensis Septembris facta congregatione venerande nationis Almanorum apud Sanctum Maturinum electus fuit in receptorem prefate nationis magister Johannes de Irlandia, qui fecit misias et receptas que sequuntur.

In continuacione [5] mag. Zenonis, iiij s.

In processionibus mag. Anthonii de Busco [rectoris]...

In electione [6] mag. Johannis de Lusunburg, iiij s.

In exequiis Gobelli nuncii magistrorum de Hollandia, III lib. iiij s.

Pro cappa domini rectoris, videlicet magistri [Johannis] Juratoris [7] xxxvj s.

In continuacione [8] mag. Joh. de Lusunburg, iiij s.

Mag. Martino Magistri pro resta de cappa sua, iiij s.

In vigilia S. Eadmundi pro distribucionibus...

(*Fol. 18^b^*) Pro cappa domini rectoris, videlicet mag. Johannis Parmentarii [9], xxxvj s.

In crastino B. Katherine...

(*Fol. 19*) In festo Purificacionis...

1. *Inter incipientes vocatur* Staingatnerr.
2. *Sequuntur nomina incipientium. Omnes lic. incipiunt, praeter* Henr. Molitoris, Levinus Blasenburg, Joh. Modd, Joh. Peekernen, Wilhelmus Sartoris. *Additur* Thomas Glasfurd, d. S. Andr.
3. *Rectoris a Mart. ad Jun. Recte* Bul., V, 922.
4. *Sequitur syngraphum quo Jac. Malaquin, pitanciarius S. Genovefae, testatur se pecuniam a receptore accepisse an.* 1464 *Julii* 4. *Perpauca scripsit receptor substitutus.*
5. *Circa Sept.* 23, *sed ejusdem prima electio non notata est.* — *Ms.* Zenois.
6. *Circa Oct.* 21.
7. *Rectoris a Jun. ad Oct., et sic ap.* Bul., V, 922.
8. *Circa Nov.* 18.
9. *Rectoris a Dec. ad Mart.* 1465. *Recte* Bul., V, 922.

1465

In electione[1] mag. Reyneri [Hanegrene], iiij s.
Pro exequiis Jacobi nuntii nuper defuncti, III lib. ij s.
Magistro Johanni Kello pro servicio ebdomadatim facto, IIII lib. viij s.

(*Fol. 19ᵇ*) Sequuntur nomina baccalariorum istius anni.

Cornelius Velthusen, cujus bursa valet v sol., II lib. xv sol.
Bonifacius de Gouda, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Ricardus Bilaer, c. b. viij sol., IIII lib. x sol.
Galterus Bock, c. b. nichil, I lib. x sol.
Gerardus Oudewater, c. b. viij sol., IIII lib. x s.
Johannes Mockeren, c. b. v sol., II lib. xv sol.
Andreas Hoernbach, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Stadlin, c. b. nichil, I lib. x sol.
Johannes de Alsentia, c. b. 4^{or} solidos, II lib. x s.
Johannes Lost, c. b. nichil, I lib. vj sol.
Nycolaus Richart, c. b. nichil, I lib. vj sol.
Anthonius Bisch, c. b. valet vj sol., III lib. x sol.
Antonius Kriessem, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Jacobus Scidammis, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Otto Tengnagel, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Henricus Jacobi, c. b. iiij sol., II lib. xj sol.
Johannes Dagherait, c. b. valet viij s., IIII lib. xj s.
Johannes Vammehaghen, c. b. valet v s., II lib. xv s.
Gilbertus Hessel, c. b. nichil, I lib. vj sol.
Stephanus Rumelaer, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Theodricus Fleugel, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Nycolaus Cameron, c. b. 4^{or} sol., II lib. x sol.
Martinus Medelea, c. b. v sol., II lib. xv sol.
Johannes Veltberch, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Cristianus Lupi, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Jacobus Ungelinck, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Cornelius Petri, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Johannes Hugonis, c. b. vij sol., III lib. x sol.
Theodricus Nycolai, c. b. iiij sol., II lib. x sol.
Stephanus de Venhengen, c. b. nichil, I lib. vj sol.
Anthonius Tarnau, c. b. 4^{or} solidos, II lib. x sol.

(*Fol. 20*) Sequuntur nomina baccalariorum aliarum universitatum Parisius receptorum.

Andreas Stevart, cujus bursa valet x s., V lib. x s.
Thomas Giffort, c. b. iiij sol., II lib. x s.
Petrus Felly, c. b. vij sol., III lib. xvj s.
Petrus Rometz, c. b. v sol., II lib. xv s.

Sequuntur nomina incipientium istius anni.

Johannes Petcarii, cujus bursa..., I lib.
Johannes Petri, c. b. 4 sol., I lib.
Ita est. R. Hanegrene[2].

(*Fol. 21ᵇ*) Nomina baccalariorum temptatorum post primum compotum.

Theodericus Johannis, c. b. 4 sol., II lib. x sol.
Gisbertus Johannis, c. b. 4 sol., II lib. x sol.
Guillermus Lenoch, c. b. ix s., 4 lib. xv sol.

1465

(*Fol. 22*) Sequitur misia facta post primum compotum.

In continuacione mag. Reyneri [Hanegrene], 4 s.
In processionibus mag. Parmentarii, octo s., octo d.
Decano mag. Johanni Eggart et aliis qui visitaverunt scolam, *in corona* feci duas cenas, xiiij s.
Dedi mag. Johanni Eggart ij s., 8 d., quos exposuit in absencia mea.
Cum procurator cum multis aliis visitaret scolas ad conferendum cum operariis, exposui *in campana parsisca* x s.
Quando mag. Godfridus Normani et mag. Joh. Eggart fecerunt forum cum carpentario, *in campana parsisca*, xij s. octo d.
In festo Annunciationis B. M.
In electione Jacobi Byndop, 4 s.
In continuacione ejusdem, 4 s.
Ad ponendum cathedram in *antiquis scolis* octo s.
Mag. Guillelmo Nycolay[3] pro cappa, II lib.
Pro apercione arche[4] tempore mag. Jac. Byndop, x s. octo d.
Eadem die quando mag. Joh. Eggart, Gengenbach[5] et alii deputati fecerunt forum pro imperatore[6] et cum lathomis pro solariis et dederunt pecuniam carpentario, exposui pro eis et operariis *in ocrea* x s.
Ita est. Patricius Lech.

1. *Circa Febr.* 10.
2. *Reynerus Hanegrene, tunc procurator nationis, studebat medicinae Paris., nam an.* 1470 *Mart.* 13 *in fac. med. probavit* 57 *menses cum dimidio et ad licentiam admissus est.* (Comm. fac. med., II, p. 270). *An.* 1472 *rector Univ. fuit* (*quem* Bul. *scribit* Henegrant).
3. *Rectoris a Mart. ad Jun. Recte* Bul.
4. *I. e. Maii* 7. *Vide infra* p. 960, 22.
5. *I. e.* Joh. Mathias de Gengenbach, *de quo cf.* Budinszky, Die Univ. Paris., p. 140.
6. *I. e. pro imagine Imperatoris sculpenda. Vid. infra* p. 962, 7.

LIBER PROCURATORUM

NATIONIS ALEMANNIAE

1465

[Procuratoria Jacobi Biindop[1].]
(*Fol. 208*) Nomina licentiatorum anno Domini M° CCCC° LXV.

Jacobus Kanedi [cujus bursa valet] xij sol.
Nicolaus Nicolai de Haerlem, c. b. v. viij sol. par.
[Johanne]s Scriptoris[2], iiij solid.
Johannes Satlar, iiij sol.
Symon Andree, vij sol.
Henricus Paeds, vij sol.
Nicolaus Johannis[3], v sol.
Johannes de Transilvania[4], iiij sol.
Johannes Hoevenair, v sol.
Nicolaus Tantzwol, iiij sol.
Gherardus Coevoet, v sol.
Galienus Michaelis, viij sol.
Nicolaus Siboudi, v sol.
Johannes Clivis, viij sol.
Arnoldus Bottelgier[5], nichil.
Adam Spense, iiij sol.
Nicolaus Bayer, viij sol.
Robertus Lock, iiij sol.
Johannes Loghen, nichil.
Theodricus de Gouda, iiij sol.
Ericus Neuelingk, viij sol.
Johannes Waidman, vj sol.
Nicolaus de Gouda, v sol.
Robertus Blakadir, viij sol.
Georgius Lam, v sol.
Guillelmus Jameson, iiij sol.
Guillelmus de Gouda, v sol.
Martinus Johannis, v sol.

Sequuntur nomina incipientium anno Domini M° CCCC° LXV.

Dominus Jacobus Kanedy, xij solid.
Dominus Galienus Mychaelis, viij sol.
Dominus Ericus Neuelingk, viij sol.
Dominus Johannes Hoevenair, v sol.
Dominus Robertus Blakadir, viij sol.
Dominus Nicolaus Nicolai, viij sol.
Dominus Johannes Clivis, iiij sol.
Dominus Henricus Paeds, vij sol.
Dominus Symon Andree, vij sol.
Dominus Johannes Waidman, vj sol.
Dominus Gherardus Coevoet, v sol.
Dominus Nicolaus Siboudi, v sol.
Dominus Nicolaus Tantzwol, iiiij sol.
Dominus Johannes de Transilvania, iiij sol.
Dominus Nicolaus Johannis, v sol.
Dominus Johannes Scriptoris, iiij sol.
Dominus Adam Spense, iiij sol.
Dominus Georgius Lam, v sol.

Anno Domini ut supra XXIIII^a mensis Aprilis convocata fuit honoranda nacio Alemanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus exstitit ad terminandum difficultatem motam super

1. *Abhinc libro procuratorum uti licet. Fragmentum tantum superest* (*Arch. Univ. Paris.* n° 8 *bis*) *libri jamdiu mutilati, nam numeri appositi foliis saeculum* XV *redolent et tamen quoad numerationem fini voluminis n*° 8 *optime cohaerent.*

2. *Qui prior Sorbonae electus est an.* 1478 (1479) *die Annuntiationis* (Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5494 A, *fol.* 74).

3. *In* lib. recept. *vocatur* Nicolaus de Gouda.

4. *In* lib. recept. *dicitur* Joh. Schostregel.

5. *In* lib. recept. *legitur* Arn. Huttelier.

licencia cujusdam baccalarii nacionis habenda (?). 2us erat communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni quod predictus baccalarius beneficium licencie susciperet, visis et auditis hinc inde que pro ipsius parte proposita sunt. Quoad secundum articulum nulla fuit supplicatio nacioni porrecta, etc. Ja. Biindopp.

1465

(*Fol.* 208 b) Continuacio magistri Jacobi Biindop, Trajectensis diocesis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto VIa die Maii congregata fuit veneranda nacio Alemanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus extitit super electione novi procuratoris aut continuatione antiqui. 2us super supplicationibus, etc. Quantum ad primum, placuit nationi continuare in officio procuratorem antiquum. Quoad secundum porrexit idem procurator more solito nationi suam supplicationem ut ipse haberetur gratus et avoatus et omnia acta per ipsum grata, rata et avoata. Cujus supplicatio fuit concessa.

Septima die mensis Maii anni Domini ut supra celebrata est congregatio alme Universitatis studii Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus habuit duas partes; prima pars extitit super materiam litis pro captione pergameni pendentis in curia parlamenti inter abbatem et conventum Sancti Dyonisii ex una et Universitatem Parisiensem partibus ex altera; secunda pars fuit super provisione suppositorum Universitatis Parisiensis et materia privilegiorum ejusdem. 2us articulus erat communis. Quantum ad primam partem primi articuli placuit Universitati quatenus dominus rector faceret diligentiam sibi possibilem in predicto processu, et cum advocatus Universitatis aliunde esset legitime impeditus, dominus rector cum consilio deputatorum assumeret quemdam alium virum ydoneum et jurisperitum qui fideliter ac vigilanter causam memorate litis ageret nomine Universitatis et tractaret; quodque dominus rector traderet advocato pro duplicatione quorumdam scriptorum tangentium dictum processum pecuniam secundum taxam communem. Quoad 2am partem ejusdem articuli, regraciata est Universitas domino rectori, dominis deputatis et magistro Johanni Pennezier qui proposuerat pro parte Universitatis coram domino balivo Senonensi et procuratore regio ceterisque dominis in curia parlamenti pro suis diligentiis et laboribus assumptis nomine Universitatis in materia provisionis et privilegiorum; placuitque Universitati quod ex parte Universitatis secundo dirigantur litere regie majestati sub ea forma, ut prius scriptum est, ut ipsa dignaretur Universitati Parisiensi concedere extunc et integre omnia sua privilegia quibus solita est gaudere tempore regis ultimo defuncti. Quantum ad 2m articulum supplicarunt in Universitate quidam magistri pro literis gradus; quorum supplicationes fuerunt admisse, probatis probandis.

Preterea congregata nacione Alemanorum ad partem et deliberatione [habita] super propositis in medium per dominum rectorem, comparuit in facie nationis honestus vir Nicolaus Goes carpentarius, supplicans nationi ut secundum formam contractus secum initi natio traderet sibi partem pecuniarum debitarum pro lignis et laboribus quos fecerat aut facturus esset in edificio scolarum nationis. Super quo prehabita concordi deliberatione magistrorum placuit nationi aperire archam suam et tradere dicto carpentario XXX scuta de thesauro nationis in defalcatione pretii et expensarum et laborum quos facturus erat in reparatione et structura scolarum nationis. Ja. Biindopp [1].

1465

[Procuratio magistri Patricii Leiche, canonici Glascuensis.]

(*Fol.* 209) Anno [2] Domini millesimo CCCCo sexagesimo quinto, primo scilicet die mensis Junii congregata fuit veneranda Alemanorum nacio super duobus articulis. Quorum primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus fuit communis. Quoad primum placuit antedicte nacioni procedere ad electionem novi procuratoris, et elegerunt magistrum Patricium Leche, canonicum ecclesie cathedralis Glasguensis, via Spiritus sancti, nemine scilicet contradicente. Quoad secundum articulum habuerunt dominum antiquum ratum et gratum et facta per eum rata et grata.

Anno quo supra die XXa Junii congregata fuit alma Universitas Parisiensis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum diligencias factas in processu pergameni inter Universitatem et abbatem et conventum Sancti Dionisii;

1. *In margine infimo legitur* : Ista procuratoria continet tres paginas, *nunc vero duo tantum supersunt, fol.* 202-207 *amissis.*

2. *Quae sequuntur usque* p. 965, 14, *partim edidit* Jourdain, Index, no 1359.

2us ad recipiendum resignationem cujusdam librariatus; 3us communis. Quantum ad primum rector exposuit quod oportebat dare contradicta in processu et pecunias advocatis et procuratoribus. Et placuit Universitati quod traderentur pecunie pro contradictionibus secundum taxam communem; insuper singule facultates regraciate sunt domino rectori pro magnis laboribus sumptis per eum ob commodum et utilitatem dicte Universitatis. Quoad secundum Universitas recepit resignationem librariatus factam per procuratorem Nicholai le Faucher et contulit Johanni Bonhomme. Quantum ad tercium rector supplicavit ut haberetur ratus et gratus et similiter facta per eum rata et grata. Cui Universitas annuit in forma.

Anno quo supra XXII^a die ejusdem mensis congregata fuit veneranda artium facultas apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis. Primus fuit ad novum rectorem eligendum, 2us communis. Quantum ad primum placuit facultati procedere ad electionem novi rectoris, pro qua veneranda Almanorum nacio dedit intrantem discretum virum magistrum Johannem de Yrlandia dyocesis Sancti Andree, qui uniformiter cum aliis via Spiritus sancti elegit honorandum dominum magistrum Gaufridum Normani nacionis Piccardie, qui post multas excusaciones tandem ex precepto facultatis et ad requestam amicorum, prehabito etiam consilio et auxilio sue nacionis, officium hoc rectorie in se acceptavit prestando in facie facultatis juramenta solita et consueta. (*Fol. 209* b) Quantum ad secundum dominus antiquus supplicavit ut advoaretur, etc. Cujus supplicatio admissa fuit. Item dominus intrans narravit in facie nacionis modum electionis et supplicavit ut haberetur ratus et gratus; cui natio annuit. Demum novus rector fecit facultati duas consuetas supplicaciones; quantum ad primam regratiata est facultas intrantibus qui tantum virum elegerunt, parataque sibi fuit prebere concilium, auxilium et favorem in omnibus agendis; de secunda eo quod grata fuit facultas fuit contenta ipsum associare usque ad suam domum et ibi sumere species et vinum.

Anno quo supra, X^o die Julii, congregata fuit veneranda Almanorum nacio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit penes edificacionem scole et habendas pecunias ad dandum artificibus et laborantibus, et quantum ad hoc placuit nacioni ut caperentur pecunie de archa et quod deliberarentur deputatis ad ministrandum artificibus, ita tamen quod primo caperent compotum ab eis antequam plures deliberarent. Unde eodem die post prandium deliberata fuerant deputatis nonaginta scuta et nichil remansit in archa. Secundo placuit nacioni quod anterior pars nostrarum scolarum esset conformis anteriori parti scolarum nacionis Normanie quoad tectum, etc. Secundus articulus fuit communis super suplicationibus, etc. et tunc suplicavit sculptor ymaginis imperatoris quod sibi daretur scutum ad propinam, unde nacio ei annuit, dummodo videretur magistris nacionis quod ymago esset sculpta secundum quod decet, etc.

Anno Domini quo supra, XV^a die Julii, congregata fuit apud Sanctum Maturinum veneranda Alemanorum nacio super 2^bus articulis. Primus fuit super receptione cujusdam baccalarii, secundus communis. Quantum ad primum quidam baccalarius, Guillelmus Lenax [1] nomine, dyocesis Sancti Andree, suplicavit ut admitteretur tanquam baccalarius et quod ex gratia isto anno possit procedere, et ad probandum se esse baccalarium produxit in medium quamdam literam per quam sufficienter probavit intentum. Unde nacio, visa et intellecta litera, inspectis etiam et consideratis meritis persone et etiam quibusdam aliis circumstanciis, graciose annuit utrique.

Anno eodem XIX^a die Julii apud Sanctum Maturinum convocata fuit alma Parisiensis Universitas super 2^bus articulis. Primus fuit pro aliquibus concernentibus statum et adventum domini nostri regis; secundus communis. Quantum ad primum placuit singulis facultatibus visitare dominum nostrum regem juxta formam instructionum ibi lectarum, et electus fuit in proponentem magister Johannes Painecher. Insuper ibidem lecte fuerunt littere quedam transmisse a magistro Guillelmo Bouillé decano Noviomensi, que continebant ipsum presentasse litteras Universitatis summo pontifici, cujus occasione singule facultates sanctissimo patri nostro, collegio cardinalium et sibi retulerunt multimodas graciarum actiones.

Die XVI^a predicti mensis Universitas celebravit missam apud Predicatores et die sequenti apud Carmelitas pro statu regis et regni.

Anno quo supra die XXVI^a prefati mensis congregata fuit alma mater nostra Universitas Paris. apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua dicta per oratores domini nostri regis domino rectori et dominis deputatis Universitatis. Secundus communis. Quoad primum placuit audire; unde ex precepto rectoris et ex parte

1. *Scribitur* Lenoch *in* lib. recept. *fol.* 21 b, *et infra.*

deputatorum magister Johannes Painecher retulit multa pro regis justificatione, ostendendo fratres per suos adversarios intentos, qui quidem per oratores regis ad longum declarati erant; quibus auditis singule facultates regraciate sunt domino regi et suis oratoribus, et concluserunt processiones pro manutenencia regis, regni et Universitatis, etc.

Die vero XXVIII^a Julii Universitas fecit processiones solempnes apud ecclesiam beate Katherine de Valle scolarium et eodem die magister Johannes Painecher ex parte Universitatis proposuit coram rege in palacio, in domo cantoris ejusdem.

Anno ut supra XXX^a die mensis antedicti alma Parisiensis Universitas convocata fuit apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem Painechere et eciam aliqua alia proposita ex parte regis per suos oratores coram deputatis. Quantum ad primam partem Universitas multimodas graciarum actiones retulit magistro Johanni Painechere de sua notabili propositione. (*Fol. 210*). Quantum ad 2^m sepedictus magister Johannes Paincher retulit ea que dicta erant domino rectori et deputatis per oratores domini nostri regis, que quidem dicta videbantur justa et bene sonantia pro parte regis [1], dummodo vera essent. Voluit insuper Universitas suplicare regi pro expedicione et deliberacione magistri Roberti Johannis qui tunc temporis detentus erat in *bastilia Sancti Antonii*. Regraciabatur eciam domino regi eo quod dignatus est ex sua gracia facere intimare secreta sua filie sue Universitati Parisiensi.

Anno quo supra die XVII Augusti congregata fuit alma Universitas Parisiensis super duobus articulis apud Sanctum Maturinum. Primus fuit ad audiendum lecturam quarumdam litterarum transmissarum a rege; 2us communis. Quantum ad primum placuit audire, et continebant dacionem novi locumtenentis, videlicet comitis Augi; et quod Universitas reciperet [eum] cum omni reverencia et honore et quod preberet eidem concilium, auxilium, assistenciam et favorem in omnibus suis agendis. Unde singule facultates annuerunt precepto et regraciate sunt excellentissimo domino nostro regi super dacione tanti et talis viri in locumtenentem; voluerunt eciam eum visitare et ei offerre preces et oraciones, et electus fuit in proponentem magister Guillelmus de Castro forti qui libenter in se assumpsit onus et eligantem coram eo fecit propositionem, ortando ipsum ad pacem, et obtulit ei preces et oraciones. Insuper eodem die conclusum fuit quod mitterentur littere domino regi pro liberacione domini decani Pictavensis. Quantum ad secundum articulum duo magistri suplicarunt pro litteris gradus, et Universitas annuit probatis probandis.

Die vero sequenti Universitas fecit processionem apud Sanctum Maglorium.

Anno predicto XXII Augusti, hora quasi 2^a post prandium, congregata fuit Universitas Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad audiendum lecturam quarumdam litterarum transmissarum Universitati ex parte domini Biturie, que continebant quod Universitas mitteret quinque vel sex cum illis de aliis communitatibus ville Parisiensis [2]. Unde Universitas conformiter ad alias communitates misit quatuor, videlicet magistros Johannem Lulier, Johannem de Moutingny, Enguerrandum de Parenty et Jacobum Junii [3] ad audiendum et referendum solum; qui die sequenti iverunt apud principes existentes *à Beualté* [4].

Anno Domini ut supra XXIIII die mensis Augusti congregata fuit alma Universitas Parisiensis in Bernardinis ad audiendum relacionem dominorum ambassatorum qui missi erant apud dominum ducem Biturie et ceteros dominos de sanguine. Unde in facie Universitatis, nomine et ex parte aliorum, magister Johannes Lulier retulit que dicta fuerunt et proposita per dominos antedictos, quorum voluntas fuit ut Universitas preberet eis concilium, auxilium et assistenciam omnimodam, ad hoc quod congregarentur tres status regni pro commodo et utilitate, ut ipsi dixerunt, et regis et regni et eciam tocius rei publice. 2° voluerunt dicti domini habuisse liberum passagium et introitum in villa Parisiensi, attentis et consideratis premissis; et quantum ad ista duo Universitas voluit se conformare dominis de villa et ceteris communitatibus; unde pro conclusione habenda super premissis convenerunt in domo ville ex parte Universitatis eodem die post prandium certi deputati, qui ibidem una cum aliis communitatibus dixerunt suas opiniones super premissis etc. Regraciabatur

1. *Imposito propter vinum, nuper contra privilegia Univ. exacto, rex renuntiabat. Vid.* Ordon. des rois, XVI, p. 333. *Tum etiam omnibus Parisiensibus ea imposita mitigata sunt. Cf.* Jean de Roye, *ed.* B. de Mandrot, I, p. 76.

2. *Idem narrat* Jean de Roye, Chronique scandaleuse, *ed.* B. de Mandrot, p. 87. *Cf.* Maupoint, Journal, p. 63.

3. *Ap.* Jean de Roye, *l. c. enumerantur* Me Jaques Juing, lisant pour la faculté des ars; Me Jehan Luiller, pour Theologie; Me Jehan de Montigny, pour Decret; Me Enguerran de Parenti pour Medicine. — *Jac. Junii occurrit ap.* Spirgatis, l. c. p. 5 (*ubi* Junus); *postea doctor in decr., curatus S. Johannis in Gravia, consiliarius in parlamento* (an. 1478), *episcopatum ambivit* (vid. B. de Mandrot, p. 89, *not.*).

4. Beauté-sur-Marne, *prope nemus Vincennarum.*

insuper Universitas dominis ambassatoribus et precipue magistro Johanni Lulier super sua fideli et succincta relacione. Placuit eciam Universitati quod iterum mitteretur ambassata usque illos dominos, dummodo placeret illis de villa, etc. Voluit eciam quod fieret prohibicio ne quisquam scolaris aut magister iret prope Secanam durante hoc tempore et quod super hoc affigeretur una littera in introitu Collegii Naverre cum pena apposita, et quod in crastino ibi cantaretur missa pro statu et manutenencia regis et regni; item quod tunc ante recessum de Bernardinis cantaretur ymnus « Veni creator Spiritus ». Quod et factum est, etc. PATRICIUS LEICHE,

Canonicus Glasguensis, Scotus.

1465

(*Fol. 210*[b]) Continuacio magistri Patricii Leiche, canonici Glasguensis,

Anno Domini M° CCCC° sexagesimo quinto, mensis vero Augusti die XXVI[a] congregata fuit veneranda Almanorum nacio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super celebranda electione novi procuratoris vel continuacione antiqui; 2[us] communis. Quantum ad primum placuit nacioni continuare dominum antiquum; quantum ad 2[um] dictus procurator suplicavit nationi ut haberetur ratus, gratus et advoatus et facta per eum rata et grata. Cujus supplicacioni nacio annuit in forma, etc.

Anno quo supra, die martis videlicet XXVII[a] die mensis ejusdem congregata fuit alma Universitas Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad previdendum pro quibusdam excessibus illatis studentibus per gentes armorum, eo quod intraverunt eis invitis in eorum collegia et cameras; 2[us] fuit communis. Quantum ad primum placuit Universitati quod dominus rector proponeret ista coram domino locumtenente et quod super predictis vexacionibus et injuriis ipse dominus locumtenens de remedio previderet oportuno, si sibi placeret; et casu quo rector ab eo non exaudiretur, voluit Universitas quod dominus prepositus Paris. requireretur super premissis virtute juramenti, unde onus istud dominus rector in se libenti animo assumpsit, etc.

Die XXI[a] mensis Septembris anno quo supra congregata fuit veneranda Almanorum nacio apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad legendum statuta in facie nacionis palam et publice, ut moris est; 2[us] erat ad elegendum novum receptorem vel antiquum continuandum, et eciam ad audiendum compotum ipsius antiqui; 3[us] erat communis. Quantum ad primum lecta fuerunt statuta; quantum ad 2[m] placuit nacioni procedere ad electionem novi receptoris, et electus fuit venerabilis et discretus vir magister Gherardus Houet[1], dyocesis [Coloniensis]. Auditus eciam fuit compotus per certos deputatos. Quantum ad 3[m] multi suplicaverunt pro regencia et scolis, quorum suplicaciones admisse fuerunt. Suplicaverunt insuper bedellus et subbedellus pro continuacione in eorum officiis; quorum suplicacionibus nacio annuit; voluit tamen quod uterque eorum prestaret caucionem sufficientem pro virgis nacionis et hoc in proxima congregacione sequenti. Suplicavit eciam receptor antiquus audito compoto quod haberetur ratus et gratus et facta per eum similiter rata et avoata; cujus suplicacioni nacio graciose annuit. Tres tamen aut quatuor magistri, nescio quo zelo ducti, se opposuerunt quoad summam XIII libr. sibi abante per nacionem graciose concessarum ad gradum suum bacchalariatus in aliqua superiorum facultatum.

1465

[Electio procuratoris mag. Everardi Custodis de Harlem].

(*Fol. 211*) Anno Domini M° CCCC° sexagesimo quinto, vicesima tercia die mensis Septembris convocata fuit veneranda natio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem dicte nacionis vel ad continuandum antiquum; secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Et quoad primum placuit dicte nationi procedere ad electionem novi procuratoris, et elegit magistrum Everardum Custodis de Harlem, Trajectensis dyocesis, concorditer et via Spiritus sancti. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus procurator antiquus ut haberetur gratus, ratus et avoatus, et acta per eum rata et grata; cujus supplicacioni natio annuit in forma.

Anno quo supra die decima mensis Octobris convocata fuit veneranda artium facultas apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis. Primus fuit super electione novi rectoris; 2[us] era[t] communis, etc. Quantum ad primum dati sunt intrantes de qua tuor nationibus juxta consuetudinem antiquam, et de natione Anglicana datus fuit discre-

1. *Is vocatur* Hoest *in lib. recept. et infra* p. 967, 11.

tus et honestus vir magister Zeno de Campis; qui cum aliis elegit honorabilem virum magistrum Petrum Martini [1] de veneranda natione Normanie.

Anno quo supra convocata fuit predicta natio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad avisandum modum habendi pecunias ad perficiendum scolas predicte nationis, et fuerunt dati deputati ad accedendum venerandam nationem Piccardie ad supplicandum pro mutuo centum scutorum, et erant deputati procurator, receptor mag. Gherardus Hoest et mag. Johannes Egghert.

1465

[Continuatio Everardi Custodis de Harlem.]

(*Fol. 211*[b]) Anno quo supra congregata fuit veneranda natio Anglicana [2] apud Sanctum Maturinum, vicesima prima die mensis Octobris super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; et quantum ad istum articulum placuit nationi continuare antiquum, et quantum ad 2[m] supplicavit dictus procurator ut haberetur gratus et avoatus; cujus supplicacioni annuit natio in forma.

Anno quo supra 2[a] die mensis Octobris fuit facta congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum quasdam litteras compositas per dominum rectorem antiquum ad mittendum certis principibus regni Francie pro recommendatione Universitatis Parisiensis. 2[us] fuit super supplicationibus et injuriis. Et quantum ad illum supplicavit dominus rector pro assistencia, auxilio, consilio et favore; cujus supplicatio fuit admissa in forma. Item supplicavit subbidellus venerande nationis Anglicane pro restitutione virge nationis dicte ei sublate in die electionis receptoris ejusdem nationis; cujus supplicatio fuit admissa, hac conditione apposita ut dictus bidellus procuraret sibi cautionem burgensem ante festum Natalis Dominis sub pena privationis officii sui bidellatus; et si non poneret cautionem ante terminum predictum, ipse esset ab officio privatus.

Anno quo supra convocata est natio Anglicana [3] ad eligendum unum ambaxiatorem mittendum ad illustrissimum dominum ducem Normanie cum aliis ambaxiatoribus aliarum facultatum et nationum. Et electus fuit venerabilis vir dominus prepositus Sancti Andree in Scotia, magister Johannes Kanede. Quantum ad 2[m] articulum nemo supplicavit.

1465

(*Fol. 212*) Electio [4] procuratoris magistri Johannis Eggairt de Amstelredam partium Hollandie acoliti, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, mensis Decembris die decima sexta hora octava de mane congregata fuit veneranda Almanorum natio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris aut continuatione antiqui; secundus extitit communis super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum constanter asserente venerabili viro magistro Everardo Custodis de Haerlem procuratore antiquo se nullatenus velle continuari, placuit nationi procedere ad electionem novi procuratoris; elegitque concorditer nemine discrepante in procuratorem magistrum Johannem Eggairt de Amstelredam, Trajectensis dyocesis, artium magistrum et in sacra theologia baccalarium. Quantum ad 2[m] articulum supplicavit procurator antiquus ut haberetur ratus gratus et advoatus, et facta per eum rata grata et advoata; cujus supplicationi natio annuit in forma.

Celebrata autem sic ut premittitur electione novi procuratoris magistri Johannis Eggairt, ipse una cum venerabilibus magistris venerande nationis Almanorum a Sancto Maturino immediate sine temporis dilatione se transtulit ad ecclesiam Sancti Juliani pauperis, atque ibidem anno et die immediate supradictis congregata fuit in unum veneranda artium facultas (*Fol. 212*[b]) preclari studii Parisiensis super duobus articulis. Primus erat super electione novi rectoris, 2[us] fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum singule nationes dederunt intrantes, et fuit datus intrans de veneranda natione Almanorum providus et discretus vir magister Abraham Alberti de Haerlem, Trajectensis dyocesis, qui una cum aliis intrantibus venerandarum Gallie et Normanie nationum per viam scrutinii elegit venerabilem et magne prudentie virum magistrum Johannem Milonis [5] venerande

1. *Qui licent. est in theol. an.* 1467 (1468), *Januar.* 25; *mag. theol.* 1468, Maii 2.

2. *Vox ea posterius deleta est.*

3. *Vox ea posterius deleta est.*

4. *In margine superiore paginae legitur* notarius apostolicus et imperialis *post signum manuale Johannis Eggairt.*

5. *E collegio Navar.* (*ap.* Launoi, p. 214). *Occurrit etiam ap.* Spirgatis, l. c. p. 17.

nationis Gallicane in rectorem alme Universitatis Parisiensis. Quantum ad 2m supplicavit dominus antiquus, haberi gratus, etc. Cujus supplicatio concedebatur in forma. Supplicavit etiam dominus intrans predictus haberi gratus et advoatus; et annuit natio supplicationi ejus. Similiter dominus rector novus supplicavit supplicaciones consuetas, que fuerunt concesse.

Die vicesima tercia mensis Decembris anno quo supra, apud Sanctum Maturinum facta fuit congregatio Universitatis super tribus articulis. Primus erat super provisione suppositorum; 2us erat super collatione cujusdam officii librariatus vacantis per mortem unius de viginti quatuor librariis, ut asserebatur; tercius erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum venerandus dominus rector exhibuit quosdam articulos super provisione suppositorum confectos, quos per dominum scribam Universitatis perlegi fecit. Quibus perlectis fecit eciam perlegi quasdam missivas per dominum magistrum Petrum Maugier decretorum doctorem compositas, ad regiam majestatem et principes regni transmittendas electo ad hoc ambassiatore unico venerabili viro magistro Godefrido Normanni; quos quidem articulos et missivas per deliberationes venerandarum facultatum preclare Universitatis Parisiensis venerandus dominus rector petiit approbari aut addendo vel diminuendo vel mutando, in melius transformari et quantocius ad regiam majestatem transmitti. Et quantum ad istum articulum placuit Universitati per deputatos corrigi dictos articulos et missivas et quantocius destinari, ut fuit propositum. Quantum ad 2m articulum, licet fuerint multi supplicantes pro dicto officio librariatus, tamen placuit ipsum conferre venerabili viro Reginaldo Morelli. Quantum vero ad 3m articulum supplicavit quidam librarius Universitatis nuncupatus Andreas Mynier in causa injuriarum quas ipse intulit cuidam alteri librario pluribus ictibus eum percutiendo, et (*Fol. 213*) propterea tractus ad judicium coram preposito Castelleti, petiit causam debere tractari coram judicio rectoris vel conservatoris Universitatis; cujus supplicacio fuit commissa deputatis. Item supplicavit dominus rector supplicationem consuetam, que fuit concessa.

Eodem die congregata ad partem veneranda natione Almanorum in loco solito et consueto, comparuit in natione Conradus subbedellus noster, asserens se velle ponere fidejussoriam caucionem pro virga et rebus nationis per eum fideliter custodiendis prout se astrinxerat in facie nationis congregate apud Sanctum Maturinum secunda die mensis Octobris ultimo transacta, tempore procuratorie venerabilis viri magistri Everardi Custodis; sed quia fidejussor suus, ut asseruit, aliis prepeditus tunc adesse non poterat, supplicavit quatenus die eodem post prandium in domo domini prepositi magistri Johannis Kanedi coram procuratore et senioribus deputatis predictum fidejussorem unum vel plures adduceret. Cujus supplicacio fuit concessa.

Ipse autem Conradus subbedellus hora quinta post prandium in domo dicti domini prepositi magistri Johannis Kanedi comparens coram procuratore et deputatis nullum fidejussorem adduxit, sed dixit se voluisse adduxisse Petrum Almanum altum nationis nostre nuntium; sed quia dictus Petrus eo tunc, ut Conradus asseruit, fortuito casu lesuram ex fissura lignorum in oculo passus est, advenire et adesse non valuit, supplicavit idem Conradus pro ulteriori dilacione, aut quod ad presenciam dicti Petri nuncii nostri accederent deputati. Habitis autem deliberacionibus plerisque per deputatos, et allegato quod Petrus predictus nuncius noster, cum servitor nationis foret, fidejussor existere nequaquam posset, cumque equipolleat fidejussorem nullum aut inutilem adduxisse, visum erat quibusdam deputatis eum jam actu ex propria obligacione, de qua supra, esse officio bedellatus privatum. Deputati autem misericorditer procedere volentes, inducias eidem Conrado dederunt usque ad diem lune proxime venturum ante festum Circumcisionis Domini, videlicet mensis Decembris die vicesima nona.

Qua die adveniente, procurator cum domino preposito in domo ejusdem domini prepositi una cum aliis deputatis comparentes et personaliter constituti atque similiter ibidem dictus Conradus bedellus et alii tres, quos tanquam fidejussores adduxit, videlicet Petrus Almanus nuncius noster et Joh. Diche tector domorum et [Petrus de Fossato][1] carnifex, mercatores et cives Parisienses, proponente verbum domino procuratore nacionis Almanorum prelibate, inciperunt (*sic*) loqui super materia caucionis prestande ex utraque parte. Et post multas argumentaciones ad hoc quod dictus Conradus spontanea sua obligacione sese dicto officio bedellatus[2] privaverit, ultra tendentes, venerandi deputati nomine nacionis humaniter procedentes, concluserunt organo procuratoris conclusionem pronunciantem, quod dictus bedellus

1. *Spatium in ms.*

2. *Ms. iterum add.* sese.

Conradus adduceret dictos fidejussores in proxima congregacione tocius nationis apud Sanctum Maturinum, et ibi concepta et conclusa servarentur.

1466

(Fol. 213^{b}) 2ª die mensis Januarii anno quo supra convocata fuit veneranda Almanorum natio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis et 3º communi. Primus erat ad eligendum dominos temptatores determinantium baccalariandorum, 2us super fidejussoria cautione per Conradum subbedellum nostrum prestanda, tertius erat communis super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum electi fuerunt concorditer, nemine reclamante, quatuor magistri temptaturi baccalariandos, videlicet magne scientie et honestatis vir magister Galterus de Wernia, de ducatu Ghelrie Trajectensis dyocesis, artium magister et in sacra theologia baccalarius formatus, magister Johannes Kello provide circumspectionis vir, capellanus noster in Sancto Cosma, magister Guilhelmus Nicolai Delft de comitatu Hollandie, et magister Ulricus Tesselaer. Qui post electionem concorditer prestiterunt domino procuratori in plena natione juramenta solita et consueta.

Quantum ad 2^{m} articulum presentavit nationi Conradus de Constancia subbedellus noster duos fidejussores qui habitis inter magistros nationis diversis altricationibus (*sic*) recepti non fuerunt; tum primo quia dicti fidejussores difficultatem fecerunt de in solidum se obligando, tum 2º quia unus eorum fuit nuntius et servitor nationis ac eciam debitor ejusdem nationis, ut asserebatur, et alius non videbatur habere satis in bonis, ut plerique allegabant; tum 3º quia dicebant aliqui magistri dictum Conradum fore ad plurium instantiam senteuciis excommunicacionis innodatum. Et ideo placuit nationi quod octava die Januarii ipse Conradus de Constancia subbedellus noster in congregacione nationis, tunc in Sancto Maturino convocande, ostenderet litteras sufficienter probantes eum ab omni censura et excommunicacione absolutum, et unum aut plures fidejussores cives Parisienses, de quorum sufficiencia et legalitate merito deberet natio contentari, pro se in natione et presentia duorum notariorum Castelleti et quemlibet in solidum pro summa centum librarum paris. obligaturos, sub pena privationis ab officio, absque ulteriori dilacione, curaret adducere. Et idem quantum ad punctum fidejussionis placuit de Goswino majori bedello.

Quantum ad 3^{m} articulum supplicavit quidam baccalarius Universitatis Friburgensis anno preterito in natione receptus, quatenus littere probatorie baccalariatus sui ad quas se obligaverat presentandas in natione reciperentur et legerentur, et quod natio de hujusmodi probacionis documento foret contenta. Que quidem littere fuerunt recepte et per procuratorem alta voce perlecte, et adhibuit eis natio fidem, voluitque natio quod clauderentur in archa nationis.

7ma die dicti mensis Januarii anno quo supra in Sancto Maturino hora 2ª post prandium convocata fuit preclara Universitas studii Parisiensis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum perlegi certas litteras a [1] domino nostro rege Universitati transmissas. 2us fuit communis. Quantum [ad] primum articulum perlectis prefatis litteris proposuit dominus rector an debeat Universitas eis respondere litteratorie aut verbotenus tantum. Et placuit Universitati respondere litteratorie, et quod in litteris illis Universitas offerret regie majestati preces et orationes pro felici et prospero successu regni et pro pace et tranquillitate regni, et quod dominus rex dignaretur venerabilem virum *(Fol. 214)* magistrum Godefridum Normani, ambassiatorem nostrum apud regiam majestatem directum, in promotione suppositorum Universitatis recommissum habere, et promotioni suppositorum impertiri favorem. Circa donum dandum nuntio regio non fuit concordia. Quantum ad 2^{m} articulum nemo supplicavit.

8va Januarii anno quo supra convocata fuit veneranda Almanorum natio apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super fidejussoribus ponendis per utrosque bedellos nostros, et ad videndum litteras a sentenciis excommunicationis in Conradum bedellum nostrum latis absolutorias. 2us fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum Goswinus major bedellus providos et honestos viros Franciscum de Borsele et Lambertum Hotman; et Conradus subbedellus noster providos viros Petrum de Fossato et Johannem Diche, cives Parisienses ac Parisius actu residentes et commorantes, suos fidejussores plegios et cautionarios et quemlibet eorum in solidum coram circumspectis viris..... [2] notariis Castelleti propter hoc vocatis specialiter et in presencia nationis una cum dictis fidejussoribus personaliter constitutis posuerunt, constituerunt et obligarunt rem nationis

1. *Ms.* ad.

2. *Sic in ms.*

salvam fore, Gosvinus quidem pro summa centum scutorum auri mon. regis Francie, Conradus autem pro summa centum librarum. Et dicti fidejussores hujusmodi fidejussionem et cautionem sponte assumentes et subeuntes modo, forma et summa prescriptis, sese rem nationis sub custodia bedellorum dictorum constitutam salvam fore obligarunt, ad manus dictorum notariorum ultima stipulacione facta, omnia bona sua mobilia et immobilia ad hoc ypotecantes, quam quidem fidejussionem dicti notarii in scriptis redegerunt. Conradus eciam ostendit certas litteras excommunicationum suarum absolutorias, in quibus una sententia excommunicationis solummodo usque ad *Letare Jherusalem* relaxabatur. Super quibus omnibus premissis in medium positis placuerunt nationi dicti fidejussores et eorum obligatio. Sed quantum ad relaxationem dicte unius excommunicationis, placuit nationi quod ipse Conradus procuraret se ante *Letare Jherusalem* plenarie, simpliciter et pure absolutum fore sub pena privacionis ab officio, et quod ipse solveret epitogium nationis per eum perditum aut duo scuta pro eo. Et compensate fuerunt plereque injurie occasione dicti bedelli per nonnullos magistros verbotenus et reciproce invicem illate.

Nono die mensis Januarii anno quo supra veneranda artium facultate solempniter apud Sanctum Julianum pauperem congregata ad audiendum causas appellationis interjecte per providum virum magistrum Johannem de Martiniaco electum receptorem venerande nationis Francie et alios officiarios secum electos contra procuratorem dicte nationis Francie et magistrum Gwilhelmum Burgensem assertum electum receptorem et alios sibi adherentes. Auditis hiis que proposita sunt per dominum rectorem, et auditis hinc inde partibus, et precipue auditis causis justificabilibus et depositionibus intrantium propositis et allegatis per dictos magistros Johannem de Martyniaco et socios ejus primo electos, Almanorum veneranda natio declaravit electionem factam in personas predictorum magistrorum Johannis de Martyniaco et sociorum ejus validam et firmam esse, eam ratificando et confirmando; secundam vero factam in personas dictorum mag. Burgensis (*Fol. 214*[b]) et suorum sociorum esse nullam: tum primo quia dicta secunda electio facta fuit prima non cassata, tum 2° quia ad eam processum est et facta est pendente appellacione per primos electos interjecta, non decisa. Preterea decrevit et decernit, ad refrenandum et reprimendum temerarios ausus violentorum, magistrum Guilhelmum Cornuti qui violenter abstulit rotulum de manibus providi viri magistri Henrici Hugonis loco decani provincie Senonensis presidentis, graviter fore puniendum, hanc punitionem relinquens arbitrio venerande nacionis Francorum. Et cum natio Francie in hac causa diversarum electionum sit in se divisa, placet nationi Almanorum quod ad dirimendas lites Francorum natio in hac appellationis causa non habeat votum; nationes autem Picardorum et Normanorum alio modo deliberaverunt, et sic dominus rector dixit se non habere concordiam.

1466

Continuatio procuratoris magistri Johannis Eggairt de Amstelredam, partium Hollandie acoliti, Trajectensis dyocesis.

Anno quo supra mensis Januarii die decimatertia convacata fuit apud Sanctum Maturinum veneranda Almanorum natio super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum; secundus erat communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum concordi omnium consensu placuit nationi in pristina dignitate continuare magistrum Johannem Eggaert de Amstelredam artium magistrum et in sacra theologia baccalarium. Quantum ad 2[m] articulum supplicavit procurator antiquus haberi ratus, gratus et advoatus et acta per eum rata, grata et advoata; cujus supplicatio fuit concessa. Secundo supplicavit magister Petrus de domo provincie Almanorum pro regencia; cujus supplicationi natio annuit in forma; fuerunt tamen plerique petentes quod solveret dimidium scutum secundum formam statuti desuper confecti. Super observantia autem hujus statuti et aliorum visum est majori parti nationem specialiter fore convocandam loco et tempore congruis.

Anno quo supra die decima quinta mensis Januarii veneranda artium facultate solempniter apud Sanctum Julianum pauperem congregata ad audiendum causas appellationis interjecte per providum virum magistrum Johannem de Martiniaco electum receptorem venerande nationis Francie et alios officiarios secum electos contra procuratorem dicte nationis Francie et magistrum Guilhelmum Burgensem assertum electum receptorem et alios sibi adherentes. Auditis hiis que proposita sunt per dominum rectorem et auditis hinc et inde partibus et precipue (*Fol. 215*) auditis causis, justificationibus et depositionibus intrantium propositis et allegatis per dictos magistrum

Johannem de Martiniaco et socios ejus primo electos, attento etiam quod procurator dicte venerande nationis Francorum cum quibusdam aliis, facta electione prima, spretis provinciarum decanis qui primis intrantium electionibus presidebant, alios assumpserunt decanos ad favorem suum, veneranda Almanorum natio stetit et stat in alias deliberatis die nona hujus mensis nuper preterita, videlicet dictam electionem primam factam, *etc.* (*ut supra* p. 973, 40 *usque ad* fore puniendum). Et quod ad dirimendas lites veneranda Francorum natio non habeat votum, precipue cum idem retroactis temporibus in simili discordia facultati ex causa visum fuerit. Preterea decernit licenciatum illum qui non prestitis juramentis debitis, solitis et consuetis prestari domino rectori, quibus birretati in artibus profitentur facultatem artium ac ejus ritum et statutorum et jurium observantiam et asscripti fiunt facultati, sed eis omissis birreti magistralis insignio decoratus est et lecturam ordinariam temerario saltu incepit, non esse nec debere reputari magistrum nec birretatum, sed quod ea juramenta prestare teneatur et eis prestitis birreto magistrali insigniri et de novo incipere. Hortaturque et admonet veneranda Almanorum natio omnes et singulos artium magistros, ne quoquo modo hujusmodi non juratos licenciatos et sigillum rectoris non habentes birreto magistrali insignire et ad lectiones ac magistrales actus admittere non presumant. Dominum procuratorem nationis Francie Almanorum natio habet excusatum in eo quod jusserit dictum licenciatum solutis juribus ad *placet* duci, attento quod ab eo juramentum receperit de jurando domino rectori, displicet tamen summe venerande Almanorum nationi quod dictus Francie procurator immemor juramenti iteratis vicibus prestiti domino rectori, quod ipse non detulit nec honorem exhibuit domino rectori litteratorie inhibenti ne officiarii prefacti ex utraque parte electi pendente appellatione in exercitium suorum officiorum exirent, nec baccalariandi se temptamini submitterent; sed (quod grave ferendum est) preceptum dicte inhibitioni domini rectoris contrarium litteratorie dedit, quo baccalariandis omnibus ut se temptamini in Naverra inchoato subdant, in prejudicium litis pendentie appellationis predicte non decise, sic apparens velle impedire influxum capitum superiorum in inferiora; quo influxu dominus rector pro appellatione decidenda habet facultatem congregare; supplicat quoque venerande nationi Francorum ut ipsum procurare salutaribus monitis ad exhibitionem honoris domino rectori faciendam inducat. Ex hiis et similibus nationis Picardie deliberatis dominus rector conclusit pro Martigniaco, et Burgensis appellavit ad Universitatem.

Anno quo supra die decima octava mensis Januarii convocata fuit preclara Universitas Parisiensis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super observantiis statutorum juratorum per librarios Universitatis. 2us fuit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit Universitati quod omnes et singuli articuli per librarios jurati debeant transferri de latino in gallicum, et illa translacione facta citarentur dicti librarii ad renovandum sua juramenta. Quantum ad secundum articulum supplicavit dominus (*Fol. 215b*) rector pro causa injuriarum sibi factarum per quendam licenciatum non prestitis juramentis birretatum, de quo fit mentio in congregacione immediate precedenti. Et super hoc facto placuit Universitati quod causa investigetur in deputatis et si inventum fuerit dictum licenciatum non requisivisse dominum rectorem ut ei juramenta solita prestaret ante birretationem, ipse non haberetur pro magistro, sed ipse primo prestaret juramenta solita domino rectori et postea inciperet. Eciam quantum ad articulum supplicacionis comparuit venerandus vir magister Guilhelmus Burgensis, supplicans ut causa appellationis sue pro officio receptorie, a conclusione domini rectoris nuperrime in Sancto Juliano pronunciata et pro Martigniaco data, contra eundem de Martigniaco interposite ad Universitatem audiretur, et merita electionis sue discuterentur, et officium receptorie sibi magistro Guilhelmo Burgensi adjudicaretur. Et quantum ad hunc articulum veneranda natio Almanorum stetit in alias deliberatis, et placuit, cum ab ipsis appellatum fuerit, quod natio hac vice voto careret et per consequens etiam tota artium facultas, viso quod rector ex deliberatis majoris partis, ut tunc videbatur, magistro Johanni de Martigniaco officium hujusmodi receptorie adjudicaverit. Sed placuit tribus superioribus facultatibus hujusmodi receptorie officium adjudicari venerabili viro magistro Guilhelmo Burgensi et pro eo dominus rector conclusit. Sed antequam concluderet, ipse de Martigniaco appellavit a futuro et formidato gravamine in conclusione domini rectoris sibi fiendo.

Anno quo supra mensis Januarii die vicesima prima convocata fuit apud Sanctum Maturinum veneranda Almanorum natio super duobus articulis. Primus erat ad exhortandum et salutaribus monitis inducendum dominos baccalarios hujus anni ad hoc etiam specialiter evocatos et ad precipiendum eis quatenus honorem debitum exhiberent magistris

nationis et precipue domino procuratori, et quod caverent sibi a discursibus et evagacionibus in honestis et ludis scurrilibus, et quod ferventer se darent studio. 2us exstitit communis super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dominus procurator recitavit quod certi magistri sibi proposuerant querimoniam quod erant inter baccalarios plerique qui nullam reverentiam exhibent magistris, ymmo eis sepius proterve loquuntur ac si magistri non forent, et quod ad ludos taxillorum se conferunt, et alia mala contingunt per ipsos, quod merito essent digni non admitti. Et non obstantibus plurium allegacionibus, placuit nationi quod domini temptatores baccalariorum venirent multa laude extollendi pro penis et laboribus in hujusmodi temptamine passis. Et admissionem ad gradum baccalariatus factam prefatis baccalariis veneranda mater nostra Almanorum natio habebat ratam, gratam et advoatam, sed addidit quod dominus procurator dictis baccalariis per dominos temptatores admissis in facie totius nationis commonitionem et exhortacionem brevi collatione faceret, ut a quibuscunque malis abstinentes se totaliter studio, profectui et honestati darent. Quod et dominus procurator fecit ipsis dominis baccalariis omnibus humiliter in Sancto Maturino solito congregacionis nostre loco ad terram sedentibus, ipsos ad omne honestatis, studii, morum, reverentie, et obedientie bonum exhortando. Nomina autem baccalariorum per rigorem examinis admissorum postea sequuntur.

Sequuntur nomina duorum baccalariorum in aliis Universitatibus promotorum, quorum primus sufficientem probationem gradus sui ostendit, secundo autem date fuerunt inducie probationis usque ad octavas Penthecostes proximo venture.

Dominus Johannes Valace [1] promotus baccalarius artium in veneranda Universitate Glasguensi (*Fol. 216*) Parisius receptus, cujus bursa valet [viij s. par.]

Dominus... (*sic*).

Anno quo supra more Gallicano mensis Januarii die vicesima octava convocata fuit apud Sanctum Maturinum veneranda et alma Parisiensis Universitas super duobus articulis. Primus erat super facto statutorum et juramentorum concernentium librarios Universitatis. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum de mandato domini rectoris dominus scriba Universitatis perlegit omnes et singulos articulos a librariis juratos et per dominum rectorem de latino in gallicum translatos, quibus perlectis dominus honorandus dominus rector enarravit quod ipse penes conclusionem Universitatis nuperrime habitam fecerit ad hunc locum et hanc horam cum intimacione debita citari et evocari omnes et singulos preclare Universitatis Parisiensis librarios ad audiendum lecturam prefatorum articulorum de latino in gallicanum ydioma translatorum, et ad renovandum ipsa juramenta, attento quod hoc plurimum Universitati et ejus suppositis expediret, multitudine abusuum per dictos librarios commissorum id exigente. Et quantum ad concernentia presentem articulum, comparuerunt tantum quatuor librarii qui dictam translationem de latino in gallicum audierunt. Placuit autem Universitati quod ceteri librarii non comparentes merito deberent reputari contumaces pro hujusmodi contumacia merito puniendi.

Quantum autem ad 2m articulum supplicuit quoddam suppositum Universitatis per suos adversarios extra muros Parisienses evocatum ad judicium pro adjunctione, defensione et assistentia Universitatis; cujus supplicationi Universitas annuit, probatis probandis et casu et meritis cause sufficienter inspectis. Eciam ad hunc articulum supplicaverunt pretacti quatuor librarii quod dicta statuta deberent moderari, viso quod essent nimis rigorosa et quod non possent observari omnia ad litteram et plenum tenorem, eo quod scolares non veniunt ad sermones et collationes in Jacobitis et Minoribus prout olim solebant. Et allegabant dicti librarii adhuc alia inconvenientia observancie statutorum et juramentorum renovandorum in gallico translatorum. Et quantum ad hanc supplicationem placuit Universitati quod dominus [rector] deberet precipere omnibus magistris regentibus et pedagogistis quod semper diebus dominicis et festivis deberent ducere suos scolares ad sermones et collationes in theologia, quatenus cessaret dicta objectio librariorum; et quod in deputatis visitarentur dicta statuta et juramenta librariorum, et secundum quod deputatis visum fuerit, Universitas super hoc postea congreganda amplius deliberaret.

Erat etiam eodem die et loco propositus per dominum rectorem unus specialis articulus, medius inter duos predictos, qui ponitur hic retro, non ex dolo vel malicia sed per quandam incuriam vel oblivionem in domino procuratore multipli[ci]tate curarum causatam, pro qua incuria et oblivione dominus procurator supplex veniam orat. Et fuit iste articulus super collatione cujusdam capellanie per mortem, ut dice-

1. *Is in* lib. recept. *fol.* 25 *vocatur* J. Walas.

batur, magistri Alberti Scriptoris clari, dum vixit, venerande nationis Almanie suppositi (cujus anime Dominus misereatur!) vacantis. Cujus presentatio capellanie pro nunc spectat ad venerandam nationem Normanorum, que ad eandem capellaniam presentavit magne scientie et discretionis virum magistrum Berengarium [Mercatoris] artium magistrum et in sacra theologia (*Fol. 216*[b]) baccalarium. Cui tanquam viro bene merito et majoribus donis dignissimo preclara Universitas Parisiensis dictam capellaniam sic ut premittitur vacantem unanimi consensu contulit. Quem post conclusionem a domino rectore pronunciatam ipse dominus rector, receptis ab eo et per dominum magistrum Berengarium prestitis juramentis solitis et consuetis, per traditionem libri et birreti de eadem investivit et in realem, corporalem et actualem dicte capellanie ac bonorum et redditunm, proventuum et jurium ejus, possessionem ejus vel quasi instituit et induxit : in nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Placuit etiam nationi nostre Almanorum dispensare cum scolaribus qui ob dispendia guerrarum ad partes perrexerunt, ut si redierint ante medium Quadragesime, possint determinare et pro gradu baccalariatus temptari et admitti. Etiam placuit nationi dare cenam dominis procuratori, receptori et temptatoribus, cuilibet adjuncto socio, et domino decano magistro Everardo Custodis pro laboribus dominorum temptatorum, et quod natio non exponeret nisi unum scutum cum dimidio aut paulo ultra.

Sequuntur nomina baccalariorum qui temptati sunt et admissi per rigorem examinis et prestiterunt juramenta solita et consueta.

Domini : Johannes Oevelin [1], dyoc. Constantiensis, 4 sol.

Martinus Haekenhay, dyoc. ejusdem, 4 sol.

Udo Hoost [2], dyoc. Coloniensis, cujus bursa valet v sol.

Joh. Bernardi de Lucemburch, dyoc. Treverensis, c. b. valet x sol.

Nicolaus Crunhouwer [3], dyoc. Caminensis, v sol.

Gregorius Suterbier [4], dyoc. Ratisponensis, iiij s.

Joh. Murman de Eschewe, dyoc. Magunt., 4 sol.

Burcardus Bernardi [de Routvilla], dyoc. Constantiensis, 5 sol.

Joh. Meyer, dyoc. Magu[n]tinensis, cujus bursa valet 4 sol.

Joh. Carnificis de Freymersheym, dyoc. Maguntinensis, cujus bursa valet 4 sol.

Petrus Scriptoris de Arluno, dyoc. Treverensis, 9 sol.

Crismannus Schezelii [5] de Freymershem, dyoc. Maguntinensis, cujus bursa valet 5 sol.

Johannes Crumme, dyoc. Sancti Andree, cujus bursa valet 4 sol.

Nicolaus Kochenmeyster [6], dyoc. Misenensis, 4 sol.

Johannes Arnoldi, dyoc. Misenensis, c. b. valet 5 sol.

Thomas Coan, dyoc. Glasguensis, Scotus, 4 sol.

Lambertus Starck de Ripis, civitatis Ripensis, 5 sol.

Theodericus Allardi, civitatis Monasteriensis, 4 sol.

Theodericus Wittonis de Haga Comitis, dyoc. Trajectensis, 5 sol.

Theodericus Nicolay de Delft, dyoc. Trajectensis, 5 sol.

Duserus de Bornis, dyoc. Caminensis, 5 sol.

Joachim Bornstede, dyoc. Caminensis, cujus bursa valet 5 sol.

Thomas de Lapide, dyoc. Abberdensis, cujus b. v. nichil.

Martinus Johannis de Delft, Trajectensis dyoc., 7 sol.

Johannes Calkar, dyoc. Coloniensis, 7 sol.

Philippus Calkar, dyoc. Coloniensis, 7 sol.

Nicolaus Sartoris [de Gorlitz], dyoc. Misenensis, cujus b. v. 4 sol.

Johannes Gramman, Bambergensis dyoc., cujus b. v. 4 sol.

Antonius Currificis, dyoc. Argentinensis, cujus b v. 4 sol.

Johannes Mathie de Bockenhem, dyoc. Metensis, 4 sol.

Andreas Nicolay Scotus, dyoc. Abberdensis, nichil.

Martinus de Gouda, Trajectensis dyoc., 7 sol.

Alardus de Gouda [7], Trajectensis dyoc., 7 sol.

(*Fol. 217*) Robertus Brequin [8], dyoc. ejusdem, cuj. bursa valet 4 solidos, et est Scotus.

1. *In* lib. recept. *dicitur* Ofilyn.
2. Hoest *ibid.*
3. Krunhewer *ibid.*
4. Sutebier *ibid.*
5. Schetzeln *ibid.*
6. Cokemeister *ibid.*
7. Alardus Ghemanni *ibid.*
8. Brichen, civitatis Brichenensis *ibid.*

Anno quo supra mensis Januarii die vicesima nona facta fuit congregatio facultatis artium in Sancto Juliano paupere super tribus articulis. Primus fuit de consuetudine antiqua jam quasi in dissuetudinem incipiente verti, qua laudabiliter pristinis fuit observatum temporibus, quod magistri regentes et pedagogiste consueverunt ducere scolares suos ad sermones et collationes in sacra Scriptura fieri solitas diebus dominicis et festivis in fratrum Predicatorum et Minorum conventibus, ne librarii aliquam statutorum et juramentorum suorum exceptionem vel excusationem contra abusus suos cotidianos pretendere possent quovismodo. Secundus fuit super presentatione dominorum examinatorum temptaminis Sancte Genovefe per honorabilem dominum patrem cancellarium venerabilis ecclesie Sancte Genovefe fienda, et eorundem examinatorum acceptatione et ad jurandum admissione. Tercius exstitit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum honorandus dominus rector, in virtute juramenti obedientialis officio et dignitati venerabilis rectoratus Parisiensis prestiti, precepit omnibus et singulis magistris artium regentibus et pedagogistis ut scolares suos modo premisso ducerent ad sermones et collationes, etc. Ultra et quantum ad hunc articulum placuit facultati verbum domini rectoris acceptare pro exhortatione et ammonitione caritativa, non autem preceptoria, precipue tamen placuit verbum propositum domini rectoris de sermonibus dominorum doctorum theologie, secus autem de baccalariis cum nimis grave foret. Quantum ad 2^m^ articulum placuit nationi et facultati recipere et ad juramenta admittere dominos examinatores, videlicet pro veneranda natione Almanorum magistrum Johannem Eggert artium magistrum et in sacra theologia baccalarium, pro veneranda natione Francie magistrum ... (*sic*), pro veneranda natione Picardie magistrum Johannem Mene, et pro veneranda natione Normannorum magistrum Guilhelmum Vymont in theologia baccalarium; et juratis dictis examinatoribus regraciata est preclara artium [facultas] domino honorandissimo cancellario de dictorum examinatorum electione et presentatione. Quantum ad tercium articulum nemo supplicuit.

Anno quo supra mensis Februarii die tercia convocata fuit apud Sanctum Maturinum preclara Universitas Parisiensis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum litteras transmissas Universitati a domino magistro Godefrido Normani ambassiatore nostro ad regiam majestatem transmisso; 2us communis. Quantum ad primum articulum audite fuerunt dicte littere, quod adhuc nichil per eum actum est continentes. Et addidit dominus rector quod Universitates Aurelianensis et Andegavensis sine ambassiatore ad regem misso utuntur nominationibus ad beneficia. Sed non placuit Universitati Parisiensi adhuc uti nominationibus, sed quod expetetur exitus et finis ambassiatoris nostri magistri Godefridi Normani. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Eustacius ... (*sic*) pro adjunctione in casu cujusdam adversarii sui qui traxit eum ad judicium extra muros Parisienses; cujus supplicatio fuit concessa.

Sequitur nomen cujusdam incipientis.

Magister Guilhelmus Biset, dyoc. Sancti Andree.

JOH. EGGERT,
notarius apostolicus et imperialis.

1466

(*Fol. 217^b^*) Electio procuratoris magistri Johannis Molitoris de Cotbus, dyocesis Misnensis.

(*Fol. 218*) Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, die vero decima mensis Februarii, congregata fuit veneranda natio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super electione novi procuratoris aut continuatione antiqui, 2us communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nationi procedere ad electionem novi procuratoris, et electus fuit magister Johannes Molitoris de Cotbus, dyocesis Misnensis. Quantum ad 2^m^ articulum supplicuit procurator antiquus haberi gratus, ratus et advoatus et acta per eum grata, rata et advoata; cujus supplicacio fuit concessa informa.

Anno quo supra congregata fuit veneranda artium facultas die undecima mensis Februarii apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus fuit super presentatione et receptione novi temptatoris pro tentamine Sancte Genovefe pro veneranda natione Francie propter recessum prioris, causis legittimis urgentibus; 2us erat communis, etc. Quantum ad primum honorandus dominus, dominus cancellarius Sancte Genovefe presentavit venerabilem et illuminatum virum magistrum Claudium Bodonis ut reciperetur in tentatorem ejusdem tentaminis pro veneranda natione Francie, quia qui prius receptus fuerat, recessurus erat, et quoad hoc regraciabatur veneranda

artium facultas domino cancellario prenominato quod talem et tantum et tam doctum virum eidem presentabat. Et placuit eundem magistrum Claudium Bodonis recipere ad juramenta.

Anno quo supra die vero duodecima mensis Februarii fuit congregata alma Universitas Parisiensis per dominum rectorem in Sancto Maturino hora octava de mane super 3bus articulis. Primus continebat articulos et statuta quos vel que tenentur jurare et tenere librarii Universitatis Parisiensis et responsiones per ipsos fiendas ad eosdem articulos. 2us fuit de resignacione officii alterius advocatorum in suprema curia parlamenti facta per dominum Johannem Luliel seniorem, qui idem officium resignavit rectori Universitatis Parisiensis per filium suum ac magistrum nostrum Johannem Luliel juniorem, in favorem et utilitatem Egedii Luliel filii primi et fratris secundi. 3us fuit communis, etc. Quantum ad primum articulum placuit Universitati istam materiam differre ad deputatos prius datos in favorem librariorum qui haberent articulos ipsos continentes et responsiones ad eosdem per ipsos factas visitare et postea Universitati referre. Quantum ad 2m articulum regraciabatur Universitas domino Johanni Luliel seniori de penis et laboribus per eum assumptis in materia Universitatis in predicto officio ; et contulit idem officium Egidio Luliel filio suo. Quantum ad 3m articulum supplicavit quidam magister pro deputatis in materia appellacionis, cujus supplicacio fuit admissa.

Anno quo supra die vero decima septima mensis Februarii congregata fuit solempniter alma Universitas Parisiensis per dominum rectorem in Sancto Maturino super 3bus articulis. Primus super materiam librariorum quid agendum esset pro tunc an differendum. 2us ad audiendum narracionem oratoris Universitatis de diligenciis per eum factis apud supremum dominum nostrum regem super provisione suppositorum Universitatis. 3us fuit communis, etc. Quantum ad primum articulum placuit Universitati istam materiam librariorum differre usque ad proximam congregacionem. Quantum ad 2m articulum regraciabatur alma Universitas Parisiensis (*Fol. 218 b*) supremo domino nostro regi de communicacione suarum litterarum. Insuper regraciabatur oratori Universitatis de penis, laboribus et diligenciis per eum assumptis apud supremum dominum nostrum regem et ejus consilium, et habuit acta per eum grata, rata et avoata. Placuit etiam Universitati ut sibi fieret satisfactio de pecuniis per eum expositis et pro laboribus per eum assumptis. Quantum ad 3m articulum supplicuit quidam magister ut causa et jurisdictio pro materia librorum pro qua tractus fuit ad Castiletum remitteretur ad dominum rectorem, ad quem pertinet jurisdictio hujusmodi materie ; cujus supplicacio fuit admissa.

Anno quo supra die vero vicesima quinta Februarii mensis congregata fuit alma Universitas Parisiensis per dominum rectorem apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super materia librariorum alias agitata, 2us communis. Quantum ad primum articulum placuit Universitati quod hec materia librariorum differretur ad proximam congregacionem, ut materia et articuli quos tenentur jurare dicti librarii melius discutere[n]tur. Quantum ad 2m articulum supplicavit quidam magister pro remissione cujusdam cause concernentis materiam librorum ; cujus supplicatio fuit admissa.

Anno quo supra die vero octava mensis Marcii congregata fuit alma Universitas Parisiensis per dominum rectorem apud Sanctum Maturinum super 3bus articulis. Primus concernebat conservacionem privilegiorum Universitatis ; nam papietarii supplicaverant domino rectori per quandam cedulam ut per privilegia Universitatis confirmata per dominum nostrum supremum regem tuerentur, et in eodem jure et eadem consuetudine, qua predecessores et ipsi usque tunc usi fuerunt, tenerentur contra aliquos firmarios ab ipsis exigentes 12 denarios (et alii 4 de libra) quos nec ipsi nec predecessores eorum solverunt. 2us fuit de quibusdam abusibus. Nam duo nunccii in dyocesi Trecensi fuerunt per Universitatem instituti, quod est contra consuetudinem ; ideo primus supplicavit ut in officio teneretur et 2us privaretur qui fuit assumptus ipso nondum privato. 3us fuit communis.

Quantum ad primum articulum placuit Universitati tenere privilegia, et non in vigore, vel ipsa defendere, et illos papietarios ratione privilegiorum in eadem consuetudine permanere qua usi fuerunt ipsi et eorum predecessores. Placuit insuper eidem ut dominus rector cum notabili comitiva deputatorum haberet accedere dominos generales, ipsos supplicando ut per litteras mandarent firmariis ut dictos papietarios permitterent in libertate et consuetudine antiqua qua ipsi et eorum predecessores usi fuerunt. Quantum ad 2m articulum non fuit concordia. Quantum ad 3m nullus supplicavit.

Sequitur nomen cujusdam magistri : Poncianus Delfft, dyocesis Trajactensis.

Sequitur nomen cujusdam baccalarii temptati et admissi per rigorem examinis, qui juravit juramenta solita et consueta :

Wolgangus Lansheymer [1], cujus bursa valet nichil.

1466

(*Fol. 219*) Continuatio procuratoris magistri Johannis Molitoris de Cotbus, dyocesis Misnensis.

(*Fol. 219 b*) [2] Anno quo supra die vero decima mensis Marcii congregata fuit veneranda nacio Almanorum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit super continuatione antiqui procuratoris aut novi electione; 2us fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad primum articulum placuit nationi concorditer continuari antiquum procuratorem, videlicet magistrum Johannem Molitoris de Cotbus, dyocesis Misnensis. Quantum ad 2^{m} articulum supplicuit procurator haberi gratus, ratus et advoatus, et acta per eum grata, rata et advoata. Cujus supplicacio fuit admissa in forma. Item supplicavit prior S. Juliani Pauperis ut nacio sibi subveniret pro reformacione ecclesie prenominate conformiter ad conclusionem alias captam. Et quantum ad hoc placuit nacioni sibi subvenire proporcionabiliter ad alias naciones, scilicet si nacio Francie solveret 8 fr. placuit nacioni contribuere duo, etc. Item supplicavit magister Jacobus Eckert ut omnes baccalarii temptandi cogerentur per nacionem ut transirent ad temptamen... conformiter ad conclusionem alias captam. Et quantum ad hoc placuit nationi ut omnes baccalarii... tantum (?) temptamen transirent et quod monerentur stricte per bedellos nacionis ut illi temptamini se sub[mitterent]. Etiam placuit nacioni ut cogerentur sub pena pri[vacionis]. Supplicavit eciam magister Jacobus Hugk, quod pecunia debita nacioni Picardie per nacionem nostram redderetur... vel... [quinquag]inta scuta et quod nacio haberet providere de illo, an substitutus in receptorem mag. Jac. Bindop deberet... juramenta solita et consueta jurare a receptoribus et per nacionem [imposita]..., an placeret alium substituere et ad juramenta admittere. Et quantum ad hoc placuit nacioni quod substitutus ....haberet facere compotum ante dominicam *Letare* quod et pecunie... [solver]entur immediate nacioni Picardie ante [quam] in archam nostre nacionis poneret....

Anno quo supra die vero 12^{a} mensis Marcii [3] congregata fuit alma Universitas Parisiensis per dominum rectorem apud Sanctum Maturinum super 3^{bus} articulis. Primus fuit ad audiendum lecturam litterarum missarum Universitati a sind[icis] Au[re]lianen[sibus; secundus concer]nens librarios, an juramenta prestare deberent de articulis officium eorum concernentibus. Et de duobus nuncciis in provincia Trecensi institutis [gratia] reverende nacionis Francie, quis eorum in officio permanere deberet, cum hoc sit contra statuta et consuetudines Universitatis, habere videlicet duos nunccios in eadem dyocesi, nisi ubi esset pluralitas linguarum. [Tertius communis.]

Quantum ad primum placuit Universitati dare assistenciam Universitati Aurelianensi ad prosequendum, videlicet ne nova Universitas Bituris [constituere]tur, quia hoc cederet in erectionem et prejudicium istius et aliarum antiquarum [Universitatum. Conclusum est] quod dominus rector una cum deputatis haberet accedere dominos parlamenti ut ipsi scriberent domino [nostro regi] ut ipse non pateretur Universitatem novam Biturie institui in prejudicium hujus alme Universitatis Paris. aliarumque Universitatum.

Quantum ad 2^{m} articulum, quoad primam partem ejus placuit Universitati ut articuli [concernentes] librarios... per deputatos visitarentur; et quoad 2^{am} partem istius articuli, non fuit concordia. Quantum ad 3^{m} articulum nullus supplicavit.

Anno quo supra die vero quindecima mensis Marcii congregata fuit veneranda nacio Almanorum apud Sanctum Maturinum [super 2 articulis]. Primus erat ad audiendum compotum magistri Jacobi Bindop, substituti per receptorem; secundus fuit communis. Quantum ad primum articulum placuit nacioni audire compotum. Quantum ad 2^{m} articulum supplicuit magister Jacobus Bindop substitutus per receptorem quod natio ipsum et compotum per eum factum in absencia receptoris haberet gratum et ratum; cujus supplicacio fuit admissa. Placuit tamen (?) nacioni ut idem substitutus prenominatus poneret quinquaginta scuta auri in manibus nacionis Picardie pro [solutione] summe centum scutorum ab eadem nacione [nostre] nacioni prestitorum ante dominicam Ramis Palmarum. [Supplicavit] eciam quidam nuncius...

1. *In* lib. recept. *fol.* 25, Lansenheymmer.
2. *Hujus paginae lectio incertissima, plerisque vocabulis vetustate deletis.*
3. *Secundum* Bul. V, 678, *ea congregatio* 13 *Martii fuit.*

ELENCHUS

PROCURATORUM NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)

(1407-1466)

DIES ELECTIONIS.	NOMINA.	DIES ELECTIONIS.	NOMINA.
1407 Jan. 13.	Henricus de Herwen.	1411 Jun. 2.	Henricus Vaeck de Novimagio.
— Mart. 10.	Gherardus Doemherre de Lucemburgo.	— Aug. 26.	Jacobus de Haerlem.
		— Oct. 21.	Johannes de Crannach.
— April. 7.	Nicolaus Koneken de Magdeburg.	— Dec. 16.	Thomas de Herskyn.
— Aug. 27.	Hermannus de Ummen.	1412 Febr. 10.	Jacobus de Haerlem.
— Sept. 23.	Jacobus de Haerlem.	— April. 6.	Henricus Vaeck de Novimagio.
— Oct. 21.	Johannes Barberii, Scotus.	— Jun. 1.	Johannes de Reno, al. Philippi, de Leydis.
— Dec. 16.	Johannes de Galencoep.		
1408 Jan. 13.	Johannes Gray, Scotus.	— Jul. 31.	Thomas de Herskyn.
— Mart. 9.	Jacobus de Haerlem.	— Aug. 27.	Johannes Johannis, al. Reyneri, de Leydis.
— Aug. 27.	Johannes de Hallis.		
— Sept. 24.	Ghiisbertus Scay.	— Oct. 21.	Georgius Frydekker de Noremberga.
— Oct. 21.	Thomas de Ungaria.	— Dec. 16.	Joh. de Reno, al. Philippi, de Leydis.
— Nov. 19.	Johannes de Gruesbeeck.	1413 Jan. 13.	Jacobus de Haerlem.
— Dec. 17.	Albertus Wedebech de Misena.	— Febr. 10.	Gherardus Snavel de Zwollis.
1409 Febr. 10.	Tidemannus Langhe.	— April. 7.	Joh. de Reno, al. Philippi.
— Mart. 11.	Johannes de Montfoerdia.	— Maii 5.	Eduardus de Lawedre, Scotus.
— April. 8.	Tidemannus Langhe.	— Jun. 2.	Henricus Vaeck de Novimagio.
— Jun. 3.	Petrus Scay.	— Aug. 25.	Johannes de Crannach.
— Aug. 26.	Johannes de Crannach.	— Oct. 21.	Georgius Fridekker de Noremberga.
— Oct. 21.	Johannes de Hallis.	1414 Jan. 13.	Thomas de Lyn, Scotus.
— Dec. 15.	Spaen dictus Friso.	— April. 28.	Johannes de Crannach.
1410 Jan. 13.	Johannes de Montfoerdia.	— Jun. 2.	Henricus Vaeck de Novimagio.
— Mart. 12.	Jacobus Lyndesay, Scotus.	— Aug. 26.	Henricus Gorkam.
— April. 7.	Albertus de Novimagio.	— Oct. 21.	Johannes de Wael de Vyanen.
— Jun. 2.	Wilhelmus de Lochem.	— Dec. 17.	Georgius Fridekker de Noremberga.
— Sept. 26.	Henricus de Gorkam.	1415 Jan. 14.	Andreas Jedlant de Dirsow.
— Dec. 16.	Tidemannus Langhe.	— Mart. 11.	Guillelmus Spaldin, Scotus.
1411 Febr. 10.	Alexander Foulertoun, Scotus.	— April. 8.	Henricus Clint de Luneborch.
— Mart. 10.	Albertus de Novimagio.	— Maii 6.	Ghysbertus Albout.
— April. 7.	Alexander de Foulertoun.	— Jun. 13.	Andreas Hekel de Bavaria.

DIES ELECTIONIS.	NOMINA.
1415 Aug. 26.	Johannes de Craunach.
— Oct. 21.	Johannes de Baden.
— Dec. 16.	Johannes Johannis, de Leydis.
1416 Jan. 13.	Reynerus Wael.
— Mart. 9.	Guillelmus Scot.
— Maii 4.	Nicolaus Richeshein.
	. . . .
— Oct. 23.	[Guillelmus Spaldyn].
— Nov. 18.	Henricus Clint de Luneborch.
1417 Jan. 13.	Johannes Braem de Zutphania.
— April. 7.	Johannes de Patavia.
— Jun. 2.	Thomas de Dirsovia.
— Sept. 23.	Rogerus de Edynburgh.
— Dec. 15.	Johannes Homlyne, Scotus.
1418 Jan. 11.	Conradus de Hagenoya.
— Maii 5.	Johannes Johannis, de Leydis.
— Aug. 26.	Theodoricus Johannis, de Harlem.
— Dec. 16.	Guillelmus de Spaldyn.
1419 Febr. 10.	Rogerus de Edynburgh.
— April. 7.	Robertus de Craunach.
— Maii 2.	Johannes Johannis.
— Oct. 21.	Henricus de Monasterio.
— Dec. 16.	Johannes de Werner.
1420 April. 7.	Rogerus de Edynburgh.
— Maii 4.	Johannes Johannis.
— Aug. 26.	Rogerus de Edynburgh.
— Dec. 18.	Theodricus de Harlem.
1421 Mart. 10.	Johannes Johannis.
— Jun. 2.	Rogerus de Edynburgh.
— Dec. 16.	Johannes Flicke de Finlandia.
1422 Sept. 23.	Johannes Johannis, de Leydis.
1423 April. 7.	Johannes Flicke.
— Sept. 23.	Martinus Beregh.
— Nov. 18.	Rogerus de Edynburgh.
1424 Jan. 13.	Johannes Johannis, de Leydis.
— April. 6.	Martinus Beregh.
— April. 10.	Rogerus de Edynburgh.
— Jun. 1.	Martinus Berech.
— Nov. 18.	Johannes Flicke.
1425 Mart. 10.	Johannes Johannis, de Leydis.
— Jun. 2.	Rogerus de Edynburgh.
— Aug. 27.	Johannes Johannis, de Leydis.
— Sept. 24.	Rogerus de Edynburgh.
— Dec. 16.	Jacobus Rööd de Abo, al. Petri.
1426 Mart. 11.	Johannes Flicke.
— April. 20.	Jacobus de Gouda.

DIES ELECTIONIS.	NOMINA.
1426 Aug. 26.	Bernardus de Emeda.
— Dec. 16.	Rogerus de Edynburgh.
1427 Mart. 10.	Jacobus de Gouda.
— April. 20.	Jacobus Potter.
— [Jun. 2].	[Johannes Johannis].
— [Aug. 26].	[Bernardus de Emeda].
— Sept. 27.	Jacobus Rodh, al. Petri.
— Dec. 16.	Johannes [Johannis], de Leydis.
1428 Mart. 9.	Johannes de Alcmaria.
— April. 6.	Petrus de Gouda.
— [Aug. 26].	Martinus Berech.
— Nov. 18.	Petrus de Gouda.
— Dec. 18.	Rutgherus Blooet de Huesden.
1429 Mart. 5.	Jacobus de Hattem de Campis.
— Jun. 2.	Jacobus de Gouda.
— Jul. 26.	Johannes Tongris.
— Oct. 21.	Petrus de Gouda.
1430 April. 7.	Martinus Berech.
— Aug. 26.	Petrus de Gouda.
— Sept. 30.	Albertus Vorden de Campis.
— Dec. 16.	Jacobus de Loo, al. Potter.
1431 April. 7.	Albertus de Vorden.
— Sept. 20.	Conradus Wild de Ratenberg.
1432 April. 7.	Albertus de Vorden.
— Oct. 21.	Martinus de Berech.
— Dec. 26.	Albertus de Vorden.
1433 April. 7.	Johannes de Merode.
— Maii 7.	Albertus de Vorden.
— Nov. 18.	Olavus Magni.
1434 Sept. 21.	Albertus Vorden.
1435 Sept. 23.	Olavus Magni.
— Dec. 16.	Robertus Esschinck de Zwollis.
1436 Sept. 24	Olavus Magni.
— Dec. 19.	Albertus Vorden.
1437 Sept. 23.	Johannes de Palacio.
— Dec. 16.	Robertus Esschinck de Zwollis.
1439 April. 27.	Jacobus Winthorst de Hamborch.
	. . . .
1440 Dec. 6.	Albertus Scriptoris de Doesborch.
1441 Oct. 21.	Jacobus Winthorst.
— Dec. 16.	Albertus Scriptoris.
1442 Mart. 10.	Jacobus Winthorst.
— Sept. 24.	Albertus Scriptoris.
1443 Febr. 11.	Arnoldus Bernardi.
— Mart. 30.	Albertus Scriptoris.
— Aug. 26.	Johannes de Dorlo.

DIES ELECTIONIS.		NOMINA.
1443	Sept. 16.	Albertus Scriptoris.
—	Oct. 21.	Jacobus de Gouda.
1444	Jan. 13.	Jacobus Winthorst.
—	April. 6.	Albertus Scriptoris.
—	Jun. 1.	Jacobus de Gouda.
—	Aug. 26.	Lambertus Schout, de Arnhem.
—	Nov. 18.	Nicolaus Flügge, de Prussia.
1445	Jan. 14.	Henricus de Marcxen.
—	Febr. 27.	Lambertus Schout.
—	April. 7.	Henricus de Marcxen.
—	Aug. 16.	Temannus de Gouda.
—	Oct. 20.	Albertus Posthauwer.
—	Dec. 16	Dubboldus de Campis.
1446	Febr. 10.	Arnoldus Bernardi.
—	April. 7.	Lambertus Schout.
—	Jul. 2.	Robertus de le Poele, al. de Lacu.
—	Aug. 26.	Johannes de Dorlo.
—	Oct. 21.	Johannes Cameron.
—	Dec. 16.	Andreas Steenre.
1447	[Febr. 10].	Albertus Scriptoris.
—	April. 6.	Everardus [Custodis], de Haerlem.
—	Jun. 2.	Lambertus Schout.
—	Aug. 24.	Johannes Kanedy.
—	Oct. 21.	Arnoldus Bernardi.
—	Dec. 16.	Temannus de Gouda.
1448	Febr. 10.	Walterus de Wernia.
—	April. 6.	Albertus Posthauwer.
—	Jul. 2.	Dubboldus de Campis.
—	Aug. 26.	Johannes Cameron.
—	Oct. 22.	Lambertus Schout.
—	Dec. 16.	Adrianus de Mera.
1449	Febr. 10.	Temannus de Gouda.
—	April. 7.	Adam Scaep.
—	Jun. 2.	Henricus de Bye.
—	Aug. 26.	Thomas Cameron.
—	Sept. 30.	Theodricus de Brakel.
—	Dec. 15.	Adam de Mera.
1450	Jan. 13.	Helias de Noerde.
—	Mart. 10.	Galterus de Wernia.
—	Maii 5.	Johannes Kanedy.
—	Aug. 26.	Jaspar Smit.
—	Oct. 21.	Egidius Morsels.
—	Dec. 16.	Petrus de Nortwiick.
1451	Febr. 10.	Joh. Petri de Malmoghia.
—	April. 7.	Jacobus Gray.
—	Jun. 2.	Simon Cuper, de Trajecto.

DIES ELECTIONIS.		NOMINA.
1451	Aug. 26.	Folpardus de Ameronghen.
—	Oct. 21.	Petrus Brechtel, de Nova civitate.
—	Dec. 16.	Lambertus Schout.
1452	Febr. 12.	Jaspar Smit.
—	April. 6.	Balthazar Mesnang.
—	Jun. 1.	Reinerus de Camera.
—	[Aug. 26].	Galterus de Wernia.
—	Oct. 20.	Dubboldus [de Campis].
—	Dec. 16.	Henricus Fres.
1453	Febr. 10.	Conradus Petri.
—	April. 7.	Arnidus [Jacobi, Aboensis dioec.].
—	Jun. 2.	Albertus Scriptoris.
—	[Aug. 26].	Galterus de Wernia.
—	[Oct. 21].	Gerardus Boell.
—	[Dec. 16].	David Cranok.
1454	[Febr. 10].	Johannes Leonis.
—	[April. 7].	Theodericus Martini.
—	[Maii 6].	Johannes Welchen.
—	[Aug. 26].	Johannes Scholl.
—	[Oct. 22].	Gisbertus Villen.
—	[Dec. 16].	Johannes Pauli.
1455	[Febr. 10].	Gisbertus Villen.
—	[Mart. 10].	Johannes Scholl.
—	[April. 7].	Guillelmus Forbes.
—	[Jun. 2].	Arnoldus Kunnen.
—	[Aug.].	Johannes Pauli.
—	[Dec. 16].	Galterus de Wernia.
1456	[Febr. 10].	Cornelius de Stremberghen.
—	April. 6.	Victorinus Milewski.
—	[Jun. 2].	Arnoldus Kunnen.
—	[Aug. 26].	Antonius de Castro.
—	[Oct. 21].	Johannes de Lapide.
—	[Dec. 16].	Petrus Steinbach.
1457	[Febr. 10].	Hugo Dugles.
—	[April. 7].	Christophorus Amstel.
—	[Jun. 2].	Erardus Leppelin.
—	[Aug. 26].	Johannes de Lapide.
1458	[Jan. 13].	Mathias Schol.
—	[Mart. 10].	Helyas de Noerde.
—	[Jun. 2].	David Archas.
—	[Sept. 23].	Joh. de Rottenburgo.
—	[Dec. 16].	Gerardus Nicolai.
1459	[Febr. 10].	Tilmannus Veen.
—	[April. 7].	Gerardus Nicolai.
—	[Maii 6].	Ludolphus Veen.
—	Sept. 14.	Hugo Douglas.

DIES ELECTIONIS.	NOMINA.	DIES ELECTIONIS.	NOMINA.
1459 Nov. 19.	Joh. de Lapide.	1462 [Nov. 18].	Jeronymus Vynter.
1460 Jan. 15.	Petrus Lupi.	1463 [Febr. 10].	Leonardus Hemmerlyn.
— Mart. 10.	Florentius Noerde.	— [April. 7].	Abraham Alberti.
— April. 29.	David Archas.	— [Jun. 2].	Jeronymus Vynter.
— [Jun.].	Joh. de Lapide.	— [Sept. 23].	Johannes Mathie.
— [Aug.].	Jacobus Delft.	— [Nov. 18].	Johannes Belze.
1461 [Jan. 13].	Thomas Kanedi.	— [Dec. 16].	Johannes Butzel.
— [Febr. 10].	Nicolaus Vindepoch.	1464 [Febr. 10].	Johannes Merhilt.
— [Mart.].	Jacobus Salicti.	— [April. 7].	Marcus Doring.
— [April. 7].	Joh. de Irlandia.	— [Jul.].	Zemo [de Campis].
	....	— [Oct. 21].	Johannes de Luxemburg.
— [Sept. 23].	Hubertus Danielis.	1465 [Febr. 10].	Reynerus Hanegrene.
— [Nov. 18].	Petrus Johannis.	— [April. 7].	Jacobus Biindop.
1462 [Jan. 13].	Jacobus Hoec.	— Jun. 1.	Patricius Lech.
— [Maii 6].	Judocus Zybrandi.	— Sept. 23.	Everardus Custodis.
— [Jul. 26].	Haquinus Frille.	— Dec. 16.	Joh. Eggairt, de Amstelredam.
— [Sept. 23].	Theodricus de Gouda.	1466 Febr. 10.	Joh. Molitoris, de Cotbus.

ELENCHUS RECEPTORUM

NATIONIS ALEMANNIAE

DIES ELECTIONIS.	NOMINA.	DIES ELECTIONIS.	NOMINA.
1406 Sept. 21.	Guillelmus Blok.	1437 Sept. 21.	Albertus Vorden.
1407 Id.	Gerardus de Delf.	1439	Jacobus Winthorst.
1408 Id.	Jacobus de Herlem.	1440 Jan. 13.	Joh. Bonrode de Lubeke.
1410 Id.	Nicolaus Kuneken de Saxonia.	1441	Jacobus Winthorst.
1411 Id.	Henricus Ghorinchem.	— Oct. 21.	Albertus Scriptoris.
1413 Id.	Guillelmus Lochem.	1442 Sept. 21.	Arnoldus Sommer, al. Bernardi.
1415 Id.	Guillelmus Blok.	1443 Id.	Joh. de Dorlo.
1416 Maii 21.	Guillelmus Lochem.	1445 Id.	Albertus Scriptoris.
1417 Sept. 21.	Andreas Hequel de Bavaria.	1446 Id.	Jacobus de Gouda.
1418 Id.	Johannes Wormer.	1447 Id.	Lambertus Schout.
1419 Id.	Theodoricus de Harlem.	1448 Id.	Johannes de Palacio.
1420 Id.	Henricus Meyner.	1449 Id.	Themannus de Gouda.
1421 Id.	Johannes Johannis.	1450 Id.	Galterus de Wernia.
1422 Id.	Johannes de Arnhem.	1451 Id.	Jacobus Gray.
1423 Sept. 21.	Johannes Flicke.	1452 Id.	Joh. Petri de Malmoya.
1424 Dec. 19.	Jacobus de Gouda.	1453 Aug. 6.	Johannes Kanedy.
1425 Sept. 21.	Johannes Johannis.	1454 Sept. 20.	Victorinus de Milewsk.
1426 Id.	Joh. Petri de Swecia.	1455 Sept. 21.	Petrus Steinbach de Masmunter.
1427 Id.	Bernardus de Emeda.	1456 Id.	Goeswinus Hatten.
1428 Id.	Rogerus de Edimbourg.	1457 Id.	Galterus de Wernia.
1429 Dec. 9.	Albertus Vorden.	1458 Id.	Joh. Heynlyn de Lapide.
1430 Sept. 21.	Petrus de Gouda.	1459 Id.	Johannes de Lyle.
1431 Sept. 15.	Conradus Wild.	1460 Id.	Gherardus Nicolai de Leydis.
— Sept. 21.	Martinus Berech.	1461 Id.	Florentius de Noerde.
1432 Id.	Conradus Wild.	1462 [Id.]	David Archas.
1433 Id.	Albertus Vorden.	1463 Id.	Leonardus Hemerly.
1434 Id.	Olavus Magni.	1464 [Jul.].	Joh. Winterling de Rottenburg.
1435 Id.	Albertus Vorden.	— Sept. 22.	Johannes de Irlandia.
1436 Sept. 24.	Robertus Esschinck.	1465 Sept. 21.	Gherardus Hoest.

INDEX PERSONARUM

[Numerus prior columnam, alter lineam, astericus notam significat.]

A

C — K

D

E

F

G

H

I — Y

J

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Z

ADDENDA ET EMENDANDA

AD TOMUM I

P. XV, 27, *pro* nicera, *leg.* intera. Quanquam vox « interus » (gallice *entier*, apud DU CANGE-HENSCHEL deest, eam adhibuisse procuratorem verisimile est. De iidem ornamentis cf. etiam *Auctar.* II, 321, 18 sqq.

P. XLIV. In Universitate St. Andrews in Scotia, ab Henrico Wardlaw episcopo S. Andreae, an. 1411 fundata, et a Benedicto XIII an. 1413 confirmata (de quo vid. nunc H. RASHDALL, *The Universities of Europe in the middle ages*, II, p. 297), aliqui olim Parisiis studentes inveniuntur. Ipse episcopus olim in artibus Parisiis determinavit (*Auctar.*, I, 848,6); inter primos professores Universitatis LAURENTIUS de LINDORES seu Londoris (in fac. theol.) et JOHANNES GILL (in art. facult.) fuerunt supposita Univers. Paris., sicut etiam JOHANNES ELWALD, qui an. 1418, cum Universitas Scotiae Benedicto XIII obedientiam subtraxisset, rector Universitatis fuit (Suppl. Mart. V, n° 133, fol. 143 b. Cf. ROBERTSON, *Concil. Scotiae*, Edinburgi 1866, p. LXXVIII sq.).

P. LXXVI, not. 4, *pro* 1410 *leg.* 1409, Octob. 21.

P. 339, 30, *leg.* cappis cericiis et tribus interis ornamentis.

P. 687, not. 1, lin. 5, deleas « quia Scotus ». JOHANNES DE MORAVIA, de quo in *Auctar.*, non fuit de Moray in Scotia, sed de Moravia in Austria. Sic enim legimus in Suppl. Benedicti XIII, n° 79, fol. 72 : « Joh. Druchewen, alias de Moravia, cler. *Olomucensis dioc.* », ad annum 1394, Octob. 13. An. 1407, Febr. 16, idem pontifex providit Guillelmo Filiastri de canonicatu Bajocen., vacante « per obitum Johannis de Moravia »; eodemque die Petro de Cantella de canon. Paris. « per obitum Joh. de Moravia » (*ibid.*, n° 98, fol. 197 b). Vid. praeterea *Chartul.*, IV, n° 1714, not.

P. 788, not. 4, *leg.* Johannes JUTFAES *pro* Egidius, etc.

P. 919, 44; 925, 35; 929, 8. Is GUILLELMUS DE LOCHEM alius est atque GUILLELMUS DE LOCHEM, senior, qui affertur primum 898, 18, ultimum 906, 33, proindeque ambo in Indice p. 979 a distinguendi sunt. Cf. etiam tom. II *Auctarii*.

P. 935, not. 1. De Petro Cauchon, qui revera solum 1432, Jan. 29, ad sedem Lexovien. translatus est, quamvis jam an. 1430 de translatione ageretur, vid. *Chartul.* IV.

P. 981, col. 3, lin. 3, *dele* Scotus.

AD TOMUM II

P. 129, 49, *pro* taxanda *leg.* taxanda[m].

P. 131, 22; 132, 18. Utique est SIMON BACHEUX, de quo in *Chartul.*, IV, n° 1803, not. 10.

P. 132, not. 5, *pro* XV *leg.* V.

P. 150, not. 11, lin. 6, *leg.* an. 1415 interfectus, *pro* Hoc anno interfactus.

P. 152, not. 3. Nomina eorum qui composuerunt Ordinationem dictam *Cabochienne* vid. ap. *Rel. de saint Denys*, V, 4.

P. 186, not., lin. 13, et p. 1020, *leg.* JORDANUS Morini *pro* JOHANNES.

P. 233, not. 2. Cf. *Chartul.*, IV, n° 2086.

P. 265, not. 2, *leg.* Recueil des privilèges de l'Université, p. 92 *pro* p. 92.

P. 272, 25. De ELVINGO = ELBINGO.

P. 304, not. 9, *leg.* Maii 15, *pro* Maii 25.

P. 313, 35, *dele comma post* subbedelli.

P. 372, 44, *pro* barsa, *leg.* bursa.

P. 431, not. 4. Ad haec vid. *Chartul.*, IV, n° 2338, not. 2. Nescimus an, sicut Erardi, Lingonensis fuerit.

P. 442, 24, *leg. contra codicem* HEBERTI Camus *pro* GUILLELMI, etc.

P. 451, not. 1. JOHANNES PULCHRIPATRIS solum Maii 28 Rotomagum reliquit, et Basileam Augusti 2 tantum venit (HALLER, *Concil. Basil.*, II, 10, 14, sq.). Quantum ad caeteros ambassiatores, ibidem nominatos, vid. *Chartul.*, IV, p. 523, not. 41, et « Addenda », p. 744.

P. 479, not. 1, *leg.* anno 1439 *pro* anno sequenti Vid. *Chartul.*, IV, n° 2536.

P. 482, not. 3. Vid. *Chartul.*, IV, n° 2460, cum notis.

P. 491, 42, *pro* vellet, *leg.* valet.

P. 499, nota 2 corrigenda est secundum *Chartul.*, IV, n° 2399, et n° 2514. Quando *Auctarium* adnotavimus, quantum ad propositionem Nicolai Midy coram rege opinionem caeterorum secuti sumus.

P. 506, 41, *leg.* suam *pro* suum.

P. 511, 26, intellige *in epitogio*, i. e. in taberna sic nominata.

P. 511, 32, *pro* Arindi *leg.* Arvidi.

P. 520, not. 8, *leg.* 1439 *pro* 1440 (vid. p. 509, not. 2).

P. 542, 36, *pro* folia *leg.* formalia. Cf. 708, 6.

P. 551, not. 1, l. ult., *leg.* faciente *pro* « aciente ».

P. 615, not. 1, *pro* Jacobis *leg.* Jacobi.

P. 666, not. 8, l. 4, *dele comma post* praeter.

P. 670, not. 9, *dele comma post* ad.

P. 706, 26. « Joh. WITTENWILER de Constancia » intit. Heidelbergae an. 1442, bac. ibidem an. 1444 (TOEPKE, I, p. 234).

P. 706, 28. « Joh. LANGE de Arusia » intit. Erfurti an. 1443 (WEISSENBORN, p. 195).

P. 747, 25, *pro* mememoriali *leg.* memoriali.

P. 757, 21. « Gregorius ARNSTORFF de Besko » intitulatus est in Univ. Lipsiens. an. 1438 (vid. ERLER, *Matrikel der Universität Leipzig*, I, 1895, p. 125).

P. 757, not. 4, *pro* 724 *leg.* 754.

P. 791, not. 2, lin. 8, *leg.* legitur *pro* legibitur.

P. 820, not. 6, *pro* Introductionem, *leg.* Introductionem Chartularii, t. IV, p. VIII, not. 8.

P. 825, nota 2 delenda est. Vid. *Chartul.*, IV, n° 2669, not. 1.

P. 851, 40. Forsan idem ac « Daniel ZANGGERIED de Memmingen » intit. Heidelb. an. 1443 (TOEPKE, I, p. 239).

P. 869, nota 2 delenda est; ambassiata an. 1451, Febr. 3, conclusa, postea revera profecta est. Vid. *Chartul.*, IV, n° 2669.

P. 903, 20. « Joh. FEYST de Franckenfordis » intitul. Lipsiae an. 1448 (ERLER, *op. c.*, p. 164), Erfurti an. 1450 (WEISSENBORN, p. 223).

Ibid. « Joh. HEYLIN DE LAPIDE », Spirensis ille qui libros in Sorbona imprimendos cum Guil. Fichet curavit, intitulatus erat in Univ. Lipsiens. an. 1448 (ERLER, *op. c.*, p. 165).

P. 915, not. 1 et p. 1005. Num fuerit is Joh. MATHIE de Campidona incertissimum est. Nam invenitur « Joh. MATHIE de Franckenvordis » intitul. Lips. an. 1453 (ERLER, *op. c.*, p. 181); alius « Joh. Mathie » in Univ. Rostoccens. an. 1451 (HOFMEISTER, *Matrikel d. Univ. Rostock*, I, p. 91).

P. 915, not. 5, *dele comma post* vel.

P. 916, 16. Quidam « Jacobus RUEFF » intitul. Lipsiae an 1453 (ERLER, *op. c.*, p. 186).

P. 920, 44. « Petrus LUPI de Mallerstat, cler. Herpipolen., mag. Paris. » postea intitul. Heidelb. an. 1464 (TOEPKE, I, p. 312).

P. 927, 20. « Jacobus ULFONIS de Upsalia » intitul. in Univ. Rostoc. an. 1457 (HOFMEISTER, *op. c.*, p. 114).

P. 932, 12. « Degehardus HILLEBOLD de Riga » intitul. in Univ. Rostoc. an. 1455, Oct. 11; ibidem baccal. an. 1457 (HOFMEISTER, *op. c.*, p. 106 et 114).

P. 932, 16. « Alverus TEIST de Norwegia » intitul. Rostocci an. 1458, April. 25; ibidem baccal. an. 1459 (HOFMEISTER, p. 117 et 124).

P. 943, 43. Forsan idem ac « Georgius BROMT, Argentinen. », intit. Heidelb. an. 1457 (TOEPKE, I, p. 291).

P. 1001. ALLOT idem videtur ac « Ghisbertus Aibout de HARLEM ».

P. 1002. Cum ATTENDORN junge quod ad CUSTODIS, p. 1008, datum est.

Ibid. ARENSDORF cum ARNSERDORF conjunge.

P. 1004. BLOC (Guillelmus). Adde p. 35, 36 (ubi PLOK).

P. 1008. KUNICZ et KUNS conjunge, cum de uno eodemque Johanne agi videatur.

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT